Mediolanensis, Hercules Vastarobba clericus Bononiensis, Nicolaus de Spaz Leodiensis, Urbani tituli S. Bernardi Sacchetti; Hieronymus Caietanus Durinus clericus Novocomensis, Carolus Iosephus Massiminus presbyter dioecesis Montisregalis in Pedemontio, Christophorus Matthaeus clericus Romanus, Marcelli tituli S. Priscae Duratii; Ioannes Dominicus Transi laicus Romanus, Nicolaus Secci clericus Assisiensis, Marci Antonii tituli S. Marci Barbadici; Petrus de Tensin clericus Grationopolitanus, Gaspar Magnon presbyter et canonicus ecclesiae Grationopolitanae, Antonius laicus Grationopolitanus, Stephani tituli S. Mariae Angelorum le Camus; Franciscus Monacellius de terrâ Schigiae presbyter Eugubinae dioecesis, Blasius Clementi laicus Spoletinus, Petri Matthaei tituli S. Marcelli Petrucci; Franciscus Xaverius Guicciardus Rhaethus canonicus Curiensis, presbyter Novocomensis dioecesis, Gaspar Mola laicus Bononiensis, Leandri tituli Ss. Nerei et Achillei Coloredi; Marinus Martellus presbyter Ariminensis dioecesis, Dominicus Bergerius laicus Romanus, Ioannis Francisci tituli S. Mariae in Aracaeli Nigroni; Antonius Angelus Cotinus de terrâ Staphili Auximanae dioecesis, Antonius Campanarius clericus Camerinensis, Bandini tituli S. Pancratii Panciatici; Ascanius de Silvestris presbyter Senensis, Angelus Carocci laicus Urbevetanus, Iacobi tituli Ss. Marcellini et Petri Cantelmi; Franciscus Papottus presbyter Carpensis nullius dioecesis, Ioannes Laurentius Sancti laicus Romanus, Ferdinandi tituli S. Balbinae de Abdua; Petrus Guyoz Parisinus, Iacobus la Baume laicus Montis Pesulani, Natalis Mayeu Desutyers laicus Baiocensis, Tussani tituli S. Callixti de Janson Forbin; Laurentius Biottus clericus de Crespano Patavinae dioecesis, Iacobus Beccarius laicus Ariminensis, Ioannis Baptistae tituli S. Laurentii in Pane et Perna Rubini; Ioseph Maria Francischinus presbyter, [1] laicus Florentinus, Francisci tituli S. Sabinae Iudice; Matthaeus Antonellus presbyter Lucensis, Fidorus Buccius de Zagarolo Praenestinae dioecesis, Dominicus

1 Vid. deesse unius conclavistae nomen (R. T.).

Pierius de S. Elpidio Firmanae dioecesis, Ioannis Baptistae tituli S. Anastasiae Costaguti; Ioannes del Soldato presbyter Florentinus, Antonius Lancisus laicus Florentinus, Iacobi tituli S. Caeciliae Morigia; Franciscus de Abbatibus clericus Pisaurensis, Ioseph Lambot laicus Namurcensis, Sebastiani Antonii tituli Ss. Quatuor Coronatorum Tanara; Ioannes Vincentius de Caesaris clericus Romanus, Marcus Mittarellus clericus coniugatus a S. Angelo dioecesis Civitatisducalis, Iacobi tituli S. Mariae in viâ Boncompagni; Comes Carolus de Tournon presbyter Taurinensis, Iacobus Perottus laicus Pistoriensis, Balthassaris tituli S. Petri in Monte Aureo Cincii; Ioseph Floravantius presbyter Sabinensis, Franciscus Maria Massa laicus Imolensis, Thaddaei Aloysii tituli S. Alexii del Verme; Ioannes Baptista Sidottus presbyter Panormitanus, Horatius Natimbene presbyter de S. Genesio Camerinensis dioecesis, fratris Thomae Mariae tituli S. Clementis Ferrarii S. Clementis nuncupati; Comes Philippus Rinaldus a Turre abbas S. Mariae de Rhado, presbyter Albensis in Pedemontio, Petrus Gozzius laicus e Bugella Vercellensis dioecesis, Iosephi tituli S. Mariae Transpontinae Sacripantes; Petrus Paulus Avi clericus Camerinensis, Camillus Chiupettus laicus Romanus, fratris Henrici tituli S. Augustini Noris; Ioannes Iacobus de Nigris presbyter Venetus canonicus Patavinus, Blasius Matthaeinus laicus Ariminensis, Georgii tituli Ss. Duodecim Apostolorum Cornelii; Raymundus Formentin clericus Parisinus, Dionysius Massinglant laicus Rothomagensis, Petrus Lesuè Bellovacensis, Petri tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio de Coislin; comes Franciscus Maria Merlinus presbyter Foroliviensis, Bartholomaeus Fantinus laicus Mutinensis, Fabritii Ss. Ioannis et Pauli Pauluccii; Iulius Antonius Zannellettus laicus Mutinensis, Ioannes Mancinus presbyter a Palumbaria Sabinensis dioecesis, perpetuus beneficiatus basilicae Lateranensis, Nicolai tituli S. Bartholomaei in insulâ Radolovici; Ioseph Antonius Ventorinus, clericus Pontremulensis, Lunensis Sarzanensis dioecesis, Cyrillus de Giannellis Lucensis dioecesis, Iosephi Archinti, ...[1]; Paulus Ignatius Guglielmi Æsinus, Carolus Bentinus clericus Fayentinus, Gaspar Lauri laicus a Loro Firmanae dioecesis, Andreae tituli S. Mariae de Populo de S. Cruce; Thomas Cervinus clericus de Monte Politiano abbas Ss. Petri et Benedicti de Vivo Pientinae dioecesis, Matthaeus Antonius Natali presbyter Cremonensis, Marcelli tituli S. Martini in Montibus de Aste; Petrus Silius presbyter Venetus, Danielis Marci tituli S. Susannae Delphini; comes Oddo de Oddis laicus Perusinus, Vincentius Lori laicus Romanus, Sperelli tituli S. Ioannis ante Portam Latinam Sperelli; Ioannes Baptista Alippius clericus Typhernas, Gabriel Simi laicus de Pescia nullius dioecesis, Ioannis Mariae tituli S. Pudentianae Gabriellis; Eusebius Benaudot clericus Parisinus, prior S. Cristophori de Castroforti dioecesis Parisiensis, Petrus Dacque laicus Ambianensis, Petrus Charcot laicus Bellicensis, Ludovici Antonii de Noailles; Franciscus Tucci clericus Ducensis, Ioannes Christophorus Bermeitinger presbyter Passaviensis, Ioannes Baptista Risak laicus Leodiensis, Ioannis Philippi de Lamberg, presbyterorum S. R. E. cardinalium: Ioannes Palmegianus de Pina Billorum presbyter Feretranae dioecesis, Ascanius Bartoccinus clericus de Marsciano Perusinae dioecesis, Carolus Nuntius Julier clericus Romanus, Benedicti S. Mariae in Vialatâ Pamphilii; frater Scipio Cigala, Ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani, clericus Messanensis, marchio Ioannes Thaddaeus Canale clericus Reatinus, Fulvii Ss. Cosmae et Damiani Astallii; marchio Alexander Capponus clericus coniugatus Florentinus, Petrus Andreas Forzonius Accolatus laicus Florentinus, Ioseph Bonellus clericus Cameriensis, Francisci Mariae S. Mariae in Domnica Medices; Franciscus Maria Campellus laicus Spoletinus, Laurentius Pini laicus Romanus, Petri S. Laurentii in Damaso Ottoboni; Matthaeus Cortiolionus presbyter Ariminensis, Natalis Ancaranus laicus Faventinus, Caroli S. Agathae Bichii; Franciscus Wrmundus Arborius de Gattinaria

1 Deest nomen et titulus cardinalis (R. T.).

clericus Taurinensis, Nicolaus Antolinus clericus Lauretanae dioecesis, abbas S. Ioannis in Persica Recinetensis, Iosephi Renati sancti Georgii Imperialis; Antonius Dominicus Pantus clericus Pisaurensis, Augustinus Luperahiolus laicus de Gallasio Sabinensis dioecesis, Aloysii S. Mariae in Porticu Homodei; Pompeius Torsius clericus Orthanus, Petrus Chellen clericus Hamburgensis, Francisci S. Angeli in Foropiscium Barberini; Philippus Gambardelli clericus Amalphitanus, Thomas Lucarellus laicus Romanus, Laurentii S. Mariae in Aquiro de Alteriis; Franciscus Antonius Palutius presbyter Sabinensis, Ioannes Rapa laicus Ianuensis, Ioannis Baptistae S. Caesarii Spinolae S. Caesarei nuncupati; Ludovicus Faitout clericus Lingonensis, Antonius Tournier laicus Lugdunensis, Alexander Pouchart laicus Coenomanensis, Henrici S. Nicolai in Carcere Tulliano de la Grange de Arquyan; Ioannes Cantarenus laicus Venetus, Albertus Maria Falletti laicus Taurinensis, Vincentii S. Eustachii Grimani diaconorum S. R. E. cardinalium: frater magister Paulus Marianus a S. Flora Ordinis eremitarum sancti Augustini, prosacrista; frater magister Petrus Antonius de Rubeis, procurator generalis Ordinis Servorum Beatae Mariae Florentinus, frater magister Felicianus Corellus de Fulgineo, Ordinis eremitarum sancti Augustini, subsacrista; Ioannes Torrinus clericus Pisanensis cum praedicto fratre magistro Mariano prosacrista; Henricus Tillou Clivius presbyter Coloniensis dioecesis, cum dicto secretario sacri collegii; Ernestus Hermannus Zieglieri clericus Monasteriensis dioecesis, cum dicto secretario sacri collegii; Ioseph Zaffontius presbyter Senensis, canonicus insignis basilicae S. Mariae Transtyberim, custos fontis et aquarum conclavis; Ioannes Maria Lancisius Romanus, Iacobus Sinibaldus Romanus, medici physici; Marius Cecchinus de Licciana Sarzanensis dioecesis, chirurgus; Iacobus Mansuetus Romanus, aromatarius; Antonius Berionus a Montesancto Firmanae dioecesis, Antonius Fantonus Aretinus eius auxiliarius, Marcus Antonius Adrianus Romanus, Ioannes Dominicus Gentilis de terrâ S. Angeli dioecesis Civitatisducalis, barbitonsores; Ioannes Grancus Ferrariensis, Antonius Antimanus de Vignola Mutinensis dioecesis, eorum auxiliatores; Dominicus Gianninus Romanus, faber lignarius; Ioannes Baptista Amatus Urbinatensis dioecesis, faber caementarius; Antonius Maria Marino a S. Genesio Camerinensis dioecesis, famulus magistrorum caeremoniarum; Ambrosius Rosatus, Andreas Bissini, Andreas Campi, Andreas Montini, Angelus Mericonus, Antonius Bianchi, Antonius Cantonus, Antonius Paoletti, Antonius Sella, Bartholomaeus Onginus, Carolus Catenaccius, Carolus Antonius Gratioli, Caesar Calfieri, Dominicus Gilosius, Dominicus Pedusius, Donatus Agostini, Hieronymus Benvenuti, Ioannes Antonius Manzolius, Ioannes Baptista Barotius, Ioannes Baptista Branca, Ioannes Baptista Giaschettus, Ioannes Baptista Soppa, Ioannes Franciscus Connella, Ioannes Mollarius, Ioseph Campestri, Ioseph Fabri, Ioseph Mancinus, Laurentius Algerinus, Marcus Antonius Colletta, Matthaeus Madritius, Matthaeus Pellegrini, Pancratius Sfascia, Paschalis Guardus, Paulus Minolius, Sebastianus Ciampus, Stephanus de Stephano, Thomas Mancinus, scopatores conclavis.

II.

Confirmatur decretum definitorii generalis Minorum de Observantiâ Recollectorum, quo statuitur ut provincia Coloniensis restituat provinciae Argentinensi quatuor coenobia [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Argentinen- Quomodo dicta provincia amiserit et po-

1 Ab Innocentio XII const. edit. MDCXCIII, die 21 novembris, pontif. III, confirmata fuit erectio trium coenobiorum in provinciâ Baetica; et in huius pontificis const. ed. MDCCII, die 15 septembris, pontif. II, extat unio quorumdam coenobiorum provinciae Castellae.

stea recuperaverit dicta coenobia.

sis, Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Recollectorum nuncupatorum, quod, cum ipsi aliàs, occasione bellorum atque haeresum quae Palatinatum Rheni[1] afflixerunt, quatuor conventibus ad dictam provinciam pertinentibus, nempe Heydelbergensi, Oppenheimensi, Crucenacensi et Lutrensi, a fratribus provinciae Coloniensis eiusdem Ordinis occupatis, privati remansissent, pro illorum vero restitutione obtinendâ articulum restitutionis huiusmodi viâ iuris in capitulo generali dicti Ordinis in hac almâ Urbe nuper celebrato cognosci et decidi curassent, proposito eodem articulo, discussâque controversiâ inter Argentinensem et Coloniensem provincias praedictas circa dictos quatuor conventus in definitorio generali Ordinis praedicti die XI iunii proxime praeteriti habito, idem definitorium generale, visis ac examinatis utriusque partis iuribus, determinavit et praecepit ut dicta provincia Coloniensis supradictos conventus provinciae Argentinensi praedictae integre restitueret, et aliàs prout uberius continetur in ipsius definitorii generalis decreto desuper emanato, ac ex illius actis deprompto, tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum definitorii die XI iunii editum.

« Frater Ioannes Rondero, sacrae theologiae lector iubilatus ac Ordinis generalis secretarius, omnibus has visuris testificor et fidem facio, quod inter acta congressus definitorii generalis celebrati die XI iunii, anni huius MDCC, habentur sequentia a reverendissimo patre ministro generali confirmata, scilicet:

« Visa controversiâ inter Argentinensem, seu Alemaniae, et Coloniensem provincias Recollectorum circa quatuor conventus, videlicet, Heidelbergensem, Oppenheimensem, Crucenacensem et Lutrensem, visisque et examinatis utriusque partis iuribus, determinat definitorium generale et praecipit ut provincia Coloniensis suprarelatos conventus statim cum omnibus suis antiquis limitibus, iuribus, mobilibus et immobilibus, aliisque appendentibus et dependentibus, patribus praefatae provinciae Argentinensis integre restituant. Datum Romae, apud S. Mariam de Aracaeli, sub definitorio generali hac die XI iunii anni MDCC. — Frater IOANNES DURAN DEL MONTIO definitor generalis et secretarius».

» Quae quidem acta, prout iacent, ex actis supramemorati congressus definitorii generalis constant, ad quae me refero. In quorum fidem praesens transumptum propriâ manu subscriptum, ac Ordinis minori sigillo communitum, dedi in hoc S. Francisci Aracaelitano conventu de Urbe die XIV mensis iunii anni MDCC ».

Confirmatio et fiat decretum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, et attentâ relatione bonae memoriae Alderani, dum vixit, episcopi Ostiensis, eiusdem S. R. E. cardinalis Cybo nuncupati, qui Ordinis praedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectoris munere tunc fungebatur, super praemissis ipsis cardinalibus factâ, praeinsertum definitorii generalis decretum

1 Edit. Main. legit *Rhenis* (R. T.).

auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis provinciarum et conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII decembris MDCC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 decembris 1700, pontif. anno I.

III.

Mandatur continuatio visitationis apostolicae ecclesiarum et locorum piorum Urbis [2].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Refertur institutio visitationis apostolicae ab Innocentio XII praeceptae et inchoatae.

§ 1. Cum felicis recordationis Innocentius Papa XII, praedecessor noster, circa pontificatus sui primordia pastoralem cleri Romani, omniumque almae Urbis ecclesiarum, piorumque locorum et operum visitationem instituerit, eamque ipsemet in patriarchalibus eiusdem Urbis ecclesiis inchoaverit, ac sibi in eo munere adiutores nonnullos ex sacro venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. cardinalium collegio elegerit et assumpserit, eisque quosdam Romanae Curiae praelatos et alios subinde cardinales adiunxerit, qui visitationem ipsam peragerent, et negotia illam concernentia expedirent, ac secretarium, iudicem, cancellarium et actuarium, commissarium et fiscalem, aliosque forsan officiales et ministros sacrae visitationis huiusmodi deputaverit, variasque eisdem cardinalibus, ac eorum et dictorum praelatorum Congregationi, necnon officialibus et ministris praedictis facultates, praeeminentias et indulta concesserit et impertitus fuerit, et aliàs prout in diversis ipsius Innocentii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur; et, sicut accepimus, memorati quidem cardinales visitatores

1 Visitatio apostolica fuit indicta ab Innocentio XII const. ed. MDCXCIII, die 11 ianuarii, pont. II, item 16 ianuarii, 7 et 11 februarii; et iterum praecipitur continuatio visitationis ab Innocentio XIII const. edit. MDCCXXI, die 28 maii, pontif. I.

unà cum praelatis coadiutoribus suis visitationem huiusmodi tam in eisdem patriarchalibus quam in aliis collegiatis et fere omnibus parochialibus ecclesiis ac in multis monasteriis regularium, tam virorum quam mulierum, necnon collegiis, hospitalibus, confraternitatibus et aliis locis piis dictae Urbis postea prosecuti fuerint, salutaribusque monitis et decretis, ubi opus fuit, providerint; visitatio tamen ipsa in omnibus ecclesiis ac locis et operibus piis praedictis nondum sit peracta, sed multa negotia eam concernentia adhuc pendeant indecisa: hinc est quod nos, pastorali studio considerantes, quantopere visitatio huiusmodi utilis et necessaria sit, non modo ad tollendos abusus, sed etiam ad praecavendum ne deinceps introducantur, quantumque boni ex illâ hactenus provenerit, et benedicente Domino proventurum sit, si visitatio ipsa continuetur et absolvatur, ac in eâ, quae ad Dei cultum et gloriam animarumque salutem opportuna et conducibilia sunt, sicut hactenus factum est, in posterum quoque pie prudenterque statuantur, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratam visitationem continuari et absolvi, causasque indecisas in Congregatione praefatâ pendentes, prout aequitatis atque iustitiae ratio suaserit, terminari, visitationes particularium ecclesiarum ac locorum et operum piorum iam inchoatas absolvi, necnon ecclesias et loca et opera pia nondum visitata[1] visitari, ceteraque omnia et singula visitationem huiusmodi quomodolibet concernentia fieri, geri, statui et ordinari, ac executioni demandari debere, tenore praesentium decernimus et mandamus; ac omnes et singulas facultates, privilegia, gratias, praeeminentias, praerogativas et indulta quaecumque, praedictis cardinalibus et praelatis, eorumque Congregationi, necnon omnibus et singulis officialibus et ministris supradictis, a memorato Innocentio praedecessore per suas litteras praedictas quovis modo respective concessa et attributa, per obitum eiusdem Innocentii praedecessoris minime cessasse, nec cessare, sed in suis robore et firmitate permanere, omnibusque et singulis praedictis respective adhuc competere et suffragari debere, decernimus pariter et declaramus; et, quatenus opus sit, facultates, privilegia, gratias, praeeminentias, praerogativas et indulta huiusmodi eisdem cardinalibus et praelatis, eorumque Congregationi, ac officialibus et ministris praedictis, in omnibus et per omnia, prout eis respective a dicto Innocentio praedecessore concessa et attributa fuerunt, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus denuo concedimus, tribuimus et impartimur.

Illos continuationem indicit.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, etiam cardinalatus honore fulgentes, aut aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae vel iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque, quantumvis iustâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis

Clausulae.

1 Verbum *visitata* nos addimus (R. T.).

vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensùs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, ad terminos iuris reduci, seu in controversiam revocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, necnon eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus praemissis, ac omnibus et singulis illis, quae memoratus Innocentius praedecessor in suis litteris supradictis voluit non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV[1] ianuarii MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 ianuarii 1701, pontif. anno I.

IV.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua in ecclesiis Ordinis Minorum de Observantiâ, die festo S. Rosae Viterbiensis [2].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Agni immaculati, qui sacras virgines sponsas, spiritualium charismatum donis multipliciter decoratas, aeterno sibi consortio in caelis sociavit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, caelestes Ecclesiae thesauros, quorum dispensationem nobis credidit Deus, libenter erogamus, ut fidelium erga easdem beatas virgines devotio, eiusmodi muneribus incitata, multiplicibus in dies benedicente Domino proficiat incrementis.

Concessio dictae indulgentiae die IV septembris. § 1. Supplicationibus itaque filii Michaëlisangeli a Candia ministri provincialis provinciae Romanae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, ac discreti perpetui, dicti Ordinis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius

1 Edit. Main. legit XIX; sed in notâ marginali habet *14* (R. T.).

2 Concessae fuere aliae indulgentiae ab Innocentio XII constit. edit. MDCXCII, die 24 decembris, pontif. II; et ab hoc Pontifice constit. edit. MDCCXIII, die 15 novembris, pontif. XIII.

auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis tam fratrum quam monialium eiusdem Ordinis iurisdictioni pro tempore existentis ministri generalis Ordinis huiusmodi subiectorum hactenus erectis et in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, die festo sanctae Rosae virginis Viterbiensis, nempe die IV mensis septembris a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi annis singulis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausula. § 2. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV ianuarii MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 ianuarii 1701, pontif. anno I.

V.

Confirmatur decretum Congregationis Rituum, quo fit facultas Eremitis Discalceatis S. Augustini provinciae Franciae canendi Horas canonicas cantu Gregoriano [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, ad favorem dilectorum filiorum fratrum provinciae Franciae Ordinis eremitarum sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum, emanavit decretum tenoris qui sequitur, videlicet: Expositio.

« *Ordinis eremitarum Discalceatorum sancti Augustini provinciae Franciae.* Porrectis sanctissimo domino nostro Innocentio PP. XII a patre Matthaeo a S. Paula, Congregationis eremitarum Discalceatorum sancti Augustini provinciae Franciae procuratore generali in Urbe, humillimis precibus ut de benignitate apostolicâ religiosis Congregationis provinciae Franciae praedictae Horas canonicas cantu Gregoriano canendi facultatem impertiri dignaretur; ipsisque a Sanctitate Suâ ad sacram Rituum Congregationem remissis, sacra eadem Rituum Congregatio, ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Janson, quibuscumque in contrarium non obstantibus, posse annui censuit, si sanctissimo domino nostro placuerit ». Decretum S. Congregationis.

§ 2. Cum autem sicut pro parte Matthaei a S. Paula procuratoris generalis generalis provinciae et Ordinis huiusmodi nobis subinde expositum fuit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, specialem ipsi Matthaeo procuratori generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspen- Confirmatio relati decreti.

1 Facultas canendi in aliis functionibus concessa fuit ab Innocentio XII const. ed. MDCXCVIII, die 17 martii, pontif. VII; et ab hoc Pontifice tribuitur facultas circa celebrationem capituli Congregationi Italiae constit. edit. MDCCI, die 30 aprilis, pontif. I.

sionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX ianuarii, MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 ianuarii 1701, pontif. anno I.

VI.

Erigesi la Congregazione del Sollievo per la città di Roma[1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Reverendissimo cardinale Galeazzo Mariscotti.

Cagioni di questo chirografo.

§ 1. Fra le molti e gravi cure, che ci occupano l'animo nel principio del nostro pontificato, non è la minore quella del sollievo e benefizio della nostra città di Roma, non solo per quello riguarda il rinnovare, promuovere, e far rifiorire l'arte dell'agricoltura, donde può derivare sì rilevante benefizio all'istessa Città, la conservazione ed augumento dell'arti, che vi sono, e l'introduzione dell'altre, il facilitare il traffico e negoziazione per mare e per terra, il riformare e togliere gli abusi introdotti; ma ancora per quello riguarda il decoro e stima del Senato Romano, il benefizio e sgravio della Camera Capitolina, e generalmente l'ottimo e felice governo economico della medesima Città in tutte le sue parti. E benchè da'nostri predecessori per il buon regolamento dell'annona e grascia, tanto in detta città di Roma, come in tutto il nostro Stato Ecclesiastico, siano emanate diverse costituzioni, e specialmente da Sisto V e Paolo V di felice ricordanza in data delli XXIII marzo MDLXXXV e delli VII maggio MDLXXXVIII e delli XIX ottobre MDCXI rispettivamente, e istituite a tal effetto diverse Congregazioni; nientedimeno, per la lunghezza del tempo, o per la morte di quelle persone ch'erano state depu-

1 Revocatae fuere exemptiones a vectigalibus ab Innocentio XII const. ed. MDCXXXXI, die 24 decembris, pontif. I; et constit. ed. MDCC, die 28 maii, pontif. IX, erecta fuit Congregatio Portus Antii; et ab hoc Pontifice eriguntur Computistariae locorum montium, const. editâ MDCCVI, die 8 aprilis, pontif. VI.

tate, o per altra cagione, sono in poco uso, e quasi del tutto antiquate. Di qui è, che per conseguire con maggiore facilità il nostro intento unicamente diretto al pubblico bene, ed evitare la confusione che per la moltiplicità e numero delle medesime Congregazioni potesse insorgere, abbiamo deliberato erigere ed instituire una nuova Congregazione, con sopprimere ed abolire l'antiche suddette. E perciò di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra potestà pontificia, sopprimendo e abolendo l'antiche Congregazioni sopraddette, erigiamo e deputiamo una Congregazione dei reverendissimi cardinali Mariscotti, Spada, Panciatici, Francesco Barberino, e di S. Cesareo, camerlengo, e delli monsignori tesoriere generale, prefetto dell'annona, presidente della grascia, Caffarelli, Origo, e commissario della nostra Camera, e delli marchese Antonio S. Croce, conte Alessandro Capizucchi, Orbano Rocci, e Tiberio Cenci, o altri da deputarsi da noi; prefetto della quale vogliamo siate voi, reverendo Mariscotti, e segretario monsignor Silvio de Cavalieri, con la facoltà di chiamarvi anco a vostro arbitrio, secondo che richiederà la qualità delle materie che dovranno esaminarvisi, li conservatori *pro tempore* della detta città di Roma, li consoli dell'agricoltura, ed altre persone; trasferendo in detta nuova Congregazione tutte e singole facoltà concesse e contenute nelle sopraddette costituzioni di Sisto V e Paolo V ed altri nostri predecessori, il tenore delle quali vogliamo per espresso nel presente chirografo; e inoltre dando e concedendo alla medesima nuova Congregazione per le cose sopraddette, e secondo richiederà la necessità o utilità pubblica, le facoltà opportune di fare editti e regolamenti per il sollievo della detta città di Roma, e specialmente per ben regolare l'agricoltura, annona e grascia, e generalmente per ogni altra cosa che potesse riguardare il buon governo temporale economico di essa città e popolo di Roma e Camera Capitolina; dichiarando che le facoltà, rispetto all'agricoltura, annona e grascia, s'intendano concesse anche per tutto il nostro Stato.

§ 2. Volendo e decretando che il presente segnato da Noi, benchè non ammesso e registrato in Camera secondo la Bolla di Pio IV *De registrandis*, nostro predecessore, abbia il suo effetto, e quel tanto che sarà dalla medesima Congregazione risoluto, debba avere l'esecuzione. Non ostante tutte e singole cose premesse, e qualsivoglia altra Costituzione apostolica munita con qualsivoglia clausola, uso, stile e consuetudine in contrario; alle quali, qualunque altra cosa facesse o potesse fare in contrario, deroghiamo per l'effetto suddetto, essendo così nostra mente e volontà deliberata. Clausole.

Dato dal nostro palazzo apostolico di S. Pietro in Vaticano, questo dì 1 febbraio MDCCI.

Dat. die 1 februarii 1701, pontif. anno I.

VII.

Confirmatur decretum Congregationis Rituum de officio S. Paulae sub ritu secundae classis pro toto Ordine monachorum S. Hieronymi [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Sacrae Congregationis decretum.

1 A Sixto V primo concessum fuit hoc officium sub ritu duplici Congregationi Hispaniae, et ab Innocentio XII const. ed. MDCCXXIII, die XIII octo-

cardinalium sacris ritibus praepositorum ad favorem dilectorum filiorum monachorum seu fratrum Ordinis S. Hieronymi decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

« *Ordinis sancti Hieronymi.* Ad pias preces sanctissimo domino nostro Innocentio PP. XII nomine regiae catholicae maiestatis porrectas, a Sanctitate Suâ ad sacram Rituum Congregationem remissas, et ab eminentissimo domino cardinali S. Clementis relatas, sacra eadem Rituum Congregatio, officium sanctae Paulae, aliàs a felicis recordationis Sixto Papa V religiosis Ordinis S. Hieronymi in Hispaniâ sub ritu duplici concessum, in posterum a totâ religione Ordinis S. Hieronymi praedicti sub ritu duplicis secundae classis posse recitari, benigne indulsit, atque concessit die XXXI iulii MDCC. — G. cardinalis CARPINEUS. — *Loco* † *sigilli.* — B. INGHIRAMUS sacrae Rituum Congregationis secretarius ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eorumdem monachorum seu fratrum nomine nobis subinde expositum fuit, ipsi[1] decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I februarii MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 februarii 1701, pontif. anno I.

VIII.

Conceditur generali Ordinis Praedicatorum facultas retinendi quoscumque libros vetitos in Romanâ bibliothecâ Casanatensi[1].

bris, pontif. III, concessa fuit indulgentia in festo dictae Sanctae.

1 Edit. Main. legit *ipse* (R. T.).

1 Ab Innocentio XI donata fuit eodem privilegio bibliotheca archigymnasii Sapientiae de Urbe, constit. editâ MDLXXXIII, die 21 aprilis, pontif. VII.

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Refertur institutio dictae bibliothecae.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Antoninus Cloche magister generalis Ordinis fratrum Praedicatorum nobis nuper exponi fecit, aliàs bonae memoriae Hieronymus, dum vixit, S. R. E. cardinalis Casanate nuncupatus celebrem bibliothecam suam conventui beatae Mariae super Minervam de Urbe dicti Ordinis donaverit, ac unum seu plura capitalia annuorum redditnum pro bibliothecariorum ac professorum textus sancti Thomae et sex theologorum stipendiis, seu manutentione, ac libris (qui Congregationum pro tempore existentium S. R. E. praedictae cardinalium vel adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum vel Indici[1] prohibitorum et expurgandorum praepositorum censurae et iudicio subiici deberent) quotannis emendis assignaverit; in ipsâ vero bibliothecâ multi reperiantur libri, quorum retentio ac lectio per sacros canones et constitutiones apostolicas prohibetur; et propterea dictus Antoninus magister generalis opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desideret: nos, ipsum Antoninum magistrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. ecclesiae cardinalium in totâ republicâ christianâ adversus haereticam pravitatem praedictam generalium inquisitorum a sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatorum consilio, eidem Antonino generali, aliisque pro tempore existentibus dicti Ordinis magistris generalibus, ut ipsi in bibliothecâ praedictâ quorumvis haereticorum et haeresiarcharum aliorumque reprobatorum auctorum, cuiuscumque sectae et classis, etiam primae, et ex quacumque causâ, etiam ob falsi dogmatis suspicionem, a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu in quibusvis conciliis generalibus, ac etiam a nobis et Sede praedictâ quomodolibet prohibitos et damnatos, et a nobis successoribusque nostris Romanis Pontificibus et dictâ Sede forsan prohibendos et damnandos, libros, manuscripta et opera, tam hactenus in lucem edita, quam in posterum edenda seu scribenda quaecumque, etiamsi ex professo et in capite de religione et fide catholicâ, seu contra religionem et fidem easdem tractent, in ipsâ bibliotheca collocatos et collocata, ac in futurum quandocumque collocandos et collocanda, retinere, habere et asservare tantum, libere, licite et impune, ac absque ullo conscientiae scrupulo, et quarumcumque ecclesiasticarum sententiarum et censurarum vel aliarum poenarum, etiam irregularitatis, infamiae aut inhabilitatis, incursu, possint et valeant, ita tamen ut illos[1] et illa ab aliis separatos et separata et sub clave, ne ad aliorum manus deveniant, retineant, et nonnisi ab iis qui opportunam super eorum lectione licentiam sibi canonice concessam esse ostenderint, legi permittant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Preces magistri generalis.

Concessio de qua in rubricâ.

Limitatio.

§ 2. Non obstantibus praemissis, ac

Clausulae.

1 Videtur deesse *librorum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *illis* (R. T.).

quibusvis apostolicis, et in universalibus provincialibusque conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon prohibitionibus desuper factis et in posterum quomodolibet faciendis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse ac latissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII februarii MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 februarii 1701, pontif. anno I.

IX.

Declaratur constitutio Innocentii XI (edita die XXI iunii MDCLXXVIII) de voto capitulari monachorum Congregationis S. Bernardi Castellae Ordinis Cistercicnsis in academiis Salmaticensi et Complutensi magistrorum.

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Ab Innocentio XI concessum fuit votum actu cathedram occupantibus et magisterii gradu donatis in dictis academiis.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Innocentius Papa XI, praedecessor noster, ad supplicationem tunc existentis procuratoris generalis Congregationis S. Bernardi Castellae monachorum Ordinis Cisterciensis, inter alia concessit et indulsit ut magistri dictae Congregationis, in universitatibus studiorum generalium Salmaticensi et Complutensi per publicam approbationem omnium saecularium et regularium cathedram actu occupantes, et ad magisterii gradum in ipsis universitatibus promoti, votum haberent capitulare ultra alios duodecim magistros eiusmodi voti praerogativâ gaudentes, et aliàs, prout in ipsius Innocentii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XXI iunii MDCLXXVIII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Declaratio pro illis tantum magistris qui tunc actu cathedram occupant.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii Prudentius de Ressa abbas generalis et monachi dictae Congregationis nobis nuper exponi fecerunt, dictae Innocentii praedecessoris litterae perperam intellectae et observatae fuerint, nempe non solum ii magistri, qui in dictarum universitatum cathedris actuales lectores erant, sed etiam omnes illi qui antea per aliquod temporis spatium in eis legerant, ad dictum votum, contra claram et expressam earumdem Innocentii praedecessoris litterarum actuale lecturae exercitium et magisterii gradum in universitatibus praedictis susceptum insimul requirentium dispositionem, admissi fuerint; ac proinde ipsi exponentes exactae[1] in futurum et inviolabili illarum observationi per opportunam desuper declarationem a nobis consuli et provideri plurimum desiderent: nos, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel

1 Edit. Main. legit *exacte* (R. T.).

causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, dictas Innocentii praedecessoris litteras de admissione ad suffragia dumtaxat eorum qui sunt magistri et tunc actu cathedram occupant intelligendas esse, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae dictus Innocentius praedecessor in suis litteris voluit non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX februarii MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 februarii 1701, pontif. anno I.

X.

Confirmantur decreta capitulorum generalium Congregationis S. Bernardi Castellae Ordinis Cisterciensis de suffragio lectorum et praedicatorum [1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Ab Urbano VIII concessum fuit suffragium praedicatoribus quarumdam urbium post duodecim annos.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Prudentius de Ressa abbas generalis et monachi Congregationis sancti Bernardi Castellae Ordinis Cisterciensis, quod (cum, iuxta quasdam felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri litteras die IV aprilis MDCXXVIII seu alio veriori tempore expeditas, omnes dictae Congregationis monachi, qui verbum Dei in civitatibus Tolosana, Salmanticensi ac oppidis Matriti et Compluti per duodecim annorum spatium praedicavissent, ad vocem activam et passivam admitterentur, vocalium vero huiusmodi numerus supra modum excrevisset, et inde multa inconvenientia oriri compertum esset), ut dictis inconvenientibus remedium adhiberetur, in quinque capitulis generalibus Congregationis praedictae, ab anno MDCLXXVI usque ad annum MDCXCVIII celebratis, pro bono ipsius Congregationis regimine decretum fuit, ut deinceps ex dictis monachis, qui, ut praefertur, praedicaverint, sex dumtaxat ad dictam vocem activam et passivam recipiantur, ac, aliquo seu aliquibus eorum deficientibus, alii, qui similiter praedicaverint, et a capitulo approbati [2], ac ceteris, tempore a die suscepti habitus regularis computato, antiquiores sint, in eorum locum subrogentur. Porro in uno ex supradictis seu

Decreta limitantia capitulorum generalium.

1 Vide Urbani VIII constit. edit. MDCXXVIII, die 4 aprilis, et huius Pontificis constit. praeced. et seq.; necnon constit. edit. MDCCIV, die 20 februarii, pontif. IV.

2 Edit. Main. legit *approbari* (R. T.).

alio capitulo generali eiusdem Congregationis decretum pariter et stabilitum fuit, ut in futurum, ex lectoribus et verbi Dei praedicatoribus iubilatis, illi dumtaxat, qui per integrum tempus a constitutionibus dictae Congregationis praefixum legerint et praedicaverint, ad eamdem vocem activam et passivam admittantur, nec ipsis simplex expeditio patentium litterarum eorum deputationis in lectores et praedicatores iubilatos huiusmodi ad hoc suffragetur.

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipsi exponentes, ea quae in memoratis capitulis generalibus, sicut praemittitur, decreta fuerunt, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, et (quia nonnulli, qui tempus lecturae et praedicationis a constitutionibus, ut praefertur, praefixum non expleverant, sed solum per patentes litteras in lectores et praedicatores iubilatos deputati fuerant, ad dictam vocem, contra Urbani praedecessoris litterarum et constitutionum praedictarum dispositionem, admissi fuerunt) omnes et quoscumque defectus ex illorum admissione huiusmodi secutos auctoritate nostrâ sanari plurimum desiderent: nos, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praenarratum decretum de reductione praedicatorum in futurum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: quo ad graduationem vero lectorum et praedicatorum iubilatorum, nonnisi illos, qui ad formam constitutionum actu legerint et praedicaverint, ad suffragandum admittendos esse, eâdem auctoritate, harum serie, decernimus et declamus: ac omnes quorumcumque actuum ceteroqui legitime factorum et gestorum defectus ex memoratâ similium lectorum et praedicatorum, qui actu non legerant aut praedicaverant, ad suffragium admissione secutos, auctoritate et tenore praedictis sanamus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus supradictis Urbani praedecessoris litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Congregationis S. Bernardi et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento,

confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX februarii MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 februarii 1701, pontif. anno I.

XI.

Indicitur iubilaeum universale initio pontificatus pro salutari Ecclesiae regimine [1].

Clemens Papa XI,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a causis iubilaei.

In supremo militantis Ecclesiae solio per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, meritis licet imparibus, collocati, dum pontificiarum curarum molem humilitati atque infirmitati nostrae impositam, si unquam aliàs, nunc certe, inter tam gravia imminentium bellorum discrimina aliasque plurimas rerum ac temporum difficultates, maxime onerosam contuemur, crebra ex imo corde suspiria et uberes ex oculis lacrymas fundere cogimur, ingenti sane pavore correpti, ne in altitudinem maris delati, surgentibus undique tempestatum procellis, obruamur. Quamvis vero in bonorum omnium largitore Deo, qui sperantes in se confundi non patitur, spem nostram collocantes, omnem pro salute commissi nobis dominici gregis laborem alacriter subire parati simus, nec non, pro eo quo publicae quietis custodiendae desiderio tenemur, quicquid in nobis est virium atque consilii in id conferre studeamus, ut principum christianorum animi, sublatis omnibus illis quae concordiam turbare possent, arctiori atque indissolubili charitatis vinculo coniungantur; attamen, quia vani sunt hominum conatus, nisi gratiae caelestis ope adiuventur, ad vestrum omnium, quibus nostra impendenda est sollicitudo, orationes confugimus, ut exoratus concordibus fidelium precibus Dominus, qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat, det nobis sedium suarum assistitricem sapientiam, populumque suum optatae cumulet laetitiâ tranquillitatis. Haec autem ut ferventiori charitate maiorique fructu fiant, priscum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum morem sequentes, Ecclesiae thesauros dispensationi nostrae creditos proferre et liberali manu erogare decrevimus.

§ 1. Itaque de omnipotentis Dei misericordiâ (*Reliqua ut in Alexandri VIII const. edit.* MDCLXXXIX, *die* XI *decembris, pontif.* I).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV februarii MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 25 februarii 1701, pontif. anno I.

XII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de abbatibus Congregationis sancti Bernardi

1 Simile iubilaeum extat in Innocentii XII constit. edit. MDCXCI, die 12 novembris, pontif. I, et Innocentii XIII constit. edit. MDCCXXI, die 27 maii, pontif. I.

Italiae Ordinis Cisterciensis non confirmandis in eodem monasterio vel officio post quinquennium[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Ex constitutionibus huius Congregationis abbates confirmati non poterant in eodem monasterio permanere post sexennium.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii moderni procuratoris generalis provinciae Lombardiae Congregationis sancti Bernardi Italiae monachorum Ordinis Cisterciensis, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod per constitutiones dictae Congregationis sancti Bernardi a felicis recordationis Urbano VIII, praedecessore nostro, anno MDCXLI specifice confirmatas (super quarum observatione postmodum dicta Congregatio cardinalium, per suum decretum die XXII novembris MDCXLVI emanatum, nequaquam, sub nullitatis aliisque gravioribus ad ipsius Congregationis cardinalium arbitrium imponendis poenis, dispensandum esse, reservatâ sibi ad id omnimodâ facultate, declaraverat), illarum capitulo XXIII, stabilitum reperiebatur, ut abbates dictae Congregationis sancti Bernardi, qui aliquod monasterium per triennium, ab uno scilicet usque ad aliud capitulum generale, gubernassent, in eiusdem monasterii gubernio ad aliud triennium confirmari, sicque in gubernio huiusmodi per sexennium continuum remanere valerent, dicto autem sexennio finito, a gubernio praedicto per triennium vacare deberent; in quibusdam vero recolendae memoriae Alexandri VIII praedecessoris pariter nostri litteris in simili formâ Brevis die VIII maii MDCLVI expeditis (per quas idem Alexander praedecessor celebrationem capituli praedictae Congregationis sancti Bernardi in posterum de quinquennio in quinquennium faciendam esse statuebat) praescriptum erat, memoratos abbates, dicto quinquennio elapso, non posse confirmari in eodem officio: et in eâdem expositione subiuncto, quod nonnulli ex eis, ut in officio huiusmodi confirmari valerent, illi aliquo tempore antequam dictum quinquennium compleretur renunciabant, ac deinde illud ipsum in futuro capitulo reassumebant; quo vero tali abusui remedium adhiberetur, alii abbates eiusdem Congregationis sancti Bernardi ad dictam cardinalium Congregationem recursum habuerant, ipsaque Congregatio cardinalium, per suum decretum die XXIV martii MDCLXXXIX emanatum, dictum abusum prohibuerat, ac constitutionum et Alexandri praedecessoris litterarum praefatarum observantiam expresse demandaverat, itaut nec renunciationis nec alio titulo aut praetextu cuiquam dictorum abbatum ad idem officium redire liceret: verum postea enatum fuerat dubium, utrum dictum decretum etiam abbates regiminis dictae Congregationis sancti Bernardi comprehenderet, itaut etiam ipsi, renunciatione pauco tempore ante completum quinquennium factâ, ad officium abbatis regiminis huiusmodi, si scilicet non eidem quam antea monasterio praeessent, ad aliud immediate sequens quinquennium denuo assumi, adeoque ad gubernium monasterii dictum officium abbatis regiminis per praefatas constitutiones annexum habentis eligi valerent, an vero per triennium a dicto officio abbatis regiminis, et proinde etiam a gubernio similis monasterii vacare deberent, ac dictum triennium vacationis compleri

Dubium proponitur.

1 Id institutum fuit ab Alexandro VIII const. edit. MDCLVI, die 8 maii. De non eligendis in abbatem extat Alexandri VIII constitut. edit. MDCLXXXIX, die 23 decembris, pontif. I. In huius vero Pontificis const. edit. MDCCX, die 3 octobris, pontif. X, agitur de aequalitate servandâ in generalatu, abbatiis, aliisque officiis.

oporteret; huiusque dubii ratio ex capitulo XVIII memoratarum constitutionum desumebatur, ubi praescribebatur dictos abbates regiminis in eorum officio tanto tempore quanto alii abbates praefati in gubernio alicuius monasterii durare, et ab eo pari etiam tempore vacare debere, eo dumtaxat casu excepto quo aliquis ex ipsis in praesidentem eligeretur: ac proinde dictus procurator generalis, dubium huiusmodi a dictâ Congregatione cardinalium declarari, ac quoscumque defectus, in electionibus superiorum et aliis actibus a dictis abbatibus regiminis fieri solitis[1], ob ipsorum seu alicuius eorum electionem ad gubernium[2] abbatis regiminis annexum, ut praefertur, habentis, licet ab officio huiusmodi per triennium non vacavissent, factam, secutos, servari[3], summopere desiderabat: emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Resolutio et decretum Congregationis cardinalium.

« Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, referente eminentissimo Gabriellio, censuit ac declaravit servandum esse enunciatum Breve Alexandri VIII et decretum eiusdem sacrae Congregationis XXIV martii MDCLXXXIX, etiam quoad quoscumque de regimine, et vacationem intelligendam esse de integro triennio. Romae, VI augusti MDCC. — G. cardinalis CARPINEUS. — I. M. PANCIATICUS secretarius ».

Confirmatur.

§ 2. Cum autem, sicut praedictus procurator generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, ac praenarratos defectus, pro quorum sanatione dicta cardinalium Congregatio nobis supplicandum esse declaravit, auctoritate nostrâ sanari plurimum desideret: nos, ipsius procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis eccasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos quorumcumque actuum ceteroqui legitime factorum et gestorum defectus, qui in illis, propter memoratam abbatum regiminis ad gubernium monasterii officium abbatis regiminis annexum habentis, quamvis ab officio huiusmodi per triennium non vacavissent, electionem, hactenus quomodolibet intervenerunt, eâdem auctoritate, harum serie, supplemus et sanamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum

1 Edit. Main. legit *solitos* (R. T.).

2 Videtur deesse *monasterii officium* (R. T.).

3 Videtur legendum *sanari*, nempe defectus, ac forsan addendum ulterius *praedictum Breve Alexandri VIII servari* (R. T.).

et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis sancti Bernardi et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 martii 1701, pontif. anno I.

XIII.

Publicantur litterae processus die Coenae Domini [1].

Clemens Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium ab obligatione Romani Pontificis conservandi sartam tectam fidem catholicam.

Pastoralis Romani Pontificis vigilantia et sollicitudo, cum in omni christianae reipublicae pace et tranquillitate procurandâ pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in catholicae fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate atque integritate retinendâ et conservandâ maxime elucet. Nimirum, ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinae in nequitiâ hominum ad circumventionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, neque se in huius vitae societate et communione laedant, aut inter se alter alteri offensionem praebeant, sed potius in vinculo charitatis coniuncti, tamquam unius corporis membra, sub Christo capite, eiusque in terris vicario Romano Pontifice beatissimi Petri successore, a quo totius Ecclesiae unitas dimanat, augeantur in aedificationem, atque ita, divinâ gratiâ adiutrice, sic praesentis vitae quiete gaudeant, ut futurâ quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sane causas Romani Pontifices praedecessores nostri, hodiernâ die quae anniversariâ dominicae Coenae commemoratione solemnis est, spiritualem ecclesiasticae disciplinae gladium et salutaria iustitiae arma per ministerium summi apostolatus ad Dei gloriam et animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem et iustitiam, Deo auctore, tueri, vetustum et solemnem hunc morem sequentes:

§ 1. Excommunicamus, etc. (*reliqua ut in Clementis X constit. edit.* MDCLXXI, *die* XXVI *martii, pontif.* I).

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCI, IX kalendas aprilis, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 martii 1701, pontif. anno I.

XIV.

Conceditur volantibus signaturae iustitiae facultas transferendi pensiones [1].

1 Eaedem litterae publicatae fuerunt ab Alexandro VIII anno MDCXC, die 23 martii, pontif. I; et ab Innocentio XIII, anno MDCCXXII, die 29 aprilis, pontif. I.

1 De translatione pensionum vide Innocentii XI constit. ed. MDCLXXVIII, die 7 februarii,

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, supremus gratiarum dispensator in terris a Domino constitutus, illos, qui assiduos gravesque labores pro iustitiâ unicuique aequâ lance administrandâ laudabiliter sustinent, specialibus privilegiis exornat, sicut eorum meritis convenire arbitratur.

Concedit ut in rubrica. § 1. Itaque, ad eximia dilectorum filiorum modernorum utriusque signaturae nostrae referendariorum in signaturâ nostrâ iustitiae votantium in nos ac Apostolicam Sedem merita paternae dirigentes considerationis intuitum, eosque proinde, ac illorum successores, ut eo alacrius fidem, operam, industriam, atque sedulitatem in eiusdem Sedis obsequium adhibere studeant, specialis favore gratiae prosequi volentes, et ipsorum modernorum votantium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictis modernis et pro tempore existentibus referendariis dictae signaturae iustitiae votantibus, ut ipsi pensiones annuas apostolicâ sibi auctoritate super quibusvis fructibus ecclesiasticis reservatas, et pro tempore reservandas, usque ad summam centum scutorum monetae dumtaxat, ad favorem unius seu plurium personarum ecclesiasticarum seu clericorum, ac aliàs pensionum huiusmodi capacium, etiam in mortis articulo, coram notario et testibus, et cum alicuius praelati seu personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae interventu, transferre (servatâ tamen formâ constitutionis felicis recordationis Innocentii PP. XI praedecessoris nostri super translatione pensionum editae) libere et licite possint et valeant, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 2. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, retractari, infringi, seu ad terminos iuris reduci, aut in controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, adiudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque ipsas praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisve contrariis dispositionibus, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros et Sedem praefatam in genere vel in specie aut aliàs quomodolibet et quandocumque faciendis, comprehendi vel comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie re-

pontif. II; de facultate testandi cardinalium, Innocentii XII const. ed. MDCXCIII, die 15 octobris, pontif. II; de habitu dictorum votantium, Innocentii XII const. edit. MDCXCV, die 20 augusti, pontif. V; et de cordone violaceo, Benedicti XIII const. edit. MDCCXXVII, die 12 iulii, pontif. IV. In constit. edit. MDCCI, die 12 augusti, pontif. I, extenditur praedicta facultas transferendi pensiones.

integratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori datâ, per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligendâ, concessas intelligi, firmasque, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis autoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores harum litterarum.

§ 3. Quocirca dilectis filiis nostris eiusdem S. R. E. vicecancellario et camerario et causarum curiae Camerae apostolicae generali auditori per praesentes motu pari committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte praedictorum votantium, seu alicuius eorum, vel aliorum interesse in praemissis pro tempore habentium, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ ipsas praesentes litteras, et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ipsosque modernos et pro tempore existentes votantes, et alios quos eaedem litterae concernent in futurum, praesentium litterarum et in eis contentorum eorumdem commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illos seu eorum quempiam desuper quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari vel impediri; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias[1], censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, ac, quatenus opus sit, de praestando consensu in paritionibus, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII martii MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 28 martii 1701, pontif. anno I.

1 Edit. Main. legit *sententiis* (R. T.).

XV.

Conceduntur privilegia familiaribus Sanctitatis Suae [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Venerabilibus fratribus Thomae Ruffo Nicaeno, cubiculi nostri praefecto, Ulyssi Iosepho Gozzadino Theodosiensi, archiepiscopis, litterarum nostrarum in formâ Brevis, quae ad principes scribuntur, secretario; necnon dilectis filiis magistris, Carolo Columnae Romano [2], palatii nostri praefecto, Ioanni Dominico Parracciano Romano, auditori nostro, et Curtio Origo Romano, in utrâque signaturâ nostrâ referendariis, libellorum supplicum nobis porrectorum secretario, praelatis domesticis nostris; ac Fabio de Abbatibus Oliverio Pisaurensi, Brevium nostrorum secretorum secretario, Bartholomaeo Maffei Montispolitianensi, pincernae, Antonio Mariae Raspono Ravennatensi, Rodulpho ex comitibus Montisveteris Fanensi, Paulo Ubaldino Civitatis Castelli, Nicolao Sala Romano, Alexandro Bonaventurae Urbinatensi, vestiario et elemosynario secreto, Guido Passioneo Forosemproniensi, notarum arcanarum secretario, Ioanni Mariae Lancisio Romano, medico secreto, cubiculariis intimis seu secretis; et Urbano Roccio Romano, florerio maiori, itidem cubiculario secreto; necnon Petro Marcellino Corradino Terracinensi, subdatario; ac Ioanni Paulo De Sanctis Camerinensi, caudatario, Petro Severi Feretrano, Bartholomaeo Fantono Urbinatensi, Ludovico Marocco Romano, capellanis secretis; necnon Fabritio Felici Urbinatensi, ac Iosepho Iosepho Maganza Sarsinatensi, Francisco De Magistris Romano, Marini Severo Feretrano, et Marco Antonio Adriani Romano respective civitatum vel dioecesum clericis seu presbyteris, vel laicis, cubiculi nostri auditoribus, familiaribus continuis commensalibus nostris, salutem et apostolicam benedictionem.

1 Similia privilegia concessa fuere ab Innocentio XII const. edit. MDCXCI, die 27 novembris, pontif. I; et ab Innocentio XIII constit. edit. MDCCXI, die 26 maii, pontif. I.

2 Oporteret legere *Romanae*, et sic deinceps alia nomina civitatum et dioecesum, casu genitivo.

§ 1. Circumspecta, etc. (*Reliqua ut in Alexandri VIII const. edit.* MDCXC, *die* XII *ianuarii, pontif.* I).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die V aprilis MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 aprilis 1701, pontif. anno I.

XVI.

Confirmatur decretum cardinalis protectoris de procuratoribus et definitoribus generalibus duarum provinciarum in insulis Philippinis Congregationis Hispaniae eremitarum Discalceatorum Ordinis S. Augustini [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Ex decretis definitorii generalis restitutum fuit suffragium dictis procuratoribus generalibus provinciarum S. Nicolai et Candelariae.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Ioannis Antonii a S. Augustino procuratoris generalis provinciae S. Nicolai de Tolentino in insulis Philippinis Congregationis Hispaniae fratrum eremitarum Ordinis S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod (cum procuratores generales dictae S. Nicolai, ac Candelariae alterius provinciae, in praedictis insulis Philippinis, seu Terrâfirmâ, eiusdem Congregationis Hispaniae, coram tribunalibus nomine suarum provinciarum comparere, omniaque illarum bona administrare soliti, ex religiosis litterarum scientiâ praeditis et magis benemeritis eligi consuevissent, vocemque et votum sive suffragium in capitulis provincialibus dictarum provinciarum antehac semper habuissent,

1 De privilegiis procuratorum generalium in Romanâ Curiâ vide Innocentii XI constit. edit. MDCLXXVII, die 11 decembris, pontif. II; et de privilegiis commissariorum vide sequentem.

sed paucis ab hinc annis voto huiusmodi carerent, hinc vero multa inconvenientia sequerentur) capitulum et definitorium generale dictae Congregationis decreverat ut deinceps procuratores praedicti dictum votum sive suffragium semper haberent, et aliàs prout in patentibus litteris desuper emanatis uberius dicebatur contineri; porro in omnibus capitulis generalibus dictae Congregationis Hispaniae, ab anno MDCLXXII usque ad annum proxime praeteritum celebratis, a generali definitorio decretum pariter fuerat ut cuilibet dictarum duarum provinciarum unus definitor generalis, sicut omnibus aliis provinciis Hispaniae eiusdem Congregationis, concederetur, itaut, si aliquis earumdem duarum provinciarum filius aptus et idoneus in Hispaniâ reperiretur, is assumi, sin minus, ex fratribus praedictarum provinciarum Hispaniae duo definitores generales huiusmodi pro dictis duabus provinciis eligi deberent; ac proindè ipse Ioannes Antonius (attento quod decretum huiusmodi, ne hae duae provinciae suis definitoribus in capitulis generalibus dictae Congregationis Hispaniae defraudatae remanerent, sed ut sic definitorium generale perfectum et completum redderetur, convenientissimum esset) illud, ac aliud praenarratum decretum ad favorem praedictorum generalium emanatum, auctoritate praedictae Congregationis cardinalium confirmari, ac concedi ut dictae duae provinciae suos definitores generales huiusmodi cum voce et praeeminentiis, sicut omnes aliae praedictae provinciae Hispaniae, ac dicti procuratores generales vocem pariter et votum sive suffragium in omnibus memoratis capitulis provincialibus haberent, summopere desiderabat: eadem Congregatio cardinalium, attentâ relatione dilecti filii nostri Iosephi Renati dictae S. R. E. cardinalis Imperialis nuncupati, praedicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, sibi super praemissis factâ, per suum decretum die XVIII februarii proxime praeteriti editum, eidem Iosepho Renato cardinali et protectori benigne remisit, ut, veris existentibus narratis, et quatenus expedire censuisset, praedictum decretum definitorii generalis pro suo arbitrio et prudentiâ approbaret atque confirmaret. Unde ipse Iosephus Renatus cardinalis et protector in vim facultatis sibi sic attributae suum quoque in praemissis decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum cardinalis protectoris auctoritate sibi a Sacra Congregatione delegatâ editum confirmans memorata decreta capitulorum.

« Ioseph Renatus S. Georgii in Velabro S. R. E. diaconus cardinalis Imperialis et totius Ordinis sancti Augustini protector. — Vigore commissionis et facultatis a sacrâ Congregatione episcoporum et regularium emanatae, et de veritate ac rationabilitate expositorum satis instructi, confirmamus supradictum decretum capituli et definitorii generalis Congregationis Discalceatorum S. Augustini Hispaniae et Indiarum, et concedimus ut procuratores generales provinciarum S. Nicolai de Tolentino in Philippinis et Candelariae in Terrafirmâ habere semper possint et habeant votum et vocem in omnibus capitulis provincialibus suarum provinciarum. Pariter confirmamus aliud decretum seu decreta eiusdem capituli generalis, et concedimus ut pro qualibet dictarum provinciarum S. Nicolai et Candelariae eligatur unus definitor generalis, prout in aliis provinciis Hispaniae, qui inter ceteros definitores generales annumeretur, iisdemque privilegiis, iuribus et facultatibus potiatur. Volumus autem ut praefati duo definitores eligi debeant ex filiis dictarum provinciarum S. Nicolai et Candelariae respective, quatenus tempore electionis reperiantur in Hispaniâ aliqui ex iis apti et idonei ad munus definitoris suscipiendum; sin minus, eligantur alii ex provinciis Hispaniae pro supradictis provinciis definitores. Quae quidem decreta, sic ut supra auctoritate iam dictâ

a nobis confirmata et approbata, perpetuis temporibus observari volumus et mandamus; non obstantibus quibuscumque. Sic, etc. Datum Romae ex aedibus nostris, hac die XXVIII februarii MDCCI[1]. — I. R. cardinalis IMPERIALIS ».

Confirmatio decreti cardinalis protectoris.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Ioannes Antonius nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Ioannis Antonii votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, a memorato Iosepho Renato cardinali et protectore editum, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et in futurum quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, duarum provinciarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV aprilis MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 aprilis 1701, pontif. anno I.

XVII.

Confirmatur decretum cardinalis protectoris de privilegiis commissariorum duarum provinciarum in insulis Philippinis eremitarum S. Augustini Discalceatorum Congregationis Hispaniae[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Ex decreto definitorii generalis concessus fuit suffraginm, ac etiam exemptiones ex provincialium, commissariis di-

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Ioannis Antonii a S. Augustino procuratoris generalis provinciae S. Nicolai de Tolentino in insulis Philippinis Con-

1 Edit. Main. legit *1704* (R. T.).

1 De procuratoribus et definitoribus dictarum provinciarum vide constit. praec.; item sequentem ubi agitur de vocalibus in capitulis.

clarum provinciarum S. Nicolai et Candelariae.

gregationis Hispaniae fratrum eremitarum Ordinis sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod (cum capitulo et definitorio generali dictae Congregationis Hispaniae proxime celebrato convenientissimum visum fuisset, ut commissariis, qui ex insulis praedictis ad Hispanias ad deducendos religiosos pro instruendis fidelibus illarum partium in mysteriis[1] Fidei mitti solebant, aliquod praemium assignaretur, alioquin nullus religiosus inveniretur qui, propter viginti sex millium et amplius milliarium dictarum insularum ab Hispaniâ distantiam, tam longum iter suscipere vellet) decreverat ut commissarii tam dictae S. Nicolai quàm Candelariae alterius provinciae in praedictis insulis, seu Terrafirmâ, eiusdem Congregationis Hispaniae, qui[2] statim atque in Hispaniam praemissorum causâ pervenissent, exemptionibus exprovincialium, ac voce et voto sive suffragio in omnibus capitulis provincialibus earumdem provinciarum perfrui valerent, quibus tamen uti nequirent si in Hispaniâ diutius remanerent, et in easdem provincias congruo tempore reverti nollent; ideoque pro parte eiusdem Ioannis Antonii eidem cardinalium Congregationi supplicato ut decretum huiusmodi, quo iidem religiosi ad sponte exercendum hoc charitatis opus invitabantur, approbare et confirmare dignaretur: eadem Congregatio cardinalium, attentâ relatione dilecti filii nostri Iosephi Renati eiusdem S. R. E. cardinalis Imperialis nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, sibi super praemissis factâ, per suum decretum die XVIII februarii proxime praeteriti editum, eidem Iosepho Renato cardinali et protectori benigne remisit, ut, veris existentibus narratis, et quatenus expedire censuisset, praedictum decretum definitorii generalis pro suo arbitrio et prudentiâ approbaret et confirmaret. Ipse vero Iosephus Renatus cardinalis et protector, in vim facultatis sibi sic attributae, suum quoque in praemissis decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum cardinalis protectoris auctoritate Congregationis editum confirmans decretum definitorii.

« Ioseph Renatus S. Georgii in Velabro diaconus cardinalis Imperialis et totius Ordinis sancti Augustini protector. Vigore suprascriptae commissionis et facultatis a sacrâ Congregatione episcoporum et regularium emanatae, et de veritate et rationabilitate expositorum satis instructi, confirmamus supradictum decretum capituli et definitorii generalis Congregationis Discalceatorum S. Augustini Hispaniae et Indiarum, et concedimus ut commissarii, quos provinciae S. Nicolai de Tolentino in Philippinis et Candelariae in Terrafirmâ mittunt in Hispaniam ad deducendos in easdem provincias religiosos qui illuc fideles instruant et in vineâ Domini laborent, vocem et votum habeant in capitulis provincialibus suarum provinciarum, necnon honoribus, privilegiis et exemptionibus eorum qui fuerunt provinciales in omnibus et per omnia fruantur et gaudeant, statim ac in Hispaniam pervenerint; quibuscumque in contrarium non obstantibus. Volumus autem, ut, si praedicti commissarii congruo tempore in suas provincias non redierint, itaut integrum missionis suae munus actualiter non expleverint, statim eadem privilegia, honores et immunitates amittant, iisdemque privati et spoliati ipso facto sint et esse intelligantur, quacumque causâ, colore vel praetextu non obstantibus. Et ita, etc. Datum Romae ex aedibus nostris hac die XXVIII februarii MDCCI. — I. R. cardinalis IMPERIALIS. — *Loco † sigilli.*

Confirmatio decreti cardinalis protectoris.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Ioannes Antonius nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius

1 Edit. Main. legit *ministeriis* (R. T.).

2 Vox *qui* redunda videtur (R. T.).

subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Ioannis Antonii votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, a memorato Iosepho Renato cardinali et protectore editum ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et in futurum quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, duarum provinciarum, ac Congregationis et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV aprilis MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 aprilis 1701, pontif. anno I.

XVIII.

Conceditur facultas celebrandi capitula provincialia singulis provinciis Congregationis Italiae eremitarum Discalceatorum S. Augustini [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Initio duo, ex singulis coenobiis, sed postea soli tres ex unâquaque provincia, auctoritate apostolicâ capitulis generalibus interfuerunt.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii vocales capituli generalis Congregationis Italiae fratrum Ordinis eremitarum S. Augustini Excalceatorum nuncupatorum in hac almâ Urbe nostrâ novissime celebrati, quod, cum eo tempore, quo dicta Congregatio instituta et a Sede Apostolicâ approbata fuit, parvus esset eius religiosorum numerus, ac omnes priores et discreti singulorum illius conventuum ad capitulum generale ipsius Congregationis concurrerent, notitia qualitatum et meritorum fratrum magis idoneorum et virtute praeditorum facile

1 Vide Alexandri VII et Urbani VIII constit. infra citatas, et Innocentii XII constit. edit. MDCXCII, die XXX iunii, pontif. I. In huius Pontif. constitutione praecedenti agitur de suffragio commissariorum insularum Philippinarum, et in const. ed. MDCCII, die 24 decembris, pontif. II, de suffragio consanguineorum.

habebatur; sed postmodum, dictâ Congregatione[1] auctâ, et in multas provincias tam intra quam extra Italiam erectas divisâ, ac vocalibus illius capitulorum generalium, qui duo erant pro singulis conventibus, ad tres tantum pro unâquaque provinciâ, iuxta dispositionem felicis recordationis Alexandri PP. VII praedecessoris nostri litterarum quarum initium est *Militantis Ecclesiae*, reductis, quia illi soli religiosos ad officia totius suae respective provinciae eligendos pro suo arbitrio proponunt, experientiâ compertum fuit, multas inde factiones et divisiones in Congregatione praedictâ introductas, ac quosdam fratres parum aut nullo modo habiles vel idoneos ad exercenda provincialium, priorum et alia nonnullarum provinciarum eiusdem Congregationis officia promotos fuisse, provinciaeque huiusmodi in magnâ adhuc perturbatione reperiuntur, timeriquc potest ne etiam in futurum tota ipsa Congregatio et regularia ipsius instituta conturbentur. Ac proinde ipsi exponentes (considerantes quantum provinciae Germaniae dictae Congregationis profuerit celebrationem capituli sui provincialis, illi aliàs per quoddam decretum in capitulo generali dictae Congregationis anno MDCXCII editum et subinde a recolendae memoriae Innocentio PP. XII praedecessore pariter nostro confirmatam, concessam fuisse) aliis quoque omnibus provinciis eiusdem Congregationis capitula sua provincialia, eisdem modo et formâ, ac cum eisdem privilegiis, gratiis, indultis, iurisdictione et auctoritate, quibus dicta Germaniae provincia vigore concessionis eiusmodi capitulum suum provinciale celebrat, celebrandi facultatem a nobis concedi, ac ad eum effectum tam praedicti Alexandri praedecessoris super memoratâ vocalium reductione anno MDCLIX, quam similis memoriae Urbani PP. VIII etiam praedecessoris nostri litteris, quarum pariter initium est *Militantis Ecclesiae*, super capitulorum et definitoriorum provincialium dictae Congregationis suppressione anno MDCXXXI respective emanatis, ac constitutionibus eiusdem Congregationis auctoritate apostolicâ confirmatis, in quibus neque priorum, neque capitulorum provincialium ulla mentio facta reperitur, derogari plurimum desiderent (omnesque in aulâ supradicti capituli generalis congregati suum ad id consensum per vota secreta praestiterunt), ita scilicet ut omnes superiores dictarum provinciarum et omnia alia illarum officia pro hac vice tantum ad triennium durent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut in infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio facultatis celebrandi praedicta capitula provincialia.

§ 2. Nos igitur, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui rem mature discusserunt, consilio, omnibus et singulis provinciis praedictis petitam capitula sua provincialia ad instar dictae provinciae Germaniae sicut praemittitur celebrandi facultatem tenore praesentium concedimus et impartimur auctoritate apostolicâ salvâ ta-

1 Edit. Main. legit *Congregatio* (R. T.).

men semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus dicti Alexandri et Urbani praedecessorum litteris, aliisque constitutionibus et[1] ordinationibus apostolicis, ac Congregationis Italiae, illiusque provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX aprilis, MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 aprilis 1701, pontif. anno I.

XIX.

Eligitur eminentissimus card. D. Ioseph Renatus Imperialis in praefectum Congregationis boni regiminis[1].

Reverendissimo cardinale Giuseppe Renato Imperiali.

Sin dal principio del nostro pontificato uno de' maggiori pensieri che avemmo fu quello di provvedere al buon governo ed amministrazione dei beni delle Comunità del nostro Stato Ecclesiastico, e che le cause e negozî, ne' quali avessero interesse, fossero spediti con tutta la celerità possibile, per isfuggire ogni sorte di spese. Epperciò essendo appieno informati della vostra sperimentata attenzione, e del zelo, che sempre avete avuto, particolarmente a favore delle Comunità, vi deputammo, senza segnarvi il chirografo, per prefetto della nostra Congregazione del Buon Governo. Ed ora volendo che non si possa dubitare della validità di quello, che finora, come prefetto, avete fatto, e per l'avvenire farete, abbiamo determinato deputarvi di nuovo, come in appresso. Onde con il presente nostro chirografo, avendo per espresso e di parola in parola inserto il tenore di qualunque cosa necessaria da esprimersi, e che ricercasse specifica e in- Elegit, ut in fabrica.

1 Erecta fuit dicta Congregatio a Clemente VIII const. editâ MDXCII, die 30 octobris, pontif. I, et a Clemente XI in altero chirographo ed. MDCCIV, die 1 octobris, pontif. IV subiiciuntur huic Congregationi omnes communitates; item constitutione editâ MDCCI, die 1 februarii, pontif. I, instituta fuit Congregatio sublevaminis pro almâ Urbe; et const. editâ MDCCXIV, die 24 martii, pontif. XIV, statuuntur nonnulla pro arte agrariâ.

dividua menzione, di nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della nostra assoluta potestà, di nuovo vi eleggiamo e deputiamo per prefetto della detta nostra Congregazione del Buon Governo, con tutti li onori, pesi, giurisdizioni, preminenze, autorità e facoltà solite godersi da simili prefetti, e rispettivamente concedutegli tanto da Clemente VIII nella Bolla dell'erezione di detta Congregazione, quanto da altri nostri predecessori, ed inoltre (non però per le cause contenziose, quali vogliamo che si debbano conoscere nella piena Congregazione nel modo sinora praticato) vi diamo facoltà di poter tenere in nostra casa congregazioni particolari, ed ivi pigliare le provvisioni, e fare le risoluzioni che stimeretee spedienti ed utili per la buona economia delle dette Comunità; e ancora di potere, tanto nelle congregazioni piene, quanto nelle dette particolari, ordinare riparazioni di mura de' luoghi, strade e ponti, conforme astringere a contribuire, o con denari o con persone, secondo le loro qualità, per l'opere dette del Comune, qualsivoglia, ancorchè privilegiato ed esente, non ostante li loro privilegî ed esenzioni, e di commutare e trasportare qualche[1] dazio o colletta, che si pagasse di presente, in altro che si giudicasse profittevole ed utile a dette Comunità, e di ordinare le esecuzioni di tali risoluzioni nel modo che vi parerà, come se fossero state fatte nelle piene congregazioni, essendo questa mente e volontà nostra espressa.

Volendo e decretando, che il presente nostro chirografo da registrarsi in Camera, secondo la Bolla di Pio IV *De registrandis*, abbia il suo pieno effetto e vigore, non ostanti qualsivoglia privilegî, esenzioni, costituzioni ed ordinazioni apostoliche nostre e dei nostri predecessori, leggi civili e canoniche, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, ed ogni altra cosa che facesse o potesse fare in contrario, alle quali tutte e singole, avendo il loro tenore qui per espresso, per questa sol volta, e per l'effetto suddetto, pienamente derogliamo.

Dato dal nostro palazzo apostolico in Vaticano, questo dì IV maggio MDCCI.

Dat. die 4 maii 1701, pontif. anno I.

1 Forsan *qualunque* (R. T.).

XX.

Erigitur collegium studiorum sub invocatione Nominis Iesu in coenobio Urbinatensi Ordinis Minorum Conventualium. Huic collegio conceduntur privilegia concessa collegio S. Bonaventurae de Urbe[1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inscrutabili divinae sapientiae consilio Catholicae Ecclesiae regimini meritis licet imparibus praesidentes, sacrarum eisque ancillantium bonarum litterarum studia, praesertim inter christifideles divinis obsequiis sub suavi religionis iugo addictos, opportunis rationibus fovemus et promovemus, ac pastoralis officii nostri partes peculiari desuper charitate interponimus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, catholicae religionis incrementum et praesidium, ac etiam nostrorum et huius Sanctae Sedis in temporalibus subditorum decorem, commodum et utilitatem expedire in Domino arbitramur.

Adducuntur plures rationes pro erectione dicti collegii.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii definitores capituli ge-

1 A Sixto V constit. editâ MDLXXXVII, die 1 ianuarii. In huius Pontificis const. ed. MDCCX, die 10 ianuarii, pontif. X, confirmantur regulae collegii missionariorum in coenobio Assisiensi.

neralis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum in conventu Ss. XII Apostolorum de Urbe dicti Ordinis novissime celebrati, quod, licet provincia Marchiae eiusdem Ordinis inter eas provincias numeretur quae conventibus et fratribus magis abundant, ac provincia primae classis nuncupetur; nihilominus nullus in eâ adest conventus in quo collegium studii erectum reperiatur, indeque fit ut religiosi eiusdem provinciae, qui se in studiis et regentiis tertiae, secundae et primae classis Ordinis huiusmodi diu exercuerunt, ad regentias collegiorum eiusdem Ordinis, quemadmodum ad gradus paternitatis provinciae consequendos[1] per constitutiones ipsius Ordinis auctoritate felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri confirmatas requiritur, difficile promoveri valeant.

Preces definitorum capituli generalis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in conventu civitatis nostrae Urbinatensis provinciae praedictae studium quidem primae classis Ordinis supradicti habeatur, si vero in hoc eodem conventu unum collegium pro duobus regentibus, decem collegialibus et duobus baccalaureis erigi contingeret, non modo fratres dictae provinciae, sed etiam saeculares eiusdem civitatis, in qua universitas studii generalis erecta[2] reperitur, ad litterarum studia magis excitarentur, nec per erectionem collegii huiusmodi consuetus collegialium ac consequenter etiam magistrorum dicti Ordinis numerus ullatenus augeretur, attento quod ad effectus eiusmodi erectionis dilecti pariter filii fratres provinciarum Neapolitanae et Bononiesis eiusdem Ordinis consentiant, ut a Neapolitanae quidem septem, a Bononiensis vero provinciarum huiusmodi collegiis tres collegiales respective segregentur, quin imo nec conventus Urbinatensis praedictus ullo exinde maiori quam antea onere gravaretur, cum in eo aequalis, ac de praesenti habetur, religiosorum numerus haberetur, ac tres lecturae, logicae scilicet, philosophiae et metaphysicae, quae ibidem sub nominibus baccalaurei conventus, magistri artium, et magistri studii de praesenti adsunt, a dictis collegialibus de cetero exercerentur: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit Pontifex.

§ 3. Nos igitur, qui dictum Ordinem, cuius egregia constant in Ecclesiâ Dei merita, ac civitatem Urbinatensem praedictam patriam nostram dilectissimam litterarum studiis et virtutibus magis magisque in dies florere propensis desideramus affectibus, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in praedicto conventu Urbinatensi unum collegium sub invocatione SS. Nominis Iesu pro duobus regentibus ac decem collegialibus ac duobus baccalaureis Ordinis praedicti professoribus, cum omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, praeeminentiis, gratiis et indultis collegio S. Bonaventurae in primodicto conventu dudum a recolendae memoriae Sixto Papa V praedecessore

1 Edit. Main. legit *consequendas* (R. T.).
2 Nescio an desit particula *non* (R. T.).

pariter nostro per quasdam eius litteras anno Incarnationis dominicae MDLXXXVII kalendis ianuarii emanatas erecto et instituto, etiam per viam communicationis, et aliàs quomodolibet et qualitercumque concessis et attributis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Clausulae. § 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, conventuum, provinciae et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX maii MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 maii 1701, pontif. anno I.

XXXI.

Conceditur scholaribus coenobii S. Augustini eremitarum S. Augustini civitatis Lagunae in insulâ Tenarifae facultas suscipiendi gradus scholasticos in eodem caenobio [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, sollicitudo nos admonet, ut sacrarum bonarumque litterarum studia, per quae, depulsis ignorantiae tenebris, veritas elucescit, religio augetur, ac fides catholica roboratur et propagatur, ubique locorum, et praesertim in remotis ab hac Sanctâ Sede partibus, opportunis rationibus et peculiaribus favoribus ac gratiis confovere et promovere satagamus. Exordium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres et scholares conventus S. Augustini oppidi civitatis nuncupati Lagunae in insulâ Tenarifae Ordinis fratrum eremitarum eiusdem sancti Augustini Canariensis dioecesis, quod, cum in insulis Canariis nulla reperiatur studii generalis universitas, in qua studentes illarum partium ad gradus scholasticos promoveri valeant, idcoque, ad gradus huiusmodi in Hispaniis consequendos, mare mille ducentorum milliarium traiicere, et terras trecentorum aliorum milliarium peragere, non sine maximo vitae discrimine et expensis, debeant, ac saepe contingat aliquos ex illis a Mauris capi et manci- Rationes pro dictâ facultate obtinenda.

1 Eadem facultas concessa fuit alumnis provinciae novi regni Granatensis ab Innocentio XII const. edit. MDCXCIV, die 24 aprilis, pontif. IV; et huius Pontificis constit. edit. MDCCX, die 20 maii, pontif. X, augetur numerus magistrorum provinciae Chilensis eremitarum S. Augustini.

pari, ipsi exponentes, asserentes dictum conventum primum et principaliorem esse dictarum partium, in eoque grammaticam ac artes seu scientias et facultates philosophiae et theologiae tam schôlasticae quam moralis tradi, plurimum cupiunt a nobis indulgeri ut scholares dicti conventus in artibus seu scientiis et facultatibus huiusmodi ibidem laureari et ad scholasticos gradus promoveri valeant.

Concessio facultatis suscipiendi gradus in philosophiâ, theologiâ scholastica et morali, servatis tamen statutis Concilii Tridentini et Pii IV.

§ 2. Nos igitur, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, et attentâ relatione venerabilis fratris archiepiscopi Hispalensis, dictarum insularum metropolitae, super praemissis ad eosdem cardinales transmissâ, omnibus scholaribus in dicto conventu sufficienter edoctis, ut in et super facultatibus et artibus supra expressis, philosophiae scilicet, necnon theologiae scholasticae et moralis, in eodem conventu laureari, ac ad doctoratus et magisterii gradum et honorem[1] publice provehi et insigniri valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; ita tamen ut in omnibus et singulis lectoribus, magistris et laureandis, dicti Concilii cap. I, sess. V, et cap. II, sess. XXV *De Reform.*, necnon constitutionis felicis recordationis Pii PP. IV praedecessoris nostri, quae incipit *Sacrosancta*, dispositio servetur, ac salvâ semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub

1 Edit. Main. legit *honorum* (R. T.).

annulo Piscatoris, die IV iunii MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 iunii 1701, pontif. anno I.

XXXII.

Conceduntur Congregationi Charitatis S. Hippolyti in Indiis Occidentalibus privilegia Ordinum Mendicantium et Clericorum Ministrantium Infirmis[1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis caelitus pastoralis officii ratio postulat, ut, paternam sacrarum religionum et congregationum christianae charitatis et hospitalitatis operibus ex professo laudabiliter incumbentium curam gerentes, pium illarum exercitium et institutum, quo, labores expeditius suscipiendo, illud alacrius continuent et ferventius exequantur, liberalibus gratiarum et privilegiorum muneribus confoveamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Rationes pro dictis privilegiis obtinendis, unà cum precibus procuratoris generalis.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Ioannes de Cabrera, procurator generalis Congregationis Charitatis sub titulo S. Hippolyti martyris in civitate Mexicanâ aliisque partibus Indiarum Occidentalium a felicis recordationis Innocentio Papa XII praedecessore nostro in religionem erectae, nobis nuper exponi fecit, fratres dictae Congregationis ab ipso illius initio multiplicia atque insignia pietatis et christianae charitatis opera erga pauperes et infirmos in eorum hospitalibus degentes, non sine spirituali animarum beneficio, exercuerint, et in dies exercere non desinant; quo vero illa semper impensius et indefessi obeant et continuent, ipse Ioannes procurator generalis plurimum cupiat gratias et privilegia Ordinum Mendicantium et Congregationis clericorum regularium Ministrantium Infirmis, quae aliàs recolendae memoriae Urbanus Papa VIII praedecessor pariter noster Ordini tunc Congregationi nuncupatae fratrum S. Ioannis Dei communicavit et concessit, praedictae Congregationi Charitatis, quae (ut asseritur) in suis regularibus institutis cum dicto Ordine sancti Ioannis Dei maxime convenit, illiusque fratribus et locis a nobis pariter communicari et concedi:

Concessio praedictorum privilegiorum, dummodo sint in usu, et non adversentur constitutionibus ecclesiasticis vel Congregationis.

§ 2. Nos, eamdem Congregationem Charitatis et pia illius instituta confovere et promovere, ac proinde dictum Ioannem procuratorem generalem ac dilectos etiam filios fratres Congregationis huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eiusdem Ioannis procuratoris generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, et attentâ relatione dilecti filii nostri Thomae Mariae Ferrarii tituli S. Clementis eiusdem S. R. E. presbyteri cardinalis S. Clementis nuncupati, praedictae Congregationis Charitatis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super

1 Eadem privilegia concessa fuerunt Ordini S. Ioannis Dei ab Urbano VIII constitut. edit. MDCXXIV, die 20 iunii, pontif. I. Huius Congregationis privilegia et indulgentiae confirmata fuere ab Innocentio XII constit. ed. MDCC, die 20 maii, pontif. IX; et aliud privilegium de ordinibus suscipiendis extat constitutione sequenti.

praemissis dictis cardinalibus factà, omnia et singula privilegia, praerogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes, conservatorias, immunitates, exemptiones, libertates, ceterasque gratias, praeeminentias et indulta cuiusvis generis existentia, spiritualia et temporalia, qualiacumque illa sint, dummodo tamen sint in usu et non sint revocata, vel sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis aut apostolicis constitutionibus et ordinationibus vel memoratis regularibus dictae Congregationis Charitatis institutis non adversentur, praedictis Ordinibus Mendicantium et Congregationi clericorum regularium Ministrantium Infirmis, eorumque conventibus, domibus et aliis locis regularibus, ac Ordinum et Congregationis huiusmodi generalibus, praesidentibus, et quibusvis aliis superioribus, praelatis et capitulis, etiam generalibus, provincialibus, seu intermediis, eorumque definitoribus, prioribus, novitiis, fratribus, conversis, donatis, et quibusvis eorum regularibus personis tam in Urbe quam etiam in quibuscumque mundi partibus existentibus, et illorum instituto, aut aliàs quomodolibet, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, seu per nos et successores nostros, aut alios auctoritatem habentes, concessa sunt et concedentur[1], ac quibus de iure, usu et consuetudine, vel privilegio, seu concessione apostolicâ, in genere vel in specie, ac tam coniunctim quam divisim, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt in futurum, ad praedictam Congregationem Charitatis, et singula illius hospitalia, domos et alia loca regularia, illorumque superiores, praelatos, et quascumque regulares personas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo extendimus, illasque[1] eis communicamus, et de novo concedimus, ac suffragari volumus. Decernentes, easdem praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Edit. Main. legit *conceduntur* (R. T.).

1 Aptius lege *illaque* (P. T.).

Constituuntur huius constitutionis executores.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumque, necnon dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus quilibet eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte generalis et fratrum dictae Congregationis Charitatis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem plenum earum effectum sortiri et obtinere, illisque omnes, quos concernunt, pacifice frui et gaudere; non permittentes quemquam desuper contra illarum tenorem, sub quovis praetextu et causâ, etiam defectu intentionis nostrae, per quoscumque quomodolibet indebite molestari, quinimo, quidquid in contrarium attentari vel fieri contin-

gat, omnino semper in pristinum reponi; contradictores quoslibet et rebelles etiam per quascumque, de quibus eis videbitur, censuras et poenas ecclesiasticas, et alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de unâ et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinum et Congregationis clericorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, quomodolibet etiam pluries concesssis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod illis nullatentus aut nonnisi sub certis modo et formâ derogari possit, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub nulo Piscatoris, die XXV iunii MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat die 25 iunii 1701, pontif. anno I.

XXIII.

Conceditur fratribus Congregationis Charitatis S. Hippolyti in Indiis Occidentalibus facultas suscipiendi ordines omnes extra tempora, et non servatis interstitiis[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Ratio pro dictâ facultate obtinendâ.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Ioannes de Cabrera, procurator generalis Congregationis Charitatis sub titulo sancti Hippolyti martyris in civitate Mexicanâ aliisque partibus Indiarum Occidentalium a felicis recordationis Inno-

1 Vide constitutionem praecedentem et Innocentii XII constit. edit. MDCC, die 21 maii, pontif. IX. In Innocentii XIII const. ed. MDCCXXII, die 7 augusti, pontif. II, confirmantur statuta Congregationis.

centio Papa XII praedecessore nostro in religionem erectae, nobis nuper exponi fecit, per constitutiones dictae Congregationis, subinde ab eodem Innocentio praedecessore specifice confirmatas et approbatas, statuatur, ut in singulis hospitalibus seu domibus ipsius Congregationis unus dumtaxat frater presbyter esse possit, et id quidem (quia scilicet varia, et praesertim vilia, infirmis exhibenda ministeria, promptius ac decentius per fratres laicos obeuntur) plurimum expediat; verum, eveniente in aliquo ex dictis hospitalibus seu domibus unici illius fratris presbyteri obitu, futurum sit, ut, donec alius frater dictae Congregationis ad omnes sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines promoveatur, et in defuncti locum subrogetur, si tempora ad dictorum sacrorum ordinum susceptionem a iure statuta expectanda ac interstitia a sacro Concilio Tridentino designata servanda erunt, toto eo tempore hospitale seu domus huiusmodi absque presbytero religioso remaneat, et interim ministerio presbyteri saecularis, assignato illi ex bonis in hospitalitatem erogandis stipendio, et non sine religiosae quietis periculo, uti debeat; ac propterea ipse Ioannes procurator generalis opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desideret:

Facultas praedicta conceditur.

§ 2. Nos, eiusdem Ioannis procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum filium nostrum Thomam Mariam Ferrarium tituli S. Clementis eiusdem S. R. E. presbyterum cardinalem S. Clementis nuncupatum, dictae Congregationis apud nos et Sedem Apostolicam protectorem, super praemissis audiverunt, consilio, ut, quandocumque memoratus unicus frater presbyter cuiuscumque ex dictis hospitalibus seu domibus ab humanis decesserit, alius frater expresse professus praedictae Congregationis, in illius locum subrogandus, clericali charactere, si illo nondum insignitus sit, insigniri, et ad quatuor minores, quatuor feriatis vel non feriatis, seu unicâ, et subinde ad sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines tribus dominicis seu aliis festivis diebus (non tamen continuis, sed semper aliquo temporis spatio, arbitrio Ordinarii definiendo, interpolatis) etiam extra tempora ad id a iure statuta, ac interstitiis a dicto Concilio Tridentino designatis minime servatis, annique curriculo non expectato, etiamsi in unoquoque ex sacris ordinibus praedictis antequam ad alium promoveatur se minime exercuerit, dummodo nullum canonicum ei obstet impedimentum, ipseque ad id idoneus reperiatur, ac servatis aliàs servandis, de superiorum suorum licentiâ promoveri, et promotus in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possit et valeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et effi-

caces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis Charitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV iunii MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 25 iunii 1701, pontif. anno I.

XXIV.

Conceditur votantibus signaturae iustitiae etiam post dimissionem officii facultas transferendi pensiones [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Creditae nobis divinitus dispensationis ratio exigit, ut, illos, qui plus laboris et obsequii in Apostolicae Sedis honorem ac Ecclesiae Catholicae utilitatem iugiter perferre et impendere non desistunt, peculiari paternae charitatis affectu prosequentes, eis uberiora pontificiae nostrae benignitatis dona largiamur.

Actea ab hoc Pontifice concessa fuit dicta facultas actu votantibus.

§ 1. Aliàs siquidem nos tunc et pro tempore existentibus referendariis signaturae nostrae iustitiae votantibus perpetuo concessimus et indulsimus ut ipsi pensiones annuas, apostolicâ auctoritate eis super quibusvis fructibus ecclesiasticis reservatas et pro tempore reservandas, usque ad summam centum scutorum monetae dumtaxat, ad favorem unius seu plurium personarum ecclesiasticarum seu clericorum, ac aliàs pensionum huiusmodi capacium, etiam in mortis articulo, coram notario et testibus, ac cum alicuius praelati seu personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae interventu, transferre (servatâ tamen formâ constitutionis felicis recordationis Innocentii Papae XI praedecessoris nostri super translatione pensionum editae) libere et licite possent et valerent, et aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XXVIII martii proxime praeteriti expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

1 De hac facultate vide huius Pontificis constit. edit. MDCCI, die 28 martii, pontif. I; et de cordone coloris violacei, Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVII, die 12 iulii, pontif. IV.

Causae novae concessionis.

§ 2. Nunc autem nos, ad egregia dilectorum filiorum modernorum eiusdem signaturae iustitiae votantium merita paternae dirigentes considerationis intuitum, ac benigne perpendentes quantum ipsi singulari sint Sedi praefatae adiumento Romanaeque Curiae ornamento, eosque proinde ac illorum successores, ut alacriores in dies ad praestanda eidem Sedi obsequia reddantur, amplioris favore gratiae prosequi volentes, et ipsorum modernorum referendariorum signaturae iustitiae huiusmodi votantium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et liberalitate nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefatis modernis et pro tempore existentibus referendariis eiusdem signaturae iustitiae votantibus, ut ipsi, etiam dimissis votantium huiusmodi officiis, facultate[1] transferendi pensiones annuas usque ad summam centum scutorum monetae, a nobis per nostras litteras praefatas ut praefertur concessâ, uti, frui et gaudere libere pariter et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si officia votantium huiusmodi tunc exercerent, tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus.

Nova concessio ut in rubrica.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, retractari, infringi, seu ad terminos iuris reduci, aut in controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque ipsas praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos vel Romanos Pontifices successores nostros et Sedem praefatam, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet et quandocumque faciendis, comprehendi vel comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam de novo, sub quacumque posteriori datâ, per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligendâ, concessas intelligi, firmasque, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputati.

§ 4. Quocirca dilectis filiis nostris

1 Male edit. Main. legit *facultates* (R. T.).

eiusdem S. R. E. vicecancellario ac camerario et causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes motu pari committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium seu alios, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte praedictorum votantium seu alicuius eorum vel aliorum interesse in praemissis pro tempore habentium desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ ipsas praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ipsosque modernos et pro tempore existentes votantes, et alios quos eaedem litterae concernent in futurum, praesentium litterarum et in eis contentorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illos seu eorum quempiam desuper quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari vel impediri; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; legitimisque super his habendis, servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus omnibus et singulis, quae in supradictis nostris litteris concessimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII augusti MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 augusti 1701, pontif. anno I.

XXV.

Conceditur visitantibus S. Domum Lauretanam indulgentia plenaria perpetua etiam per modum suffragii pro defunctis [1].

Clemens Papa XI,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium devotionem pià charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus ad sacram Domum Lauretanam, ab omnipotenti Deo specialibus gratiis et donis illustratam, devotionis causâ peregrinantibus, qui vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti sacram Domum huiusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac santae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus fidelium defunctorum, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, misericorditer in Domino concedimus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Concessio praedicta toties quoties.

1 De poenitentiariorum collegio extat Alexandri VII constit. edit. MDCLIX, die 22 februarii, pontif. IV; et huius Pontificis sequens constit. est de celebratione missarum in dictae Domus capellâ et ecclesiâ.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 26 septembris 1701, pontif. anno I.

XXVI.

Consulitur celebrationi missarum non adhuc celebratarum, et aliarum in posterum celebrandarum in capellâ et ecclesiâ S. Domus Lauretanae [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Consulitur ut in rubricâ.

§ 1. Cum, sicut non sine gravi animi nostri molestiâ accepimus, plurima missarum tam in capellâ quam in ecclesiâ sacrae Domus Lauretanae celebrandarum onera a multo tempore inexpleta remanserint, ac usque ad annum MDCLXXVIII adhibiti cum [2] fuerint libri in quibus missae manuales celebrandae adnotarentur, adeoque missarum huiusmodi non celebratarum numerus ignoretur, a dicto vero anno, quo dictae missae in libris adnotari coeperunt, quinquaginta millium in dictâ capellâ, ac viginti quinque millium circiter in praefatâ ecclesiâ respective celebrandarum missarum huiusmodi celebrationem omissam fuisse constet, nec ullus appareat modus, quo eiusmodi oneribus non adimpletis ac christifidelium eleemosynas pro aliis missis tam in capellâ quam in ecclesiâ praedictis celebrandis quotidie offerentium devotioni et voluntati, attento capellanorum ad hoc necessariorum defectu, et quia unicum est dictae capellae altare, satisfieri possit, nisi desuper opportune a nobis provideatur, et ut infra indulgeatur: hinc est quod nos, ut suscepta hactenus et omissa, ut praefertur, quantum fieri potest, ac suscipienda in futurum missarum huiusmodi onera exacte et diligenter adimpleantur, sicque dictorum christifidelium ad dictam sacram Domum confluentium et eleemosynas pro missis offerentium devotio et pietas confoveatur, prospectum esse cupientes, de Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum nuncupatae consilio, ac etiam motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praecipimus et mandamus ut nunc et pro tempore existentes dictae sacrae Domus ministri loco dictarum missarum usque ad memoratum annum MDCLXXVIII celebrari omissarum, quarum, ut praefertur, numerus ignoratur, unam missam cantatam in praedictâ ecclesiâ singulis mensibus per quinquaginta annorum spatium celebrari facere teneantur, qua missarum cantatarum celebratione completâ, praedictarum missarum usque ad dictum annum celebrari omissarum oneri satisfacturum [1] fore declaramus; ac concedimus, ut dictae missae cantatae illis, pro quibus ipsae missae celebrari omissae celebrari debebant, perinde suffragentur, ac si omnes eaedem missae celebrari omissae celebratae fuissent; praedictas vere omnes missas in libris adnotatas, tam in capellâ quam in ecclesiâ praedictis celebrandas, a dicto anno hactenus non celebratas, celebrari, ac proinde, ultra capellanos necessarios, alios quinque, qui eas singulis diebus usque ad totale supra expressi illarum numeri adimplementum celebrent, deputari, et, ut in posterum missarum hu-

1 In constit. Innoc. XII edit. MDCXCVIII, nonis augusti, pontif. VIII, agitur de regimine Domus et civitatis Lauretanae; et in huius Pontificis const. ed. MDCCXI, die 13 maii, pontif. XI, de facultate confessariorum etiam poenitentiariorum.

2 Potius lege *non* pro *cum* (R. T.).

1 Potius lege *satisfactum* (R. T.).

iusmodi celebratarum numerus sciri, secutoque dicto earum adimplemento ipsi capellani removeri possint, ac tale onus deficiat, librum particularem, in quo iidem capellani illas adnotent, retineri debere decernimus et ordinamus. Quoniam autem si dictae missae in praedictâ capellâ celebrandae hactenus omissae, ad numerum vigintiquinque millium, sicut praemittitur, ascendentes, in ipsâ capellâ celebrari deberent, aliorum christifidelium missas in eâdem capellâ celebrari expostulantium devotioni, cum ne quidem duo altaria ad dictarum omissarum et aliarum pro tempore celebrandarum missarum celebrationem sufficerent, satisfieri, ut praefertur, non posset[1], ut huiusmodi missae omissae, quae in dictâ capellâ celebrandae essent, ad quodcumque ecclesiae praedictae altare a dictis quinque deputandis capellanis celebrari valeant, et sic celebratae perinde suffragentur, ac si ad memoratum dictae capellae altare celebratae fuissent, concedimus et indulgemus. Ne vero de cetero talis missarum celebrationis omissio contingat, numerum capellanorum sacrae Domus praefatae, tot scilicet quot ad adimplendum tam perpetuarum quam manualium sive in capellâ sive in ecclesiâ praedictis celebrandarum missarum onus sufficiant, augendum, et, ut in posterum de ipsarum missarum celebrationis adimplemento semper constare possit, duos libros distinctos et separatos (in quorum uno missae manuales, pro quarum celebratione in capellâ et ecclesiâ huiusmodi eleemosynae praestantur, in altero vero omnes missae, quae in utroque loco celebrantur, adnotentur) retinendos, et quolibet semestri in perpetuum computa receptarum eleemosynarum et celebratarum missarum tam perpetuarum quam manualium revidenda, et legaliter revisa ad supradictam Congregationem Lauretanam transmittenda esse, sub suspensionis ab officiis, vel illorum privationis, per eos, qui dicta computa, ut praefertur, non reviderint aut non transmiserint, incurrendis, aliisque arbitrio ipsius Congregationis imponendis poenis, statuimus et ordinamus. Verum, quia experientiâ compertum habetur, omnes missas tam perpetuas quam manuales, quae ad altare capellae huiusmodi celebrari petuntur, ad illud celebrari non posse, ut in futurum missae[1] huiusmodi ad altare sub titulo SS. Annunciationis dictae capellae annexum celebrari possint, ac illis, pro quibus celebratae fuerint, suffragentur, et piorum largitorum menti et voluntati satisfactum sit, perinde ac si[2] ad primodictum altare celebratae fuissent, concedimus pariter et indulgemus.

1 Edit. Main. legit *possent* (R. T.).

§ 2. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulae.

1 Edit. Main. legit *missa* (R. T.).
2 Particula *si* nos addimus (R. T.).

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus quorumcumque testatorum et piorum largitorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae sacrae Domus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII septembris MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 28 septembris 1701, pontif. anno I.

XXVII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de celebratione capitulorum et congregationum provinciarum Lusitaniae et Algarbiorum fratrum Minorum de Observantiâ et Tertii Ordinis S. Francisci[1].

1 Innocentii XII constit. edit. MDCC, die 10 iulii, pontificatus IX, agitur de alternativâ in provinciâ insularum Azorum sub regno Portugalliae; et in huius Pontificis const. ed. MDCXVII, die 8 iulii, pontificatus XVII, de divisione et erectione provinciae; in Benedicti XIII vero const. edit. MDCCXXIV, die 3 octobris, pontif. I, abrogantur privilegia personalia fratrum Tertii Ordinis in regnis et dominiis Portugalliae.

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Ad declinanda mala definitum fuit a capitulo generali MDCLXXXVIII, ut capitula et congregationes dictarum provinciarum celebrarentur extra curiam regiam.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum fratrum provinciarum Portugalliae et Algarbiorum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, necnon alterius provinciae Tertii Ordinis eiusdem sancti Francisci in Lusitaniâ, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, cum in capitulis et congregationibus dictarum provinciarum in curiâ regiâ celebrari solitis vocales ad suffragia sua religiosis immeritis conferenda magnatum commendationibus saepius adducerentur, ad abusum huiusmodi tollendum in capitulo generali primodicti Ordinis anno MDCLXXXVIII celebrato definitorium generale, ad instantiam vocalium nationis Lusitaniae, per suum decretum praeceperat ut in posterum dicta capitula et congregationes extra curiam praefatam in conventu a superioribus generalibus eligendo celebrarentur, et aliàs prout in dicto decreto uberius dicebatur contineri; ne vero decretum huiusmodi sub quovis praetextu violaretur, sed semper executioni mandaretur, ipsi fratres plurimum cupiebant illud auctoritate dictae Congregationis cardinalium confirmari: emanavit ad eorum supplicationem ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae Congregationis, quo confirmatum fuit statutum praedictum capituli generalis.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, auditâ relatione patris procuratoris generalis dicti Ordinis et attentis narratis, censuit ac decrevit servandum esse decretum capituli generalis editi anno MDCLXXXVIII. Romae XXIII septembris MDCCI[1]. G. cardinalis CARPINEUS. — I. N. PARACCIANUS secretarius.

1 Male edit. Main. legit *1702* (R. T.).

Confirmatio relati decreti Congregationis.

2. Cum autem, sicut etiam dilectus filius Verissimus a Conceptione, frater expresse professus et procurator dictae provinciae Portugalliae, nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Verissimum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv octobris MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 octobris 1701, pontif. anno I.

XXVIII.

Confirmatur decretum magistri generalis Ordinis Praedicatorum confirmans abdicationem graduum et privilegiorum personalium factam a Congregatione Observantis B. Iacobi Venetiarum [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Ab huiusmodi religiosis nuncium remissum fuit gradibus omnibus et privilegiis personalibus.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii vicarius generalis et fratres Congregationis Observantis beati Iacobi Venetiarum Ordinis Praedicatorum, quod ipsi, ad regularem disciplinam in dictâ eorum Congregatione promovendam, et sublatis omnibus obstaculis perpetuis stabiliendam, omnibus gradibus, praecedentiis et privilegiis personalibus, quo-

1 Ab Innocentio XI const. ed. MDCLXXXIII, die 7 aprilis, declaratum fuit non esse admittendam cessionem loci factam a fratribus Gallis strictioris observantiae; et in huius Pontificis constit. edit. MDCCII, die 8 februarii, pontificatus II, agitur de receptione religiosorum ad Congregationem Venetam.

rum usus in eam introductus reperiebatur, sponte renunciarunt, ad hoc ut religiosi, omni ambitiosâ aemulatione et temporalis retributionis expectatione remotis, litterarum studiis et verbi Dei praedicationi, gloriam Dei et spiritualem christifidelium utilitatem sibi tantum proponentes, vacent, ad imitationem et exemplum provinciae Toletanae, ac Congregationum S. Sabinae et S. Marci eiusdem Ordinis, ac dilectus etiam filius Antoninus Cloche magister generalis dicti Ordinis renunciationem et abdicationem huiusmodi acceptavit, et nonnulla statuit circa honorem, titulos, praeeminentias, exemptiones et privilegia in praefatâ Congregatione nulli in posterum competitura, et omnimodam inter omnes aequalitatem servandam, et aliàs, prout ùlterius continetur in ipsius Antonini magistri generalis decreto desuper edito tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum magistri generalis quo confirmatur abdicatio praedicta.

Nos frater Antoninus Cloche, sacrae theologiae professor, ac totius Ordinis Praedicatorum humilis magister generalis et servus. Exigit officii nostri ratio, ut in vota patrum provinciarum et congregationum aliquando descendamus, earumque precibus inclinemur. Quare, cum reverendus admodum pater vicarius generalis ceterique reverendi patres Congregationis nostrae beati Iacobi Venetiarum libello supplici nobis exposuerint, se vehementer optare gradibus omnibus, seu magistri, seu baccalaurei, seu praedicatoris generalis, eorumque titulis, iuribus, ceterisque omnibus praeeminentiis renunciare a constitutionibus nostris concessis, eorum petitionibus paternâ providentiâ annuentes, tenore praesentium, nostrique auctoritate officii, acceptamus reverendi Antonini patris vicarii generalis aliorumque patrum spontaneam abdicationem graduum omnium ab iis factam, statuimusque in posterum, quod nulli in eâ Congregatione assumantur et admittantur tituli theologiae magistri, regentis, baccalaurei, magistri studentium, praedicatoris generalis, quod nulla futura sit unquam quomodocumque praeeminentia, sed omnes et singuli post superiores sua loca sumant, ordinem iuxta professionis antiquitatem ubique teneant, nullum titulum usurpent, nisi dumtaxat officii quod actualiter exercent; quo officio expleto, nullum, nisi qui simplici religioso convenit, titulum habeant, nullum etiam privilegium mittendi, vel recipiendi, vel legendi litteras habeant, nisi acceptâ a superiore licentiâ, nullam excusationem habeant a sequelâ chori, aut ab onere hebdomadarii, sed omnimoda aequalitas ac uniformitas observetur ab omnibus et quoad omnia, inter eosque sola in religione professionis antiquitas distinguatur, ceteris aliis omnibus omissis. Datum Romae, in conventu nostro S. Mariae super Minervam, die VIII aprilis MDCCI. — Frater ANTONINUS CLOCHE magister Ordinis. — *Registr. in fol.* 50. — Frater ALOYSIUS de BARATEL magister et socius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrum S. R. E. cardinalium et dilectorum Romanae Curiae praelatorum super disciplinâ regulari specialiter deputatorum consilio, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus,

illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium et praelatorum.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI octobris MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 octobris 1701, pontif. anno I.

XXIX.

Conceduntur plures indulgentiae perpetuae Congregationi Missionis[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Pias personarum ecclesiasticarum congregationes in militanti Ecclesiâ ad Dei laudem et gloriam spiritualemque christifidelium aedificationem provide institutas, ut ad pia et salutaria, quae exercent opera, promptiores alacrioresque reddantur, indulgentiis et peccatorum remissionibus invitamus et confovemus, prout ad earum devotionem animarumque salutem augendam conspicimus in Domino expedire. Exordium.

§ 1. Hinc est quod nos, Congregationem Missionis, in vineâ Domini ad animarum salutem strenue laborantem, spiritualibus indulgentiarum muneribus cumulare volentes, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, praeter et ultra omnes et quascumque alias indulgentias et peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes eidem Congregationi hactenus quomodolibet et ex quavis causâ apostolicâ auctoritate concessas, omnibus et singulis presbyteris, clericis et laicis, qui dictam Congregationem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; illis quoque, qui Congregationem huiusmodi ingressi, et in eâ viventes, quatuor vota simplicia, nempe castitatis, paupertatis et obedientiae, necnon stabilitatis in dictâ Congregatione ad effectum se toto vitae tem- Concessio praedicta. Indulgentiae plenariae.

1 Aliae indulgentiae extant Alexandri VIII constit. edit. MDCXC, die 5 octobris, pontificatus I; et in huius Pontificis const. ed. MDCCXIII, die 27 octobris, pontificatus XIII.

pore saluti pauperum rusticanorum applicandi, post biennium probationis iuxta constitutiones praedictae Congregationis auctoritate apostolicâ confirmatas emiserint, et, vere similiter poenitentes et confessi, eo die sacrâ communione refecti fuerint, itidem plenariam; ac praefatis presbyteris, clericis et laicis, nunc et pro tempore existentibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere pariter poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, etiam plenariam; praeterea eisdem praesentibus et futuris presbyteris, clericis et laicis vere similiter poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam dictae Congregationis ecclesiam, vel oratorium, vel parochialem ecclesiam loci, ubi pro tempore commorabuntur, die festo Conversionis sancti Pauli a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi annis singulis devote visitaverint, et ibi pro felici Congregationis praefatae progressu et propagatione, ac pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam; insuper eisdem presbyteris, clericis et laicis, qui spiritualia exercitia per octiduum continuum in aliquâ eiusdem Congregationis domo peregerint, et interea vere quoque poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac, ut praefertur, oraverint, similiter plenariam semel in anno omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Indulgentia centum dierum.

§ 2. Ac demum eisdem presbyteris, clericis et laicis praesentibus et futuris in memoratâ Congregatione viventibus, qui singulis diebus conscientiam suam diligenter examinaverint, cum proposito a peccatis abstinendi et se corrigendi, ac litanias beatae Mariae Virginis devote recitaverint, et, ut supra expressum est, oraverint, centum dies, pro unoquoque die quo id egerint, de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dictae Congregationis subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae vel superioris Congregationis praedictae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v novembris MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 novembris 1701, pontif. anno I.

XXX.

Confirmatur constitutio Urbani VIII super indigentiis locorum sacrorum Terraesanctae [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi, etc. [2].

1 Constitutio Urbani VIII edit. fuit MDCXXXIV, die 3 februarii, et ultimo confirmata ab Innocentio XII constitutione editâ MDCXCVI, die 24 februarii, pontificatus V; postea vero ab Innocentio XIII constit. edit. MDCCXXI, die 21 novembris, pontificatus I.

2 Reliqua omittimus, quia eadem est ac illa edita tom. XX, pag. 745, solo mutato nomine

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII novembris MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 novembris 1701, pontif anno I.

XXXI.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua peregrinantibus ad ecclesiam monasterii sacri Specus Sublacensis monachorum Cassinensium [1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Iniunctae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio postulat, ut caelestium munerum thesauros dispensationi nostrae a Domino creditos, ad augendam in terris Sanctorum in caelis cum Christo regnantium venerationem, excitandamque et confovendam erga illos fidelium devotionem, libenter, quantum nobis ex alto conceditur, erogare studeamus.

Concessio de qua in rubricâ. § 1. Itaque, gloriosa sancti Benedicti abbatis (qui dum in hac terrâ adhuc esset nulli voluptati animum dedit, sed, soli Deo placere desiderans, sanctae conversationis habitum quaesivit, ac caelestis gratiae benedictione repletus, Ecclesiam catholicam spiritualium aromatum fragrantiâ longe lateque replevit) merita pio devotoque animi affectu recolentes, necnon spirituali christifidelium ad ecclesiam monasterii sacri Specus Sublacensis nullius dioecesis provinciae Romanae Congregationis Cassinensis Ordinis eiusdem sancti Benedicti, ubi ipse, ut totum se Iesu Christo daret, per triennium delituit, quamque nos pluries, ante nostram ad summi apostolatus apicem assumptionem, dum in minoribus constituti eramus, personaliter visitavimus, devotionis causâ peregrinantium consolationi atque animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis christifidelibus ad ecclesiam eiusdem sacri Specus, sicut praemittitur, peregrinantibus, qui illam, vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, et sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem semel tantum in anno per unumquemque lucrifaciendam, misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae. § 2. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII novembris MDCCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 novembris 1701, pontif. anno I.

XXXII.

Confirmatur decretum cardinalis protectoris, quo permittitur publicatio de-

petentis qui nunc fuit *Bernardus ab Ecclesiâ de Observantiâ Terraesanctae commissarius generalis* (n. T.).

1 In Innocentii XII const. ed. MDCLXXVI, die 17 novembris, pontif. I, agitur de facultate approbandi confessarios.

cretorum innovantium, moderantium et declarantium constitutiones Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Supplex libellus super innovatione, moderatione et declaratione constitutionum Pontifici oblatus, mittitur ad sacram Congregationem episcoporum et regularium, a qua emanarunt insequentia decreta.

§ 1. Aliàs, pro parte dilecti filii Antonii Salvador Gilaberte, vicarii et procuratoris generalis Ordinis fratrum B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum ac in sacrâ theologiâ magistri, etiam nomine dilecti pariter filii moderni magistri generalis dicti Ordinis, porrecto nobis, ex speciali, ut asserebatur, commissione totius capituli generalis eiusdem Ordinis, die XVII maii MDCXCVIII in oppido civitate nuncupato Guadalforriensi celebrati, supplici libello, in quo nonnullarum ex constitutionibus dicti Ordinis, a felicis recordationis Innocentio PP. XII praedecessore nostro per quasdam suas in simili formâ Brevis die VII decembris MDCXCI expeditas litteras specifice confirmatis, moderari et declarari respective petebatur: nos, supplicem libellum huiusmodi remisimus ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam, a qua ipse Antonius vicarius et procurator generalis obtinuit plura decreta super innovatione, moderatione et declaratione dictarum constitutionum in diversis earum capitibus seu articulis, ac facultatem eadem decreta imprimendi seu typis mandandi, illaque praedictis constitutionibus suo quoque loco inserendi, eâ tamen conditione ut prius insertionis huiusmodi minuta seu formula ipsi Congregationi cardinalium exhiberetur, quam subinde praedictus Antonius vicarius et procurator generalis eidem cardinalium Congregationi exhibuit, tenoris qui sequitur, videlicet [1]:

De tempore recitandi Horas matutinas.

« I. Distinct. I, cap. II, num. I, decrevit sacra Congregatio: *quod matutinae Horae horâ noctis nonâ non cantentur, sed determinetur hora a definitorio cuiuslibet provinciae, ea tamen determinata amplius non varietur.* — Quare, deleto num. I, eius loco dicet sic: « Firmiter statuimus ut matutinae in toto Ordine nostro perpetuò et inviolabiliter mediâ nocte dicantur, et superiorum conscientias oneramus ne ad aliam horam transferri permittant, nisi in casu inevitabili; qui si accidat a die Pentecostes [inclusive usque ad festum S. Augustini, dicantur post completorium, reliquis vero temporibus, eodem casu occurrente, designetur hora a definitorio cuiuslibet provinciae: ea tamen determinata nullo modo varietur. Provincialis aut visitator, qui hoc non exequatur, voce activâ privetur in proximo provinciali capitulo ». Sequitur num. II *Prima non longe, etc.*

De immunitatibus patrum provinciae.

II. Eâdem distinctione, cap. X, num. V, decrevit sacra Congregatio: *quod omnes, qui a iure constitutionis habent immunitates patrum provinciae, debent eisdem gaudere suffragiis, quibus illi qui sunt aut fuerunt provinciales.* — Quare addi debet in primâ clausulâ, dum dicit: « Ad haec ipsa quaelibet provincia tenebitur pro his qui sunt aut fuerunt provinciales » *vel a iure constitutionis habent immunitates patrum provinciae seu exprovincialium:* et sequitur: « Atque etiam pro actuali visitatore, etc. ».

De facultate magistri generalis super eleemosynis pro redemptione captivorum.

III. Distinct. II, cap. I, num. VI, decrevit sacra Congregatio: *posse magistrum generalem eleemosynas unius provinciae applicare redemptioni alterius in casu necessitatis pro suo arbitrio et conscientiâ de consensu definitoris provinciae commodantis, cum hac tamen conditione, quod ex pecuniis commodatis primo loco redimantur captivi provinciae commodan-*

1 Constitutiones Ordinis confirmatae fuere ab Innocentio XII const. ed. MDCXCI, die 7 decembris, pontif. I; et in const. ed. MDCXCII, die 1 martii, pontif. I, permittitur moderatio cuiusdam particulae constitutionum; in huius vero Pontificis constit. ed. MDCCIII, die 13 augusti, pontif. III, confirmantur quaedam capitula et ordinationes.

1 Loca quae exinde citantur et reformantur, confer tom. XX, pag. 235 et seq. (R. T.).

tis, et in catalogo redemptionis exprimatur unde pecuniae fuerunt desumptae. — Unde, deleto num. VI, eius loco dicet sic : « Eidem iniungimus, ut non transferat eleemosynas unius provinciae in aliam, nisi in casu necessitatis, ut ad redimendum captivos illius, ad uberiorem redemptionem agendum, ad repignorandum, vel ad debita aliqua contracta solvendum ; hoc tamen minime faciat, nisi de consensu definitorii provinciae, et semper primo redimantur captivi nationales illius provinciae quae pecunias commodavit, et in catalogo redemptionis clare exprimatur ex qua provinciâ fuerunt desumptae pecuniae ». Sequitur num. VII *Super hoc autem*, usque ad illa verba : *Unde sub praecepto et excommunicatione praefatis;* et deleantur reliqua.

IV. Eâdem dist., cap. V, deleatur in totum num. II iuxta decretum sacrae Congregationis, et sufficiant dicta num I.

De tempore disciplinae faciendae.

V. Distinct. III, cap. VI, num. IV, decrevit sacra Congregatio : *sufficere observantiam constitutionum antiquarum.* — Quare deleatur num. IV, et eius loco dicet sic : « Quartâ et sextâ feriâ per totum quadragesimale tempus, et etiam omnibus sextis feriis per totum Adventum, peracto completorio, omnes fratres conveniant in ecclesiâ vel choro, et ibi communem exerceant disciplinam, recitantibus interim praelato, vel[1] eius vicario, et conventu alternatim praedictum psalmum semel et iterum, vel secundum domorum consuetudinem, cum versibus et oratione praefixis, ab ipso praelato dicendis. Alias autem disciplinas, quibus ultro[2] et privatim fratres afficiuntur, si prudenter et cum discretione fiant, non solum laudabiles reputamus, verum et salubriter suademus ». Sequitur caput VIII.

De linteaminibus lecti.

VI. Eâdem dist., cap. XI, num. I decrevit sacra Congregatio : *indulgeri quod deleatur prohibitio duorum linteaminum.* — Quare, deleto num. I, eius loco dicet sic : « Ne in lectulis delitiis refoveamus[3], universis fratribus constituimus ut nunquam nudi dormiant, sed cum tunicâ. Uti possunt duobus linteaminibus, cum religiosâ tamen paupertate, absque profanitatis umbrâ ». Sequitur n. II *Singuli fratres, etc.*

1 Edit. Main. legit *et* pro *vel* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *ultra* (R. T.).
3 In loco parallelo lege *refoveamur* (R. T.).

De capitulo culparum.

VII. Eâdem dist., cap. XV[1], num. I, decrevit sacra Congregatio: *relinquendam solam poenam privationis officii ipso facto incurrendam; ceteris poenis et comminationibus deletis.* — Quare, deleto hoc num. I, eius loco dicet sic: « Regularem observantiam exequimur in capitulis culparum, ubi nosmetipsos accusamus, et salubriter a praelato corrigimur. Quapropter universis commendatoribus, sub poenâ privationis officii ipso facto incurrendâ, praecipimus, ut ad minus qualibet feriâ sextâ, vel opportuniori die cuiuslibet hebdomadae, capitulum culparum post completorium celebrent ». Sequitur num. II *Congregatis igitur, etc.*

De promovendis ad gradum praesentaturae.

VIII. Dist. VI, cap. VI, num. II, decrevit sacra Congregatio, *quod serventur constitutiones antiquae.* — Quare, deleto[2] num. II, dicet sic : « Quocirca praesenti constitutione praecipimus, quod nullus ad gradum praesentaturae de lecturâ promoveri valeat, nisi peractis quinque annis lecturae, inclusis pariter quos forsan egerit in magisterio studentium, ita ut iam per triennium unam ad minus artium lecturam expleverit, et per biennium sacram theologiam docuerit, vel magister studentium extiterit. Similiter etiam, quod nullus ad magisterium assumatur, nisi, ultra praedictos quinque annos, alios sex in sacrae theologiae lecturâ consumpserit ». Sequitur num. III *Lectorem autem.*

De collatione graduum litterariorum.

IX. Eâdem dist. et cap.[3] num. XIII decrevit sacra Congregatio, *quod mutetur examen.* — Quare, deleto hoc numero, eius loco dicet sic : « Ut quis autem ad collationem graduum de gratiâ per Breve Sedis Apostolicae perveniat, sufficientiae illius rigorosum fiat examen a magistro generali, vel a provinciali, cum aliis duobus magistris vel praesentatis de numero et cathedrâ, qui, iuxta Deum et propriam conscientiam, de sufficientiâ aut insufficientiâ graduandi iudicent et

1 Male edit. Main. legit *V* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *delato* (R. T.).
3 Male edit. Main. habet *cap. I* (R. T.).

declarent; et sic et non aliter ad gradum promoveatur ». Sequitur num. XIV *Eos tamen, etc.*

De precedentiis.

X. Eâdem dist. et cap., num. XVII, decrevit sacra Congregato *praecedentiam graduatorum per Breve Sedis Apostolicae.* — Quare, deleto hoc numero, dicet sic: « Super quibus insuper declaramus, magistros et praesentatos de gratiâ, modo dicto creandos, in his quoque respective privilegiis et[1] immunitatibus contineri: ita tamen, ut, quantum ad locum, praesentati de gratiâ, si fuerint lectores, sint immediate post praesentatos de lecturâ; si fuerint praedicatores, sint immediate post praesentatos de pulpito; si autem ex merâ gratiâ Sedis Apostolicae graduati fuerint, ultimum locum habeant. Pariter magistri per Breve Sedis Apostolicae semper sint immediate post magistros de numero ». Et iuxta hanc constitutionem corrigatur caput *De ordine sedendi.* Sequitur cap. VII.

De generalis et provincialis facultate extrahendi libros ex bibliothecâ.

XI. Eâdem dist., cap. XI, num. V, decrevit sacra Congregatio: *Posse magistrum generalem et provinciales concedere fratribus licentiam ad extrahendum libros a bibliothecâ.* — Quare numerus iste terminabit sic: « Nec ad hoc valeant praelati locales facultatem concedere, sub eisdem poenâ et praecepto. Magister tamen generalis et provincialis possint licentias concedere ad libros extrahendum ex bibliothecâ; raro tamen et solum in casu necessitatis id faciant, super quod eorum conscientias oneramus ». Sequitur numerus VI *Qui vero, etc.*

De spolio magistri generalis.

XII. Dist. VII, cap. V, num. XVII, decrevit sacra Congregatio *modum servandum in his, quae pertinent ad spolium magistri generalis, etiam in casu mortis.* — Quare huic numero addendum est: « In casu tamen mortis magistri generalis, bona, pecuniae, et aliae res pertinentes ad spolia magistri defuncti, taliter reserventur et custodiantur a provinciali et a definitorio illius provinciae, in qua existere quomodocumque innotuerit, et de his omnibus in capitulo generali proxime futuro fiet dispositio pro solvendis debitis, tam Romae contractis (si quae fuerint) iuxta computa illius procuratoris generalis Curiae adducta, etiam a vicario generali Ordinis tempore sui officii pro causâ communi religionis; et quidquid superet, novo magistro generali resignetur pro sumptibus sui muneris et religionis, de quibus omnibus etiam reddet rationem modo et tempore in hac nostrâ constitutione statutis ». Sequitur num. XVIII.

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

De subiectione exgeneralium.

XIII. Eâdem distinct., cap. V, num. XXII, decrevit sacra Congregatio: *Exgenerales subesse soli generali actuali, quoad vim*[1] *coactivam; quoad vero directivam, etiam provincialibus et superioribus localibus.* — Quare, huic numero addi debent haec verba: « Semper quoad vim coactivam subsint soli generali magistro ». Sequitur cap. VI.

De suffragio procuratoris generalis.

XIV. Eâdem dist., cap. X, num. IV, decrevit sacra Congregatio: *Procuratorem generalem Curiae gaudere voce in omnibus in hac constitutione nominatis, quin necessarium sit quinquennium explere.* — Quare in hoc numero deleatur illa particula *per quinquennium.*

De suspensione commendatorum.

XV. Eâdem dist., cap. XXIII, num. XVI, decrevit sacra Congregatio *modum quo suspendi debent commendatores.* — Quare, deleto hoc numero, dicet sic: « Quod si commendator aliquid commiserit, quo in constitutionibus nostris poenâ suspensionis afficiatur, illamve promereatur, tunc audiatur tamquam reus, et suae defensiones admittantur; quibus perpensis, ad sententiam procedatur, quam solus superior proferre non poterit, sed unice de unanimi consensu unius magistri, vel praesentati, et dignioris fratris conventus ubi fuerit commendator ». Et in hunc modum corrigantur omnes constitutiones, quae de hac materiâ loquuntur. Sequitur num. XVII *Item ipsius interest, etc.*

De facultate generalis habilitandi ad officia.

XVI. Dist. VIII, cap. III, num. X, decrevit sacra Congregatio: *Posse magistrum generalem habilitare ad officia adoptatos in aliis provinciis de consensu earum.* — Quare, deleto hoc num. X, dicet sic: « Et quoniam apud Indias Occidentales in provinciâ Quitensi quantum ad provincialis officium similis viget alternandi consuetudo, inter Hispanos scilicet et eius regionis indigenas ab ipsâ Hispania oriundos; idcireo pariter constituimus, ut praedicta alternatio constituenda

1 Male edit. Main. legit *vitam* pro *vim* (R. T.).

sit quatenus ex utrâque parte suppetat vir habilis, et quantum ad Hispanos, quod possint a magistro generali habilitari de consensu provinciarum ad omnes honores et dignitates illius. Privative enim attinet ad magistrum generalem filios, aliàs legitime adoptatos, habilitare ad honores et dignitates, accedente consensu definitorii provinciae, in qua fuit adoptio ». Sic corriget adoptionem per quinquennium requisitam in provinciâ Italiae in hoc capite, num. VIII. Sequitur num. XI *De omnibus, etc.*

De loco atque praestantiâ officialium.

XVII. Eâdem dist., cap. XIX, n. V, decrevit sacra Congregatio *locum definitoribus provinciae.* — Unde, deleto num. V, dicet sic : « Circa reliqua officia, quae diversis personis accidunt, sic ea distribuimus. Definitores generales ex suo genere sunt electoribus priores, et utrique definitoribus provinciae, qui semper sint immediate post magistros tempore definitoriatus. Cum autem haec officia in personis superioris dignitatis extiterint, ut in patribus[1] provinciae et reliquis ad hunc ordinem pertinentibus, non propterea locum inter se mutare debent, sed semper servare sibi debitum ex provincialatu aut alio munere peracto. Infra eos autem, si magister fuerit definitor, sit primus inter magistros. Quod si socius magistri factus sit definitor Ordinis aut provinciae, aut elector generalis, ex hoc ipso sit altero[2] socio prior; et si duo intra eumdem ordinem in definitione aut electione fuerint pares, tunc praecedat qui alterum alioquin sine dictis officiis anteiret ». Sequitur num. VI *De socio autem, etc.*

De iure probandi ad gradus extra capitulum.

XVIII. Distinct. VI, cap. VI. — Deleantur numeri VIII et IX, et eorum loco dicet sic : « Cum haec praesentatio fieri semper debeat in vacante[3] determinatâ per definitorium provinciale intra capitulum provinciale congregatum, ad quod privative attinet approbare, praesentare seu exponere, et ex hoc necessario sequatur, posse gradus, extra capitulum vacantes, usque ad alium proxime futurum manere suspensos, si in capitulo praesentatio et approbatio facta non fuit; idcirco, ne prae his dilationibus quidquam incommodi provincia sustineat, consulto et deliberate statuimus, ut praedicto definitorio liceat intra capitulum hanc facultatem approbandi quemcumque magistro generali cedere, ut extra capitulum mediante approbatione promoveat quem maluerit ». — Num. IX : « Pariter declaramus ad magistrum generalem, loco et vice capituli generalis, privative pertinere quoscumque ex approbatis a definitorio provinciali (vel a se ipso ex speciali facultate a definitorio concessâ) graduare, sive ad gradus promovere, eosdemque in ipsis confirmare. Qua etiam facultate gaudere volumus priorem Barchinonae, aut alium qui tempore vacationis magistratus in vicarium generalem totius Ordinis successerit ». Sequitur num. X *Ordinamus ulterius, etc.*

De facultate generalis eligendi vicarium provincialem.

XIX. Distinct. VII, cap. XX, num. II, ante illa verba : *Cui soli hanc potestatem, etc.*, addantur ista : « Ita ut, iuxta declarationem Alexandri VII, semper sit in liberâ potestate magistri generalis confirmare in vicarium provincialem talis provinciae commendatorem domus futuri capituli provincialis, vel, si maluerit, alium ex patribus ad dictum officium ab ipsis constitutionibus vocatis, vel quemvis alium ex totâ ipsâ provinciâ, pro suo arbitrio, et prout melius iudicaverit ». Sequuntur illa verba : *Cui soli hanc potestatem, etc.*

De modo erogandi vel recipiendi pecunias a commendatoribus.

XX. Dist. VII, cap. XXIII[1]. — Declaratur num. XIII, et, pro declaratione, eius loco dicet sic : « Cuilibet ulterius[2] commendatori praecipimus, sub poenâ privationis utriusque vocis per tres annos, ut nullo praetextu per se solum audeat expendere vel recipere aliquid[3] non praesentibus depositariis, vel ad minus id notum faciat et manifestet intra terminos viginti quatuor horarum. Quod ut inviolabilibus periodis impleatur, sub eâdem poenâ eidem iniungimus, ut singulis septimanis indispensabiliter computa faciat, non quidem

1 Male edit. Main. legit *partibus* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *alter* (R. T.).
3 Ex loco parallelo lege *vacatione* pro *vacante* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *cap. III* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *alterius* (R. T.).
3 Ex loco parallelo deesse videtur *ad monasterium pertinens* (R. T.).

privatim, solique procuratori associatus, sed publice, adstantibusque depositariis, dispensatore conventus, eiusque procuratore, atque etiam procuratoribus redemptionis, quotquot in eâ domo resideant, sono cymbali vocatis; quos omnes huiusmodi convocationibus[1] necessario adesse compellimus ». Sequitur num. XIV *Commendatores, etc.* ».

Ut relata decreta publicari possent editum fuit insequens decretum.

Quare pro parte dicti Antonii vicarii et procuratoris generalis praedictae Congregationi cardinalium supplicato, ut dicta decreta in praeinsertâ minutâ sic disposita et digesta, ad hoc ut illa typis edi possent et eorum observantiam demandari valeret, approbare et confirmare dignaretur: dicta Congregatio cardinalium, attentâ relatione dilecti filii nostri Petri S. R. E. praedictae cardinalis Otthoboni nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super praemissis eisdem cardinalibus factâ, per suum decretum die XIII ianuarii proxime praeteriti emanatum, dicti Antonii vicarii et procuratoris generalis precibus pro arbitrio et prudentiâ eiusdem Petri cardinalis et protectoris benigne indulsit. Unde ipse Petrus cardinalis et protector decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum cardinalis protectoris.

Vigore supradictae facultatis nobis a sacrâ Congregatione attributae, oratoris precibus in supplici libello expositis annuimus, petitamque constitutionum innovationem, moderationem et respective declarationem, necnon facultatem ea imprimendi, suoque loco inserendi, auctoritate qua supra, concedimus et impartimur. Ex aedibus Cancellariae Apostolicae, die XVIII ianuarii MDCCII. — P. card. OTTHOBONUS protector. — I. D. GRIMALDUS secret. *Loco* † *sigilli.*

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Antonius vicarius et procurator generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, dicti Antonii vicarii et procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum memorati Petri cardinalis et protectoris decretum, omniaque et singula in eo contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerit, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis praedicti, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque,

1 In loc. parell. leg. *computationibus* (R. T.).

indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX martii MDCCII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 29 martii 1702, pontif. anno I.

XXXIII.

Confirmatur decretum Congregationis Rituum de officio et missâ de B. Augustino Dalmata pro dioecesibus Lucerinensi, Zagabriensi et Traguriensi, necnon Ordine fratrum Praedicatorum [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Nuper ad supplicationem dilecti filii Antonini Cloche magistri generalis Ordinis fratrum Praedicatorum emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum pro officio et missa de communi Confessorum Pontificum.

« Lucerina canonizationis B. Augustini Dalmatae Ordinis Praedicatorum episcopi Zagabriensis et demum Lucerini. Cum sacrorum Rituum Congregatio, ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Petrucci sub die XIX iunii MDCC, cum subsecutâ approbatione Sanctissimi, censuerit constare de culto immemorabili B. Augustino praedicto praestito: pater Antoninus Cloche, Ordinis Praedicatorum magister generalis, humiliter sacrorum Rituum Congregationi supplicavit, quatenus concedere dignaretur, ut in civitate Lucerinâ continuari possit in celebratione festi dicti beati Augustini cum officio et missâ propriis eiusdem Beati, prout asserebatur fuisse hactenus recitatum, necnon ut idem indultum ad totum Ordinem Praedicatorum, ad provinciam Beneventanam, in qua sita est civitas Lucerina, ad civitatem et dioecesim Traguriensem, patriam eiusdem Beati, necnon ad civitatem et dioecesim Spalatrinam benigne extendere dignaretur. Et sacra eadem Rituum Congregatio, ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Gabrielli, tam in voce quam in scriptis reverendissimo archiepiscopo Myrensi fidei promotore audito, accedentibus piis supplicationibus eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Ursini archiepiscopi Beneventani, archiepiscopi Spalatrini, episcopi Lucerini, ac aliorum episcoporum totius provinciae Beneventanae, et episcopi Traguriensis, sanctissimo domino nostro porrectis, et ad eamdem sacrorum Rituum Congregationem remissis, officium cum missâ de beato Augustino praedicto pro civitatibus Lucerinâ, Zagabriensi et Traguriensi, necnon earumdem dioecesibus, et pro Ordine Praedicatorum, de communi tamen Confessorum Pontificum, posse concedi censuit, si sanctissimo domino nostro visum fuerit. Die I octobris MDCCI. Et factâ deinde de praedictis per me secretarium sanctissimo domino nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XIX eiusdem mensis octobris et anni MDCCI. — G. card. CARPINEUS. *Loco † sigilli* ».

1 Anno MDCC, die 19 iunii, approbatus fuit cultus dicti Beati; per Innocentii XII const. ed. MDCXCIV, die 30 augusti, pontif. IV, concessum fuit officium de B. Ioanna; et in huius Pontificis constit. edit. MDCCXII, die 22 maii, pontif. XII, publicatur canonizatio S. Pii V.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Antoninus magister generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Antoninum magistrum generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV aprilis MDCCII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 aprilis 1702, pontif. anno II.

XXXIV.

Conceditur fratribus Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus exemptio a processionibus publicis[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae per universum orbem diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos admonet, ut, paternam christifidelium christianae erga pauperes infirmos convalescentes charitatis et hospitalitatis operibus iuxta laudabilia eorum instituta pie et fructuose incumbentium curam gerentes, ne ipsi a salutaribus operibus et institutis huiusmodi ullatenus avertantur, quantum nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

Causae petitae concessionis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii confratres Congregationis Bethlehemitarum nuncupatae hospitalium pauperum convalescentium in Indiis Occidentalibus, quod (cum ipsi, iuxta eorum constitutiones a felicis recordationis Innocentio Papa XI praedecessore nostro specifice confirmatas, ho-

1 Constitutiones, privilegia et indulgentiae huius confraternitatis, in Congregationem erectae, extant in Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVII, die 26 martii, pontif. XII; et in huius Pontificis const. edit. MDCCVII, die 28 iulii, pontif. VII, eidem conceduntur privilegia Mendicantium et Ministrantium Infirmis.

spitalitatem erga pauperes infirmos et convalescentes exercere, illisque inservire debeant; verum contingat, ut, dum ipsi exponentes processionibus publicis, quae pro tempore peraguntur, intersunt, praedicti pauperes convalescentes ope et assistentiâ destituti remaneant; idque eo magis eveniat, quod non ita in illarum partium ac in Italiae aliarumque Europae regionum conventibus religiosorum numerus frequens sit, adeoque dividi non possit, ut et dictorum convalescentium necessitatibus et memoratis processionibus comitandis sufficiat) dicti exponentes opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderent.

Concessio exemptionis a publicis processionibus.

§ 2. Nos igitur, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, omnibus et singulis memoratae Congregationis superioribus, confratribus et personis nunc et pro tempore existentibus, ut ipsi de cetero (ne ab iis, quibus ad infirmorum et convalescentium in ipsius Congregationis hospitalibus degentium subventionem et utilitatem sedulo vacant, ministeriis distrahantur) processionibus supradictis, quacumque ex causâ, ex more, vel consuetudine, aut aliàs pro tempore faciendis, vel a quibusvis Ordinariis locorum indicendis, interesse minime teneantur, nec ad id ubique locorum per Ordinarios huiusmodi, seu alias quascumque personas, quavis auctoritate vel superioritate fungentes, inviti seu nolentes cogi vel compelli possint, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse deromus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo

personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII iunii MDCCII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 iunii 1702, pontif. anno II.

XXXV.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de iuribus ad gradus scholasticos pro studentibus collegii S. Mariae Transpontinae de Urbe fratrum Carmelitarum [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Referuntur dicta iura ab Ordinis constitutionibus concessa et postea ablata per quamdam earundem constitutionum reformationem.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum fratrum studentium conventus seu collegii S. Mariae Transpontinae de Urbe Ordinis eiusdem beatae Mariae de Monte Carmelo, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, ipsos aliàs, vigore constitutionum dicti Ordinis, nonnullis praerogativis circa eorum promotionem ad gradus scholasticos gavisos fuisse, dictasque praerogativas § 9, cap. XVII primae partis praedictarum constitutionum contineri; ibi nempe disponi, ut ad cursoratûs nuncupati, philosophiae cursum absolvisse, ac prius publicas disputationes super universâ philosophiâ huiusmodi, et quatuor lectiones in dictis constitutionibus praefixas sustinuisse; ad lectoratûs, cursum sacrae theologiae similiter absolvisse, ac publicas disputationes et quatuor lectiones in eisdem constitutionibus designatas pariter sustinuisse; ad baccalaureatûs, philosophiam et sacram theologiam praefatam per biennium legisse, vel publicas disputationes itidem sustinuisse; et ad magisterii in sacrâ theologiâ gradus promovendi, post adeptum baccalaureatum, philosophiam ac sacram theologiam huiusmodi etiam per biennium legisse, vel duas publicas disputationes in dictis constitutionibus commemoratas similiter sustinuisse respective debeant: verum dictos fratres studentes ab aliquot annis praerogativis huiusmodi per quaedam decreta praedictarum constitutionum moderatoria tunc emanata, et subinde per quasdam felicis recordationis Innocentii PP. XII praedecessoris nostri litteras [1] in simili formâ Brevis anno II eius pontificatus expeditas confirmata, privatos remansisse: et in eâdem expositione subiuncto quod aequum non videbatur, eosdem fratres studentes sub generali decretorum moderatoriorum huiusmodi dispositione comprehendi, quia multae speciales rationes, cur dictis praerogativis eis per dictas constitutiones concessis, quae in usu semper fuerant, gaudere deberent, insimul concurrebant; ipsi nempe fratres studentes maximos labores et totum pene dicti conventûs onus, officia sacerdotum et clericorum, ac exercitia ordinaria studiis in eodem conventu et extraordinaria in gymnasio Sapientiae nuncupato [2] de Urbe, quò se, ut ibi lectionibus ordinarii lectoris interessent, conferebant, peragendo, sustinere, ac incommoda itinerum, per ipsos ab eorum provinciis ad dictam Urbem suscipiendorum,

1 In Innocentii XII const. ed. MDCXCII, die 11 octobris, pont. II, extant decreta de promovendis studiis; et in huius Pontificis const. edit. MDCCIV, die 27 martii, pontif. IV, conceduntur privilegia lectorum in collegio Sapientiae de Urbe lectoribus collegii ecclesiastici in coenobio S. Mariae Transpontinae.

1 Edit. Main. legit *litteris* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *nuncupatorum* (R. T.).

perferre, et expensas ad id necessarias facere, ac postea ad dictas suas provincias, ut illic lecturas, quarum loca occupata quamsaepissime reperiebant, exercerent, redire, et post tempus lecturae ad eamdem Urbem pro examine ad magisterii in dictâ sacrâ theologiâ gradum subeundo reverti, multaque alia incommoda pati cogebantur: ac proinde dictae Congregationi cardinalium supplicato ut memoratas constitutiones super praemissis observari mandaret: emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis de praedicta restitutione.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, cui[1] sanctissimus dominus noster supplicem hunc libellum pro voto remisit, auditis patribus generali, procuratore generali et assistentibus Ordinis, censuit ac decrevit, super praemissis servandas esse constitutiones eiusdem Ordinis: ennunciato Brevi sacrae memoriae Innocentii XII non obstante. Romae, IX septembris MDCCI. — G. card. CARPINEUS. — N. GRIMALDUS secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dicti fratres studentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas[1] fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, conventus, collegii et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub

1 Vocem *cui* nos addimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

annulo Piscatoris, die XXVII iunii MDCCII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 iunii 1702, pontif. anno II.

XXXVI.

Confirmantur declarationes et additiones ad statuta universitatis fabrorum ferrariorum de Urbe [1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Militantis Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidentes, ac publicae utilitatis curam assidue ferentes, ea, quae pro felici prosperoque artium et universitatum almae Urbis nostrae, cuius commodis peculiari paternae charitatis affectu studemus, proinde constituta et ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis praesidio libenter constabilimus.

Causae insequentium declarationum, et additionum a senatore et collateralibus Curiae Capitolinae probatarum.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii universitas et homines artis fabrorum ferrariorum de eâdem Urbe quod, licet aliàs felicis recordationis Alexander Papa VIII praedecessor noster dictae universitatis statuta per quasdam suas in simili formâ Brevis anno MDCXC desuper expeditas litteras specifice confirmaverit; quia tamen nonnulla statutorum huiusmodi capitula ab antiquis diversa, ac inter se ad invicem contraria, alia vero dubia et obscura repericbantur, proindeque in illis pro ipsorum conciliatione et declaratione aliquid etiam addendum et innovandum videbatur: ipsi exponentes, ad tollendas controversias hac in re inter eos exortas, insimul congregati, nonnullas declarationes et additiones in praedictis statutis fecerunt, quae iussu nostro per dilectos filios senatorem et collaterales Curiae Capitolinae dictae Urbis visae et examinatae et approbatae fuerunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

De licentiis concedendis.

Nel libro I de' statuti dell'università de' ferrari. — Il cap. VIII del libro I, dove dice che l'approvazione di ciò non s'intenda averla ottenuta se non sarà vinta per il voto di due terzi, almeno in questa parte lo moderiamo, dichiarando che basti aver vinto il partito per il voto della maggior parte, restando ferma tutta ogni altra cosa che in detto capitolo si dispone, aggiungendo di più, per maggior osservanza di detto capitolo, che cadano in pena li consoli di scudi tre per ciascheduna volta che daranno patente o licenza contro la forma prescritta in detto capitolo, e detta patente o licenza contro la forma prescritta in detto capitolo sia *ipso facto* nulla, e nessuno possa dar licenza di aprire o ritenere aperte dette botteghe, senza che siano prima approvati ed appatentati.

De appellationibus.

— Cap. XXI. Essendo certo che nessuno puole esercitare alcun'arte delle comprese nella nostra università, se non sarà stato approvato precedente l'esame, e speditagli la patente, o pure, se sarà di quelle arti che non sono soggette a far esame, se non avrà spedita la patente, altrimenti cada nella pena, come anco di desistere dall'esercizio dell'arte che professerà, e deve serrare la bottega, come si dispone tanto[1] in detto libro I, cap. VIII e IX, quanto nel libro III, cap. I, ed in altri capitoli respettivamente; ma perchè alle volte alcuni sono sedotti da chi procura solamente tirare in lungo le liti, e farli dispendiare, senza profitto alcuno, con consigliarli che quando sono condannati dalla giustizia a spedir la patente in conformità degli statuti, pagar la pena e chiudere la bottega, s'appellino; il che poi resulta in pregiudizio di essi medemi appellanti: ed essendo in detto capitolo II proibita detta appellazione; in ogni modo, per evitar ogni attacco e dispen-

1 Praecedentia statuta confirmata fuere ab Alexandro VIII const ed. MDCXC; in Innocentii XII const. ed. MDCXCIII, die 25 septembris, pontif. III, confirmatum fuit decretum universitatis barbitonsorum de Urbe; et in huius Pontificis const. ed. MDCCXII, die 12 maii, pontif. XII, confirmantur statuta eorumdem.

1 Vocem *tanto* nos addimus (R. T.).

dio ed interpretazione, diciamo e dichiariamo, che da' detti decreti di pagar la pena, come di chiudere la bottega, sia proibito ad ognuno l'appellare, e la detta appellazione non s'ammetta da alcun giudice, nè in sospensivo, nè in devolutivo, ma bensì possano domandare il ricorso una volta solamente.

De instrumentis et similibus. Detto cap. XXI, il quale pare che obblighi li mastri dell'università a far qualsivoglia istromento o descrizione ed altro per gli atti del notaro d'essa università, dichiariamo che debba intendersi ogni qualvolta che l'istromento o altro rogito concerna l' interesse d'essa università; dichiarando però che gli istromenti di vendite di botteghe, affitti o mezzarie, o debba farlo stipulare dal notaro dell'università, con pagare la mercede dovuta o convenuta, o almeno debba esibire negli atti del medesimo notaro la notificazione dell'istromento se si farà stipulare da altro notaro, enunciando il giorno, mese, anno, ed il notaro che se ne sarà rogato, per conservarla tra gli altri istromenti di detta università; altrimente il venditore cada, per ciascheduna volta che contraverrà, nella pena di scudi tre, da applicarsi a benefizio della chiesa di S. Eligio; e nell'istessa forma s'intenda il capitolo L del libro III, restando ferma ogni altra cosa che si dispone in detto capitolo XXI e capitolo L.

De consultoribus. — Cap. XLII, che è dei consiglieri. Dichiariamo, che li detti consiglieri possano porre per consiglio ciò che a loro parerà utile per gl'interessi d'essa università, ed allora, ciò che da essi sarà proposto, s'intenda valido e rato quando sarà approvato dalla maggior parte dei mastri perpetui; altrimenti s'abbia come se non fosse stato proposto.

De examinatoribus. — Cap. XLIII, il quale è degli esaminatori. Lo moderiamo sin dove dice che l'esaminando resti approvato se sarà vinto il partito per due terzi, sì anco in quella parte dove dice che, o resti approvato o no, si paghi la mercede depositata agli esaminatori; dichiarando e determinando, che resti approvato l'esaminato se sarà vinto[1] il partito per la maggior parte de' voti, e che la mercede depositata per li esaminatori si paghi solamente nel caso che resti approvato, altrimenti si restituisca all'esaminato, conforme si determina l'istesso nel capitolo I del libro III: restando ferme tutte le altre cose che in detto capitolo XLIII si dispongono.

Nel libro II di detto statuto. — Cap. VI, che è dell'elezione de'periti. Diciamo e dichiaramo che per periti non si possono eleggere nè deputare se non mastri matricolati di quell'arte della quale si tratterà, restando ferme le altre cose che in detto capitolo si dispongono. De peritis.

— Cap. VIII, che concerne la fede da darsi ai libri dei mastri dell'università, il quale dice che ai libri dei conti dei maestri di detta università, quando saranno tenuti legalmente, se gli dia credito, come si dà ai libri dei mercanti fondacali. Dichiariamo che sino alla somma di scudi quaranta s' intendano tenuti legalmente ogni qualvolta un mastro tenga un libro solo, anche che sia semplice straccio foglio, nel quale apparisca essere scritte le partite senza fraude, con il mese, giorno ed anno di ciascheduna partita, dato però anche il giuramento al detto mastro sopra la realtà del libro e di dette partite: restando ferme le altre cose disposte in detto capitolo VIII: e che se si troveranno nel libro scritte falsità alcune, oltre le pene che sono di ragione, il libro non provi in nessuna parte: e tutto l'altro che ivi si dispone. De libris magistrorum.

Nel libro III di detto statuto. — Cap. X, che ordina, che chi darà bestia a vettura, debba farla stimare e descrivere. Lo moderiamo in tutto, e dichiariamo esser mero consiglio, e non obbligo del lavoratore nè del conduttore, De vectoris.

— Cap. LI, nel quale si dice, che chi non esercita più bottega, non possa aver voto nè attivo nè passivo nelle adunanze o congregazioni, e neanche in quelle intervenire. Lo dichiariamo doversi intendere, quando però abbia dismesso la bottega per causa di fallimento doloso, così dichiarato dal giudice, o che faccia qualche esercizio infame. De suffragio.

Sin qui essendosi fatte le dichiarazioni ai

1 Edit. Main. legit *unito* pro *vinto* (R. T.).

capitoli generali, che comprendono qualsivoglia arte e maestro della detta università, essendosi considerato che vi sono necessarie anche le dichiarazioni ad alcuni capitoli particolari di ciascheduna arte in particolare, quali parimente sono in detto lib. III:

De fabris fraenorum.

Pertanto il cap. XXV *de' morsari*, dichiariamo che s'intende di proibire a ciascheduno di qualsivoglia arte il poter lavorare della professione de' morsari nel modo che essi morsari lavorano, se non sarà stato approvato, precedente l'esame, e che abbia spedita la patente in tutto e per tutto, come si dice in detto capitolo.

De fabris ferramentorum veterum

Li capitoli XXVIII, XLIV e XXV di detto libro III, nei quali vi sono alcune parole, dalle quali pare che si voglia inferire, che li ferravecchi siano in colpa di furti che succedono, moderandoli in questa parte, dichiariamo che dette parole non s'intendano poste per alcuno dei compresi in detta università, nè per li ferravecchi bottegari e matricolati, de' quali se vi fosse tal ombra, non si riceverebbero nè si riterrebbero nell'università; ma più tosto s'intendano dei zingari e vagabondi, che vanno per la città girando sotto nome di stracciaroli; e perchè in detti capitoli si parla confusamente de' ferravecchi e stracciaroli, pertanto si è fatta la presente dichiarazione, con porre ai ferravecchi il seguente capitolo:

« De' ferravecchi bottegari statuiamo ed ordiniamo, che chiunque voglia esercitare l'arte di ferravecchio, e vorrà tener bottega, debba prendere la patente dai signori consoli; altrimenti per ciascheduna volta cada in pena, come dispone il capitolo VIII nel libro I; e presa che avrà la patente, da nessuna delle altre arti gli si possa impedire il libero commercio d'esercitare la loro arte nel modo e forma che per il passato hanno praticato ed esercitato, e di presente praticano ed esercitano ».

De fabris clavium.

Cap. XXXIX, libro III, *delli chiavari*. Parlando il detto capitolo, che chi vorrà essere ammesso per maestro chiavaro, faccia i lavori di bottega agli esaminatori: dichiariamo e vogliamo che detti esaminatori debbano eleggersi dalla congregazione del Corpo di detta arte de' chiavari, ed a tale effetto li tredici di detta arte debbano far intimare la congregazione suddetta, e mandare a partito sei maestri per esaminatori: di quelli ne restino approvati tre, cioè quelli che avranno avuti più voti a favore: e l'offizio de' detti esaminatori duri un anno solamente, e la nomina di detti sei maestri la facciano i detti tredici di detta arte.

De fabris vagantibus.

Cap. IV [1]. Disponendosi in detto capitolo di quelli che vanno vendendo per Roma, ed ivi disponendosi che si facciano scrivere nel libro matricolare, e che paghino venticinque baiocchi: diciamo, che per non riuscir così comodo il poter rinvenire li suddetti se si mischiano con li nomi degli altri maestri che tengono bottega aperta, pertanto si debbano far scrivere in un libro a parte, quale sarà intitolato: *Libro di quelli che vanno vendendo per Roma;* e paghino per il bollettino venticinque baiocchi, di che dispone detto capitolo XL.

De fabris ferramentorum maenorum.

Cap. XLIX *dell'arte grossa*, nel quale si parla dell'esame da farsi da chi vorrà esercitar l'arte. Poichè non distingue chiaramente quale esame preciso debba farsi dallo staderaro, quale dal ferracocchio, e quale da chi esercita l'arte grossa, comprendendosi sotto questo nome d'arte grossa tutte le suddette tre arti, come si dice nel capitolo XLVIII del libro III; e volendo che queste tre arti siano sottoposte all'esame da chi le vorrà esercitare; ed a detto effetto moderando il cap. XLVIII, che è delli ferravecchi e staderari, in quella parte dove dice, benchè non siano di quell'arti soggette a far l'esame; diciamo e dichiariamo, che chi vorrà in avvenire esercitar l'arte grossa, oltre li pezzi de' lavori posti in detto capitolo XLIX, debba anche fare una mannara da candelottaro, e saldare un ferro grosso o altri ferri in arbitrio dell'esaminatore. Chi vorrà fare il ferracocchio, dovrà per suo esame fare una boccola da rota, fatta con regola e misura, una traversa di frollone con li calcagni, ed un maniglione di carrozza, o altri ferri che si usino, in arbitrio degli esaminatori. Chiunque vorrà fare lo staderaro,

1 Videtur legendum XL (R. T.).

per suo esame dovrà fare giusta e di buona qualità una stadera da mille libre, un'altra da mano con il fondo, una bilancia a mano, e racconciare e rimettere a sesto una stadera guasta che gli darà un esaminatore.

E ciascheduno de' sopraddetti, sì arte grossa, come ferracocchi e staderari, dovrà fare i lavori suddetti in presenza degli esaminatori. Proibendo a ciascheduno, che non sia stato patentato, il poter esercitare alcuna di dette arti come maestro in qualsivoglia bottega, sotto pena di scudi dieci per ciascheduna volta, da applicarsi a beneficio della chiesa di S. Eligio.

De fabris stannorum. Cap. LIII *de' stagnari*, il quale parla degli stagnari e loro esame. Perchè non si distingue in detto capitolo l'esame da farsi da chi esercita l'arte minuta solamente, e da chi esercita l'arte di grosso, o pure si di grosso come di minuto, non potendosi adattare a tutti l'istesso esame, pertanto, moderando detto capitolo, statuiamo ed approviamo il seguente:

« Statuiamo ed ordiniamo, che chi in avvenire vorrà fare l'arte di stagnaro, se con aprire nuova bottega, o lavorare fuori di bottega de' maestri appatentati, debba presentarsi avanti gli esaminatori, e dichiarare se intende lavorare solamente di minuto, o pure di minuto e di grosso; ed in caso voglia lavorare solo di minuto, debbano li esaminatori fargli lavorare in loro bottega un pezzo di lavoro di stagno, un altro di latta, ed uno di piastra d'ottone, di que' lavori che pareranno più a proposito ad arbitrio degli esaminatori; facendoli secondo l'uso dell'arte, debbano approvarli e fargli l'attestazione, ad effetto che possa conseguir la patente: se poi vorrà lavorare di grosso, non riuscendo così comodo fargli lavorare attualmente il lavoro, debbano gli esaminatori interrogarlo a voce sopra i lavori di dett'arte a loro arbitrio, come giudicheranno che sia necessario; e rispondendo a proposito, debba fargli l'attestazione come sopra; altrimente, chi contraverrà al presente capitolo, cada per ciascheduna volta nella pena, come si dice nel capitolo VIII del libro I; ed a tale effetto si debbano deputare tre esaminatori, l'offizio de' quali durerà un anno, e per deputarli debba il Tredici dell'arte de' stagnari nella congregazione da intimarsi a tal effetto del Corpo de' stagnari porre sei maestri dei più idonei, e quelli mandarli a partito, de' quali dovranno restarne tre solamente, cioè quelli che avranno avuto più voti, ed il Tredici non possa nominare e mandare a partito per esaminatori se non che que' maestri che lavorano tanto di grosso quanto di minuto ».

Essendosi per oblivione tralasciato di porre in detto statuto sì l'arte dell'archibugiero, come dei chiodaroli, pertanto poniamo ed approviamo alle dette arti li seguenti capitoli.

Cap. LV. *Degli archibugieri.* Essendo l'arte dell'archibugiero, che ricerca somma esattezza per ovviare alle disgrazie che possono succedere delli archibugi, terzaroli ed altre armi da fuoco inespertamente fatte per l'imperizia d'alcuni che si fanno chiamar maestri e non hanno cognizione della professione; pertanto statuiamo, che nessuno possa aprir bottega di essa arte, se prima non sarà stato approvato dagli esaminatori, quali gli dovranno far tirare una canna, con limarla e polirla giusta ed egualmente a tutto livello, fargli foggiare ed aggiustare un fucile, come anche di fare una cassa d'archibugio con guardamano di legno, che parimente sia accomodato all'uso di buon'arte, ed il tutto venga fatto nella bottega d'uno degli esaminatori; ed altri lavori ad arbitrio dei medemi esaminatori; ed il medemo esame dovrà anche fare ciaschedun maestro che venendo a Roma voglia aprir bottega, e non sia lecito a' mercanti lanciari, spadari e qualsivoglia altro, tenere a bottega loro a lavorare di robe spettanti a detta arte persone che non siano state approvate e patentate precedente detto esame; altrimente, chiunque contraverrà a detto capitolo, cada nella pena come nel capitolo VIII del libro I, e di più li consoli lo facciano desistere dall'esercizio di detta arte, anco con fargli serrare la bottega. De fabris sclopporum.

Cap. LVI. *Dei chiodaroli a fuoco.* Perchè li chiodaroli, altri lavorano a fuoco, ed altri De fabris clavorum.

sono lustri; perciò, chiunque vorrà esercitare l'arte di chiodarolo a fuoco, debba in presenza degli esaminatori fare una chiodaria di bollette da scarpe, un'altra da chiodi da mulo, e martello acciarato ad uso d'arte; altrimenti cada in pena per ciascheduna volta secondo il capitolo VIII del lib. I, e li consoli gli facciano serrare la bottega, caso che di fatto l'avessero aperta, nè gli possono dar licenza d'aprirla e ritenerla aperta, altrimenti cadano essi consoli anche in pena secondo il detto capitolo VIII; nè da detto esame siano esenti i figli de' maestri, purchè non venissero abilitati da tutto il Corpo di detta arte d'essi chiodaroli a fuoco. Inoltre partendosi qualche garzone da essi, che restasse debitore del padrone, chi lo prenderà a lavorare, fatta che gli sarà l'interpellazione dal maestro creditore, debba far l'obbligo a favore di detto maestro creditore di soddisfarlo, cioè per quel tempo che starà con esso, a ragione d'uno scudo il mese da dare a detto; e ricusando farlo, sia tenuto giudizialmente, e sia forzato dal giudice, ed inoltre cada in pena di scudi tre per ciascheduna volta, da applicarsi alla chiesa di S. Eligio, come si dice nel capitolo delle pene.

Perum de fabris clavorum.

Cap. LVII. *Dei chiodaroli lustri.* Tutti quelli che vogliono aprire bottega ed esercitar l'arte di chiodarolo lustro, doveranno prima esaminarsi dai maestri esaminatori, con fare dieci pezzi di lavoro da assegnarsegli ad arbitrio degli esaminatori, quali però non debbano assegnare lavori antiquati, che non si costumino più da qualche tempo; e facendoli secondo l'uso d'arte, ed essendo tali approvati da detti esaminatori, gli si spedisca la patente; altrimenti cadano in pena, come al capitolo VIII del libro I, ed i consoli gli facciano serrare la bottega, proibendo a detti maestri di lavorare roba nuova per venderla agli ebrei, o ritenerla, anzi proibendo a' detti ebrei il ritener roba nuova di detta arte, e trovandogliela, sia persa[1] e si venda, con applicare il valore a beneficio della chiesa di S. Eligio, con il premio anche all'accusatore di parte di detto prezzo, seguita che sarà la vendita; quale accusatore si dovrà tenere segreto.

1 Forsan *presa* (R. T.).

Capitolo del modo di vendere gli animali a partito. Perchè essendo parimente per oblivione tralasciato il capitolo del vendere gli animali, come si dice, a partito, e per un sacco d'ossa, o pure all'uso di Roma, ed essendo questo un capitolo utile non tanto alli sensali e manescalchi, quanto a benefizio del pubblico: pertanto approviamo il seguente capitolo: De venditione bestiarum.

« Statuiamo ed ordiniamo, che quando alcuno venderà qualche animale, cioè cavallino, asinino o mulino, e detto venditore si dichiari venderglielo tale quale è, e come si dice per un sacco d'ossa, in tal caso il compratore non possa in alcun modo restituire tale animale, nè rescindere il contratto, benchè detto animale fosse bolso, ciamorito, o avesse qualsivoglia altro difetto sì occulto come palese, se non constasse che dal venditore non gli avesse affermato o intimato con inganno quel difetto nascosto; che se poi il venditore venderà qualcheduno de' sopraddetti animali non per un sacco d'ossa, ma si spiegasse all'usanza di Roma, in tal caso, se detto animale dentro il termine di quaranta giorni dal giorno della vendita apparisse bolso, ciamorito, o altra infermità, sì palese come occulta, allora il compratore possa rescindere il contratto, o restituire detto animale al venditore, e farsi rendere il prezzo; passati poi detti quaranta giorni, non si possa rescindere più il contratto; se in detto tempo il compratore non l'averà restituito, o pure intimata la rescissione del contratto, o la restituzione della bestia dentro li quaranta giorni, proceda, e si debba intendere ogni qualvolta il compratore non ci abbia fatto viaggi lontani, da giudicarsi secondo la perizia de' manescalchi; possa anco il venditore provare contro il compratore querelante, passati li quaranta giorni, che non pativa tal difetto avanti la vendita ».

De reliquis fabris.

Statuiamo anche ed ordiniamo, che gli intaglialime, braghierari, ed altri de' quali non si sono posti i loro capitoli particolari, si intendono e sono compresi ed obbligati os-

servare tutti li capitoli generali dello statuto, ed anche che non possano esercitar l'arte, senza prima aver spedita semplicemente la patente dai consoli di essa università, altrimenti s'intendano incorsi in tutte le pene e secondo il capitolo VIII del libro I.

Confirmatio relatarum declarationum et additionum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, exponentes praedicti declarationes et additiones huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, declarationes et additiones praeinsertas a praedictis exponentibus factas, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque[1] inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, necnon Camerae nostrae apostolicae praesidentes, clericos, aliosve officiales et ministros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut ipsarum praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iunii MDCCII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 iunii 1702, pontif. anno II.

1 Edit. Main. legit *illique* (R. T.).

XXXVII.

Abrogantur discreti conventuales in provinciâ Flandro-Belgicâ fratrum Capuccinorum [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Ab Innocentio XII abrogati fuerunt discreti

§ 1. Nuper pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum

1 Abrogatio discretorum in pluribus aliis provinciis extat in Innocentii XII const. ed. MDCXCIII, die 29 maii, pontif. II; const. ed. MDCXCIII, die 11 septembris, pontif. III; et const. ed. MDCXCIV, die 5 aprilis, pontif. III: et in huius Pontificis const. ed. MDCCXIV, die 13 iulii, pontif. XIV, conceditur facultas restituendi discretos in dictâ provinciâ.

In provinciis utriusque Castellae, Baeticae et Navarrae.

regis catholici nobis expositum fuit, quod, cum aliàs ad tollenda damna et incommoda, quae fratres provinciarum regnorum utriusque Castellae, veteris scilicet et novae nuncupatae, Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, ex electione discretorum, qui a conventibus ad effectum sua suffragia in capitulis provincialibus ferendi eligi consueverant, in religiosae pacis et concordiae regularis disciplinae praeiudicium patiebantur, felicis recordationis Innocentius Papa XII, praedecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis die XXIX maii MDCXCIII expeditas litteras, discretos praedictos in dictis provinciis sustulerit et removerit, ac subinde inter alia remotionem et abolitionem discretorum huiusmodi, expeditasque desuper litteras praefatas ad provincias Baeticam et Navarrae eiusdem Ordinis per alias suas itidem in formâ Brevis litteras die XII septembris eiusdem anni desuper emanatas extenderit et ampliaverit; dilecti vero filii fratres provinciae Flandro-Belgicae supradicti Ordinis eadem damna et incommoda ex simili discretorum electione pati cogantur: tam ipsi, quam praedictus Philippus rex commune huius quoque provinciae bonum promovendi studio ductus, usum eligendi discretos praedictos in eâdem provinciâ similiter abrogari et apostolicae desuper auctoritatis nostrae partes interponi plurimum desiderant. Nobis propterea eiusdem Philippi regis nomine humiliter supplicatum fuit ut in praemissis opportune providere et ut in infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Abrogatio dictorum discretorum.

§ 2. Nos igitur, piis ipsius Philippi regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, attento voto venerabilis fratris nostri Nicolai episcopi Portuensis S.R.E. cardinalis Acciaioli nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, ad quem supplicem libellum nobis super praemissis porrectum remisimus, remotionem et abolitionem discretorum huiusmodi in dictâ provinciâ Flandro-Belgicâ, ad impediendas relaxationes et evitanda praeiudicia quae in regularem observantiam ex illorum electionibus irrepere solent, expedire, ac in religionis eiusque regiminis bonum cessuram esse censentes, discretos praedictos in eâdem provinciâ, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, tollimus pariter et removemus. Decernentes easdem, praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem ut earumdem

praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII augusti MDCCII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 augusti 1702, pontif. anno II.

XXXVIII.

Dismembrantur a provinciâ S. Petri de Alcantara regni Neapolis coenobium S. Luciae de Monte, et hospitium in oppido Portici, quae uniuntur provinciae eiusdem S. Petri regni Castellae pro fratribus Minoribus Discalceatis Hispaniae[1].

Clemens Papa XI
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Commissi nobis caelitus pastoralis officii ratio postulat, ut exorta inter religiosos viros animorum dissidia, ne fraternae charitatis compagem dissolvant, opportunis rationibus dirimere, ac ipsorum religiosorum statui et quieti, quantum nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

Dismembratio de qua in rubrica.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, inter dilectos filios fratres Neapolitanos et Hispanos provinciae S. Petri de Alcantara in regno Neapolitano fratrum Discalceatorum Hispaniae Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum plures controversiae exortae reperiantur, fierique nequeat ut dicti fratres habitatione et rerum communione coniuncti animis et contrariis studiis non dissideant, ac proinde expediat eos ab invicem segregari, ita scilicet ut conventus S. Luciae de Monte nuncupatus civitatis Neapolitanae dictae provinciae, et hospitium dicti S. Petri de Alcantara loci de Portici eiusdem provinciae Neapolitanae dioecesis, fratribus dumtaxat Hispanis, Neapolitanis exclusis, assignentur, alii vero conventus provinciae praedictae, qui octo de praesenti numerantur, fratribus Neapolitanis tantum remaneant: hinc est quod nos, pro paternâ pastoralique nostrâ sollicitudine agrum dominicum dictae provinciae ad bonam frugem et abundantiam pacis charitatisque reducere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberâtione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, conventum S. Luciae de Monte et hospitium S. Petri de Alcantara huiusmodi a dictâ provinciâ S. Petri de Alcantara in regno Neapolitano tenore praesentium perpetuo separamus et dismembramus, illaque sic separata et dismembrata provinciae eiusdem S. Petri de Alcantara regni Castellae fratrum Discalceatorum dicti Ordinis itidem perpetuo unimus, annectimus et incorporamus. Volentes et harum serie ordinantes ut in illis religiosi Hispani dumtaxat (qui deinceps ministro provinciali secundodictae provinciae pro tempore existenti subiecti sint, ac missionibus, ad spiritualem instructionem militum Hispanorum in civitate et regno Neapolitano praedictis degentium, ac praesidiorum, arcium, seu portuum Tusciae a dicto regno Neapolitano dependentium, operam dare, illisque verbum Dei praedicare, et sacramentales eorum confessiones audire

1 Per huius Pontificis const. ed. MDCC, die 22 decembris, pontif. I, restituta fuere quatuor coenobia provinciae Argentinensi Recollectorum; et in const. ed. MDCCXII, die 23 septembris, pontif. XII, revocatur praesens constitutio.

teneantur) habitent et collocentur; alii vero octo conventus praedictis religiosis Neapolitanis et Italis tantum remaneant, ac primodicta provincia octo conventibus huiusmodi constans in futurum ministro generali seu commissario generali Italiae Ordinis praedicti pro tempore pariter existenti subiaceat, ac[1], modo et formâ a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ praescribendis, gubernetur.

Clausulae. § 2. Ac decernentes, ipsas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati vel auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, adductae aut verificatae et iustificatae fuerint, seu quavis aliâ, etiam quantumlibet iuridicâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis formali et substantiali individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quolibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis, provinciarum, conventuum et hospitii, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam dicto Ordini, eiusque superioribus, et quibusvis aliis personis et locis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, et decretis irritantibus, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confermatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes,

1 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).

mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV septembris MDCCII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 septembris 1702, pontif. anno II.

XXXIX.

Confirmatur constitutio Innocentii XII de uniformitate tam in habitu quam in ceteris cum universo Ordine pro canonicis Praemonstratensibus Congregationis Hispaniae [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Summa constitutionis Innocentii XII.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Innocentius PP. XII praedecessor noster, supplicationibus tunc existentium canonicorum regularium Congregationis Hispaniae Ordinis Praemonstratensis (qui habitu regulari ab eo qui per regulam dicti Ordinis praescribitur et ab aliis canonicis regularibus eiusdem Ordinis gestatur diverso utebantur, ac primaevum habitum regularem in limine fundationis Ordinis huiusmodi praescriptum reassumere, eoque in futurum uti, necnon officia Sanctorum eiusdem Ordinis recitare posse cupiebant) sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ut de cetero dicti canonici regulares Congregationis Hispaniae cum universo Ordine Praemonstratensi praedicto tam habitu quam in ceteris uniformes essent et esse deberent, auctoritate apostolicâ statuit et ordinavit per quasdam suas desuper in simili furma Brevis expeditas litteras tenoris sequentis, videlicet:

INNOCENTIUS PP. XII. *Ad futuram rei memoriam.* Exponi nobis (*reliqua omittuntur*).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI decembris MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Confirmatio praedictae constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, oppositum fuerit in praeinsertis Innocentii praedecessoris litteris nonnullis constitutionibus dictae Congregationis Hispaniae ac quibusdam recolendae memoriae Urbani PP. VIII, praedecessoris pariter nostri, die XIX augusti MDCXLI, aliisque diversis litteris apostolicis in eâdem formâ Brevis emanatis, uniformitati, sicut praemittitur, statutae et ordinatae adversantibus, minime derogatum, ipsasque litteras praeinsertas a personâ legitime ad id facultatem seu auctoritatem non habente impetratas fuisse, haeque et aliae forsan difficultates illarum executionem hactenus impediverint; nunc vero res ita compositae reperiantur, ut, si constitutionibus et litteris apostolicis praedictis a nobis derogetur, memorata[1] dictorum canonicorum regularium Congregationis Hispaniae cum universo Ordine Praemonstratensi uniformitas eidem Congregationi plurimum profutura[2] obtineri et stabiliri valeat: hinc est quod nos, firmiori praeinsertarum Innocentii praedecessoris litterarum robori et efficaciae, quantum cum Domino possumus, con-

1 Laudata constitutio ed. fuit MDCXCVIII, die 6 decembris, pontif. VIII, et in huius Pontificis const. ed. MDCCIII, die 8 febbruarii, pontif. III, idem denuo statuitur.

1 Edit. Main. legit *memoratam* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *profuturam* (R. T.).

sulere volentes, et praedictarum constitutionum, et Urbani praedecessoris aliarumque litterarum apostolicarum praedictarum tenores et datas, etiam veriores, aliaque quaelibet, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis et specificatis habentes, de venerabilium fratrum nostrorum dictae S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, ac motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertas Innocentii praedecessoris litteras, ac omnia et singula in eis contenta, tenore praesentium approbamus et confirmamus, ac easdem litteras valere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, decernimus et declaramus, in omnibus et per omnia, perinde ac si illae a personâ legitimam et sufficientem ad hoc facultatem et auctoritatem habente impetratae fuissent, ac constitutionibus, et Urbani praedecessoris aliisque litteris apostolicis praedictis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque, specifice et expresse, totoque litterarum huiusmodi tenore inserto in praeinsertis Innocentii praedecessoris litteris, derogatum extitisset; ac proinde a dictis canonicis regularibus Congregationis Hispaniae praedictam uniformitatem cum universo Ordine Praemonstratensi praedicto, tam in habitu quam in breviario, ceterisque, suscipi et servari debere, harum serie statuimus pariter et ordinamus.

Clausulae. § 3. Decernentes similiter, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod in praemissis seu eorum aliquo interesse quovis modo habentes seu habere praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, illis non consenserint, nec ad ea citati, vocati et auditi, nec causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, specificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ qualibet quamtumvis iustâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam formali et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili, individuamque mentionem requirente defectu notari, invalidari, infringi, retractari, seu in controversiam revocari, aut ad viam seu ad terminos iuris reduci, sive adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S.R.E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si

secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus Urbani praedecessoris, et aliis litteris praefatis, ceterisque praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Congregationis Hispaniae et Ordinis praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI novembris MDCCII, pontificatus nostri, anno II.

Dat. die 6 novembris 1702, pontif. anno II.

XL.

Declaratur servandam esse constitutionem Innocentii X de translatione festi S. Francisci Xaverii Societatis Iesu, unâ cum indulgentiâ [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Enarrantur variae mutationes circa diem praedicti festi et indulgentiae.

Cum sanctae memoriae Gregorius XV, in litteris in formâ Brevis die VIII iunii MDCXXII, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus, confessis et sacrâ communione refectis, qui ecclesias Societatis Iesu, vel earum aliquam, in festo S. Francisci Xaverii, tunc die II decembris celebrari solito, a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino et in perpetuum concesserit; et sanctae memoriae Urbanus VIII, in suis pariter litteris XXII decembris MDCXXXVIII, praefatum festum, quandocumque in dominicam primam Adventus inciderit, in

1 Alia indulgentia extat in Innocentii XII const. editâ MDCC, die 6 martii, pontif. IX; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVI, die 23 septembris, pontif. III.

unum ex diebus infra octavam dicti festi cum eâdem indulgentiâ transtulerit; deinde sanctae memoriae Innocentius X, in suis item litteris XXVII octobris MDCLI, in dicto casu incidentiae festi in dominicam primam Adventus, celebrationem eiusdem festi in feriam secundam immediate sequentem, cum indulgentiâ, futuris etiam perpetuis temporibus transferri mandaverit; cumque demum sanctae memoriae Alexander VII, in suis pariter litteris XVIII iulii MDCLXII, festum praedictum S. Francisci Xaverii, die II decembris tunc, ut supra, celebrari consuetum, in diem tertiam eiusdem mensis, etiam cum indulgentiâ, perpetuo celebrandum transtulerit, nullâ mentione factâ casus incidentiae superius enunciatae: excitatum fuit dubium, an adhuc vigeat pro dictâ indulgentiâ sanctio Innocentii X, vel standum sit postremo decreto Alexandri VII: ex quo dubio, cum aliqua ritus difformitas oriri possit, procurator generalis eiusdem Societatis, ad ritus uniformitatem in Societate universâ servandam, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, supplex orat, ut, tam anno currenti MDCCII, quam futuris quoque temporibus in perpetuum, declarare et decernere dignetur, servandum esse sanctae memoriae Innocentii X, non obstante Brevi sanctae memoriae Alexandri VII, ita ut quandocumque festum S. Francisci Xaverii, quod hodie die III decembris celebratur, in dominicam primam Adventus inciderit, in feriam secundam immediate sequentem, et sic in diem quartam[1], cum indulgentiâ plenariâ transferatur. Quam Deus, etc. Sanctissimo D. N. D. Clementi Papae XI pro procuratore generali Societatis Iesu. Die XXIV novembris MDCCII.

Declarat ut in rubricâ.

Sanctissimus declaravit servandum esse Breve sanctae memoriae Innocentii X, non obstante Brevi sanctae memoriae Alexandri VII.

Dat. die 24 novembris 1702, pontif. anno III.

1 Nempe *mensis decembris* (R. T.).

XLI.

Confirmatur decretum cardinalis protectoris de facultate erigendi confraternitates S. Mariae de Carmelo et distribuendi scapularia pro solis fratribus Ordinis Carmelitarum [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

In Peruvia distribuebantur scapularia a non habentibus facultatem.

§ 1. Aliàs, pro parte dilecti filii moderni procuratoris generalis Congregationis Hispaniae fratrum Excalceatorum nuncupatorum Ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium propositae exposito, quod non ita pridem nonnulli dictae Congregationis Hispaniae fratres in Peruviam conventum Congregationis huiusmodi ibi fundaturi profecti essent, scapularia eiusdem beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo christifidelibus illarum partium, absque legitimâ ad id facultates eu auctoritate, distributa fuisse et adhuc distribui compererant[2]; et (cum necessarium esset ut illa recipientes, ad consequendas indulgentias et gratias spirituales ea gestantibus et quaedam praescripta opera pia peragentibus a Sede Apostolicâ concessas, alicui ex confraternitatibus scapularis huiusmodi adscriberentur, haecque adscriptio non-

1 De eâdem facultate vide Clementis X constit. edit. MDCLXXIII, die 8 maii, pontif. III; et in huius Pontificis const. ed. MDCCXIII, die 10 aprilis, pontif. XIII, agitur de quadam indulgentiâ confratribus concessâ.

2 Edit. Main. legit *compereant* (R. T.).

nisi a prioribus conventuum fratrum Carmelitarum, sive Calceatorum sive Excalceatorum, aut ab eis, qui facultatem a superioribus generalibus, vel provincialibus, si ad id delegatam haberent, fieri valeret, in dictis vero partibus nullus reperiretur nec unquam fuisset fundatus conventus praedictorum fratrum Calceatorum, neque dicti fratres Excalceati ullam facultatem huiusmodi cuiquam delegassent) praesumendum erat, dicta scapularia forsan ab aliquo sub figmento attributae sibi facultatis turpis lucri gratiâ distributa et minime benedicta fuisse; et in eâdem expositione subiuncto, quod per huiusmodi distributionis abusum pietas dictorum christifidelium eludebatur, ac facultati dictis fratribus Carmelitis specialiter competenti adscribendi ipsos christifideles confraternitatibus praefatis eisque dicta scapularia distribuendi praeiudicabatur; ideoque, pro parte dicti procuratoris generalis, etiam supradictae Congregationis Hispaniae nomine, praefatae Congregationi cardinalium supplicato, ut, quo abusui et ex eo emergentibus inconvenientibus huiusmodi occurreretur, declarare dignaretur, indulgentias et gratias spirituales praefatas illis tantum suffragari, qui a dictis prioribus, aut ab aliis, quibus necessaria et opportuna ad id facultas a memoratis superioribus generalibus et provincialibus attributa esset, praedicta scapularia ab illis benedicta recepissent, et in posterum recepturi essent: eadem Congregatio cardinalium per suum decretum die XII augusti anni proxime praeteriti emanatum, attentâ relatione dilecti filii nostri Iosephi dictae S. R. E. cardinalis Sacripantis nuncupati, Ordinis praefati apud nos et dictam Sedem protectoris, sibi super praemissis factâ, eidem Iosepho cardinali et protectori benigne commisit, ut, veris existentibus narratis, circa dicti procuratoris generalis preces id statueret, quod pro suo arbitrio et prudentiâ expedire censuisset. Unde ipse Iosephus cardinalis et protector decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum cardinalis protectoris.

Iosephus tituli S. Mariae Transpontinae presbyter cardinalis Sacripantes, totius Ordinis Carmelitarum apud Sanctam Sedem protector. Inhaerentes arbitrio per sacram Congregationem S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam nobis, ut praefertur, benigne impertito, censemus, esse indulgendum seu declarandum, prout, tenore praesentis, auctoritate nobis ut supra delegatâ iniungimus et declaramus, confraternitates nuncupatas S. Mariae Montis Carmeli instituendas seu erigendas esse a superioribus generalibus Ordinis Carmelitarum tam Calceatorum quam Excalceatorum; ab aliis autem quam a praedictis institutas seu erectas non fuisse nec esse seu fore legitimas, neque in illis acquiri indulgentias seu gratias spirituales huiusmodi confraternitatibus concessas; admissos insuper ad aliquam canonice erectam confraternitatem huiusmodi, teneri primâ vice recipere habitum seu scapulare benedictum a superioribus religionis, vel ab alio sacerdote cui dicta benedicendi facultas fuerit attributa, ac per huiusmodi admissionem cum aliquibus piis operibus indulgentias a summis Pontificibus concessas acquiri; aliter autem admissos seu admittendos, seu scapularia aliàs quam ut supra dicitur pro primâ vice benedicta seu distributa ac benedicenda seu distribuenda recipientes seu recepturos, indulgentiarum et gratiarum spiritualium non fuisse nec esse seu fore participes: salvâ tamen semper auctoritate apostolicâ circa erectiones et indulta indulgentiarum et gratiarum spiritualium, si quae fuerint a Sanctâ Sede facta et concessa, seu in posterum fient et respective concedentur. Datum in Datariâ Apostolicâ ex aedibus nostrae habitationis, hac die VIII septembris MDCCI. — IOSEPH card. SACRIPANTES protector. *Loco † sigilli.*

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus procurator generalis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum a memorato Iosepho cardinali et protectore editum, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV novembris MDCCII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 24 novembris anno 1702, pontif. III.

XLII.

Declaratur Congregationem eremitarum Discalceatorum Ordinis S. Augustini comprehendi sub prohibitione, ne duo consanguinei vel affines in primo et secundo gradu in capitulis suffragentur [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Data prohibitio statuta fuit a priore gene-

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Clemens a S. Bernardino, prior

1 Haec prohibitio confirmata fuit a Clemente VIII constit. edit. MDXCVI, die 28 februarii, pontif. IV, et deinde extensa ad Discalceatos

rali Ordinis anno MDXCVI die XVI februarii, et confirmata a Clemente VIII, die XXVIII.

conventus Iesu et Mariae de Urbe, Congregationis fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum, quod dudum, nempe die XVI februarii MDXCVI, quoddam decretum a quondam Andrea Fivizzano, dum vixit, priore generali dicti Ordinis, inter alia emanavit, et subinde die XXVIII eiusdem mensis a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro per quasdam eius in simili formâ Brevis litteras, quarum initium *Universalis Ecclesiae*, etc., confirmatum fuit, quo prohibetur expresse, ne duo fratres Ordinis praedicti in primo vel secundo gradu consanguinei vel affines in eiusdem capitulis aut congregationibus capitularibus ullatenus simul conveniant et votare possint, et aliàs, prout in decreto et Clementis praedecessoris litteris praedictis uberius dicitur contineri.

Declarat ut in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, saepius dubitatum fuerit, an dictum decretum Congregationem praedictam, quae tunc temporis initium habebat, et postmodum a recolendae memoriae Urbano VIII et Clemente X Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris membrum dicti Ordinis declarata fuit, et nunc in Italiâ et Germaniâ propagata reperitur, sub prohibitionis huiusmodi generalitate complecteretur, nec istius dubii resolutio ab hac Sanctâ Sede hactenus petita fuerit, licet illa, sive pro liberandis ab anxietate religiosorum conscientiis, sive pro tollendis abusibus facile irrepentibus, necessaria sit; eaedem vero causae, propter quas prohibitio praedicta in dicto Ordine edita fuit, concurrere videantur, ut illa ad dictam Congregationem extendantur; ac proinde idem Clemens exponens, pro suo, quo, ut apostolicae et praedicti Ordinis constitutiones, sublatis dubiis, accurate observentur, zelo ducitur, ad conscientiarum quietem dictaeque Congregationis bonum de opportunâ in praemissis declaratione a nobis provideri summopere desideret: nos, piis ipsius Clementis exponentis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum etiam filium modernum procuratorem generalem dicti Ordinis super praemissis audiverunt, consilio, supradictam Congregationem sub prohibitione praedictâ in futurum comprehendi debere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici audito-

Congregationis Hispaniae et Indiarum ab Innocentio XI const. edit. MDCLXXX, die 14 septembris; at Innocentius XIII per const. ed. MDCCXXIII, die 20 septembris, pontif. III, moderatur praesentem constitutionem.

res, indicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis fratrum Discalceatorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV novembris MDCCII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 24 novembris 1702, pontif. anno III.

XLIII.

Confirmatur constitutio Innocentii XII de primatu pro provinciâ S. Didaci Novae Hispaniae Minorum de Observantiâ Discalceatorum contra eremitas S. Augustini provinciae Nominis Iesu[1].

1 Laudata constitutio edita fuit anno MDCC, die 3 aprilis, pontif. IX; et in huius Pontificis const. edit. MDCCV, die 12 decembris, pontif. VI, agitur de facultate renunciandi hûic primatui.

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Litterae Innocentii PP. XII confirmantes decretum editum a sacra Rituum Congregatione, quo decernitur fratres Minores Discalceatos de Observantia provinciae S. Didaci Novae Hispaniae praecedere debere fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini provinciae SS. Nominis Iesu.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Innocentio PP. XII praedecessore nostro emanarunt ad favorem dilectorum filiorum fratrum provinciae S. Didaci Novae Hispaniae in Indiis Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet: *Innocentius PP. XII ad futuram rei memoriam*. Emanavit nuper, etc., (*reliqua vide in praecedente tomo*).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDCC, pontificatus nostri anno IX ».

Confirmatio praedictae constitutionis Innocentii XII cum deputatione executorum.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Paulus Lopez, frater expresse professus ac definitor et procurator generalis provinciae et Ordinis praedictorum, nobis nuper exponi fecit, praedicti archiepiscopus Mexicanus et antiquior canonicus metropolitanae ecclesiae Mexicanae, quibus dictus Innocentius praedecessor executionem praeinsertarum suarum litterarum demandaverat, easdem litteras executioni demandare neglexerint seu renuerint, ac interea fratres secundodicti Ordinis apud nos recursum habuerint ut causam huiusmodi cum dubiorum distinctione iterum ad eamdem Congregationem cardinalium examinandam remitteremus; nos vero recursum huiusmodi per quoddam rescriptum die XV octobris proxime praeteriti iussu nostro emanatum reiecerimus, ac religiosos praedictos eisdem praeinsertis litteris omnino parere mandaverimus; ac proinde idem Paulus definitor et procurator generalis, illas apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, necnon debitae executioni demandari, plurimum desiderent: nos, ipsum Paulum definito-

rem et procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Innocentii praedecessoris litteras, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac earumdem praeinsertarum litterarum executionem dilectis etiam filiis inquisitoribus contra haereticam pravitatem in civitate Mexicanâ auctoritate praefatâ deputatis, cum facultatibus et auctoritatibus ac aliàs modo et formâ in praeinsertis litteris huiusmodi contentis et expressis, dictâ auctoritate, harum serie, committimus et demandamus.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes et praeinsertas litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Innocentii praedecessoris litteris concessa sunt non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV novembris MDCCII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 24 novembris 1702, pontif. anno III.

XLIV.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de lecturis et lectoribus fratrum Praedicatorum Congregationis Observantiae S. Marci de Cavotis [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Causae insequentis decreti. § 1. Aliàs, pro parte dilectorum filiorum procuratoris et fratrum conventus S. Mariae Gratiarum nuncupati, terrae seu loci S. Marci de Cavotis etiam nuncupati, Congregationis Observantiae eiusdem S. Marci de Cavotis in regno Neapolitano Ordinis Praedicatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, cum dicta Congregatio S. Marci in simplicitate cor-

1 Innocentii XII const. edit. MDCXCVI, die 23 iunii, pontif. VI, est de examine pro lecturis, et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVI, die 8 februarii. pontif. II, agitur de receptione religiosorum ad Congregationem S. Marci.

dis et humilitate spiritus instituta fuisset, fratres eiusdem Congregationis ab ipso illius primordio omnibus gradibus baccalaureatus, praedicaturae generalis et magisterii renunciaverant, et in suscepto proposito huiusmodi, praedicatorum et lectorum titulis dumtaxat contenti, a centum circiter annis perseveraverant; adeoque ipsi Congregationi denominatio *strictioris observantiae* a magistris generalibus dicti Ordinis pro tempore existentibus attributa, et, attento quod praedicatores et lectores actuales nullo privilegio nullâque specificâ exemptione potiebantur, et ceteris tam in victu quam in vestitu conformabantur, specialia privilegia a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa fuerant; et in eâdem expositione subiuncto quod plures patres provinciae dicti regni Neapolitani Ordinis praedicti ad conventus studiorum eiusdem Congregationis, ut in illis lecturas exercerent, cursumque suum absolverent, et sic gradus scholasticos ab eis ad solitas eorum exemptiones obtinendas magnopere desideratos consequerentur, venire multis modis instantes procuraverant et adhuc procurabant; illorum vero in dictis conventibus commoratio, cum obsequium sibi exhiberi vellent,[1] victu et vestitu communi contenti essent, magnum observantiae regulari detrimentum allatura erat; ac proinde praedictae cardinalium Congregationi supplicato ut dictae observantiae regularis conservationi in hac parte consulere dignaretur: emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum refertur.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, audito patre procuratore generali Ordinis, et attentis narratis, censuit ac declaravit, lecturas, de quibus agitur, non suffragari pro gradibus, et lectores uti debere vestitu et victu, sicuti ceteri religiosi. Romae, XVI decembris MDCCI.— G. card. CARPINEUS. *Loco † sigilli.* I. D. GRIMALDUS.

Confirmatur.

§ 2. Cum autem, sicut dicti prior et fratres nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam,

1 Videtur deesse particula *nec* (R. T.).

quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et Congregationis S. Marci huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II decembris MDCCII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 2 decembris 1702, pontif. anno III.

XLV.

Statuitur ut canonici regulares Congregationis Hispaniae Ordinis Praemonstratensis reassumant habitum, breviarium et missale dicti Ordinis [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Commissa nobis divinitus dispensationis ratio exigit, ut sanctarum religionum statum in suâ integritate et puritate conservare, et primaeva illarum instituta, sicuti [2] exciderint, ad pristinam observantiam, adiuvante Domino, reducere satagamus.

1 Idem praeceptum fuit const. edit. MDCCII, die 6 novembris, sed postea per constit. edit. MDCCV, die 30 maii, pontif. V, aliter disponitur.

2 Forsan *sicubi* (R. T.).

Diu erat, quod dicti canonici assumerant habitum monasticum et romanum breviarum.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dudum, nempe tempore pontificatus felicis recordationis Gregorii Papae XIII praedecessoris nostri, in occasione reformationis in Congregatione Hispaniae canonicorum regularium Ordinis Praemonstratensis tunc introductae, canonici regulares dictae Congregationis tunc existentes habitum monasticum ac usum breviarii romani assumpserint, dilectique filii moderni canonici regulares eiusdem Congregationis, dispositioni tercentesimi trigesimi quarti aliorumque capitulorum, constitutionum dictae Congregationis, et quarumdam recolendae memoriae Urbani Papae VIII praedecessoris pariter nostri die XIX augusti MDCLI, ac tam dicti Gregorii praedecessoris quam piae memoriae Pii Papae V etiam praedecessoris nostri litterarum in simili formâ Brevis emanatarum inhaerentes, habitum et breviarium huiusmodi adhuc retineant; quo vero intentioni sancti Norberti dicti Ordinis canonicorum regularium institutoris conformentur, [1] congruum sit, ut, relicto dicto habitu monastico, primaevum habitum regularem, qui ab aliis canonicis regularibus eiusdem Ordinis communiter gestatur, resumant, ac, relicto pariter dicto breviario romano, divina officia iuxta breviarium et missale eiusdem Ordinis recitent: hinc est quod nos, dictam Congregationem ad primaeva sua instituta in hac parte reduci cupientes, ac constitutionum, necnon Pii, Gregorii et Urbani praedecessorum litterarum praedictarum tenores et datas, etiam veriores, aliave quaelibet, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis et specificatis habentes, de venerabilium fratrum nostrorum

Statuit ut in rubricâ.

1 Coniunct. *et* delemus (R. T.).

S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, ac motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut de cetero dicti canonici regulares, relicto habitu monastico et breviario romano, habitum regularem, qui ab aliis canonicis regularibus dicti Ordinis communiter gestatur, reassumere, et divina officia iuxta breviarium et missale eiusdem Ordinis recitare omnino debeant et teneantur, tenore praesentium statuimus et ordinamus.

Clausulae. § 2. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod in praemissis seu eorum aliquo interesse quovis modo habentes seu habere praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, nec causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, specificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ qualibet quantumvis iustâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam formali et substantiali ac incogitato et inexcogitabili individuamque mentionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, seu in controversiam revocari, aut ad viam seu ad terminos iuris reduci, sive adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosque quolibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Committitur praesentium executio. § 3. Quocirca venerabili fratri Francisco archiepiscopo Larissensi, nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, per praesentes motu pari committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes litteras et in in eis contenta quaecumque solemniter publicans, faciat auctoritate nostrâ praemissa omnia et singula debitae et omnimodae executioni, quamprimum commode fieri poterit, demandari, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari; inobedientes quoslibet, et praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione, reclamatione et recursu postpostis, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus memoratis Pii,

Gregorii et Urbani praedecessorum litteris, ceterisque praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, necnon similis memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Congregationis Hispaniae et Ordinis praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio[1] habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII februarii MDCCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 8 februarii 1703, pontif. anno III.

1 Edit. Main. legit *expressa* pro *expressio* (R. T.).

XLVI.

Damnantur et prohibentur folia impressa sub titulo: Lettre de monsieur ***, chanoine de B., à monsieur T. D. A. Cas de conscience, etc. [1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum nuper in lucem prodierint quaedam follia gallico idiomate edita sub titulo *Lettre de M. *** chanoine de B. à monsieur F. D. A., etc. Cas de conscience proposé par un confesseur de province touchant un ecclesiastique qui est sous sa conduite, et résolu par plusieurs de la faculté de théologie de Paris*; quamplures autem ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, quos ad examen dictorum foliorum specialiter delegimus, auditâ ac diligenter perpensâ foliorum huiusmodi censurâ, quae coram nobis relata fuit, folia ipsa damnanda et prohibenda esse censuerint: Titulus foliorum.

1 Ab Innocentio XII const. ed. MDCXCIX, die 12 martii, pontif. VIII, damnatus fuit liber *Maximes des Saints*; et in huius Pontificis const. ed. MDCCIV, die 28 ianuarii, pontif. IV, damnatur libellus *Tradition sur la prédestination, etc.*

Prohibitio.

§ 2. Hinc est quod nos, pro commissâ nobis ab aeterno Patre gregis sui curâ, dominicas oves, quantum nobis ex alto conceditur, a noxiis praeservare cupientes, de memoratorum cardinalium consilio, folia praedicta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, damnamus et reprobamus, ac legi et retineri prohibemus, illorumque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contra facientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, omnino interdicimus. Volentes et auctoritate praedictâ mandantes, ut quicumque eadem folia penes se habuerint, illa, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis Inquisitoribus tradere atque consignare teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Harum publicatio.

§ 3. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius perveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, et eâdem auctoritate decernimus, ut illae ad valvas basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae apostolicae, necnon Curiae generalis in Monte Citatorio, et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarum exempla ibidem affixa relinquantur, et sic publicatae omnes et singulos, quos concernunt, perinde affiiciant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent;

Fides transumptorum.

§ 4. Utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII februarii MDCCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 februarii 1703, pontif. anno III.

XLVII.

Confirmatur separatio duodecim coenobiorum a provinciâ Germaniae, et unio eorumdem provinciae Hungariae fratrum Praedicatorum [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Praedicta divisio, olim ab Alexandro VIII vetita, facta fuit a magistro generali, et, reiectis reclamantium precibus, etiam approbata a Congregatione episcoporum et regularium.

§ 1. Aliàs pro parte dilectorum filiorum prioris provincialis et fratrum provinciae Germaniae Ordinis Praedicatorum nobis exposito, quod, licet per quasdam felicis recordationis Alexandri PP. VII praedecessoris nostri litteras, ad instantiam dictae provinciae die IX iunii MDCLXVI emanatas, ipsius provinciae divisio sub censuris ecclesiasticis prohibita reperiretur, nihilominus dilectus etiam filius Antoninus Cloche, magister generalis dicti Ordinis, eamdem provinciam, ipsis exponentibus insciis, diviserat, duodecim videlicet illius conventus in Austria, Tyroli et Styria consistentes ab eâ separaverat, illosque provinciae Hungariae Ordinis praedicti incorporaverat, priore provinciali, ut asserebant, minus canonice, et contra electionis per constitutiones eiusdem Ordinis praece-

1 Ab Alexandro VII prohibita fuit divisio provinciae in constit. ed. MDCLXVI, die 9 iunii; in Innocentii XII const. ed. MDCXCV, die 14 iunii, pontif. IV, erectae fuere duae provinciae in congregationes; et in Benedicti XIII const. editâ MDCCXXIV, die 15 iulii, pontif. I, poenitentiarii S. Mariae Maioris de Urbe subiiciuntur priori S. Mariae super Minervam.

ptae libertatem, praefecto, ac ordinariâ prioris provincialis primodictae provinciae in dictos conventus potestate suspensâ; ac propterea dicti exponentes denegatam a dicto Antonino magistro generali licentiam, ut duo fratres dictae eorum provinciae ad illius causam huiusmodi coram ipso Antonino magistro generali vel coram Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium propositâ dicendam et tractandam ad hanc almam Urbem nostram venire possent, a nobis concedi summopere desiderabant: nos, supplicem libellum eorum nomine nobis eâ super re porrectum, ad dictam Congregationem cardinalium remisimus. Ipsa vero cardinalium Congregatio, audito desuper dilecto pariter filio moderno procuratore generali dicti Ordinis, censuit separationem praefatam, reiectis dictorum exponentium precibus, a nobis approbari posse.

Confirmatur a Pontifice.

§ 2. Quare nos dicti Antonini magistri generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum cardinalium consilio, separationem dictorum conventuum a praedictâ provinciâ Germaniae, ab ipso Antonino magistro generali factam, ut praefertur, auctoritate apostolicâ approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI martii MDCCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 21 martii 1703, pontif. anno III.

XLVIII.

Revocantur conventualitates perpetuae a prioribus generalibus Ordinis S. Ioannis Dei concessae[1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Tres species conventualitatum, et rationes eas revocandi.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius modernus prior sive superior generalis Ordinis fratrum sancti Ioannis Dei nobis exponi fecit, nonnulli fratres dicti Ordinis conventualitates perpetuas in particularibus eiusdem Ordinis conventibus consecuti fuerint, quorum undecim ab huius Sanctae Sedis nunciis, duo a Congregatione infrascriptorum cardinalium, et reliquae octo a diversis prioribus sive superioribus generalibus dicti Ordinis illas obtinuerunt; conventualitates vero huiusmodi in ministerii[1] hospitalibus praestandi praeiudicium vergant, et voto obedientiae, cuius suave iugum dicti fratres portare detrectant, directe adversentur; ideoque definitorium generale Ordinis praedicti ordinaverit ut[2] nobis preces pro obtinendâ dictarum conventualitatum abolitione et revocatione porrigerentur; nobis propterea dictus prior et superior generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Revocatio conventualitatum a prioribus dumtaxat concessarum.

§ 2. Nos igitur, ipsius prioris sive superioris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, praedictas conventualitates perpetuas a memoratis prioribus sive superioribus generalibus dumtaxat concessas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, revocamus et abolemus. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et conventuum praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat,

1 In Innocentii XII const. ed. MDCXCIII, die 20 maii, pontif. II, donati fuere dicti fratres exemptione a processionibus; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVII, die 10 ianuarii, pontif. III, abolentur eorum privilegia personalia.

2 Edit. Main. legit *ministeriis* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x maii MDCCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 maii 1703, pontif. anno III.

XLIX.

Confirmantur quaedam statuta Congregationis Reformatae Ordinis S. Antonii Viennae[1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiae regimini per abundantiam divinae bonitatis, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praepositi, illa, quae pro felici prosperoque religiosorum Ordinum in Ecclesiâ Dei pie sancteque institutorum, ac uberes bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio, proferre iugiter satagentium, gubernio et progressu provide sapienterque constituta et ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis praesidio libenter constabilimus.

Causae insequentium statutorum capituli generalis mensis septembris anno MDCCII.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Lovat, procurator generalis Ordinis sancti Antonii Viennensis sub regulâ sancti Augustini canonicorum regularium, tam suo quam etiam dilectorum filiorum Ioannis Danghor abbatis superioris generalis et definitorum dicti Ordinis nominibus, quod capitulum generale eiusdem Ordinis, quod novissime, videlicet mense septembri proxime praeterito, apud illius monasterium abbatiale celebratum fuit, enixe desiderans occurrere malis, quae Congregatio reformata Ordinis huiusmodi perpessa est, pro felici dictae Congregationis regimine et directione ac germano eiusdem statutorum sensu, ut inde omnis in posterum controversiae materies abscinderetur, sanctiusque Altissimo obsequium in câ exhiberetur, edidit nonnulla decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

Statuta.

Cum constitutionum Congregationis nostrae reformatae, circa iurisdictionem capituli generalis, abbatialem potestatem et facultates definitorii, expositiones variae multis iam ab annis dissidii seminarium fuerint: ut quaestiones in posterum omnes et controversiae materies penitus abscindantur[1], possitque debitum Deo obsequium nostro in Ordine concordibus animis sanctius exhiberi, capitulum generale, pro supremâ et omnimodâ qua pollet auctoritate, hac suâ et semper observandâ sanctione super praedictis statuit, pronuntiat et definit, ut sequitur:

De firmitate decretorum capituli generalis.

I. Cum Ordinis nostri omnimoda et suprema iurisdictio sit penes capitulum generale; si illius decreta reverendissimus abbas, dato publico rescripto, damnare palam et rescindere, atque eadem etiam exequenda esse auctoritate propriâ demandare praesumpserit, nec destiterit reverenter admonitus, Ordinemque hac de causâ conturbaverit, recessus ab institutis Congregationis nostrae reformatae reus ipso facto censeatur, et a capitulo generali vel proxime futuro, vel confestim, si rei pravitas[2] et necessitas Ordinis id postulent, per definitores, contradicente[3] etiam reverendissimo abbate,

1 Ab Innocentio XI constit. ed. MDCLXXVIII, die 25 februarii, pontif. II, concessa fuit indulgentia in festis S. Antonii, Augustini, Monicae.

1 Edit. Main. legit *abscindatur* (R. T.).
2 Forsan *gravitas* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *contradicentes* (R. T.).

extra tempus convocando, de plano et sine strepitu iudicii praemissorum convictus deponi possit; salvis tamen legitimis appellationibus, sine quarum praeiudicio decreta huiusmodi, donec aliter sancitum fuerit, servabuntur.

De modo dirimendi controversias inter superiores generales et definitores vel promotorem Ordinis.

II. Ne, dissidiis atque litibus extra religionem transmissis, Congregatio nostra reformata turbetur, capitulum generale vult, statuit et praecipit quod, gravi aliquâ dissensione inter superiorem generalem ac definitores omnes aut eorum maiorem numerum exortâ super causis quibuscumque omnino dubiis, atque aliàs per constitutionem Ordinis sive per capitulorum generalium decreta nunquam declaratis, definitorium, aut maior pars illius, priorem claustralem, visitatorem utrumque, aut alterum ex ipsis, si tamen intra tres dietas adsint, superiores domorum nostrarum Camberii, Lugduni, Viennae, Pontis in Royanis, et S. Marcellini, ac magistrum novitiorum Abbatiae, decreto peculiari apud monasterium S. Antonii ad praestitutam diem convocare teneantur, ut cum reverendissimo abbate ac definitoribus, sub excommunicationis poenâ, nisi legitime impediti fuerint, simul conveniant, et quod a maiori praesentium parte (absentes enim expectare non debebunt) constitutum fuerit, usque ad generale capitulum proxime subsequens omnino servabitur. Si vero inter reverendissimum abbatem et definitores concordia nec sic firmari possit, ad Sedem Apostolicam causa deferatur, quae, si urgens ac gravis adeo sit ut dilationem pati non valeat, a reverendissimo abbate et definitoribus simul, vel, si quis eorum renuat, ab aliis omnibus convocatum extra assuetum tempus capitulum rite celebrabitur, et discordiae modum imponet.

Si autem, quod absit, reverendissimus abbas gravissimi alicuius excessus, depositionis poenâ iuxta constitutiones nostras puniendi, a promotore generali Ordinis reus ageretur, inquisitio seu informatio ad definitorium, auctoritate ipsi delegatâ praesidente qui inter definitores ordine primus erit, iudicium vero ad capitulum generale, citra assuetum tempus per definitores, si ita eis videbitur, etiam convocandum, pertinebit.

Demum, si inter superiorem generalem ac definitores causa oboriatur huiusmodi, quae extra religionem agitari necessario debeat, definitores ex seipsis alterum, seu ex fratribus alios quosdam mittere extra monasterium, ac etiam procuratores suos constituere valebunt, atque expensae ex aerario communi desumentur.

De actis capituli generalis subscribendis, atque firmandis.

III. Acta capituli generalis cuiusque, iuxta approbatum Congregationis nostrae usum, in aulâ capitulari promulgata, ante illius absolutionem, reverendissimi abbatis aut eius vicarii et secretarii chirographis atque etiam eiusdem capituli generalis sigillo firmabuntur; quod si praeses subscribere abnuat, factâ denegati ab ipso chirographi mentione, vocales capituli septem dignitate potiores, aut certe consequentes alii, si ex primis aliquis id etiam recuset, consessûs generalis nomine subscribant, patentibus autem et obedientialibus litteris praeses, aut, eius obventis[1] loco, qui officio primus erit, cum secretario syngraphum apponet; transumpta vero seu extracta secretarii solius chirographo munientur.

De auctoritate definitorii in capitulorum interstitiis.

IV. Statutis Congregationis nostrae reformatae ac illius receptissimae praxi inhaerentes, generalis consessûs patres decernunt, definitorium, in capitulorum interstitiis, generalis capituli vices gerere, ac proinde verbum illud *de consilio* paginâ 227 appositum in statutis omnino significare *consensum*, quem sapit ex vi verborum tam antecedentium quam consequentium; unde consilium illud definitorum plene decisivum esse pronuntiant, itaut, in omnibus definitorii actibus exercentibus[2], abbas superior generalis definitores omnes, qui ultra dietam non absunt, neque sunt legitime impediti, vocare, omnium, aut duorum saltem ex ipsis, si alii absint, votum exquirere, et maioris numeri expectare ac sequi suffragia et assensum teneatur, sub poenâ nullitatis eorum

1 Forsan *absentis* vel *renuentis* vel *abnuentis* (R. T.).

2 Videtur legendum esse *exercendis* pro *exercentibus* (R. T.).

omnium, quae, secus agendo, praescripta et sancita fuerint.

De muneribus ex actibus proprii definitorii.

V. Inter actus definitorii proprios, qui ad religionis nostrae administrationem potissime pertinent, quosque ideo superior generalis nonnisi de consilio et assensu definitorum expedire ac terminare potest, capitulum generale recenset, videlicet, electiones omnes, quae a definitorio per secreta suffragia celebrandae occurrunt; superiorum et aliorum commissiones; postulantium ad habitum et novitiorum ad emittenda vota admissionem; religiosorum de domo in domum iustâ ex causâ translationes [1]; erectiones novarum domorum et novitiatuum; aerarii communis administrationem et custodiam; fulminationem excommunicationis solemnis; poenarum gravissimarum, scilicet depositionis, suspensionis, incarcerationis, vocis activae et passivae privationis, et aliarum importantium infamiam ac iuris ordinem requirentium, impositionem, ac demum actus illos omnes, qui sive in libro constitutionum, sive per capitulorum generalium decreta definitorio reservantur.

De regimine Ordinis et cuiuslibet domus particularis.

VI. Cum ea omnia, quae ad religionis aut cuiuslibet domus particularis gubernationem praesertim in rebus gravioribus spectant, abbas superior generalis ex vi statutorum terminare ac definire non possit nisi de consilio decisivo ac consensu definitorium; idcirco nominationes procuratorum domus particularis cuiuslibet abbatialis (S. Antonii monasterio excepto, cuius procurator a conventuali capitulo approbari debet, et institui et destitui), seminariorum institutiones, ac designationes lectorum, utpote difficiles et arduae ac religionis totius administrationem et commodum in re gravissimâ attingentes, a reverendissimo quidem abbate, sed definitorum tantum, aut duorum ex ipsis, consilio et assensu fieri debebunt et terminari.

De loco atque sequenti convocatione definitorii.

VII. Apud monasterium S. Antonii definitorium residebit perpetuo; ac, ne res Ordinis ac domorum ipsius prae nimiâ cunctatione damnum aliquod patiantur, hebdomadis singulis definitorium semel saltem convocabitur a reverendissimo abbate, aut eius generali vicario, die et horâ, quibus ipsis magis videbitur expedire, et toties quoties propter urgens negotium aliquod definitores convocationem huiusmodi exquisierint; quod si reverendissimus abbas sive vicarius ipsius per hebdomadas singulas definitorium vocare negligant, aut requisiti recusent, sabbato qualibet horâ quartâ pomeridianâ in loco ad id constituto, absque interpellatione aliâ, dies enim et hora interpellant, ab illo, qui inter definitores ordine primus aderit, habebitur, et quae in illo decreta fuerint, omnino dabuntur effectui.

De secretario definitorii.

VIII. Definitorii secretarius, qui inter definitores semper assumetur, designatus a reverendissimo in congregatione definitorii, post cuiusque capituli generalis celebrationem, prima [1] et a collegis admissus, consultationes ac deliberata scribet in libro seu in regestro, quod custodire semper, neque illud, inconsulto definitorio, dimittere, ac generali capitulo pro tempore exhibere tenebitur. Sigillum vero, sive maius sive minus, apud definitorem alterum pari modo selectum et approbatum similiter custodietur.

De actis definitorii scribendis.

IX. Acta definitorii scribantur in regestro tam a praeside definitorii quam a duobus definitoribus, quorum alter ipse secretarius erit; commissiones vero, patentes litterae et facultates, quae mittuntur in domos, a praeside et secretario tantum; transumpta autem, sive extracta, secretarii solius chirographo firmabuntur.

De vicario generali, aliisque vicariis.

X. Abbas superior generalis aliquem ex fratribus nostris, aetate, moribus, scientiâ et rerum usu probatum, in vicarium generalem sibi constituet, qui eius absentis aut impediti vicem in definitorio seu capitulo generali obire possit, quique idcirco in monasterio abbatiali semper residere debeat; patentes litteras cum clausulis restrictivis, quantum ad actus definitorii, superior generalis ipsi tribuere non possit; quod si vicarium generalem reverendissimus abbas creare differat, vicarii ipsius partes et munus prior ipse claustralis, tam in capitulo generali quam in definitorio, ubi opus erit, interim supplebit. Ceterum vicariis omnibus, in domibus

1 Edit. Main. legit *translationis* (R. T.).

1 Quid legendum pro *prima* nescio (R. T.).

aliis a reverendissimo abbate aut iam constitutis aut constituendis in posterum, nullam omnino iurisdictionem competere in Congregatione nostrâ reformatâ, sed in domibus atque erga personas Ordinis antiquae reformationis tantum, pro reverendissimi abbatis iuribus vindicandis, tuendis.

De electione superiorum et vicariorum.

XI. Capitulum generale, inhaerens Bullis Summorum Pontificum Gregorii XV et Urbani VIII pro reformatione Ordinis nostri editis, statutis Congregationis nostrae reformatae a Sanctâ Sede anno MDCXXXIV approbatis, decretis capitulorum generalium an. MDCXXX, MDCXXXIV, MDCXXXVI, MDCXLV, MDCLXXVI sancitis et promulgatis, nullâ habitâ ratione declarationum a capitulis generalibus annis MDCXLVIII sess. VI, MDCLI sess. V, et MDCLXXIX sess. III super superiorum aut vicariorum nominatione simplici editarum, quas tamquam hic expressas praesens capitulum, utpote pontificiis Bullis adversantes et constitutionibus ac institutis Congregationis nostrae reformatae contrarias et noxias, antiquat et rescindit, religiosos omnes veri superioris officio fungentes in domibus Congregationis nostrae reformatae, ubi fratres clerici quatuor a superiore cohabitant, quocumque nomine appellentur, etiam domorum Urbis et Florentiae vicarios, a capitulo generali per secreta suffragia in posterum eligendos esse, et illos tantum, qui sic electi fuerint, in comitiis generalibus cum vocis activae suffragio admitti posse, statuit, pronuntiat et definit, exceptis vicariis domorum Renversi et Taurini, qui, a capitulo conventuali monasterii abbatialis per secreta suffragia pro more consessûs generalis tempore electi, confirmationis beneficium ab ipso generali capitulo sub nullitatis poenâ obtinere tenebuntur; firmâ tamen et stabili permanente domorum capiti Ordinis annexarum unione, cui per supradictum decretum capitulum generale nullum praeiudicium inferre intendit, servato etiam antiquo superiorum et vicariorum ordine, qui eumdem gradum, idemque nomen obtinebunt.

De novitiis.

XII. Nullus superior, etiam reverendissimus abbas generalis, postulantes ad habitum et novitios ad professionem admittere praesumat, nisi praemissis informationibus legitimis, ac examine praevio de eorum vitâ, moribus, scientiâ et qualitatibus in definitorio discussis et approbatis, secundum constitutiones felicis recordationis Sixti V et Clementis VIII, ac decreta capituli generalis anni MDCXXX, sess. XV, XVI et XVII edita, sub poenâ suspensionis ab officio, et aliis in eâdem constitutione Clementis VIII expressis; praefiniaturque a capitulo generali statutus et constans novitiorum numerus, qui triennio quolibet iuxta domorum redditus in Congregationem admitti possit, neque hunc numerum adaugere et transgredi liceat.

Relata statuta confirmata fuere a capitulo et confirmanda erunt ab omni superiore generali, necnon petenda confirmatio a S. Sede.

Factâ praedictorum decretorum in capitulo generali promulgatione expressâ, reverendissimi patres vocales omnes et singuli, ad perpetuam eorum observantiam, quantum ad se pertinebit, iureiurando solemni, manibus ad pectus appositis, sese adstrinxerunt, volueruntque insuper ut reverendissimus abbas mox eligendus eiusque successores officio suo defungi non possint, nisi prius decreta huiusmodi omnia et singula in integrum a se sancte et religiose observanda fore simili iuramento coram omnibus confirmaverint; et tam reverendissimus abbas superior generalis, quam definitores, ac specialiter procurator generalis Ordinis in Curiâ praemissorum omnium confirmationem a Summo Pontifice per Breve apostolicum quamprimum, et infra sex menses, si possint, obtinere curabunt, ut praefati articuli omnes constitutionis apud nos perpetuae vim et auctoritatem habere, ac in posterum inviolate observari possint et valeant. Actum apud monasterium S. Antonii Viennensis in capitulo generali, sessione IV, die vero mensis IV septembris, anno post Christum natum MDCCII. In quorum fidem vocales omnes hic subscripserunt, et sigillo capituli generali muniri iusserunt.

Nomina eorum, qui decretis capituli generalis subscripserunt.

Frater Ioannes Dufresne prior claustralis, fr. Gaspar Fayard definitor, fr. Claudius Barracan definitor, fr. Franciscus Masseis definitor, fr. Hieronymus Faiard visitator, fr. Pignier visitator, fr. M. Hesseler procurator generalis, fr. Antonius Foryet superior Parisiensis, fr. Delamare superior Cambreii,

fr. Fouton superior Pontis Moussionis, fr. Petrus Dumont superior Aremoniarum, fr. Antonius Fayard superior Mai-Landae, fr. Matthaeus David superior Isnheimensis, fr. Petrus Barbe superior Montisferrandi, fr. Antonius Fournet superior Albae-terrae, fr. Franciscus Guillaud superior Massiliae, fr. de Daisse superior domus Trecensis, fr. Henricus la Forest superior Barroduci, fr. Franciscus Roux superior Lugduni, fr. Balthassar de Falcoz superior Rothomagis, fr. Bounier superior Rhemensis, fr. Iacobus Dufaur superior Pontisaurati, fr. Marcus Antonius Villaris superior Metensis, fr. Gaspar Combes superior Cabilonensis, fr II. de Tarrissan superior Viennensis, fr. Antonius Fruchet superior Pontis Inroyanis, fr. Gaspar Gautier superior Argentorati, fr. Edmundus superior Triumspicatum, fr. Iacobus Descamp vicarius Urbis, fr. Alexander Patu vicarius Florentiae, frater Ioannes Baptista Arthaud vicarius Renversi, fr. Iacobus Grata Taurini vicarius, fr. Iacobus Ballet discretus abbatiae et magister novitiorum, fr. Alexander Dufresne Parisiorum discretus, fr. Guillelmus Autin discretus Rothomagensis, fr. Antonius Mus discretus Lugduni, fr. Petrus Louat discretus Cambreii, fr. Raymundus Fayard discretus Massiliae, fr. Antonius Ioseph Luchaspe discretus Pontis Moussionis, fr. Franciscus le Reune discretus Urbis, fr. Claudius Franciscus Iolis Pontisaurati discretus, fr. Gregorius de Vitrolle discretus Florentiae, frater Ioannes Robin discretus Trecarum, frater Paulus Autin secretarius et definitor.

Quibus perlectis in praesentiâ reverendi administratoris patris Ioannis Danthon abbatis superioris generalis electi, et coram utroque capitulo, generali Ordinis, et conventuali huius monasterii, hos omnes articulos et singulos eorum praefatus administrator pater Ioannes Danthon electus abbas laudavit, approbavit, et iureiurando illos se esse observaturum promisit, manibus ad pectus appositis, die VII mensis septembris post meridiem, anno MDCCII, in aulâ capitulari apud S. Antonium Viennensem. In quorum fidem, etc. — Fr. IOANNES DANTHON abbas superior generalis. — De mandato praefati superioris generalis, fr. PAULUS AUTIN, definitor, secretarius.

Confirmatio illorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, capitulum generale praedictum, quo decreta huiusmodi vim statuti irrevocabilis habeant, eisdem Petro procuratori generali ac Ioanni abbati generali et definitoribus, iuxta tenorem quarundam litterarum felicis recordationis Gregorii XV et Urbani VIII Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum circa reformationem praedictae Congregationis emanatarum, dederit in mandatis, quatenus, infra sex menses inde proximos, praedictorum decretorum a Sede Apostolicâ confirmationem et approbationem obtinere curarent; ac proinde dictus Petrus procurator generalis, nominibus praedictis, decreta huiusmodi, pro firmiori illorum subsistentiâ exactiorique observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret[1]: nos, specialem praedictis Petro procuratori generali, et Ioanni abbati generali, et definitoribus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum consilio, decreta praeinserta, in memorato capitulo generali edita ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque

1 Edit. Main. legit *desiderent* (R. T.).

inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras et decreta praeinserta semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus insuper ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitatae constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII maii MDCCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 maii 1703, pontif. anno III.

L.

Conceditur facultas applicandi quasdam indulgentias defunctis per modum suffragii confraternitati Conceptionis B. M. V. in ecclesiis fratrum de Mercede civitatis Mexicanae [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut dilecti filii officiales et confratres confraternitatis sub titulo seu invocatione Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae in ecclesiâ Ordinis fratrum eiusdem B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum civitatis Mexicanae in Indiis Occidentalibus canonice ut asseritur erectae nobis nuper exponi fecerunt, aliàs confratribus et consororibus dictae confraternitatis, certa tunc expressa pietatis opera peragentibus, nonnullae indulgentiae et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes auctoritate apostolicâ in perpetuum concessae fuerint, quibus iidem confratres et consorores de praesenti fruuntur; dicti vero exponentes, illas christifidelium defunctorum animabus per modum suffragii applicari posse, plurimum desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homi- Concedit, ut in rubricâ.

1 Ab Alexandro VIII const. edit. MDCXC, die 15 aprilis, pontif. I, concessa fuit indulgentia stationum in perpetuum confraternitatibus beatae Mariae de Mercede; et ab hoc Pontifice const. edit. MDCCXVII, die 4 augusti, pontif. XVII, conceditur indulgentia in festo S. Raymundi pro ecclesiis fratrum de Mercede.

ne, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis memoratae confraternitatis confratribus et consororibus praesentibus et futuris, ut indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes praedictas, quas de cetero consecuti fuerint, christifidelium defunctorum animabus, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare libere et licite possint et valeant, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; in contrarium non obstantibus quibuscumque; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iunii MDCCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 iunii 1703, pontif. anno III.

LI.

Declaratur competere primo assistenti Congregationis Missionis ius praesidendi in generali conventu, etiam quando superior generalis munus suum dimittit [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

A constitutionibus concedit ur facultas praesidendi primo assistenti in pluribus casibus, sed non refertur casus praesens quo superior generalis renunciat munori suo.

§ 1. Cum, sicut accepimus, dilectus filius modernus superior generalis Congregationis presbyterorum Missionis officium suum in conventu generali per eum ad id convocato dimittere intendat, ac in eo, secutâ dimissione huiusmodi, electio vicarii seu novi superioris generalis die VI augusti proxime venturi fieri debeat; in constitutionibus vero dictae Congregationis primo quidem assistenti superioris generalis eiusdem Congregationis facultas praesidendi conventui deputatorum ad vicarium generalem eligendum, casu quo ipse superior generalis propter infirmitatem illum eligere nequeat aut nolit, vel ab officio suo deputandus[1] sit, aut non nominato vicario generali ab humanis decesserit, concessa legatur; sed, quis dicto conventui generali, superiore generali adhuc in humanis agente et officium secum[2] dimittente, praesidere debeat, per constitutiones praedictas expresse cautum minime reperiatur, nec similis casus unquam evenerit:

Declarat, ut in rubricâ.

§ 2. Nos, cupientes ut conventus generalis huiusmodi recte et feliciter ad Dei gloriam et praedictae Congregationis utilitatem celebretur, et hac in re omnis dubitandi occasio tollatur, ac de[3] dilecti filii Mauritii Faure, qui (ut pariter accepimus) primi assistentis eiusdem moderni superioris generalis munere de praesenti fungitur, fide, prudentiâ, charitate, vigilantiâ et integritate plenam habentes in Domino fiduciam, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberâtione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eumdem Mauri-

1 De assistentibus vide Innocentii XI constit. edit. MDCLXXIX, die 5 iunii, pontif. III; et Benedicti XIII const. edit. MDCCXXVII, die 15 iunii, pontif. IV.

1 Leg. *deponendus* pro *deputandus*, uti constat ex constitutionibus ipsius Congregationis, cap. II § V, VI et VII, quas prae manibus habemus (R. T.).

2 Potius lege *suum* (R. T.).

3 Praeposit. *de* nos addimus (R. T.).

tium dicto conventui generali, quatenus in eo memoratus modernus superior generalis ante electionem vicarii seu novi superioris generalis huiusmodi nolit aut impediatur ministerium praesidentis exequi, praesidere debere, perinde ac si id in constitutionibus praedictis expresse cautum reperiretur, tenore praesentium decernimus et declaramus.

Clausulae. § 3. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac praedicto Mauritio in omnibus et per omnia plenissima suffragari, et ab eis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX iulii MDCCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 9 iulii 1703, pontif. anno III.

LII.

Confirmantur quaedam capitula pro bono regimine Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Redemptoris et domini nostri Iesu Christi, qui charitas est et Deus pacis, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ea, quae inter christifideles quoscumque, et praesertim illos, qui Altissimi obsequiis sub suavis religionis iugo mancipati sunt, religiosae tranquillitatis stabiliendae studio provide prudenterque disposita atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolabilia permaneant, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter corroboramus, et aliàs felici ipsorum religiosorum statui, regimini et quieti providemus, sicut conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa subsequentium capitulorum. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Franciscus Ruiz, Ordinis fratrum SS. Trinitatis redemptionis captivorum, et Clemens a Iesu fratrum Discalceatorum Congregationis Gallicanae eiusdem Ordinis procuratores generales, quod, occasione variarum controversiarum, quae dicti Ordinis statum et religiosam quietem diu perturbarunt, ad maiorem Dei gloriam ac pro felici prosperoque ipsius Ordinis regimine et gubernio condita fuerunt nonnulla capitula, per quae videlicet ordinatur:

De constitutionibus Ordinis. I. Ut fratres omnium provinciarum dicti Ordinis observare promittant illius constitutiones et additiones a felicis recordationis Alexandro Papa VII praedecessore nostro

1 In Innocentii XII const. ed. MDCXCII, die 1 martii, pontif. I, extat moderatio cuiusdam particulae constitutionum; et in huius Pontificis const. ed. MDCCXIX, die 6 decembris, pontif. XX, immutatur habitus donatorum.

approbatas, in iis tamen quae infrascriptis non adversantur; et casu, quo in proxime futuro capitulo generali eiusdem Ordinis aliquid pro felici ipsius Ordinis gubernio statuendum sit, sive scilicet ampliando, sive declarando dictas constitutiones, sive etiam aliquam de novo condendo, possit id fieri accedente consensu maioris et sanioris partis vocalium; ita tamen ut quod inibi statutum fuerit, nullam vim nec efficaciam habeat, nisi prius ab hanc Sanctâ Sede confirmatum fuerit.

De voce activâ et passivâ in capitulis electivis.

II. Electio ministri generalis dicti Ordinis nunquam a solis quatuor antiquis provinciis Galliae, sed ab omnibus provinciis ipsius Ordinis fiat, sicut per primitivas et fundamentales eiusdem Ordinis leges, in primâ et nonâ recolendae memoriae Innocentii III ac decimâ Clementis IV Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum litteris sub plumbo expeditis, et praedictis ab Alexandro praedecessore approbatis constitutionibus contentas, disponitur, necnon anno MDCLXXXVII a dictâ Sede declaratum fuit. Porro quicumque dicti Ordinis religiosus cuiuslibet nationis in ministrum generalem ipsius Ordinis eligi possit. Omnesque religiosi vocem activam et passivam in electione huiusmodi habentes vel habituri, ea, quae in constitutionibus earumque additionibus praedictis ordinantur, semper observare debeant.

Item in capitulis correctivis.

III. Idem observetur in capitulis generalibus correctivis, in quibus ea omnia, quae in dictis constitutionibus et additionibus ordinantur, observanda sint.

De voce activâ quorumdam superiorum.

IV. Ministris seu superioribus localibus quatuor antiquarum provinciarum Franciae, Campaniae, Normandiae et Picardiae dicti Ordinis vox activa in capitulis generalibus minime competat, prout nec competit ministris seu superioribus localibus huiusmodi aliarum provinciarum eiusdem Ordinis.

De superioribus localibus.

V. Omnes superiores locales sint triennales, et eorum electiones fiant secundum dictas constitutiones.

De loco capitulorum generalium.

VI. Dictum proxime futurum capitulum generale, quod erit electivum simul et correctivum, dominicâ quartâ post Pascha Resurrectionis dominicae anni proxime venturi MDCCIV in conventu Cervi Frigidi nuncupato dicti Ordinis celebretur, ibique agatur num de cetero omnia capitula generalia electiva dicti Ordinis in eodem conventu habenda sint; eiusmodi vero deliberatio per suffragia maioris partis vocalium fieri, illiusque confirmatio a Sede praedictâ obtineri debeat; praeterea in eodem proxime futuro capitulo generali locus pro capitulis generalibus correctivis de sexennio in sexennium de cetero celebrandis determinari possit, huiusque determinationis confirmatio a dictâ Sede pariter obtineri debeat.

De tempore capituli correctivi officialibusque in eo eligendis.

VII. Dicta capitula generalia correctiva de sexennio in sexennium, quemadmodum per constitutiones et earum additiones praedictas declaratur, celebrentur, et in illis procurator generalis (qui in hac almâ Urbe residere tenebitur) ac definitores generales dicti Ordinis ad sexennium tantum eligantur, eaque omnia, quae in eisdem constitutionibus et additionibus ordinantur, observentur.

De ministro generali.

VIII. Minister generalis dicti Ordinis sit perpetuus, prout memoratis Innocentii et Clementis praedecessorum litteris ac constitutionibus convenit, et ab initio eiusdem Ordinis usque ad annum MDCLXXXV, quo quondam Petrus Mercier, illius dum vixit minister generalis, obiit, semper observatum fuit.

De definitoribus generalibus.

IX. Semper et in perpetuum sint decem definitores generales Ordinis praedicti, nempe quinque pro novem provinciis Galliae, et quinque pro provinciis Hispaniae, Italiae et Lusitaniae, unus scilicet ex Castellae, alter ex Baeticae, alius ex Aragoniae, alius ex Italiae, et alius demum ex Lusitaniae provinciis, pro ipsis respective provinciis; quod si aliquem ex dictis definitoribus ab humanis decedere, aut qualibet aliâ de causâ deficere contigerit, minister generalis dicti Ordinis pro tempore existens, intra tres menses a notitiâ illius obitus vel amotionis aut defectûs numerandos, alium definitorem generalem ex provinciâ illius qui defunctus vel amotus fuerit aut defecerit, propriâ auctoritate nominet; si vero eum intra dictos tres menses non nominaverit, tunc minister

provincialis provinciae huiusmodi cum illius definitoribus provincialibus illum ex ipsâ provinciâ nominet et eligat pro eâdem provinciâ.

De procuratore generali.

x. Procurator generalis totius Ordinis praedicti in capitulo generali correctivo ad sexennium tantum alternatim eligatur, ita scilicet ut[1] pro uno sexennio sit ex Hispaniae, Italiae aut Lusitaniae, pro alio vero sexennio ex Galliae provinciis praedictis ; is autem in Urbe praedictâ pro gerendis negotiis totius religionis residere debeat, ibique expensis omnium provinciarum dicti Ordinis sustentetur iuxta dictas constitutiones ; ceterum primus procurator generalis huiusmodi sit ex dictis Hispaniae, Italiae aut Lusitaniae provinciis, sequenti vero sexennio sit ex praedictis provinciis Galliae.

De quibusdam constitutionibus.

xi. Serventur dicti Ordinis constitutiones libro i, cap. xxxvii, § 12, pag. 205.

De secretariis generalibus.

xii. Ministri generales dicti Ordinis pro tempore futuri habeant facultatem libere et per se solos nominandi duos secretarios generales, qui eis assidue inserviant et assistant, quorum unus sit ex dictis Galliae, alter vero ex Hispaniae, Italiae aut Lusitaniae provinciis, quique, iuxta constitutiones et additiones praedictas, graduati de iustitiâ esse debeant, et ambo vocem in praedictis capitulis generalibus electivis habeant, ac expensis ipsorum ministrorum generalium sustententur.

De graduatis aliisque.

xiii. Quoad graduatos, magistros, praesentatos et praedicatores generales Ordinis praefati pro dictis provinciis Galliae per memoratum proxime futurum capitulum generale provideatur.

Confirmatio relatorum capitulorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti Franciscus et Clemens procuratores generales, capitula huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, ac aliàs opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderent: nos, ipsorum Francisci et Clementis procuratorum generalium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ac eorum et infra nominatorum fratrum expresse professorum Ordinis praedicti singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorumdem Francisci et Clementis procuratorum generalium nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Congregationis nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus super hoc negotio a nobis specialiter deputatae consilio, praenarrata capitula, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Deputatio officialium aequo ad futurum capitulum, et approbatio gestorum omnium tempore controversiarum.

§ 3. Ceterum, felici prosperoque dicti Ordinis regimini et gubernio salubriter providere cupientes, ac de infrascriptorum eiusdem Ordinis professorum fide, prudentiâ, integritate, charitate, vigilantiâ et religionis zelo plurimum in Domino confisi, dilectos filios Gregorium de la Forge, in sacrâ theologiâ magistrum, in vicarium generalem ; ac Iosephum du Bois conventûs de Cala, pro antiquis provinciis Franciae et Normandiae, Ioannem Roubaud conventûs de Catalauno pro provinciis Campaniae et Picardiae, Ignatium Vigneaux conventûs de Medulco, dicti Ordinis respective ministros, pro provinciis Linguae Occitaniae et provinciae eiusdem Ordinis, et

1 Particula *ut* nos addimus (R. T.).

Michaëlem Trossier exprovincialem, pro provinciis Galliae et Provinciae Congregationis mitigatae seu reformatae nuncupatae praedicti Ordinis, necnon dictum Clementem a Iesu procuratorem generalem, qui conventus S. Dionysii de dictâ Urbe praedictae Congregationis Gallicanae minister existit, pro provinciis Provinciae et Italiae dictae Congregationis Gallicanae, et Vincentium Tavarez itidem in eâdem sacrâ theologiâ magistrum, fratres expresse professos eiusdem Ordinis, pro praedictâ Lusitaniae provinciâ[1], in definitores generales Ordinis huiusmodi respective, qui nunc deficiunt, usque ad proxime futurum ipsius Ordinis capitulum generale, quod dictâ dominicâ quartâ post Pascha Resurrectionis dominicae celebrandum erit, cum omnibus et singulis praerogativis, praeeminentiis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis et indultis, ac honoribus et oneribus solitis et consuetis, eâdem auctoritate harum serie constituimus et deputamus. Alios autem quatuor definitores ceterarum Hispaniae et Italiae provinciarum praedictarum, nunc existentes, in suis muneribus continuare, hosque omnes decem definitores generales vocem in dicto proxime futuro capitulo generali habere, in futurum vero per ipsum capitulum generale, quod eos hac primâ vice tantum confirmare valeat, de illis provideri debere, auctoritate et tenore praedictis decernimus et ordinamus. Praeterea eidem Gregorio eâdem auctoritate concedimus et indulgemus, ut dictum capitulum generale convocare ac in eo praesidere, ibique etiam in ministrum generalem dicti Ordinis eligi libere, licite et valide possit et valeat, ipsumque Gregorium adversus quodcumque impedimentum ratione praedictarum controversiarum seu illarum occasione quomodolibet contractum ad officium ministri generalis huiusmodi obtinendum et exercendum, auctoritate et tenore praedictis, opportune habilitamus, habilemque et capacem facimus et declaramus. Demum omnes actus tempore dictarum controversiarum, tam in capitulis generalibus et provincialibus, quam in definitoriis, ac in particularibus et privatis tractatibus seu instrumentis, aut aliàs quomodolibet factos et gestos, necnon omnes et singulas institutiones superiorum, collocationes fratrum, et professiones in dicto Ordine hactenus factas et emissas, adversus quoscumque iuris et facti defectus, qui propter controversias huiusmodi desuper quovis modo intervenerunt, seu intervenisse dici, censeri, intelligi vel praetendi valerent, dictâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, revalidamus, ipsosque defectus supplemus, tollimus, sanamus et abolemus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, omnibus et singulis Ordinis et Congregationum huiusmodi superioribus, fratribus et personis, ceterisque, ad quos spectat et spectabit in futurum, ut suprascriptos fratres ad officia eis respective per praesentes demandata, illorumque liberum exercitium, iuxta earumdem tenorem praesentium recipiant et admittant, illosque recognoscant, et illis in omnibus, quae ad eadem officia pertinent, pareant et obediant, faveantque et assistant respective.

§ 4. Ac decernentes pariter, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suf- Clausulae.

1 Edit. Main. legit *provinciae* (R. T.).

ragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, illiusque Congregationum et provinciarum praefatarum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII augusti MDCCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 augusti 1703, pontif. anno III.

LIII.

Conceditur facultas utendi altari portatili, et absolvendi a casibus reservatis in quibusdam partibus infidelium, fratribus Discalceatis SS. Trinitatis redemptionis captivorum Congregationis Hispaniae [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Idem concessum fuit cum aliis in Africa ab Urbano VIII.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessori nostro pro parte tunc existentis procuratoris generalis fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum Congregationis Hispaniarum exposito [2], quod Congregatio praedicta, iuxta laudabile ipsius institutum, eius religiosos in Africam (ut christifideles inibi sub miserâ Turcarum servitute constitutos, quos poterant, ab illâ eximere quaerebant [3], eosque in Domino consolabantur, ecclesiastica sacramenta illis administrabant, ac eorum denique animarum saluti, quibus poterant rationibus, incumbere valebant) mittere intendebat [4], memoratus Urbanus praedecessor, ut iidem religiosi in commisso sibi munere huiusmodi ad eorumdem christifidelium spiritualem fructum utilius sese exercere valerent, supplicationibus dicti procuratoris generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, religiosis mittendis huiusmodi quod altare portatile cum debitâ reverentiâ et honore, super quo, in locis Africae dumtaxat, honestis tamen et congruis, etiam non sacratis, et, cum temporis qualitas id exegisset, etiam an-

1 Innocentii XII const. ed. MDCXCV, die 23 aprilis, pontif. IV, concessa fuit facultas eligendi iudices conservatores; et huius Pontificis const. editâ MDCCXX, die 2 martii, pontif. XX, conceditur commissariis generalibus aliud tempus post electionem generalis.

2 Cf. tom. XIII, pag. 427 (R. T.).

3 Aptius lege *quaererent . . . consolarentur . . . administrarent . . . valerent* (R. T.).

4 Edit. Main. legit *intendebant* (R. T.).

tequam illucesceret dies, circa tamen diurnam lucem, in dictorum captivorum et aliorum fidelium in dictis locis degentium praesentiâ, missas et alia divina officia celebrare, omnesque et singulos eorumdem locorum utriusque sexus christifideles, ipsorum confessionibus diligenter auditis, a quibuscumque excessibus et delictis, etiam in Bullâ die Coenae Domini legi solitâ contentis, ac pro commissis per eos et eorum quemlibet poenitentiam iniungere salutarem; necnon his qui peccata sua confessi et de illis corde contriti fuissent, ac sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpsissent, quoties id fecissent, toties plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino elargiri libere et licite valerent, apostolicâ auctoritate facultatem impertitus fuit. Necnon eosdem, qui durâ servitûte in illis partibus oppressi pro tempore fuissent, quotiescumque ab Ecclesiâ Romanâ illius thesauros reserari, et generales peccatorum remissiones per Romanos Pontifices, etiam praescriptâ fidelibus ad illas assequendas formâ, et statuto tempore in eisdem adiecto, proponi contigisset, cum primum illarum ad eosdem captivos notitia pervenisset, aliqua agendo, quae naturali libertate privatum verisimile erat facere posse, illas omnes consequi, quae alii christifideles tempus et formam exacte in illarum concessione tradita observantes consequuti fuissent, eâdem auctoritate voluit et declaravit, et aliâs prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die xx ianuarii MDCXXVI expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Extendit ut in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut procurator generalis dictae Congregationis nobis nuper exponi fecit, eâdem Congregatione Germaniae et Poloniae regnis subinde propagatâ, fratres eiusdem Ordinis, in novis conventibus regnorum huiusmodi commorantes, Constantinopolim, ad Tartariae partes, aliaque infidelium loca, ad captivos huiusmodi redimendos, sese conferre soleant, ac proinde ipse procurator generalis, praedictas Urbani praedecessoris litteras ad loca huiusmodi a nobis extendi et ampliari, plurimum desideret: nos, piis ipsius procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, annuere cupientes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, et attentâ relatione dilecti filii nostri in almâ Urbe vicarii in spiritualibus generalis[1] super praemissis eisdem cardinalibus factâ, fratribus dicti Ordinis, ad loca infidelium huiusmodi sese conferentibus, ut altari portatili utantur, et a casibus reservatis in eisdem locis infidelium dumtaxat, cum dependentiâ tamen a nunc et pro tempore existentibus vicariis apostolicis a Sede Apostolicâ deputatis, absolvere possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici audi-

1 Edit. Main. legit *generali* (R. T.).

tores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in eiusdem Urbani praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI novembris MDCCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 21 novembris 1703, pontif. anno III.

LIV.

Conceduntur privilegia exprovincialium missionariis in Æthiopia Ordinis Minorum de Observantiâ Reformatorum [1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iustitiae et aequitatis ratio postulat, ut operarii, in vineâ Domini strenue utiliterque laborantes, praemiis et honoribus decorentur, quibus et ipsi ad constanter in suis laboribus persistendum, et alii ad eiusmodi labores alacriter subeundos stimulentur.

Concedit ut in rubricâ.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, fratres missionarii Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum in Æthiopiam pro tempore deputati, sive illuc ex Europâ se conferendo, propter itinerum per aspera et deserta loca montesque agendorum difficultates et pericula, sive ibi commorando, propter immodicos illarum regionum calores et diversi climatis ciborumque insalubrium qualitates eorum naturae contrarias, maximos labores sustineant; quo vero eorum animi ponderi non succumbant, et in susceptis pro catholicae fidei christianaeque religionis propagatione laboribus huiusmodi confirmentur, et defessis seu mercedem emeritis novi semper et alacres strenuique operarii succedant, spe alicuius honoris et praemii sublevandi et excitandi sint: hinc est quod nos, ex commissae nobis caelitus dispensationis munere, illorum honorificentiae consulere volentes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus Congregationis negotiis Propagandae Fidei praepositae super rebus Æthiopiae specialiter deputatorum consilio, ac motu proprio, et ex certâ scientiâ et naturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dictis fratribus missionariis, ut, post servitium seu ministerium in missione Æthiopiae per duodecim annos dictae Congregationi cardinalium perseveranter et laudabiliter praestitum, si ad suas proprias dicti Ordinis provincias redire voluerint, reversi, omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, praeeminentiis et praecedentiis, quibus fratres dicti Ordinis, qui ministri provinciales fuerunt, tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fru-

1 Commissarius Terraesanctae nequit commorari in coenobio SS. Trinitatis civitatis Neapolis, Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVIII, die 25 maii, pontif. II; idem privilegium exprovincialium conceditur poenitentiariis S. Ioannis in Laterano de Urbe a Benedicto (Innocentio) XIII const. ed. MDCCXXI, die 1 septembris, pontif. I.

untur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si provincialatus munere perfuncti fuissent, ita ut inter ipsos fratres missionarios ac exprovinciales servetur aequalitas, et quoad ordinem praecedentiae sola prioritas sive antianitas paternitatis attendatur, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 2. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quamvis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis eiusque provinciarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI ianuarii MDCCIV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 11 ianuarii 1704, pontif. anno IV.

LV.

Damnatur, et prohibetur libellus sub titulo Véritable tradition de l'Église sur la prédestination et la grâce, etc. Par M. de Launoy, etc. [1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum, sicut nobis innotuit, in lucem prodierit libellus quidam, cui titulus *Véritable tradition de l'Église sur la prédestination et la grâce, etc. Par M. de Launoy docteur en théologie, de la maison et société de Navarre. A Liège, chez Nicolas le François, proche les Carmes en Isle, à la Prudence,* MDCCII; nuperrime vero venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generales inquisitores a Sede Apostolicâ specialiter deputati, auditâ libelli huiusmodi censurâ, illum ad minus tamquam impium, blasphemum, necnon fulgidissimo Catholicae Ecclesiae lumini, maximoque doctori sancto Augustino, quinimo ipsimet Ecclesiae atque Apostolicae Sedi iniuriosum, damnandum et prohibendum esse censuerint: hinc est quod nos, pro commissâ nobis divinitus gregis dominici curâ, animarum periculis atque detrimentis, quae ex praefati libelli lectione et usu provenire possent, pastorali sollicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere cupientes, necnon Romanorum Pontificum praedecessorum

Refertur liber eiusque damnationis causae.

Damnatio.

1 Constit. editâ MDCCIII, die 12 februarii, pontif. III, damnata fuere folia, *Cas de conscience, etc.*; et const. sequenti damnantur folia, *Acte d'appel, etc.*

nostrorum, qui eiusdem sancti doctoris praecelsam doctrinam magno semper in pretio habuerunt, totoque mentis affectu amplexi fuerunt, laudabilibus vestigiis firmiter inhaerere volentes, de memoratorum cardinalium consilio, libellum praedictum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, damnamus et reprobamus, ac legi seu retineri prohibemus, ipsiusque libelli impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo a quoquam, praeterquam a nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium obtinere valeat, omnino interdicimus. Volentes et auctoritate praefatâ mandantes, ut, quicumque libellum huiusmodi penes se habuerint, illum, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere atque consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quisbuscumque.

Clausula. § 2. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus et auctoritate praedictâ decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum ac Cancellarie apostolicae, necnon Curiae generalis in Monte Citatorio, et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; sic vero publicatas, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent;

Fides transumptorum. § 3. Ipsarum autem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi[1], quae haberetur eisdem praesentibus si exhibitae forent vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII ianuarii MDCCIV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 28 ianuarii 1704, pontif. anno IV.

LVI.

Damnantur, ac prohibentur quaedam folia impressa sub titulo Acte d'appel interjété par le procureur général de Lorraine et Barrois de l'exécution du Bref du XXII septembre dernier, etc.

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Scopus foliorum. § 1. Cum nos aliàs per quasdam nostras in simili formâ Brevis literas librum quemdam gallico idiomate conscriptum, et in duas partes divisum, sub titulo *Ordonnance de Léopold I duc de Lorraine et de Barrois, etc., donnée à Nancy au mois de juillet* 1701. *A Nancy, chez Paul Barbier, imprimeur-libraire à la Ville-neuve,* 1701, damnaverimus et reprobaverimus, ac legi seu retineri prohibuerimus, et aliàs, prout in praedictis nostris litteris die XX septembris proxime praeteriti expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et suf-

1 Vel *habeatur* legendum, vel paulo ante leg. *eamdem . . . fidem* (R. T.).

2 Const. praec. damnatus fuit libellus *Véritable tradition, etc.*; et const. ed. MDCCV, die XVI iunii, pontif. V, damnatur Iansenianismus.

ficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur; subinde vero ad apostolatus nostri notitiam pervenisset in vulgus circumferri quaedam folia eodem gallico idiomate typis impressa, quibus titulus *Acte d'appel interjetè par le procureur général de Lorainne et Barrois de l'exécution du Bref du 22 septembre dernier rendu contre l'ordonnance de son Altesse Royale du mois de juillet 1701 de notre Saint-Pére le Pape Clément XI, malinformé, à notre dit Saint-Pere le Pape lors qu'il sera mieux informé, avec l'arrêt d'enregistrement d'icelui:* nos nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, aliosque in sacrâ theologiâ magistros et in decretis doctores, ad eorumdem foliorum examen delegimus; qui omnes folia ipsa, tamquam continentia propositiones falsas, temerarias, calumniosas, in praxi perniciosas, Ecclesiae iniuriosas, ac iurisdictionis et libertatis ecclesiasticae laesivas, similiter damnanda et prohibenda esse censuerunt. Auditis itaque eorumdem cardinalium, magistrorum et doctorum sententiis, creditum nobis a Domino pastoralis curae atque vigilantiae munus, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter exequi cupientes, de ipsorum cardinalium consilio, folia supradicta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, damnamus pariter et reprobamus, ac legi et retineri prohibemus, illorumque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo a quoquam, praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus.

Illorum damnatio.

§ 2. Volentes, et eâdem auctoritate mandantes, ut quicumque folia huiusmodi penes se habuerint, illa, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere atque consignare teneantur. Praeterea eadem folia, necnon appellationem, arrestum, aliaque in eis contenta quaecumque, nemini suffragari posse ad effectum expediendi, declinandi seu etiam suspendendi executionem praefatarum nostrarum litterarum, quae iuxta earum formam et tenorem servari omnino debeant, auctoritate et tenore praedictis decernimus et declaramus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandatum tradendi dicta folia et executioni mandandi Breve editum XXII septembris.

§ 3. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius perveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus et auctoritate praefatâ similiter decernimus, ut illae ad valvas basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae apostolicae, necnon Curiae generalis in Monte Citatorio, et in acie Campiflorae de Urbe, per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, et sic publicatae[1], omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam

Clausulae.

1 Vel lege *publicatas* vel postea *afficiant* pro *afficere* (R. T.).

in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI februari MDCCIV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 11 februarii 1704, pontif. anno IV.

LVII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium, quo declaratur, provinciales assumptos gaudere omnibus privilegiis provincialium absolutorum eremitarum sancti Augustini Discalceatorum Congregationis Hispaniarum et Indiarum[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Causae insequentis decreti.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum Didaci a S. Bonaventura, vicarii generalis, ac definitorum generalium Congregationis Hispaniae et Indiarum fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod ipsi, ad tollendam omnem litis occasionem, quae in Congregatione Hispaniae et Indiarum huiusmodi oriri posset, plurimum cupiebant ab eâdem Congregatione cardinalium declarari casum in eorum constitutionibus omissum, an rectores provinciales, quos, propter plures alias causas quam per obitum ministrorum provincialium, nempe ob renunciationem et privationem, ad provincialatus huiusmodi officium assumi contigisset, absolutis eorum officiis, gaudere deberent omnibus et singulis privilegiis et exemptionibus, quibus gaudent provinciales absoluti: emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae Congregationis pro provincialibus assumptis.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, audito patre procuratore generali Ordinis, et attentis narratis, censuit ac declaravit gaudere. Romae XIV decembris MDCCIII. — G. cardinalis CARPINEUS — I. F. GRIMALDUS secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dicti exponentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium, dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios

1 Exprovincialium privilegia concessa fuere procuratoribus generalibus Insularum Philippinarum ab Innocentio XI const. ed. MDCLXXVII, die 11 decembris, pont. II; et vicariis provincialibus Indiarum Orientalium provinciae Portugalliae ab hoc Pontifice const. ed. MDCCVI, die 1 februarii, pontif. VI.

et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit dictae Congregationis Hispaniae et Indiarum, ac Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitâte aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII februarii MDCCIV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 13 februarii 1704, pontif. anno IV.

LVIII.

Confirmatur decretum Congregationis Rituum de celebratione missae B. M. V. singulis anni sabbatis pro Minorum de Observantiâ Discalceatorum provinciae Baeticae[1].

1 In Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVI, die 5 septembris, pont. X, extat confirmatio indulgentiarum Ordinibus de Observantiâ concessarum; et in huius Pontificis const. ed. MDCCV, die 8 maii, pont. V, conceditur eadem facultas fratribus provinciae Mexicanae.

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, ad supplicationem dilecti filii Balthasaris a S. Didaco, fratris expresse professi ac procuratoris provinciae Baeticae Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum, in quo eius causa, et facultas celebrandi dictam missam singulis sabbatis, exceptis illis Paschatis et Pentecostes, ac de Nativitate, continetur.

Ordinis Discalceatorum sancti Francisci provinciae Baeticae sive Hispalensis. Cum in provinciâ Baeticâ Ordo Discalceatorum S. Francisci a principio suae erectionis prout asserebatur, ob singularia intercessione beatissimae virginis Mariae accepta beneficia, in gratitudinis obsequium singulis diebus sabbati pro S. R. E. exaltatione ac pro conservatione ipsius provinciae, non omissâ post Tertiam conventuali, de ipsâ beatissimâ Virgine in aurorâ missam celebrare se obstrinxerint; cumque, prout etiam exponebatur, ob multiplicia ritus duplicis officia, ad quae Ordo praedictus tenetur, nunquam vel raro missa de beatissimâ Virgine valeat celebrari[1]: idcirco a fratre Balthasare a S. Didaco, provinciae Baeticae Discalceatorum sancti Francisci procuratore, sanctissimo domino nostro pro concessione indulti celebrandi praedictas missas de beatissimâ Virgine singulis anni sabbatis in aurorâ, et licet festo duplici impeditis, nunquam tamen in iisdem sabbatis omissâ alterius missae conventualis celebratione, humiliter supplicatum fuit; supplicique libello eidem Sanctissimo porrecto, a Santitate Suâ ad sacram Rituum Congregationem remisso, eoque ab eminentissimo et reverendissimo domino cardinali S. Clementis relato, sacra eadem Rituum Congregatio, exceptis die Nativitatis, ac sabbatis Paschatis et Pentecostes, pro Discalceatis

1 Edit. Main. legit *celebrare* (R. T.).

S. Francisci provinciae Baeticae gratiam iuxta petita benigne indulsit atque concessit. Die XIII augusti MDCCI. — Ita reperitur in regestro decretum Congregationis sacrorum rituum. In quorum fidem, etc. Hac die XV februarii MDCCIV. *Loco † Sigilli.* — G. cardinalis CARPINEUS — B. INGHIRAMI sacrae Rituum Congregationis secretarius[1].

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut praedictus Balthasar nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum Balthasarem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII februarii MDCCIV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 13 februarii 1704, pontif. anno IV.

1 Edit. Main. legit *secretarium* (n. T.).

LIX.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de servandâ constitutione Innocentii XI, etiam quoad restrictionem numeri quatuor praedicatorum vocalium pro Congregatione Cistercienses S. Bernardi in Hispaniis[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Sacrae Congregationis anno MDCCII, die II iunii.

In causâ vertente inter religionem S. Bernardi Ordinis Cisterciensis reformati Hispaniarum, ex unâ, et patres Dionysium Ximenes, Paulum Freyriam et adhaerentes, partibus ex alterâ, de et super observatione Brevis sanctae memoriae Innocentii XI de anno MDCLXXVIII expediti pro limitatione numeri praedicatorum generalium ad quatuor tantum, etc.: Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, referente eminentissimo Gabriellio, censuit ac decrevit, praedictum Breve sanctae memoriae

1 Laudata constitutio Innocentii XI ed. fuit anno MDCLXXVIII; et de praedicationibus vide constit. ed. MDCCI, die 19 februarii, pontif. I, secundo loco; et constit. editam MDCCXX, die XXIX maii, pontif. XX.

Innocentii XI esse observandum etiam quoad restrictionem numeri quatuor praedicatorum vocalium, comprehenso inter ipsos praedicatore Toletano. Romae II iunii MDCCII. — G. cardinalis CARPINEUS. — I. F. GRIMALDUS secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Ioannes Guerrero procurator generalis Congregationis Reformatae monachorum earumdem Hispaniarum Ordinis praedicti nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum Ioannem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas ed efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis Hispaniarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XX februarii MDCCIV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 20 februarii 1704, pontif. anno IV.

LX.

Conceditur fratribus Capuccinis facultas dividendi provinciam Vallonam in duas, hasque firmandi quibusdam articulis[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sacrosancti apostolatus officium, quod ineffabilis sapientiae atque clementiae Dei altitudo humilitati nostrae, meritis licet et viribus longe impari, imponere dignata est, salubriter exequi, adiuvante Domino, iugiter satagentes, ad ea, per

1 In Innocentii XII const. ed. MDCXCV, die 5 augusti, pontif. V, extat divisio provinciae Sardiniae; et in huius Pontificis const. ed. MDCCXXI, die 11 ianuarii, pontif. XXI, divisio provinciae Insulensis.

quae felici prosperoque religiosorum virorum suave Christi iugum sub arctioris vitae instituto laudabiliter portantium regimini et gubernio consulitur, libenter intendimus, munerisque nostri pastoralis partes propensâ desuper charitate interponimus, sicut, locorum, personarum, rerum et temporum qualitatibus mature pensatis, ad omnipotentis Dei gloriam et religionis incrementum expedire in Domino arbitramur.

Causa divisionis praedicta a Romano Pontifice commissa fuit capitulo generali, quod deputavit commissarium, qui necessariam iudicavit divisionem decemnovem coenobiorum provinciae Vallonae.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis Ordinis fratrum[1] Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quod (cum nos aliàs, nempe anno MDCCII, negotium petitae divisionis provinciae Vallonicae dicti Ordinis, novemdecim conventibus, quorum decem in Hispanici et novem in Leodiensis dominii temporalis locis reperiuntur, constantis, ad capitulum generale eiusdem Ordinis die II iunii eiusdem anni celebratum examinandum remisimus[2], ibique, auditis hinc inde fratrum tam dictorum decem quam praedictorum novem conventuum super divisione huiusmodi ab eis postulatâ petitionibus, decretum fuisset, ut commissarius generalis ad dictam provinciam deputaretur, qui super dictâ divisione omnes eiusdem provinciae religiosos audiret, principum ac populorum sensus exploraret, et divisionis huiusmodi necessitatem examinaret, ac, quatenus ea evitari non posset, illius modum et formam, membraque, confinia, et omnia ad pacem charitatemque inter partes divisas servandam conducentia, sedulo discuteret, illorumque relationem cum voto suo consultivo ad hanc almam Urbem transmitteret) dilectus filius Angelicus Wolfacensis, exvicarius et actualis definitor generalis dicti Ordinis ad eiusmodi commissarii generalis munus utrâque parte ipsum unanimiter petente deputatus, ac ad provinciam praedictam missus, peractis ibi quae ipsi peragenda erant, apertâque super dictâ divisione animi sui sententiâ, eam omnino necessariam, memoratosque decem, nempe Eupii, Luxemburgi, Arluni, Martisvillae, Caroloregii, Montis, seu Mons, Athi, Angia, Sonnegii et Namurci conventus ab aliis praedictis novem, videlicet Verniae, Spadae, Malmundarii, Stabuleti, Dionanti, Tudinii et Huii, necnon S. Michaëlis civitatis Leodiensis et S. Margaritae eiusdem civitatis, conventibus separandos, ac ex his decem unam Vallonam pro Vallonibus *regiis* nuncupatis, ex praedictis vero novem conventibus alteram Leodiensem respective nuncupandas provincias constituendas esse, retulit, iamque provinciarum et conventuum huiusmodi limites, confinia et districtus, necnon quaestuationes et alia iustitiae distributivae, charitati et paci consentanea iam forsan statuta designata et disposita, seu statuenda, designanda et disponenda, definitorio generali Ordinis praedicti communicata et ab eo approbata fuerunt, quae septem articulis comprehensa tenoris qui sequitur, videlicet:

Articuli, de quibus conventum est in ordine ad praetensam separationem.

De nomine et sigillo provinciarum.

I. Nomen et sigillum provinciae Valloniae retinebunt ditionis regis Hispaniae conventus. Pro conventibus autem principatuum Leodiensis et Stabulensis, in sacro Romano Imperio sitis, conficietur sigillum novum, et vocabitur provincia Leodiensis.

De earum limitibus.

II. Quaelibet provincia se contineat intra limites suorum conventuum et suorum districtuum, regii nempe intra limites conventuum Montensis, Athensis, Anghiensis, Sonegiensis, Caroloregiensis, Namurcensis, Eupensis, Arlunensis, Luxemburgensis, et S. Ioannis Baptistae iuxta Martisvillam; Leo-

1 Ed. Main. legit *fratris* (R. T.).

2 Aptius lege *remiserimus* (R. T.).

dienses vero intra limites S. Margharitae et S. Michaëlis Leodii, Varviensis, Spadani, Stabulensis, Malmundarii, Hayensis, Dionatensis, Thudiniensis, absque eo quod liceat regiis aliquem ex conventibus Leodiensibus iam memoratis, aut Leodiensibus aliquem ex praefatis conventibus regiis, iure belli aut alterius cuiuscumque praetextus, praetendere aut occupare: et haec quantum ad conventus utriusque nationis: in casu autem supervenientis alicuius controversiae, decident utriusque nationis patres.

De coenobiorum districtibus.

III. Quoad districtus vero utriusque partis conventuum, quibus quaeruntur lanae, butyrum, calefactio et cetera sustentationi necessaria, conventus Thudiensis districtus a parte Caroloregii extendatur usque in Ierne[1] S. Angeli, Montigny, Letigneux, Nalines et Famieulle inclusive, a parte vero Hannoniae usque Binchiam; districtus Caroloregius ex parte urbis Thudiniensis comprehendit Andelù, Containe, Marchiennes, Monten, Marchiennes versus Dionantum, Gerpines usque Bieme exclusive; districtus Dionantensis versus Hamurcum praescribitur Godinne, Purnod, Doxenne, Mianoytroupe inclusive, et ab alterâ parte Mosae, Riverae, Cour et S. Gérard exclusive, versus Luxemburgum usque ad oppidum et monasterium S. Huberti inclusive; districtus Hamurcanus versus Huum usque in Andennae exclusive, et sicut fuit ante, comprehendit etiam Geve; districtus Veruius versus Eupenam comprehendit Andriamont, Jayron, Rechain et Thymister; districtus conventuum Malmundarii et Stabulensis inter conventus Luxemburgum, Arlunensem et Eupensem, ut olim, in posterum remanebunt, et in parte Luxemburgensi comprehenduntur Reth, Bustembac, Bolange, S. Vith cum ipsius terrâ Reulanth Ghomen et pagi adiacentes usque ad Wampach et Ourt inclusive, Salmes cum ipsius terrâ Bellin, Lestailles et pagi adiacentes usque Boholimetle et Stembach inclusive.

De mutuâ charitate inter provincias.

IV. Cum autem conventus utriusque nationis sint inter se mixti, et necessario saepius regii per Leodios, et Leodii per regios conventus transire debebunt, observetur erga transeuntes omnimoda et seraphica charitas, iuxta illud regulae: *Ubicumque se invenerint fratres, ostendant se domesticos invicem inter se;* et quilibet provincialis in capitulis, congregationibus, et quotiescumque fratrum mutatio fiet, poterit per conventus alterius partis, qui sunt in transitu, mittere, non petità licentiâ illius provincialis; sed quando fratres extra praefatos casus volent ire ad conventus alterius provinciae, debebunt obtinere obedientiales utriusque provincialis.

De praedicatoribus et discretis.

V. Pro bonâ inter utramque provinciam correspondentiâ, praedicatores maxime stationarii a reverendis provincialibus poterunt mitti de unâ ad aliam cum eorum consensu; et in ordine ad capitula respective pro discretorum electione, servandae sunt constitutiones.

De reliquis fratribus.

VI. Omnes utriusque provinciae sacerdotes celebrabunt unam missam pro fratribus et eorum patribus et matribus defunctis. Idem charitatis munus secundum constitutiones exequentur clerici et laici fratres. Iuvenes ad Ordinem praetendentes recipiantur a provincialibus suae nationis, etiam si essent alterius districtus. Leodii XIII iulii MDCCIII.

Fr. Angelus Wolfacensis definitor et commissarius generalis.

Fr. Dionysius Melmendarius procurator generalis.

Fr. Claudius Leodiensis, definitor.

Fr. Pacificus Droncenten, definitor.

Fr. Vincentius Sonequensis, definitor.

Fr. Barnabas Chiniacensis, custos.

Fr. Eligius Leodiensis, custos.

Preces definitorii et Ordinis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipse procurator generalis, attentis praemissis, dictam divisionem expedire censeat: nobis propterea totius definitorii et Ordinis praedicti nomine humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eiusdem procuratoris generalis votis hac re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excom-

Concessio praedicta facultatis instituendi duas provincias, easque relatis articulis firmandi.

1 An recta lectio, iudicet lector scius (R. T.).

municationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem venerabilis fratris nostri Nicolai episcopi Portuensis S.R.E. cardinalis Acciaioli nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super praemissis audiverunt, ac praeinsertos articulos viderunt atque mature perpenderunt, consilio, dicto Angelico exvicario, definitori et commissario generali supradictos decem conventus ab aliis novem conventibus praedictis, sicut praemittitur, auctoritate nostrâ apostolicâ perpetuo segregandi et separandi, ac ex iis decem unam Vallonam, ex praedictis vero novem conventibus, sic segregatis et separatis, alteram Leodiensem respective nuncupandas provincias dictâ auctoritate itidem perpetuo erigendi et instituendi, ipsisque novis provinciis et illarum conventibus praedictis limites, confinia, districtus et quaestuationes iuxta articulos praeinsertos auctoritate praedictâ assignandi, omniaque et singula alia in eisdem articulis contenta et expressa praedictâ auctoritate ordinandi, statuendi et executioni demandari faciendi, quamcumque necessariam et opportunam facultatem et licentiam, eâdem auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impertimur; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et provinciae Vallonicae, ac illius conventuum[1] huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Contrariorum derogatio.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1 martii MDCCIV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 martii 1704, pontif. anno IV.

LXI.

Confirmatur et ampliatur constitutio Pauli III de privilegiis neophytorum quoad bona temporalia, cum quibusdam ordinationibus[2].

1 Edit. Main. legit *conventum* (R. T.).
2 De hac re vide Gregorii XIII constit. edit.

Clemens Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium a causis praesentis constitutionis petitum.

Propagandae per universum terrarum orbem Christianae Fidei, cuius illibatum ac perenne depositum Romana in primis servat Ecclesia, pro commissi nobis apostolici muneris debito iugiter intendentes, dum in remotissimas quasque partes Evangelii praecones ablegare satagimus, in eam simul curam diligenter incumbimus, ut quicumque disiectis infidelitatis tenebris ad verum iustitiae solem, qui Christus est, agnoscendum, eo adiuvante, festinant, nullis, quoad fieri potest, humanarum rerum obstaculis impediantur; sicque ad catholicae Ecclesiae gremium ex omni natione, quae sub caelo est, eo frequentior, quo facilior, expediatur accessus. Quamvis enim non temporalium rerum commodo, sed aeternae potius haereditatis intuitu, ad suscipiendam Christi fidem infideles allici oporteat, quin etiam edoceri praecipuam christiani hominis gloriam in eo maxime sitam esse, ut terrena despiciat, existimetque omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi domini nostri: nihilominus rationi congruum et piae matris Ecclesiae institutis consentaneum arbitramur ita paternam nostram erga eos, qui adhuc in fide parvuli lacte potius quam cibo solido nutriendi sunt, providentiam temperare, ut infirmiores quique a christianae religionis proposito, amittendarum facultatum, incurrendaeque prorsus miserae egestatis horrore, non retrahantur; cum potius, iuxta canonicas sanctiones, eos, qui ad fidem veniunt, melioris conditionis esse oporteat post baptismum, quam, antequam fidem susciperent, haberentur, et in illis etiam impleri debeat Christi certa promissio: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis.*

Ob quas uti ab aliis Romanis Pontificibus, ita a Paulo III edita fuit sequens constitutio.

§ 1. Quam quidem ob causam complures Romani Pontifices praedecessores nostri, pro traditâ sibi divinitus, in iis quae ad eiusdem sanctae Fidei favorem et propagationem pertinent, apostolicâ potestate, multa in neophytorum commodum privilegia concesserunt, aliis quoque additis ordinationibus, quibus et indemnitati ipsorum et christianae religionis dignitati et faciliori simul infidelium conversioni consultum foret; praecipue vero felicis recordationis Paulus Papa III apostolicam constitutionem edidit in haec verba:

Qua concessa fuerunt conversis retentio bonorum.

Paulus Papa XIII quod perpetuam rei memoriam. « Cupientes Iudeos etc.[1]

» Et quia difficile foret[2] praesentes ad singula quaeque loca deferre, volumus et etiam declaramus, quod earumdem praesentium transumptis, seu copiis, etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius praelati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, ubicumque forent exhibitae vel ostensae ».

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI martii MDXLII, pontificatus nostri anno VIII.

Causae ob quas a Clemente XI editur nova constitutio.

§ 2. Nos igitur, ne tam salubris constitutionis memoria temporis diuturnitate deficiat, et observantia neglectu cuiuspiam obsolescat, aut etiam fidei[3],

MDLXXXI, die 13 septembris, pontif. X; et constit. edit. MDLXXXIV, die 1 septembris, pontif. XIII; item Innocentii XI constit. ed. MDCLXXXI, die 8 augusti, pontif. V, et huius pontificis const. ed. MDCCIV, die 20 novembris, pontif. IV.

1 Reliqua omittimus, quia leguntur tomo VI, pag. 336 (R. T.).

2 Paragraphus ista heic refertur, quia deest loc. citat. (R. T.).

3 Forsan *eius* pro *fidei* legendum (R. T.).

hostium dolo, notitia converti volentibus supprimatur, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum, quibus huiusmodi negotium commisimus expendendum, consilio, atque etiam motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eamdem praeinsertam constitutionem, omniaque et singula in eâ contenta, tenore praesentium confirmamus, approbamus et innovamus, eamque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari perpetuis futuris temporibus debere statuimus et mandamus. Simulque, ad omnis dubitationis umbram penitus removendam, eadem a memorato Paulo praedecessore statuta clarius explicantes, et, quatenus opus sit, etiam amplius extendentes, bona quaelibet adventitia, quocumque modo talia censeantur, ad filiosfamiliàs christianam religionem profitentes, utpote a patriae potestatis iugo, quo parentibus infidelibus subdebantur, sacri baptismatis beneficio prorsus exemptos, pleno iure spectare, neque super illis usumfructum aut aliud quodcumque ius praefatis parentibus, quamdiu in infidelitate permanserint, ullo modo competere; e contra vero parentes ipsos aliosque quoscumque, qui conversis eorumque descendentibus aliàs alimenta seu dotem praestare quocumque titulo etiam in subsidium tenerentur, ad eadem alimenta seu dotem illis subministranda pariter teneri et obligatos esse post conversionem eorum similiter tenore praesentium declaramus, atque etiam et integro statuimus, decernimus et mandamus.

Ordinationes ne infideles occultent, vel quocumque modo distrahant bona

§ 4. Et quoniam infidelium, ac praeceteris iudaeorum malitiam eo usque in odium christiani nominis processisse pluries compertum est, ut bona sua occultando, seu in alios transferendo, vel aliàs de illis inter vivos vel etiam in ultimâ voluntate disponendo, filios aliosque consanguineos ad Christi fidem conversos eorumdem bonorum successione, ad quam ab intestato legitime admittendi fuissent, aut etiam spe successionis eiusdem fraudare tentaverint: idcirco nos, recolendae memoriae Gregorii PP. XIII praedecessoris nostri, qui, per suas quasdam sub annulo Piscatoris, die XIII septembris MDLXXXI, pontificatus sui anno X, datas litteras, huiusmodi malo, utpote in christianae fidei detrimentum cedenti, occurrendum merito censuit, vestigiis inhaerentes, iudaeos quoslibet, sicut et alios infideles, bona sua et iura quaecumque in praeiudicium filiorum aut aliorum consanguineorum, qui aliàs ipsis ab intestato decedentibus successuri essent, et christianam susceperint religionem, quocumque modo alienare seu occultare vel diminuere inter vivos aut in qualibet ultimâ voluntate non posse; sed potius eadem bona et iura quaecumque (traditâ statim post baptismum legitimâ quibuscumque aliàs post obitum competeret eorumdem) integre conservare teneri et obligatos esse; tamque ipsos quam alios bonorum eorumdem detentores vel occupatores ad illa, seu eorum rationes, quoties opus fuerit, exhibenda, et de eisdem inventarium legitime faciendum, et de utendo et fruendo, arbitrio boni viri, cavendum, opportunis iuris et facti remediis compelli posse; atque in eorum bonis et iuribus, si in infidelitate decesserint, ipsorum filios seu alios quoscumque consanguineos, ut praefertur, christianos, eodem prorsus modo et iure, nullâ etiam obstante ingratitudinis aut aliâ quantumvis legitimâ exhaeredationis causâ, quam, ob suscepti postea baptismi ve-

in fraudem filiorum conversorum, additis nonnullis provisionibus.

nerationem, sublatam prorsus esse volumus, succedere debere, ac si iidem iudaei seu alii infideles nullum fecissent aut ordinassent testamentum vel aliam ultimam voluntatem, omnesque et singulas bonorum et iurium, sive inter vivos, sive in ultimâ voluntate, alienationes, distractiones, aut alias dispositiones praedictas in huius nostrae constitutionis fraudem et in odium christianae fidei factas seu potius attentatas censeri, ac nullius propterea roboris et momenti esse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, tenore praesentium, sancimus, decernimus et ordinamus.

Item pro desiderio conversionis iudaeorum, ut executioni mandetur constitutio Gregorii XIII quoad conciones ad haebreos habendas, et concionatores benigne agant.

§ 5. Ceterum, ne dum providâ sollicitudine temporalia conversis ad fidem commoda comparamus, spirituale animarum lucrum negligere videamur in convertendis, quemadmodum infideles ceteros, qui longe sunt, sacris missionibus institutis, evangelicâ praedicatione instruere non cessamus, ita de iudaeis etiam, qui magno numero inter christianos vivunt, et nostris quodammodo oculis obversantur, aeternâ salute procurandâ praecipue cogitamus. Tristitia enim nobis magna est (fidenter cum Apostolo dicimus) et continuus dolor cordi nostro, dum paterni amoris visceribus miseramur israeliticam gentem, olim Deo amabilem, populum quem elegit Dominus in haereditatem sibi et custodivit quasi pupillam oculi sui; nunc autem (postquam, iudaicâ in summum sceleris erumpente perfidiâ, vere iratus est furore Dominus in populum suum, et usque in finem abominatus est haereditatem suam) velut gregem sine pastore dispersum per invia quaeque et inaquosa misere divagantem, ac verbi Dei, quod illi unicum superest, salutari pabulo destitutum, solo scilicet litterae, quae occidit, a iudaeis cortice degustato, spiritu vero, qui vivificat, ab animalibus hominibus non percepto. Propterea ad eosdem iudaeos in sanctae fidei veritate salubriter erudiendos et trahendos ad Christum, ea omnia et singula, quae de sacris lectionibus seu sermonibus per singulas hebdomadas ad ipsos, ubicumque eorum synagogae fuerint, habendis, memoratus Gregorius praedecessor noster in aliis suis anno Incarnationis dominicae MDLXXXIV, kalendis septembris, pontificatus sui anno XIII editis apostolicis litteris, quarum tenorem pro expresso in praesentibus haberi volumus, sapienter constituta sunt, ab omnibus, ad quos pertinet, inviolate servari, et, sicubi[1] in desuetudinem abierunt, in usum revocari praecipimus et mandamus; concionatores omnes, qui ad id munus electi fuerint, specialiter admonentes, iisque etiam in nomine Domini districtius iniungentes, ut memoratos iudaeos non iniuriis, contumeliis aut nimiâ verborum asperitate, quibus in iudaicâ magis perfidiâ obfirmarentur, sed charitate potius et mansuetudine, quam mitis nos et humilis corde Christus edocuit, velut oves errantes ad sanctae Ecclesiae caulas suaviter allicere, et, patefactâ ex veterum potissimum, quas venerantur, scripturarum oraculis christianae veritatis luce, velamen ab oculis eorum detrahere omni studio satagant, ut ex iudaicae pravitatis tenebris, quibus obscurati sunt oculi eorum ne videant, Dei omnipotentis operante virtute, liberentur.

Tandem ecclesiarum praelatis, ac saecularibus principibus, omnibusque christifidelibus neophyti commendantur.

§ 6. Postremo iudaeos omnes, ceterosque infideles quoscumque, qui ad baptismi gratiam, Deo donante, pervenerint, omnibus ecclesiarum praelatis, ac saecularibus, etiam principibus, per misericordiae Dei nostri viscera commendamus, ut eos patrocinio foveant,

1 Edit. Main. legit *siculi* (R. T.).

auctoritate adiuvent, potentiâ tueantur, neque ab aliis, praesertim vero a iudaeis aut quibusvis infidelibus, ullâ in re indebite vexari patiantur; universosque ubique terrarum christifideles in unigeniti Filii Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, cuius vice fungimur, nomine hortamur et obsecramus, ne venientes ex infidelitate, praesertim pauperes, despiciant, aut aversentur; sed potius novella huiusmodi Ecclesiae germina officiis ac beneficiis, prout quisque poterit, excolere et irrigare non desint, atque, ut veros in Christo fratres ac domesticos fidei effectos, benigne excipiant, in necessitatibus sublevent, et omni demum christianae charitatis genere prosequantur; ut de suscepto sanctae fidei proposito gaudium ipsorum sit plenum et exultatio, iis vero, qui foris sunt, et adhuc infidelitatis caligine detinentur, ad eiusdem sanctae matris Ecclesiae gremium properandi desiderium excitetur.

Clausulae. § 7. Decernentes, easdem praesentes litteras, etiam ex eo, quod quicumque praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, eisdem non consenserint, aut vocati seu auditi non fuerint, aut aliâ quavis de causâ, quantumvis legitimâ et in corpore iuris causâ, de ullâ subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, vel in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci nullatenus posse; sed semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere, et ab eis, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; ac irritum quoque et inane quidquid secus super omnibus et singulis praemissis, vel circa ea, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 8. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, ac ceteris nostris et Cancellariae regulis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut aliâ quavis firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris, etiam apostolicis, seu etiam regiis et imperialibus, eisdem iudaeis vel infidelibus quibuslibet, singulis, aut eorum universitatibus, quomodolibet, et ex quibusvis causis, etiam publicis, gravissimis et urgentissimis, atque etiam titulo oneroso, et vim contractûs hinc inde obligatorii inducente, concessis (quae, quatenus in detrimentum catholicae fidei, quam humanis quibusque rationibus quicumque debet praeferre christianus, quomodolibet vergant, et ad effectum dumtaxat praesentium, cassamus et irritamus, ac cassa et irrita esse decernimus), aliisque omnibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, quomodolibet in contrarium praemissorum editis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones, ac alia

Contrariorum derogatio.

etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Decretum annuae publicationis.

conventus sequentes: 1° Provincialis; 2° collegium Conimbricense; 3° conventus Dominae de Penha de Franca; 4° conventus de Villa Nicozza; 5° conventus Ulyssiponensis; 6° conventus de Pena Firmet; 7° conventus Leiriensis; 8° conventus Albiscastrensis; 9° conventus de Fanira; 10° conventus de Pontadelgada; 11° conventus Angrenensis; primus definitor et tertius definitor, unus visitator, secretarius provinciae, duo additi definitores. Ex alterâ filiatione erunt conventus sequentes, scilicet: 1° conventus Dominae Gratiarum Ulyssiponensis; 2° collegium Bracharense; 3° conventus Eborensis; 4° conventus Santarensis; 5° conventus Portuensis; 6° conventus de Torres Vedras; 7° conventus Montemor; 8° conventus de Loule; 9° conventus de Lamego; 10° conventus de Arronchez; 11° conventus de Praya; secundus definitor et quartus definitor, unus visitator, procurator provinciae, duo additi definitores. Factâ hac aequali divisione, eodem modo dividantur superiores, confessores monialium, et omnia officia conventuum, itaut superiores, confessores monialium et officiales omnes sint eiusdem filiationis ac prior, exceptis tantummodo discretis ac depositariis, qui dimidiabuntur per ambas filiationes, cum sint officia, quae specialem requirunt capacitatem, et aequaliter debent dividi in omnibus conventibus. Ita etiam dividantur examinatores in collegio Conimbricensi et in conventu Dominae Gratiarum Ulyssiponensi, taliter ut in collegio Conimbricensi sit unus tantummodo examinator ex filiatione provincialis, et duo ex alterâ filiatione; in conventu vero Dominae Gratiarum erunt duo ex filiatione provincialis et unus ex alterâ filiatione. Et si forte valuerit[1] aliquis prioratus vel aliud quodcumque officium ante capitulum, erit eligendus ex eâdem filiatione. Provincialis in toto triennio recipiet tantummodo viginti novitios ad coronam, et in illorum susceptione servari debent constitutiones et decreta (consideratâ novitiorum conditione); pro laicis autem duo tantum acceptari debent in eodem triennio; et omnes novitii post professionem assignabuntur eidem filiationi provincialis. In quolibet capitulo fient duo lectores artium, quilibet ex suâ filiatione; et si non fuerint in eodem collegio Conimbricensi, variabuntur, itaut nec semper lector artium in Conimbricensi collegio sit ex unâ filiatione, sed in uno triennio ex unâ et in alio ex aliâ; si vero non fuerit conveniens aliquando, nisi unus tantummodo cursus artium, observabitur alternativa in sequenti cursu. Sic etiam fient substituti artium ac theologiae aequaliter, itaut non possit unus provincialis facere ex unâ filiatione, quin etiam ex aliâ sumat aliud[1] vel alios, ut aequaliter distribuantur per ambas filiationes lectores, qui fient semper ex ipsis substitutis tempore debito, servato ordine religionis, ac semper per oppositionem factam in collegio Conimbricensi, ubi omnes magistri et lectores erunt iudices, vel in conventu Ulyssiponensi Dominae Gratiarum, ubi omnes magistri Ordinis Ulyssipone degentes cum provinciali erunt. Lectores theologiae moralis in cathedris publicis non fient, nisi servato ordine alternativae, et, si fieri posset, ex lectoribus habentibus novem annos lecturae theologiae speculativae vel philosophiae, et tunc computentur dictis lectoribus anni sicut si fuissent theologiae speculativae. Ex lectoribus habentibus novem annos theologiae speculativae vel philosophiae, si non dentur eis cathedrae publicae theologiae moralis, eam legere in collegiis per ultimos tres annos indispensabiliter teneantur. Lectores vero theologiae moralis non habentes novem annos lecturae theologiae speculativae vel philosophiae, non eis computentur anni ad iubilationem, sed duo pro uno computentur, et ad minus habeant quatuor annos theologiae speculativae vel philosophiae, ut possint iubilari, quod indispensabiliter deinceps observabitur. Magisteria et praesentaturae de numero a reveredissimo provideantur, servato etiam ordine filiationis, ut haec vota dividantur aequaliter per ambas filiationes, itaut si in principio assignentur plura uni quam alteri filiationi, quoadusque perveniat ad numerum aequalem, et sint tot magistri ex unâ

1 Potius lege *vacaverit* (R. T.).

1 Potius lege *alium* (R. T.).

filiatione et tot ex aliâ, similiterque in praesentatis, et deinceps erit providendum ex illâ filiatione unde vacaverit. Magisteria ex gratiâ concessa patri generali, etiam dividantur aequaliter, servato ordine alternativae, et quod non dentur, nisi lectoribus iubilatis postulatis a definitorio. Si provincialis renunciaverit vel obierit ante triennium completum, succedat rector provincialis eiusdem tamen filiationis provincialis demortui vel renunciantis, et hoc usquequo pater generalis provideat de rectore provinciali, quae electio fieri debet a reverendissimo ex patribus eiusdem filiationis provincialis demortui vel renunciantis. In capitulis praesidens semper erit eligendus a reverendissimo ex filiatione provincialis deficientis, et nunquam ex filiatione provincialis eligendi. Duo visitatores provinciae eligantur iuxta alternativam, unus ex unâ filiatione, et alius ex aliâ, et deficiente quolibet ante congregationem succedat alius eiusdem filiationis capituli proximioris; et si nullus inveniatur illius filiationis qui succedere possit, eligatur[1] a definitorio alius eiusdem filiationis, sicut si deficiat post congregationem. Eo triennio, quo erunt eligendi definitor et discretus ad capitulum generale, fiat ex unâ filiatione definitor et ex aliâ discretus, itaut definitor generalis in uno sexennio sit ex unâ filiatione, et discretus ex aliâ, et in alio sexennio viceversâ, ut aequaliter etiam procedatur in his electionibus.

Quaedam praecipiuntur pro executione alternativae.

Utque omnia in his litteris contenta exacte cernantur, desideratusque perpetuae provinciae tranquillitatis finis consequatur, praecipimus, quod omnia in hisce nostris apostolicis litteris de unanimi totius provinciae consensu disposita, in libro provinciae et in alio ad hoc specialiter determinando adnotentur, ac in eo sub fide secretarii provinciae numerentur et describantur omnes unius alteriusque filiationis fratres, tam ex iure de praesenti assignatis, quam in futurum assignandis, sub poenâ privationis vocis activae et passivae, cui irremissibiliter subiacebunt singuli, qui praedictarum filiationum subscribi noluerint; quia vero aliqui de praesenti reperiuntur, qui, vel propter absentiam, vel propter professionem tempore prius a nobis praescripto non emissam, vel propter aliam rationabilem causam, neutri ex dictis filiationibus addicti sunt, ut omnis in posterum fraudulentiae occasio evitetur, mandamus quod omnes et singuli religiosi professi, cuiuscumque gradus et conditionis existant, qui usque modo non sunt quovis titulo adscripti, filiationem eligant, et in praefato libro ad hoc specialiter destinando intra tempus duorum mensium a praesentium publicatione, et qui in posterum professionem emittent, intra idem tempus a die professionis computandum, adscribantur, sub poenis in nostro primo decreto iam taxatis ipso facto irremissibiliter incurrendis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, Ordinis et provinciae, statutis et consuetudinibus; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. In quorum fidem praesentes manu nostrâ firmatas fieri et subscribi, sigillique nostri iussimus impressione muniri. Datum Ulyssipone, in palatio nostrae solitae residentiae, hac die XXX mensis iunii, anno MDCCIII, pontificatus sanctissimi domini nostri domini Clementis Papae XI anno III. — *Loco* † *sigilli*. FRANCISCUS IGNATIUS DE FERRANTIBUS secr. *Registratus lib.* III *fol.* 17, IOANNES DOMINICUS DE HONORATIS registr. MICHAËLANGELUS, archiepiscopus Tarsensis.

Confirmatio alternativae et relatarum nuncii.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, quo firmiora sint et serventur exactius illa quae apostolici muniminis praesidio roborantur, nobis propterea memorati Petri regis nomine humiliter supplicatum fuit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, piis eiusdem Petri regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus in-

1 Edit. Main. legit *eligetur* (R. T.).

clinati, alternativam huiusmodi a praedicto Michaëleangelo archiepiscopo et nuncio factam ut praefertur, expeditasque desuper illius patentes litteras praeinsertas, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX aprilis MDCCIV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 19 aprilis 1704, pontif. anno IV.

LXV.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis Ordinis Servorum B. M. V., dominica III *septembris*[1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Iniunctae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio postulat ut caelestium munerum thesauros dispensationi nostrae a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam fidelium religionem et animarum salutem speramus in Domino profuturum. Exordium.

§ 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Ioannis Petri Bertazzoli procuratoris generalis Ordinis fratrum Servorum B. Mariae Virginis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis et sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque conventuum dicti Ordinis, tam hactenus erectis quam in posterum quandocumque erigendis, et ubicumque locorum existentibus, dominicâ tertiâ mensis septembris a primis vesperis usque ad occasum solis dominicae huiusmodi annis singulis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Concedit ut in rubrica.

§ 2. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Fides transumptorum.

1 Aliae indulgentiae extant in Clementis X const. edit. MDCLXXII, die 4 iulii, pontif. III; et in Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVIII, die 19 ianuarii, pontif. V.

notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI iunii MDCCIV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 11 iunii 1704, pontif. anno IV.

LXVI.

Confirmantur quaedam decreta conventus generalis Congregationis Missionis, declarantia constitutiones, cum extensione excommunicationis latae sententiae contra ambientes praefecturas [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Militantis Ecclesiae regimini, per abundantiam divinae bonitatis, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praepositi, illa, quae, pro felici Congregationum personarum ecclesiasticarum in Ecclesiâ Dei pie sancteque institutarum, ac uberes bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio, proferre iugiter satagentium, gubernio et progressu, provide sapienterque constituta et ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis praesidio libenter constabilimus.

Insequentibus decretis declarantur quaedam capita ad tollenda suborta dubia.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Watel, superior generalis Congregationis Missionis, quod pro felici dictae Congregationis eiusque presbyterorum regimine et directione in conventu generali ipsius Congregationis, qui mense augusto MDCCIII Parisiis celebratus est, inter alia, nonnulla decreta, per quae quaedam puncta constitutionum Congregationis huiusmodi auctoritate apostolicâ confirmatarum clarius declarantur, et super quibus aliqua dubietas exoriri poterat, edita fuerunt tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreta conventus generalis Congregationis Missionis mense augusto MDCCIII *Parisiis habiti, quae Franciscus Watel superior generalis in eo electus, et presbyteri eiusdem Congregationis Sedi Apostolicae confirmanda supplices exponunt tenoris qui sequitur:*

De casu quo superior generalis inhabilis evadat ad regimen.

I. Quaesitum est, in quo residere debeat potestas regendi Congregationem quo tempore superior generalis non potest per gravissimam ac diuturnam infirmitatem et per defectum iudicii eam administrare, usquedum vicarius eligatur. Responsumque hanc potestatem concedi a conventu hoc generali primo assistenti, vel secundo si primus non posset, cum limitationibus quae vicario generali praescribuntur in constitutionibus; huiusque decreti confirmationem a Summo Pontifice postulandam. Ut autem iudicetur, an superior generalis eo in statu infirmitatis versetur, qui illum praestet omnino inidoneum Congregationis regimini, censuit conventus de eo statu ab assistentibus, a visitatore provinciae, a superioribus quinque viciniorum domorum, a secretario et Congregationis procuratore, ab assistente domus, si non sit ex assistentibus Congregationis, et a sex sacerdotibus domus, iisque ratione vocationis antiquioribus, in qua commoratur superior generalis, ad [1] plura medietate suffragia, eaque publica, iudicandum; cui quidem deliberationi non intererit primus assistens, vel is cui committenda esset praedicta potestas, et cui praeerit assistens electione antiquior.

De electione

II. Proposita haec quaestio est: Utrum vi-

1 Lata fuit praedicta excommunicatio a Clemente X constit. edit. MDCCLX, die 11 iunii: in huius Pontificis const. ed. MDCCIII, die 9 iunii, pontif. III, agitur de iure praesidendi conventui generalis; et in const. ed. MDCCVII, die 2 aprilis, pontif. VII, de praetensâ divisione contra constitutiones.

1 Edit. Main. legit *ea* pro *ad* (R. T.).

Vicarii generalis.

carius generalis possit eligi a conventu deputatorum iuxta ea quae habentur constitutionum capite II § 3. Cuius quaestionis proponendae haec ratio fuit, quod a multis uni tantum conventui generali vicarium generalem eligendi potestatem in selectis[1] a S. Sede approbatis crederetur; dictumque suffragiorum pluralitate, debere a Summo Pontifice postulari a Congregatione, ut omnis circa illud negocium vel minimus tollatur scrupulus, conventui deputatorum, sive etiam sexennali, si quando necessitas eligendi vicarium occurreret, eiusdem electionis faciendae ius et potestatem competere.

De casu, quo duo existant vicarii generales, electus scilicet et nominatus.

III. Quaesitum est quid sentiendum iudicet conventus de casu sequenti, qui raro quidem potest accidere. Si superior generalis, in eo statu infirmitatis positus, vicarium generalem nominare deberet, ac nollet, aut non posset, et tunc conventus vicarium eligeret; quaeritur utrum, hoc ipso superiore mortuo, capsula in qua nomen vicarii recluditur aperiri tunc deberet, et, qui electus esset a conventu, vicario generali nominato a superiore generali cederet locum et curam, seu regimen Congregationis. Responsumque super eâ re adeundam Sanctam Sedem, ut nominatio seu electio vicarii generalis a conventu facta in praedicto casu firmam esse et validam usque ad electionem novi superioris generalis declaretur. Tunc que capsula non aperiretur, nisi ut extracta ex illâ schedula comburatur.

De assistente generali ad regimen avocato.

IV. Petitum fuit num deberet quoque ab eâdem Sanctâ Sede pro assistente ad regimen Congregationis evocato, in casu qui superius exprimitur, facultas peti eamdem nostram Congregationem regendi, conventum etiam generalem tempore a constitutionibus praescripto convocandi, ac in eo usque ad vicarii generalis electionem praesidendi. Et hoc quoque postulandum esse conventus statuit.

De facultate dispensandi super votis.

V. Quaesitum deinde est, num oportet postulare a Sanctâ Sede pro vicario generali, seu nominato a domino superiore generali, sive etiam in conventu electo, ut superius dictum est, ac pro assistente qui usque ad electionem vicarii generalis Congregationem administraret, dispensandi in actu dimissionis cum aliquibus de nostris de suis votis facultatem; cum evenire aliquando possit, ut, propter magni momenti rationes, vel dimitti vel expelli a Congregatione tunc temporis debeant, et[1] eam selectae facultatem uni superiori generali tribuere videantur. Responsumque eam licentiam a Sanctâ Sede esse postulandam.

De eligendis ad generalatum et alia officia Congregationis.

VI. Ad instantem Italiae Poloniaeque provinciarum postulationem, nos omnes congregati unâ voce et unanimi consensu declaramus, quod, non[2] modo in hac proxime futurâ superioris generalis electione, quam, propter dimissionem a reverendo admodum domino Nicolao Pierron ab officio generalatus factam et a conventu admissam, intra paucos dies fieri oportere statuit, verum quoque in futuris quibuslibet electionibus, neminem e[3] sacerdotibus nostris, qui duodecim annos post emissa vota in Congregatione transegerunt, cuiusvis tandem sit nationis et patriae, dummodo nullo canonico impedimento irretiatur, tam ab ipso generalatu, quam a quovis alio officio, quavis ratione, et non aliis utendo regulis quam quae a sacris canonibus et nostris praescribuntur in constitutionibus, esse vel fore excludendum, cum quilibet ex praedictis sacerdotibus libere et cum effectu ad praedicta officia eligi possit et valeat; hanc que esse constitutionum nostrarum variis a Sanctâ Sede approbatarum et usque in hanc diem emanatis sanctionibus et Brevibus ad electionem spectantibus mentem, ac intentionem conventus generalis, agnosci, quas illibate observari statuimus.

Confirmatio relatorum decretorum, cum excommunicatione latae sententiae contra ambientes generalatum vel vicariatum generalem.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Franciscus superior generalis decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, ac aliàs oppor-

1 Nempe *in constitutionibus selectis* (R. T.).

1 Particulam *et* nos addimus (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *novo* pro *non* (R. T.).

3 Male heic legit *a* pro *e* (R. T.).

tune in praemissis a nobis provideri plurimum desideret: nos, ipsius Francisci superioris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, omnia et singula decreta praeinserta, in eisque contenta quaecumque, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri vel praetendi possent, supplemus et sanamus.

Excommunicatio contra ambientes praefecturas.

§ 3. Praeterea excommunicationis latae sententiae poenam, per quasdam felicis recordationis Clementis Papae X praedecessoris nostri desuper in simili formâ Brevis die XI iunii MDCLXX expeditas litteras contra ambientes generalatum latam, ab obitu superioris generalis incurrendam, a die convocationis conventus ad electionem superioris vel vicarii generalis indicti, etiam quando conventus huiusmodi, vivente adhuc superiore generali, iuxta praescriptum constitutionum praefatarum, celebrari debet, auctoritate et tenore praedictis extendimus et ampliamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras ac decreta praeinserta semper firma valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX septembris MDCCIV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 septembris 1704, pontif. anno IV.

LXVII.

Declaratur, communitates baronales Status Ecclesiastici comprehendi sub constitutione Clementis VIII aliisque apostolicis ordinationibus rectum regimen respicientibus[1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Reverendissimo cardinale Imperiale prefetto delle Congregazioni de'sgravi e buon governo delle Comunità del nostro Stato Ecclesiastico.

Lis inter barones et communitates super oneribus cameralibus.

§ 1. Per togliere noi gli abusi, e dar opportuno rimedio ai gravi pregiudizî, che dai baroni del nostro Stato Ecclesiastico, o loro ministri, erano stati introdotti, e si apportavano alle comunità delle città, terre, castelli, ed altri luoghi da essi baroni posseduti nel detto nostro Stato, particolarmente nel ripartimento de' pesi camerali, rinnovammo la Congregazione particolare altre volte dalla santa memoria d'Innocenzo XI nostro predecessore deputata per decidere e terminare la controversia tra le dette comunità e i loro baroni sopra di ciò da lungo tempo ancora indecisa pendente, nella quale, più volte esaminatesi e maturatamente consideratesi le ragioni dedotte per parte delli detti baroni, finalmente nel dì XIX decembre MDCCII, a tenore della resoluzione presasi, fu pronunciato essere li detti baroni tenuti al pagamento del sussidio triennale e di altri pesi camerali, come sono tenuti ed obligati gli altri cittadini di essi luoghi, tanto per li beni posseduti nel tempo delle imposizioni di detti pesi, quanto per gli altri dopo acquistati e da acquistarsi; alla qual sentenza vogliamo sempre si abbia relazione. Dalla qual sentenza appellatisi i detti baroni alla nostra Signatura di grazia, parve a questa, tenutasi avanti di noi nel giorno XXII maggio dell'anno MDCCIII prossimo passato, di negare alli detti baroni, anche in devolutivo, l'appellazione, emanandone rescritto *Nihil*. E desiderando noi che con la maggior possibile sollecitudine avesse il detto giudicato il suo effetto coll' astringere i detti baroni al pagamento delli pesi suddetti, deputammo altra Congregazione particolarmente per esaminare il modo con cui potesse più facilmente e speditamente ottenersene l'esecuzione. Quale tenutasi avanti di voi, essendo stata di parere doversi deputare e trasmettere i commissarî e visitatori apostolici in ciascuna città, terra e luogo baronale, con facoltà di far stimare, allibrare e descrivere ne' publici catasti tutti i beni da essi baroni in quelli posseduti, di riveder le tabelle di dette comunità, correggerle e riformarle, e di nuovo ordinarle, e di far tutt'altro che da detti visitatori si fosse giudicato necessario, perchè siano i beni di detti baroni tassati egualmente che gli altri dei cittadini e abitanti dei suddetti luoghi, e che siano altresì i medesimi baroni astretti al pagamento de' pesi per la rata ad essi toccante, e riferitoci da voi il sentimento di detta Congregazione, ci compiacemmo d'approvarlo; siccome, acciò fosse pienamente eseguito, deputammo, per commissarî e visitatori dei suddetti luoghi, diversi prelati, concedendo loro ogni necessaria ed opportuna facoltà ed autorità di riconoscere lo stato delle comunità di detti luoghi, riformare e correggere i catasti in quelle esistenti, e dove non si trovassero, ordinare che di nuovo si facessero, pren-

1 Clementis VIII constitutio de bono regimine communitatum ed. fuit MDXCII, die 15 augusti, pontif. I; in huius Pontificis const. edit. MDCCI, die 4 maii, pontif. I, electus fuit praefectus Congregationis boni regiminis; et in const. ed. MDCCXIV, die 24 martii, pontif. XIV, agitur de arte agrariâ.

dendo l'assegna de' beni tanto dagli ecclesiastici quanto da' baroni, e da altre qualsisiano persone, e facendo quelli stimare, allibrare e descrivere nei publici catasti; di far nuove tasse e ripartimenti de' pesi camerali suddetti, di modo che al pagamento di quelli debbano concorrere tanto gli ecclesiastici secolari e regolari, quanto ogni barone, e qualunque altra persona benchè privilegiata; di rivedere le tabelle di esse comunità, correggerle, riformarle e di nuovo ordinarle, e con altre facoltà diffusamente espresse nei nostri Brevi sopra di ciò spediti, a' quali in tutto, e per tutto debba aversi relazione. Ed avendo, non senza grande nostro dispiacere, sentito, che nella visita dei detti luoghi siasi riconosciuto che la maggior parte delle dette comunità siano state notabilmente pregiudicate per la cattiva amministrazione dei ministri ed offiziali dei baroni e delle suddette comunità, anzi in alcuni contratti fatti con i medemi baroni enormissimamente lese, e che nei detti luoghi baronali non vi siano tabelle, o quelle formate senza la dovuta buona regola; ed essendo stati rappresentati li detti pregiudizî ed altri abusi in danno delle suddette comunità nella Congregazione avanti di voi tenuta, la medesima sia stata di sentimento, non ostante qualunque osservanza in contrario, espressamente comprenderle, ed a quelle stendere ed ampliare la detta costituzione della santa memoria di Clemente VIII sopra il buon governo delle comunità, come a loro favorevole: onde, compassionando noi lo stato di dette povere comunità e sudditi, ed invigilando col nostro paterno zelo al sollievo di essi, ed a togliere affatto li suddetti pregiudizî ed abusi in grave danno delle comunità causati ed introdotti, abbiamo, per provedere all'indennità di esse e sudditi in avvenire, inerendo alla prefata risoluzione, determinato di dichiarare tutte le comunità dei luoghi baronali esistenti nel nostro Stato Ecclesiastico per comprese, e come fossero espressamente ed individualmente nominate nella detta costituzione di Clemente VIII nell'istesso modo e forma che sono tutte le altre comunità del nostro Stato Ecclesiastico. Quindi, avendo nel presente nostro chirografo per espresso e di parola in parola inserto il tenore di tutte le risoluzioni e decreti emanati nelle Congregazioni suddette (quali, e tutt'altro per l'esecuzione di quelli finora fatto, di nuovo approviamo e pienamente confermiamo), della detta costituzione di Clemente VIII, ed altre costituzioni ed ordinazioni apostoliche successivamente emanate sopra il buon governo delle comunità del nostro Stato Ecclesiastico, ed ogni altra cosa quantosivoglia necessaria ad esprimersi, rivocando primieramente ed annullando colla pienezza della nostra potestà pontificia tutti e qualsivoglia privilegî, esenzioni, facoltà, immunità e prerogative alli detti baroni del detto nostro Stato, tanto ecclesiastici quanto secolari, ed ancorchè cardinali, arcivescovi, vescovi, anche assistenti alla nostra cappella, chierici di Camera camerali, ministri, ed offiziali del nostro palazzo apostolico, cavalieri di Malta, regolari delle undici Congregazioni, e di qualunque altro stato, grado e condizione, ancorchè fossero tali che per comprenderli avessero bisogno di speciale ed individua menzione, in qualsivoglia modo e sotto qualsivoglia titolo, causa, colore e capo concedute da qualsisiano Sommi Pontefici nostri predecessori con qualsisiano parole e clausole insolite e derogatorie di derogatorie, ed anche con-

Causae praesentis chirographi.

Declaratio de qua in rubricâ.

sistorialmente, di nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della nostra potestà apostolica, dichiariamo che tutte le comunità di qualsisiano città, terre, castelli, ed altri luoghi baronali esistenti dentro il nostro Stato Ecclesiastico, siano e s'intendano comprese ed individualmente e singolarmente nominate nella detta costituzione di Clemente VIII; e vogliamo e decretiamo che siano tenute ed obbligate di trasmettere e fare esibire ogni anno alla detta nostra Congregazione del buon governo le loro tabelle, e che soggiacciano e debbano soggiacere a tutte le medeme regole, ordinazioni e leggi della detta Congregazione, alle quali, a tenore della detta costituzione di Clemente VIII, dei chirografi, moti proprî, e d'altre costituzioni ed ordinazioni apostoliche nostre e dei nostri predecessori, sono sottoposte le altre comunità del nostro Stato Ecclesiastico, come se dal principio fossero state comprese ed espressamente nominate, o che da loro medesime si fossero spontaneamente e validamente sottoposte: ordinando alli detti baroni, loro governatori e podestà, che in avvenire, sotto le pene ad arbitrio della detta Congregazione del buon governo, vostro, o dei prefetti *pro tempore* della medesima Congregazione, ed ad esse comunità, che, sotto le stesse pene ed altre contenute nella detta Bolla di Clemente VIII, non ardiscano in modo alcuno contravenire alla disposizione della detta Bolla, anzi debbano quella, i chirografi ed altre costituzioni ed ordinazioni apostoliche emanate sopra il buon governo delle dette comunità in tutto e per tutto inviolabilmente osservare ed eseguire. E per il pieno effetto di questa nostra determinazione pubblicherete editti, anche penali, e farete quelli affiggere dove e quando a voi parerà, e darete tutti gli ordini che sopra di ciò stimerete necessarî ed opportuni, per esser tale la mente e volontà nostra espressa.

Clausulae.

§ 2. Volendo e decretando che al presente nostro chirografo, ammettendosi e registrandosi in Camera secondo la disposizione della Bolla di Pio IV nostro predecessore *de registrandis*, non si possa mai opporre di subrezione, obrezione, o difetto della nostra volontà ed intenzione, nè d'alcun altro vizio o difetto sì sostanziale come formale, ma che debba avere il suo pieno effetto, esecuzione e vigore con la semplice nostra sottoscrizione, e come se la detta nostra determinazione fosse stata da noi fatta in pieno concistoro, e di consenso di tutti i reverendissimi cardinali, ed in ogni altro migliore e più valido e legittimo modo, ed ancorchè non vi siano stati chiamati, citati, nè sentiti i detti baroni, le comunità, e qualsisiano altre persone che vi avessero o in qualsivoglia modo pretendessero d'avervi interesse, e che così e non altrimente debba sopra tutte e singole cose suddette giudicarsi, definirsi ed interpretarsi da qualsisiano giudici ordinarî, commissarî, delegati e subdelegati della nostra Camera e Ruota, dal reverendissimo cardinal camerlengo, e da altri reverendissimi cardinali, benchè *de latere* legati, togliendo ad essi ed a ciascheduno di loro la facoltà ed autorità di giudicare, definire ed interpetrare altrimenti; dichiarando noi preventivamente d'adesso, per quando venisse il caso, irrito, nullo ed invalido tutto ciò che in contrario si facesse; non ostanti qualsisiano privilegî, indulti, esenzioni e prerogative alli detti baroni ed altre persone privilegiate sopra espresse concedute con le derogatorie delle derogatorie, restituzione *in integrum*, in

qualsivoglia modo e forma e clausole amplissime, e decreti irritanti, e che per comprenderli fosse di bisogno farne speciale ed individua menzione, chirografi, moti proprî, concilii generali e provinciali, decreti e risoluzioni fatte in essi, leggi civili e canoniche, la regola della nostra Cancellaria *de iure quaesito non tollendo*, e qualsisiano statuti, benchè confermati dalla Santa Sede, usi, stili consuetudini ed osservanze antichissime, e qualunque altra cosa che facesse o potesse fare in contrario; alle quali tutte e singole, avendone il tenore qui per espresso e di parola in parola inserto, di nostro moto proprio, certa scienza, e colla pienezza della nostra potestà, supplendo a qualunque vizio e difetto sì sostanziale come formale che sopra ciò potesse intervenire, per questa volta sola ed all'effetto predetto amplamente deroghiamo.

Dato dal nostro Palazzo apostolico di Monte Cavallo questo dì 1 ottobre MDCCIV.

Dat. die 1 octobris 1704, pontif. anno IV.

LXVIII

Referuntur acta causam rituum seu caeremoniarum Sinensium complectentia: — I. Mandatum seu edictum domini Caroli Maigrot vicarii apostolici Fokiensis in regno Sinarum, nunc episcopi Cononensis; — II. Quaesita ex eodem mandato seu edicto excerpta, sacrae Congregationi sanctae Romanae et universalis Inquisitionis proposita; — III. Responsa data iisdem quaesitis a praefatâ Congregatione; — IV. Decretum a sanctissimo domino nostro domino Clemente divinâ providentiâ Papa XI in câdem Congregatione die XX *novembris* MDCCIV *editum, quo dicta responsa confirmantur et approbantur* [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

I.

MANDATUM SEU DECRETUM

Domini Caroli Maigrot vicarii apostolici Fokiensis in regno Sinarum, nunc episcopi Cononensis.

Carolus Maigrot, sacerdos, vicarius spostolicus Fokiensis, sacrae facultatis Parisiensis doctor, sociusque Sorbonicus, omnibus vicariatus nostri consacerdotibus, salutem in Eo qui est omnium vera salus.

Ex quo in Sinarum imperium, Deo favente, appulimus, nobis semper haec vicariorum apostolicorum sollicitudinis praecipua pars visa est, ut diversis quaestionibus, de quibus inter missionarios iamdiu controvertitur, finem, si fieri posset, afferrent; sin minus, regulam missionariis traderent, quae, donec Apostolica Sedes controversiam diiudicaret, aequali ab omnibus usu et ratione servaretur. Neque enim, quod saepius gementes conspeximus, sine magno ecclesiarum istarum detrimento accidit, ut Evangelii ministri, in rebus quae ad Dei cultum et idololatriae extirpatione mattinent, inter se non consentiant; ut quod alii sine idololatriae labe fieri posse non putent, hoc alii christianos facere permittant, aut etiam ad faciendum adhortentur, utque illi ipsi, qui certos usus superstitiosos esse arbitrantur, eosdem pro bono pacis interdum tolerent. E qua mali tolerantiâ malum radices agere atque in dies incrementum accipere diuturnâ experientiâ cognovimus. Causae praesentis mandati.

§ 1. Et quidem plerique vicariatûs Summum studium in eo con-

[1] In Innocentii XI const. ed. MDCLXXXI, die 8 augusti, pontif. V, editae fuerunt nonnullae ordinationes in causis fidei novorum christianorum in regnis Portugalliae, et in huius pontificis const. ed. MDCCXV, die 19 martii, pontif. XV, praecipitur observantia praesentium decretorum in causâ Sinicâ.

dendo adhibitum. nostri missionarii, hanc in quaestionibus tanti momenti non sententiarum modo discrepantiam, sed praxis et usus dissimilitudinem tolli magnopere cupientes, nostram, pro eo quo indigni fungimur vicarii apostolici munere, sententiam seiscitati sunt, ac, ne continuis conscientiae scrupulis et angoribus premerentur, *aliquid saltem* per interim *a nodis decerni saepius instarunt*. Rerum autem gravitas fecit, ut non ita cito responderimus, atque illi exoptabant: etsi enim iam a multo tempore, bonae memoriae episcopi Heliopolitani, olim vicarii apostolici Fokiensis et Sinarum missionum generalis administratoris, iussu, cum suas nobis vices demandaret, his rebus incumberemus; nova tamen et acrior diligentia, postquam ad apostolicum vicariatum a Sanctâ Sede electi fuimus, adhibenda esse visa est. Qua in re id vere affirmare possumus, nihil a nobis sponte praetermissum fuisse, ut, sive ex Sinicis fontibus, sive ex commentariis hoc in genere europaeo idiomate conscriptis, quoscumque habere potuerimus, sive ex eruditorum virorum consortio veritatem indagaremus. Et quod omnium maxime necessarium est, Deum iugi sacrificio et assiduis precibus obsecravimus ut tenebras nostras illuminaret, et semitas suas, quodqué placitum et acceptum est in oculis suis, edoçeret.

Praeceptum pro illius executione. § 2. Cum itaque decretis et constitutionibus apostolicis sancitum sit ad apostolicos vicarios spectare ut iis quae ad cultum divinum et bonos mores pertinent intra suorum vicariatuum fines provideant, ut hac in parte officio nostro faciamus satis, omnibus et singulis vicariatus nostri missionariis observanda praecipimus quae sequuntur, *donec aliter ab Apostolicâ Sede decretum fuerit.*

De Dei nomine. I. Exclusis nominibus europaeis, quae nonnisi barbaro quodam modo Sinicis litteris et vocibus exprimi possunt, Deum optimum maximum longo usu recepto nomine *Tien Chu*, caeli dominum, appellandum esse statuimus, itaut duae aliae Sinicae voces *Tien*, caelum, et *Xang Ti*, supremus imperator, prorsus repellantur; multo minus affirmetur, id quod Sinae praefatis nominibus *Tien* et *Xang Ti* intelligunt, Deum esse quem christiani colimus.

De quibusdam tabellis in ecclesiâ appensis. II. Districte prohibemus ne in ullâ ecclesiâ tabella quaedam, cui hae duae litterae Caelum Colito, *King Tien*, inscriptae sunt, appendatur; et, ubicumque appensa fuerit, intra duos menses auferri mandamus, cum aliis eiusdem sensûs tabellis et versibus, in quibus nomina *Tien* et *Xang Ti* Deo affinguntur; ac[1], nostro quidem iudicio, tum omnes illae tabellae, tum ea in primis quae litteras *King Tien* continet, ab idololatriâ excusari non possint. Tametsi vero non ita certa res esset ac nobis videtur, vel ipsa periculi suspicio ne ab Evangelii ministris abominatio desolationis in loco sacro collocetur, nos ab eiusmodi tabellis deterrere debet; maxime cum experientiâ nobis constet, eos vicariatûs nostri missionarios, quorum in ecclesiis illae tabellae non habentur, nihilo ad Evangelium praedicandum imparatiores esse, nec minorem quam alii laborum suorum fructum percipere.

De cultu Confucio exhibito. III. Quaesita super capitibus summo pontifici Alexandro VII proposita, multis in rebus non esse veridica declaramus, ac proinde missionarios responsis ab Apostolicâ Sede recte quidem et sapienter, at iuxta circumstantias in dubiis expressas datis, inniti non posse ad usitatum apud Sinas Confucii et progenitorum cultum permittendum.

Item de sacrificiis. IV. Missionarii nullatenus, nullâque

1 Potius legerem *quum* pro *ac* (R. T.).

de causâ, christianis permittant solemnibus quae semel et iterum singulis annis Confucio et progenitoribus offerri solent sacrificiis seu oblationibus praeesse, ministrare, aut interesse; quas oblationes superstitione imbutas esse declaramus.

De tabellis defunctorum in domibus erectis.

V. Missionarios, qui in locis, ubi Evangelio operam navant, tabellarum in defunctorum honorem privatis in domibus erectarum usum abolere studuerunt, magnopere laudamus, atque, ut eo quo coeperunt pede in posterum pergant, adhortamur. Ubi vero hunc usum tollere difficilius erit, ad hoc saltem res temperamentum revocetur, ut, sublatis litteris *Xin Chu*, *Xin Goei*, *Ling Goei*, solummodo defuncti nomen tabellae inscribatur, aut ad summum littera *Goei* superaddatur: ac, ne huiusmodi tabella, quam in praedictâ formâ, donec Apostolica Sedes de re ipsâ iudicaverit, non omnino reprobamus, superstitiose accipiatur, in loco, ubi tabellae privatis in domibus erigi solent, scripta maioribus characteribus declaratio apponatur, in qua, et quae sit christianorum de defunctis fides, et qualis filiorum ac nepotum in progenitores pietas esse debeat, enuntietur; cuius declarationis formam ad huius mandati calcem tradidimus; neque tamen prohibemus, aliam eiusdem sensus apponi, si modo prius a nobis approbata fuerit.

De nonnullis propositionibus falsis, temerariis et scandalosis.

VI. Cum nonnulla seu verbo seu scripto evulgari animadvertimus, quae incautos in errorem inducunt, et viam ad superstitionem patefaciunt, v. g.:

« Philosophiam, quam Sinae profitentur, si bene intelligatur, nihil habere legi christianae contrarium;

» Nomine *Taii Kie* sapientissimos priscos Deum causam primam rerum omnium definire voluisse;

» Cultum, quem Confucius spiritibus adhibuit, civilem potius quam religiosum fuisse;

» Librum, quem Sinae *le King* appellant, summam esse optimae doctrinae physicae et moralis »:

Haec et similia, uti falso, temere et scandalose dicta, scriptave, districte inhibemus, ne in toto vicariatu nostro disseminentur.

De ratione exponendi in scholis libros Sinicos.

VII. Caveant missionarii, ne, qui christiani Sinicos libros in scholis legunt, atheismum et diversas superstitiones, quibus illi libri tam in textu quam in commentariis scatent, in auditorum animos infundant; sed illos missionarii admoneant ut obvios errores refutent, et, errorum occasione, quae de Deo, de mundi creatione et gubernatione christiana religio tradit, discipulos diligenter edoceant; atque eosdem christianos missionarii frequenter commonefaciant, ne, quod facile contingit, suis in scriptionibus aliquid e scholae litterariae principiis legi christianae contrarium admisceant.

Quid de aliis capitibus?

Sunt et aliae quaestiones, quas hac vice nondum attingimus, quia, quum memoratis capitibus, quae praecipua sunt, et e quibus alia magnâ ex parte dependent, provisum fuerit, facilius erit quid in ceteris tenendum sit praescribere et in usum inducere.

Poena in contravenientes.

Si quis autem missionarius, quod absit, nullâ habitâ huius declarationis et mandati ratione, intra duos menses memoratas tabellas et versus ab ecclesiis suis aut domibus non auferat, aut intra praefatum tempus manum operi non adhibeat ut quas praescribimus regulas in usum et morem inducat, concessas ei a nobis et a quocumque alio vicario et provicario apostolico facultates per praesentes revocamus, ac pro tempore praefato revocatas esse declaramus.

Missionarii a culpa liberantur, et ad concordiam excitantur.

Neque tamen hac praesenti declaratione et mandato eos culpare intendimus, qui aliter antea censuerunt, aliamque praxim secuti sunt ab eâ, quam in posterum sequendam esse statuimus; mirum enim videri non debet, si in rebus huiusmodi missionarii omnes unius eiusdemque sententiae non fuerint, et eam unusquisque praxim amplexus sit, quae sibi in Domino magis veritati consona videbatur. Nunc vero in hoc omnes studia nostra conferamus ut idem sapiamus, ut unanimes uno ore exhibeamus istam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, sed ut sit sancta et immaculata; ac Deus pacis et dilectionis erit nobiscum.

Dat. in oppido Changlo provinciae Fokiensis die XXVI mensis martii MDCXCIII.

CAROLUS MAIGROT,
presbyter, vicarius apostolicus Fokiensis.

II.

QUÆSITA

In causâ rituum Sinensium super mandato seu edicto domini Caroli Maigrot vicarii apostolici Fokiensis in regno Sinarum, nunc episcopi Cononensis, ab eminentissimis et reverendissimis dominis cardinalibus specialiter a sanctae memoriae Innocentio Papa XII deputatis, post varias congregationes ac longum iurium hinc inde deductorum examen, confecta; primum quidem theologis et qualificatoribus ad id selectis proposita, ac deinde in Congregatione generali sanctae Romanae et universalis Inquisitionis discussa et resoluta.

Ortus et progressus causae Sinicae usque ad relatum mandatum vicarii apostolici.

Controversiis in imperio Sinico subortis inter missionarios apostolicos, iisque ad sanctam Sedem delatis sub Innocentio X, Alexandro VII et Clemente IX, num quaedam, quae a Sinis gentilibus peraguntur praesertim erga Confucium antiquum philosophum et progenitores defunctos, permitti possint iis qui ad christianam fidem conversi fuerint, propterea quod alii ex missionariis affirmarent actiones illas superstitiosas vel idololatricas esse, alii e contra civiles tantum et politicas:

Die XII septembris MDCXLV quaesita quaedam in sacrâ Congregatione de Propagandâ Fide proposita, examinata et resoluta fuerunt, approbante sanctae memoriae Innocentio X;

Alia quoque, in sacrâ Congregatione S. Officii pariter discussa et resoluta, die XXIII martii MDCLVI sanctae memoriae Alexander VIII approbavit;

Et deinde die XX novembris MDCLXIX sanctae memoriae Clemens IX utraque vim habere pro diversâ facti et circumstantiarum expositione declaravit.

At vero, cum eiusmodi controversiae missionariorum non adhuc quiescerent, dominus Carolus Maigrot vicarius apostolicus Fokiensis, nunc episcopus Cononensis, in toto suo vicariatu quaedam observanda praecepit, donec aliter ab Apostolicâ Sede decretum fuerit, edicto promulgato die XXVI martii MDCXCIII, et in septem articulos distributo.

Porro, petente eodem domino Maigrot sui mandati confirmationem, sanctae memoriae Innocentius XII rem ad sacram Congregationem S. Officii diligentissime discutiendam remisit, deputatis ad id quatuor theologis qualificatoribus, videlicet patre domino Ioanne Maria Gabriellio abbate generali Reformatorum S. Bernardi, nunc S. R. E. cardinali, patre Nicolao Serrano priore generali fratrum Eremitarum S. Augustini, patre Philippo a S. Nicolao exgenerali Carmelitarum Discalceatorum, et patre Carolo Francisco Varesio olim commissario generali Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ Reformatorum.

Utque opportuna quaesita proponerentur, et de facti circumstantiis probe constaret, Sanctitas Sua iussit adesse

patrem Ioannem Franciscum a Leonissa Ordinis Minorum de Observantiâ Reformatorum episcopum Berytensem et vicarium apostolicum Hu-Quang, qui, post longam plurium annorum in imperio Sinico moram, huc redux advenit, rerum, quae in illis regionibus peraguntur, oculatae fidei testis, Sinorumque rituum apprime instructus.

Quaesita super dicto mandato vicarii apostolici.

Igitur solerti curâ et omnibus serio exacteque perpensis, et additâ facti circumstantiarum plenâ enarratione, infrascripta efformata fuerunt quaesita super unoquoque ex septem articulis edicti domini Maigrot vicarii apostolici Fokiensis, videlicet:

Super primo articulo.

De nominibus europaeis Dei.

I. Quaeritur, an excludi debeant nomina europaea ad significandum Deum optimum maximum.

Nomen enim Deus, aliave vocabula europaea, quibus supremum Ens significatur, sinicis characteribus exprimi vix posse, nullamque rei significatae ideam apud Sinas excitare videntur. Videri possunt (A):

(A) Supplex libellus procuratoris generalis Societ. Iesu, § *Il primo;* Observantiae P. Dez in mandatum vicarii Maigrot a patribus Societatis Iesu sacrae Congregationi exhibitae, fol. 108, § *Praevaluit*, part. II, obs. I.

De duobus vocibus Sinicis.

II. Quaeritur, an ad significandum Deum optimum maximum repellendae sint voces *Tien*, caelum, vel *Xang Ti*, supremus imperator.

Ratio dubitandi est, quod, licet aliqui missionarii Europaei existimaverint et existiment antiquos Sinas praefatis nominibus *Tien* et *Xang Ti* indigitasse Deum vivum et verum; nihilominus missionarii fere omnes asserunt, quod Sinenses litterati, quae est praecipua in Sinae imperium secta, quatenus eiusdem sectae doctrinam exponunt et sequuntur, saltem a quingentis annis, cum in atheismum deciderint, vel omnes, vel, ut aliquibus videtur, fere omnes, nominibus *Tien* et *Xang Ti* nil aliud nisi caelum materiale et visibile, vel ad summum quamdam caeli virtutem eidem caelo insitam, quam rerum omnium principium seu potius comprincipium esse putant, designant. Unde caelo sic sumpto, quemadmodum et terrae, planetis, montibus et fluviis respective sacrificant; et in regiis urbibus Peching et Nanching templa visuntur, in quibus, statis anni temporibus, praesertim in templo Pechinensi, ipsemet imperator caelo solemne sacrificium offert (B).

(B) Semedo, *Relazione della gran monarchia della China*, part. I, cap. XVII, p. 105, qui solummodo testatur sacrificari caelo; Maffaeus, *Historiarum Indicarum* p. 100, ait, quod aliqui caelum praecipue omni studium colendum existimant; Ioannes Gueltter, in libro italico *Notizie varie dell'imperio della China*, pag. 88, testatur sacrificari caelo; Memoriale procuratoris generalis Societatis Iesu sacrae Congregationi exhibitum § *Il primo*. Videantur Ludovicus le Compte in libro gallico *Nouveaux memoires*, tom. II, pag. 186, et Pater a Leonissa in suis responsionibus ad quaesita sacrae Congregationis . . . . ; et ad quaesita eminentissimi Casanate . . . ; Longobardus apud Novarrettam, tom. I, pag. 246.

De aliâ voce Sinica ad Deum significandum.

III. Quaeritur, an Deus optimus maximus sit appellandus nomine *Tien Chu*, caeli dominus.

Ratio est, quia ab omnibus missionariis Sinensibus vocabulum *Tien Chu* ad significandum Deum optimum maximum longo usu receptum est. Et in hoc partes dissentire non videntur. Videri possunt iidem auctores: quibus additur (C)

(C) Pater a Leonissa in suis responsionibus ad quaesita sacrae Congregationis particularis . . . ; et ad quaesita eminentissimi Casanate . . . ,

Rursus de praedictis duabus vocibus sinicis.

IV. Quaeritur, an, attentis praedictis, liceat affirmare Sinas praefatis nominibus *Tien* et *Xang Ti* intelligere Deum quem christiani colunt.

Super secundo articulo.

De tabellis in ecclesiâ appensis.

I. Quaeritur, an permitti possit appendi in ecclesiis christianorum tabellam inscriptam *King Tien*, Caelum Colito.

Ratio dubitandi est, quia praedicta vox *Tien* nunc temporis a Sinensibus litteratis accipitur pro caelo materiali, ut supra dictum est in ratione dubitandi ad tertium quaesitum super primo articulo (D).

(D) Videri possunt auctores allegati lit. B.

Et, quatenus negative,

II. Quaeritur, an saltem permitti possit cum declaratione, et qua.

Super tertio articulo,

Proponetur quaesitum infra, quia pendet a decidendis in sequentibus.

Super quarto articulo.

De oblationibus seu sacrificiis.

I. Quaeritur, an superstitione imbuta sint solemnia quae semel et iterum singulis annis Confucio et progenitoribus offerri solent sacrificia seu oblationes, itaut iis praeesse, ministrare, aut interesse christianis nullatenus nullâque de causâ permitti possit.

De Confucio litteratorum opinio.

Ratio dubitandi est, respectu Confucii, quia secta litteraria, quae primas obtinet in illo imperio, Confucium non solum uti magistrum, verum etiam uti sanctum colere videtur (E).

(E) Videri possunt SEMEDO, *Relazione della gran monarchia della China*, part. I, cap. X, pag. 63; KIRCHER, *China illustrata*, par. III, cap. I, fol. 132, et pag. 137, col. 1; DE MARIN, *Hist. de fel. succ.*, lib. I, cap. VIII, pag. 104, qui tamen loquitur de Tunchinensibus; RHODES, in *Catechis.*, pag. 113, et in *Relatione historica de Tunchino*, p. 60; BARTOLI, *La Cina*, lib. I, pag. 74, vers. 12.

De voce, qua designatur Confucii excellentia.

Praeterea in quadam oblatione faciendâ Confucio, quae describitur in libro seu rituali Sinico *Ta Ming Hoey Tien* nonnullae orationes seu offertoria praescripta sunt, in quibus Confucii virtus caelo terraeque aequiparatur, doctrina antiquis modernisque praefertur, imo, ex quo homines esse coeperunt, nemo illum aequasse dicitur, et quod eius spiritus praeteritos *Xing* seu sanctos excellit. Quod autem haec dictio *Xing* sanctitatem potius quam sapientiam, vel sapientiam simul et sanctitatem significet, infertur ex hoc, quod inter illos qui Confucium praecesserunt, et *Xing* superius appellantur, comprehenduntur saltem nonnulli, de quibus expressis verbis in classicis Sinarum libris dicitur quod post mortem in caelum evolarunt, et in caelis potestatem habent favendi hominibus, eosque etiam Sinenses antiquitus ut sanctos venerati sunt, et hactenus celebrant ut tales. Insuper alibi in libris Sinicis haec habentur: *Xing Jin Chy Chy Ye; ju Iao, Xun, Ven Vang, Cheu Kung, Kung chu:* id est, sanctorum virorum summitas; ut, verbi gratiâ, antiquissimi imperatores Iao et Xun, rex Ven Vang, princeps Cheu Kung, et Kung chu, seu Confucius. Quod vero hoc etiam in loco dictio *Xing* sanctitatem potius quam sapientiam significet, inferri videtur ex eo quod omnes ante Confucium hoc nomine apud Sinas in supremâ sanctorum serie ab antiquis temporibus referantur, et ut tales ab iisdem Sinensibus semper habiti fuerint, ut constat ex libris eorum classicis; licet apud Sinenses atheos praefata dictio *Xing* in allatis textibus perfectissimum et sapientissimum virum, vel summum perfectionis gradum, ad quem homines, caelo seu naturâ favente, pertingere possunt, significare videatur.

De aedibus Confucio dicatis.

Ipse Confucius in singulis civitatibus aedes habet ei dedicatas, quae gymnasia non sunt, nec aulae tantum esse videntur, sed potius capellae, eo quod Sinice

vocentur *Miao*, quo vocabulo idolorum templa designantur, et a nonnullis auctoribus aedes praedictae templa seu fana dicantur. Videri possunt (F)

(F) Frigantius et Riccius, *De christian. expeditione*, lib. I, pag. 118 ; Semedo, part. I, cap. X, pag. 63; Kircher, *China illustrata*, part. III, cap. I, pag. 132, col. 1.

In quibus aedibus extat effigies Confucii, vel saltem tabella cum hac inscriptione : *Sedes spiritus sanctissimi vel sapientissimi protomagistri Confucii*, quae verbis sinicis est huiusmodi : *Cni Xing Sien Sû Kunc chu Xin Goey*, ut testatur pater a Leonissa, qui asserit dictionem sinicam *Xing* non significare tantummodo sanctum, sed aliquando etiam sapientem. Alii praefatam inscriptionem sic latine vertunt: *Sanctissimi et superexcellentissimi*.

De solemnibus oblationibus Confucio peragi solitis.

Mandarini seu gubernatores, ac magistratus urbium, unâ cum litteratorum praefectis, necnon graduatis seu doctoribus litteratis, bis in anno, nempe circa aequinoctium veris et autumni, ibidem solemnem oblationem seu sacrificium peragunt, in quo a ministro et assistentibus cum variis genuflexionibus et inclinationibus, dirigente caeremoniarum magistro, ante tabellam Confucii supra mensam seu altare expositam, candelis accensis, cum odorum suffitu, immolati seu immolandi animalis sanguis ac pili offeruntur, ac deinde terrae infodiuntur, itemque panni serici, qui postea extra templum seu aedem in proximo atrio, accenso igne, comburuntur. Item vinum libatur, occisorum animalium, suis videlicet, caprae, seu cervi, et similium, carnes immolantur, quae inter assistentes et alios, peractâ oblatione seu sacrificio, distribuuntur, et ab omnibus magni fiunt et comeduntur. Ante omnia autem iam a principio Confucii spiritus invitatur, ut adsit, immolatisque fruatur, veniensque ad oblationem certis caeremoniis recipitur, eique, quidquid in sacrificio geritur, tamquam praesenti in tabellâ significatur. Ministris nonnullorum ante sacrificium dierum ieiunia et a thoro coniugali abstinentia publico ritu praescripta sunt. Hostias immolandas, fuso in earum auriculis probandi causâ liquore quodam, seu vino calido, seligunt. Oblatio incipit post primum aut secundum galli cantum, et summo mane terminatur. Spiritum Confucii, finitâ oblatione, abeuntem, grato animo, ac certis verborum formulis, prosequuntur, et adstantibus omnibus, antequam dimittantur, ob sacrificium bene peractum felicitates plurimae promittuntur, prout in rituali *Ta Ming Hoey Tien*, tomo seu tractatu XCI, in descriptione oblationis faciendae Confucio, apud patrem a Leonissa. Videri possunt respective (G):

(G) Bartoli, *La Cina*, part. III, lib. I, pag. 71 ; Kircher, in *China illustrata*, part. III, cap. X, p. 132 ; Le Tellier, tom. II, p. 274, § *Vous direz* ; Lopez, cap. V *De Confucio*, num. LX, circa med. pag. 64.

Item de oblationibus minus solemnibus, ac ritibus.

Praeter praedictas binas solemnes oblationes, aliae minus solemnes eodem in loco, seu quidam alii ritus et caeremoniae in eiusdem Confucii honorem statutis temporibus peraguntur, tum a magistratibus seu gubernatoribus urbium, tum a reliquis litteratis, de quibus etsi speciatim a vicario apostolico Maigrot mentio facta non fuerit, nihilominus, quia in quaesitis patris Martinii Societatis Iesu aliqua saltem exposita fuerunt, hîc aliud quaesitum ad rem clarius elucidandam instituitur:

II. Igitur quaeritur, an caeremoniae, ritus et oblationes minus solemnes, quae fiunt in honorem eiusdem Confucii, a christianis licite exerceri et peragi possint in loco praefato.

Ratio dubitandi, praeter dicta in prae-

cedenti ratione ad primum, est, quia bis singulis mensibus in novilunio scilicet et plenilunio cuiuscumque urbis mandarinus seu primarius magistratus, aliique officiales et litterati, summo mane aedem seu templum Confucii magnâ cum pompâ adeunt, et ante eius effigiem seu tabellam, accensis cereis, cum thuris atque odorum suffitu repetitis vicibus genuflectunt, toto corpore prostrati, ac terram fronte percutientes. Item quandoque praesertim in novilunio ab aliquibus vinum et olera quaedam ac fructus offerri solent, mandarini seu gubernatores urbium ac magistratus, antequam dignitatem adeant, seu statim post aditam dignitatem seu dignitatis possessionem, ad templum seu aedem Confucii pergunt, ibique ante eius effigiem seu tabellam eadem peragunt quae fieri ab eis in novilunio ac plenilunio modo dictum est; non tamen vinum, olera, nec fructus offerunt. Videri possunt (H):

(H) Omnes qui allegati sunt lit. G.

Praeterea litterati, postquam in amplissimo gymnasio seu palatio, ubi per aliquos dies probantur, gradus litterarios adepti sunt, statim ad aedem seu templum Confucii se conferunt, ibique coram praedictâ tabellâ cereis accensis cum thuris atque odorum suffitu iteratis vicibus genuflectunt toto corpore ad terram prostrati, prout in aliis proxime relatis ritibus seu oblationibus minus solemnibus. Hae vero in honorem Confucii oblationes, tum solemniores, tum minus solemnes, seu ritus praefati, ita Sinensium imperatorum legibus publicoque regni usu stabiliti sunt, ut non liceat eos omittere, saltem absque gravi periculo respective amissionis mandarinatus, graduum aut dignitatum. Videri possunt (I).

(I) Lopez, in prol. dicti tractatus § *Dubia quoque* circa finem.

Pater a Leonissa in suis *Respons. ad quaesita.*

De cultu erga progenitores defunctos ac aedibus eis dedicatis.

Respectu vero progenitorum, ratio dubitandi circa solemnes oblationes, quae in primo quaesito proponuntur, est, quia Sinae defunctos parentes seu progenitores, saltem usque ad quartum gradum, publico ac singulari cultu prosequuntur, aedes eis dedicant, quae potius capellae et templa, quam simplices aulae videntur esse, tum ex his, quae in eis geruntur, tum ex nomine *Miao*, quo imperialium, aliorumque imperii procerum, progenitorum defunctorum aedes ex antiquissimâ institutione vocantur; quo pariter nomine etiam idolorum templa communiter designantur, ut supra dictum est, et animalium quoque sanguine ex antiquissimo ritu in rituali *Li Ki* praescripto, uti etiam oblationum seu sacrificiorum vasa, quae nulli usui extra templa praedicta applicari licet, dedicari solent. Vestes vero, quibus proceres ac praesertim imperatores uti solebant aut solent in praefatis oblationibus, speciali ritu in eodem *Li Ki* praescripto fieri debent, ac consumptae obsoletaeque cremari ne profanis usibus inserviant.

De tabellis eorumdem defunctorum.

Ceterorum autem progenitorum defunctorum aedes, licet non *Miao*, sed *Chu Tang* appellentur, in re id ipsum significare, et ad eosdem cultus erga defunctorum praefatorum spiritus exhibendo destinari videntur, quia tam in in aedibus *Chung Miao* dictis, quam in *Chu Tang* nuncupatis, imagines seu statuae primariorum progenitorum reperiuntur, aut saltem et communiter ubique tabellae progenitorum asservantur supra mensam vel altare, cum hac inscriptione — *Sedes Spiritus N. defuncti progenitoris.*

De oblationibus praesertim solemnibus de-

Quae quidem tabellae, saltem his temporibus, ideo fieri videntur, ut non tan-

functis praedictis oblatis.

tummodo loco spirituum, seu defunctorum adhibeantur, sed etiam ut iidem spiritus seu defunctorum animae quodammodo in eis resideant, quia, eo tempore quo defuncti progenitores sepeliuntur, quo etiam earumdem tabellarum incipit usus, in ipsomet sepulturae loco, ut ex rituali sinico *Kia Li* nuncupato constat, ad dictas tabellas, flexis genibus et expressis verbis, spiritus seu animae praefatae invitantur ut in illis resideant et domum revertantur; quo facto, eaedem tabellae solemniter domum deferuntur, ac statuto tempore in aedibus praefatis etiam solemniter collocantur. Dicitur etiam in dicto rituali, quod, quando in praefatis tabellis aliquae litterae mutandae vel addendae sunt (quod quidem fit, quando in aedes praefatas novae tabellae introducuntur, et antiquae seu priores ad gradum superiorem transeunt, iuxta ordinem consanguinitatis, vel quando ab imperatore nova dignitas seu dignitatis titulus aliquibus progenitoribus defunctis iuxta regni morem confertur qui tabellis inscribendus est), aquâ madefiant ut abradi possint, et abrasis lotisque, lotionis aqua in aedis seu templi parietem proiiciatur: quae caeremonia summam Sinensium reverentiam erga easdem tabellas indicare videtur. Item in eodem rituali dicitur, quod, transacto quarto consanguinitatis gradu, quando scilicet in aedibus seu templis praefatis dictas tabellas asservari amplius non licet, huiusmodi tabellae terrae infodi debent respective, vel in propriis sepulturis eorumdem progenitorum, vel in parte anteriori aedis, seu prope ianuam. Antiquitus autem ab aedibus *Chung Miao* nuncupatis ad alias aedes transferri solebant, ibique asservari et recondi, et in rituali *Kia Ly* dicitur quod imperator et imperii proceres id faciunt. Ad easdem tabellas, vel ad loca et sedilia, seu mensas, in quibus dictae tabellae, e suis tabernaculis cum speciali reverentiâ extractae, expositae iam sunt, si adhiberi debeant, eorumdem progenitorun spiritus seu animae, praesertim solemnium oblationum tempore, invitantur ut descendant et in eis maneant; quod quidem fit vel expressis verbis, ut constat ex formulâ descriptâ in rituali *Kia Ly*, ubi de oblationibus faciendis primis familiarum progenitoribus *Xy çhu* et *Sien çhu* nuncupatis, qui iam quartum gradum ascendentiae praecesserunt, fit sermo, quae formula in medio aedis seu templi, ante vas ibidem cum carbonibus accensis positum, flexis genibus a primario oblationis ministro recitari debet, eâque recitatâ, super eisdem carbonibus, cum speciali caeremoniâ, animalis seu victimae pinguedo ponitur seu effunditur, ut vapor ascendat, vel saltem et semper cum caeremoniâ effundendi vinum super palearum manipulis, quae *Kiang Xin*, idest descensus spirituum, in eodem rituali appellatur, quaeque pariter cum solemnitate et reverentiâ magnâ ordinarie fieri debet in medio templi seu aedis ante mensam seu altare, ubi odores cremantur, quae *Hiang Cho*, idest odorum mensa vocatur, ibique postea fit alia similis caeremonia effundendi vinum, quae vocatur *Chy*, idest oblatio, quae loco spirituum fit (fierique dicitur antiquis vini institutoribus seu inventoribus), itemque progenitores seu progenitorum spiritus invitantur ut oblatis fruantur seu frui velint, ut in eodem rituali praescribitur. De eodem descensu seu adventu spirituum etiam primogenitorum defunctorum, et de fruitione seu acceptatione oblatorum pluries fit mentio in libris antiquis et aliis ritualibus sinicis; unde multi Sinenses eosdem progenitorum

spiritus caeremoniis supradictis invitatos venire et frui putant aut credunt. Non pauci tamen ad imaginariam vel dubiam potius quam realem spirituum praesentiam, adventum et fruitionem haec omnia, ut etiam ex libris et ritualibus sinicis colligitur, reducere videntur. Confucius vero in *Iun Yu* ait: *çhi iu çhay: çhi Xin iu Xin çhay*, idest offerendum seu sacrificandum est, veluti adessent, scilicet illis quibus offertur, offerendum seu sacrificandum est spiritibus, veluti spiritus adessent, seu existerent. Statutis autem anni temporibus in eisdem locis seu templis praefatorum progenitorum defunctorum spiritibus solemnes oblationes seu sacrificia offeruntur, ad quae tantummodo cuiusque familiae viri ac mulieres respective conveniunt, ac earumdem familiarum primogeniti ex lege debent primaria officia in dictis oblationibus exercere, qui etiam propriis manibus animalia offerenda occidunt in locis, ac cum caeremoniis in ritualibus pro personarum qualitate respective praescriptis, omniaque peraguntur eodem fere ritu, mutatis mutandis, qui supra in oblationibus solemnibus Confucio exhibitis[1] descriptus est. In templis seu aedibus *çhu Tang* nuncupatis, iuxta rituale *Kia Ly* serica non offeruntur, nec in eodem fit mentio illius papyraceae monetae, quae nunc temporis in omnibus oblationibus, quae progenitoribus defunctis a gentilibus fieri solent, crematur, eo quod haec caeremonia non sit propria sectae litterariae, neque in fine oblationis illa verborum formula praescribitur, qua in superioribus oblationibus abeuntes spiritus prosequuntur, sed tantum ad id quaedam inclinationes et prostrationes faciendae referuntur; quibus peractis, tabellae, si adhibitae et expositae fuerint, in locum suum reportantur et in tabernaculis reponuntur, necnon progenitorum nomine, seu de mandato eorumdem, ut in rituali *Kia Ly* dicitur, a magistro caeremoniarum ministris primariis, et implicite adstantibus omnibus, plurimae felicitates promittuntur; et antequam fiant nonnullae ex praedictis solemnibus oblationibus, sortibus cum speciali caeremoniâ ante ianuam aedis seu templi *çhu Tang* eligitur dies, et de felici electione monentur pariter speciali ritu in eâdem aede seu templo progenitores defuncti, seu eorumdem spiritus, ut videre est in dicto rituali; in quo etiam dicitur, quod omnes oblationes *çhi* consistunt tantummodo, seu principaliter, in totali sodalitate et perfectione amoris et reverentiae; et ideo pauperes iuxta paupertatem suam, infirmi iuxta vires suas, in illis faciendis se gerant; qui vero divitiis et viribus abundant, iuxta praescriptos ritus eas peragant.

De precibus defunctis afferri solitis.

Preces vero licet, ex antiquissimo ritu in libro seu rituali *Ly Ky*, tantummodo certis temporibus seu pro publicis imperii necessitatibus in templis progenitorum defunctorum *çhung Miao* nuncupatis peragendae praescribantur, et non pro privatis necessitatibus seu indigentiis, vel ad privatas felicitates postulandas (cum e contra hoc ipsum ex eodem antiquissimo ritu in oblationibus etiam solemnibus ordinarie offerendis interdictum videatur); nihilominus etiam ad privatas felicitates ab eisdem progenitoribus defuncti petendas, deprecationes, praesertim nunc temporis, a Sinensibus quandoque fieri referuntur et probantur ex alio rituali sinico in quatuor tomos diviso et *Kia Ly* pariter dicto, quo gentiles passim utuntur in Sinis, licet huiusmodi deprecationes non fuerint auctoritate publicâ, sed po-

1 Edit. Main. legit *exhibitus* (R. T.).

tius tacitâ permissione in eodem rituali et alibi a privatis doctoribus insertae. Communiter autem eo magis felices ac fortunatos se fore putant aut sperant, quo maiori pietate ac diligentiâ solitis officiis erga praefatos defunctos functi fuerint. Ex classico rituali etiam habetur, quod, in alendis animalibus ad usum sacrificiorum tum *Xang Ti*, tum spiritibus omnibus, etiam progenitorum, in temelis[1] et locis eisdem respective dicatis offerendorum destinatis, imperii urbium praefectis de mandato regio iniunctum sit ut omnem curam adhibeant, populisque id ipsum suadeant, eo quod ad felicitates pro eisdem populis petendas in dictis oblationibus offerri debeant. Item ex classicis ritualibus plura referuntur, unde deduci videtur Sinenses non tantum a *Xang Ti*, aliisque spiritibus, montium scilicet, fluminum, etc.; verum etiam a spiritibus defunctorum felicitates plurimas concedi ob praefatas oblationes bene peractas docuisse, credidisse ab antiquo tempore, aut saltem finxisse.

De defunctis atheorum doctrina.

Qui vero atheisticam doctrinam profitentur et sequuntur, licet eorumdem spirituum existentiam negent, tamen quadam motione sympathicâ per dispositionem ministris ad sacrificandum vel offerendum praescriptam caeli aërem tenuissimum, in quem defunctorum spiritus resolvi asserunt, concitari ac moveri et quodammodo attrahi ad oblationem insinuant, unde beneficos influxus erga offerentes adstantesque promanare docent. Quod infertur etiam ex iis quae habentur in extractis ex libro cui titulus *Confucius Sinarum philosophus*, et per patres Societatis iterum impressis, ac in parvo libello sacrae Congregationi oblatis. Tandem praefati athei, prout antiqui omnes, sub nomine *Quey Xin* spiritus omnes etiam defunctorum, dum generice eos designare vel nominare volunt, comprehendunt, et de praefatis *Quey Xin* generice multa praeclara referunt, sicque populis erga illos timorem pariter et honorem suadent (L).

1 Vel *templis*, vel *themeliis*, graece θεμιλίοις (R. T.).

(L) Maffeus, *Hist. Indic.* pag. 100.

Semed. part. I. cap. cxviii, pag. 101, ubi tamen negat esse proprie sacrificia.

Alexand. de Rhodes, lib. I, cap. xxvii, pag. 88 et 89, qui loquitur de Tunchino.

De Marin, lib. I, cap. xiv, fol. 155, qui pariter loquitur de Tunchino.

De oblationibus minus solemnibus, ac ritibus.

Praeter praedictas solemnes oblationes, quae fiunt in honorem defunctorum progenitorum, aliae etiam minus solemnes oblationes, necnon alii ritus ac caeremoniae eisdem in aedibus seu templis diversis anni temporibus, praesertim primâ die anni sinici, in solstitiis ac singulis mensibus, in novilunio scilicet et plenilunio, in honorem eorumdem defunctorum fieri solent. De quibus licet vicarius apostolicus Maigrot specificam mentionem non fecerit, expedire videtur, ob rationem supra allatam ubi de oblationibus minus solemnibus Confucio fieri solitis agitur, ut etiam speciale quaesitum hic instituatur, unde :

III. Quaeritur, an christianis liceat in praefatis aedibus seu templis supradictas oblationes minus solemnes offerre, in eis ministrare, seu quomodolibet inservire, necnon alios ritus et caeremonias peragere.

Ratio dubitandi, praeter ea quae dicta sunt in superiori ratione ad quaesitum respectu praefatorum defunctorum, est, quia supradictis temporibus uniuscuiusque familiae personae utriusque sexus, ad quas iuxta praescriptum in ritualibus sinicis, ac praecipue in rituali *Kia Ly*, ex officio spectat, summo mane debitis ac speciosis vestibus indutae, aedes progenitoribus dicatas, ac pridie pro more

ornatas, respective adeunt, in eis coram tabellis eorumdem progenitorum post ablutionem manuum cum variis inclinationibus et genuflexionibus e tabernaculis per ministros designatos extractis et super mensam seu altare collocatis, cereis accensis, odores ac thura cremantur, vinum libatur, et super palearum manipulum effunditur (quae caeremonia indicat descensum spirituum), fructus varii, ac potio *Cha* dicta offertur seu apponitur coram qualibet ex eisdem tabellis, ac tandem, cum aliis genuflexionibus et inclinationibus, spiritibus abeuntibus quodammodo vale dicitur.

In plenilunio vero, iuxta ea quae habentur in rituali *Kia Ly*, caeremonia extrahendi tabellas e tabernaculis non fit, vinum non apponitur, sed fructus et potio *Cha*, cetera ut in novilunio peraguntur.

Insuper diebus quasi singulis et in certis casibus coram tabellis praefatis, ab his ad quos spectat, inclinationes et prostrationes variae fiunt, odoresque quandoque cremantur, cereis accensis.

De quibusdam aliis oblationibus, ac ritibus.

Tandem, qui sunt tenuioris fortunae ut non habeant aedes seu templa progenitoribus defunctis dicata, in domibus privatis coram tabellis eorumdem in supradictis anni temporibus respective accensis candelis cum thuris seu odorum suffitu offerunt seu apponunt carnes, vinum, potionem *Cha*, fructus et alia huiusmodi, genuflexionibus seu inclinationibus etiam adhibitis, minori tamen cum solemnitate. Sinae enim domi communiter habent locum aliquem, tamquam lararium, ubi dictas tabellas cum solitâ inscriptione asservant, easque singulis diebus saepe salutant, ac certis temporibus, uti dictum est, coram eisdem ritus ac caeremonias praefatas peragunt.

Item Sinenses fere omnes sepulchra eorumdem progenitorum, quae in montibus seu locis praealtis extra moenia sunt, semel in anno adeunt, ibi oblationem faciunt, apponendo scilicet carnes, vinum, fructus, potionem *Cha*, et alia huiusmodi, cum solitis genuflexionibus et inclinationibus: aliquando autem solemnius haec omnia peragunt iuxta ritus ac vires, adhibitâ etiam caeremoniâ effundendi vinum, quae, ut supra, *Kiang Xin* vocatur; herbas etiam et gramina circa sepulturas nata eradicant, purgant, plorant; mox, finitis lacrymis, oblatis vescuntur.

Alias insuper oblationes tum solemnes tum minus solemnes Sinenses facere solent mortuis progenitoribus, praesertim a die obitus usquequo sepulturae tradantur, quae, exceptâ circumstantiâ templi seu aedis, necnon vestium speciosarum, quia lugubribus vestimentis eo tempore utuntur, in ceteris cum supradictis respective concordant. Et ideo:

IV. Quaeritur, an christianis liceat praefatas oblationes, ritus ac caeremonias coram supradictis progenitorum tabellis in privatis domibus, vel etiam in eorumdem progenitorum sepulchris, aut antequam defuncti praedicti sepulturae tradantur, in eorum honorem fieri consuetos, unâ cum gentilibus vel seorsim peragere, eisque ministrare aut interesse.

V. Quaeritur, an christianis liceat praefatas omnes oblationes, tum solemniores, tum minus solemnes, necnon alios ritus ac caeremonias, tam in aedibus seu templis defunctorum, quam domi et in sepulchris, prout supra relatae sunt, peragere, aut eis simul cum gentilibus interesse, vel in eis ministrare, saltem praemissâ publicâ vel secretâ protestatione, eos non religioso, sed civili tantum ac publico cultu erga defunctos progenitores haec omnia praestare, nec ab eis quidquam petere aut sperare.

VI. Quaeritur, an liceat seu permitti possit christianis easdem omnes oblationes respective in locis supradictis, vel saltem domi ac defunctorum sepulchris seorsim vel etiam cum gentilibus offerre, aliosque ritus ac caeremonias peragere, sublatis omnino superstitiosis vel superstitionis speciem praeseferentibus, hoc est ea tantummodo offerendo, quae, iuxta regni morem, vivis offerri solent, et cum caeremoniis ac ritibus erga vivos fieri vel adhiberi solitis: et an hoc saltem liceat, praemissa seu adhibitâ supradictâ protestatione.

Ratio est, quia, nisi haec saltem Sinensibus christianis permittantur, valde timendum est, ne, qui christiani iam sunt, christianam religionem penitus abiiciant, et qui nondum illam suscepere, in posterum nullatenus amplectentur; imo in christianos tamquam in patriorum rituum erga defunctos progenitores desertores ac destructores insurgant, eosque ac missionarios omnes minis ac persecutionibus exagitent, et a regno penitus excludant.

Ita, quoad factum pertinet, testatur pater Ioannes Franciscus de Nicolais a Leonissa, vicarius apostolicus Hu Quang, episcopus Berytensis, apud quem sunt ritualia aut textus allegati, eaque exhibuit et interpretatus est.

Super quinto articulo.

De tabellarum inscriptione.

I. Quaeritur, an christianis permitti possit dictas tabellas progenitorum in privatis domibus retinere cum inscriptione *Xin Chu, Xin Goei Ling Goei:* idest: Thronus seu sedes spiritus, seu animae N. defuncti.

Et, quatenus negative,

II. Quaeritur, an saltem, abrasâ eâ inscriptione, solummodo defuncti nomine inscripto, aut ad summum superadditâ litterâ *Goei*, sedes, seu thronus.

Et, quatenus negative,

III. Quaeritur, an saltem cum declaratione qua declaretur quae sit christianorum de defunctis fides, et qualis filiorum ac nepotum in progenitores pietas esse debeat.

Super tertio articulo antea omisso.

De cultu Confucii.

Hic quaeritur quid decernendum sit circa tertium articulum supra omissum tenoris sequentis:

« Quaesita super capitibus inter huiusce missionis operarios controversis, summo pontifici Alexandro VII proposita, multis in rebus non esse veridica declaramus; ac proinde missionarios responsis ab Apostolicâ Sede recte quidem et sapienter ac iuxta circumstantias in dubiis expressas datis inniti non posse ad usitatum apud Sinas Confucii et progenitorum cultum permittendum ».

Super sexto articulo.

De quibusdam propositionibus.

Quaeritur quid decernendum sit super sexto articulo praefati edicti domini Maigrot, tenoris sequentis:

« Cum nonnulla seu verbo seu scripto evulgari animadvertimus, quae incautos in errorem inducunt et viam ad superstitionem patefaciunt, verbi gratiâ: — Philosophiam, quam Sinae profitentur, si bene intelligatur, nihil habere legi christianae contrarium; — Nomine *Tay Kie* sapientissimos priscos Deum causam primam rerum omnium definire voluisse; — Cultum, quem Confucius spiritibus adhibuit, civilem potius quam religiosum fuisse; — Librum, quem Sinae *Je Xing* appellant, summam esse optimae doctrinae physicae et moralis: haec et similia, uti falso, temere et scandalose dicta, scriptave, districte inhibemus, ne in toto vicariatu nostro disseminentur ».

Super septimo articulo.

De expositione librorum in scholis.

Quaeritur, an sit approbandum quod dominus Maigrot disponit in septimo articulo tenoris sequentis:

« Caveant missionarii, ne, qui christia-

ni sinicos libros in scholis legant, atheismum et diversas superstitiones, quibus illi libri tam in textu quam in commentariis scatent, in auditorum animos infundant; sed illos missionarii admoneant, ut obvios errores refutent, et, errorum occasione, quae de Deo, de mundi creatione et gubernatione, christiana religio tradit, discipulos diligenter edoceant; atque eosdem christianos missionarii frequenter commonefaciant, ne, quod facile contingit, suis inscriptionibus aliquid e scholae litterariae principiis[1] legi christianae[2] contrarium admisceant ».

III.

RESPONSA,

Quae ad quaesita superius relata, praevio diuturno, maturo ac diligentissimo examine, de mandato sanctae memoriae Innocentii XII prius inchoato, ac deinde iussu sanctissimi domini nostri domini Clementis PP. XI per plures annos continuato, a sacrâ Congregatione eminentissimorum ac reverendissimorum dominorum S. R. E. cardinalium in totâ republicâ christianâ adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede Apostolicâ specialiter deputatorum, auditis partibus, necnon theologorum et qualificatorum ad id deputatorum votis, data fuerunt, ac postmodum ab eodem sanctissimo domino nostro approbata et confirmata.

Super primo articulo.

De Dei nominibus.

Ad primum quaesitum sacra Congregatio censuit non esse adhibenda nomina europaea ad significandum Deum Optimum Maximum: inutilis siquidem esset eorum usus, posito quod illa sinicis characteribus exprimi vix possint, nec ullam apud Sinas rei significatae ideam excitare valeant.

Ad secundum respondit affirmative. Si enim illis vocibus apud praecipuam Sinensium sectam, quae litteratorum nuncupatur, nonnisi caeli virtus eidem caelo insita designatur, caelum corporeum et visibile, vel quaedam quaecumque alia tandem eisdem vocibus significatio attribui valeat, abstinere ab eis prorsus debent missionarii, ne ansam praebeant illis gentibus existimandi nihil aliud esse Deum, quem christiani colunt, quam caelum corporeum, aut eius virtutem.

Ad tertium similiter respondit affirmative; praesertim cum nulla hac in re adsit inter partes controversia.

Ad quartum sufficienter fuisse provisum in responsione ad secundum quaesitum.

Super secundo articulo.

De tabellis in ecclesia.

Ad primum. Attentis iis, quae dicta sunt in responsione ad secundum quaesitum primi articuli, sacra Congregatio respondit permittendum non esse in ecclesiis christianorum appendi tabellam de qua agitur, nec iam appensam retineri. Etsi enim nefas omnino sit suspicari quod aliqui ministri evangelici, tabellam huiusmodi in ecclesiis christianorum permittentes, alio animo id faciant, quam, per inscriptionem in eâ appositam, non caeli,[1] adeoque veri Dei cultum explicandi: abstinendum tamen omnino est ab illâ praxi, quam, iuxta ea quae habentur apud S. Leonem *serm.* VII *De Nativitate Domini*, cum quis in nostris invenerit, qui, erroribus relictis, christianam fidem amplexus est, eam secum partem opinionis vetustae tamquam probabilem retinere posset, quam fidelibus et infidelibus viderit esse communem.

Ad secundum. Praesuppositâ inscriptione, de qua agitur, respondit negative. Quod si loco inscriptionis *Caelum colito*, proponeretur alia *Dominum*

1 Edit. Main. legit *principii* (R. T.).

2 Vocem *christianae* nos addimus (R. T.).

1 Heic videtur unum comma excidisse, nempe, *sed caeli Creatoris, adeoque*, etc. (R. T.).

caeli colito, esset haec subrogatio novae tabellae, non declaratio antiquae.

Super tertio articulo.

Remissâ ad alium locum quaestione, remittitur et ad illum responsio.

Super quarto articulo.

De oblationibus seu sacrificiis.

Ad sex quaesita huius articuli sacra Congregatio respondit: Christianis nullatenus nullâque de causâ esse permittendum praeesse, ministrare aut interesse solemnibus sacrificiis seu oblationibus quae in utroque aequinoctio cuiusque anni Confucio et progenitoribus defunctis fieri solent, tamquam superstitione imbutis.

Similiter nec esse permittendum in aedibus Confucii, quae eo appellari dicuntur vocabulo quo apud Sinas idolorum templum designari dicitur, exerceri ac peragi a christianis caeremonias, ritus et oblationes, quae in honorem eiusdem Confucii fieri dicuntur, tum singulis mensibus in novilunio et plenilunio a mandarinis seu primariis magistratibus, aliisque officialibus et litteratis, tum ab iisdem mandarinis seu gubernatoribus, ac magistratibus, antequam dignitatem adeant, seu saltem post eiusdem possessionem adeptam, tum denique a litteratis, qui, postquam ad gradus sunt admissi, e vestigio ad templum seu aedem Confucii se conferunt.

Item non esse permittendum christianis in templis seu aedibus progenitoribus dicatis oblationes minus solemnes eisdem facere, necnon illis ministrare, aut quomodolibet inservire, vel alios ritus et caeremonias peragere.

Demum nec esse permittendum christianis praefatas oblationes, ritus ac caerimonias, prout in quaesitis relatae sunt, coram progenitorum tabellis, in privatis domibus, nec in eorumdem progenitorum sepulchris, aut antequam defuncti sepulturae tradantur, in eorum honorem fieri consuetas, unâ cum gentilibus vel seorsim peragere, eisque ministrare aut interesse; imo praedicta omnia, tanquam a superstitione inseparabilia, iuxta ea quae in quaesitis proposita sunt, ne quidem esse permittenda christianis praemissâ publicâ vel secretâ protestatione se non religioso sed civili ac politico tantum cultu erga defunctos illa praestare, nec ab eis quidquam petere aut sperare.

Declarationes.

Ceterum per responsa huiusmodi non censendam esse damnatam praesentiam illam seu assistentiam mere materialem, quam cum gentilibus superstitiosa peragentibus, citra ullam sive expressam sive tacitam gestorum approbationem, ac quovis ministerio penitus secluso, eisdem superstitiosis actibus quandoque praestari contingat a christianis, cum aliter odia et inimicitiae vitari non possunt; factâ tamen fidei protestatione, et cessante periculo subversionis.

Similiter nec per eadem responsa vetari, quominus erga defunctos peragi possint alia, si quae sint iuxta earum gentium mores, quae vere superstitiosa non sint, nec superstitionis speciem praeseferant, sed intra limites civilium ac politicorum rituum contineantur. Porro quaenam haec sint, et quibus adhibitis cautelis tolerari valeant, tum domini patriarchae Antiocheni commissarii et visitatoris generalis in imperio Sinarum, tum episcoporum ac vicariorum apostolicorum illarum partium iudicio relinquendum esse; qui tamen interea, omni quo poterunt studio ac diligentiâ, curare debebunt, ut, gentium caeremoniis penitus sublatis, illi sensim a christianis et pro christianis hac in re usu recipiantur ritus, quos catholica Ecclesia pro defunctis pie praescripsit.

Super quinto articulo.

De tabellis defunctorum.

Ad tria quaesita huius articuli sacra Congregatio respondit: Christianis non posse permitti tabellas progenitorum iuxta Sinensium morem in privatis domibus retinere cum inscriptione qua thronus seu sedes spiritus vel animae N. defuncti, adeoque qua spiritum seu animam illius defuncti ibidem aliquando sisti vel residere significetur; imo nec cum aliâ qua sedes seu thronus, adeoque idem ac priori, licet magis contractâ, inscriptione designari videatur.

Declaratio.

Quo vero ad tabellas solo defuncti nomine inscriptas, tolerari posse illarum usum, secluso scandalo, hoc est, dummodo, qui christiani non sunt, arbitrari non possint tabellas huiusmodi a christianis retineri eâ mente qua ipsi illas retinent, et adiectâ insuper declaratione ad latus ipsarum tabellarum apponendâ, qua et quae sit christianorum de defunctis fides, et qualis filiorum ac nepotum in progenitores pietas esse debeat, enuncietur.

Super tertio articulo.

De cultu Confucii.

Ad quaesitum tertii articuli huc remissum, sacra Congregatio satius duxit nihil respondere; ne aliàs Apostolica Sedes ab eo, quem in eiusmodi controversiis Sinicis hactenus tenuit, antiquo more recedere cogatur; quo nimirum ad ea, quae sibi pro tempore tametsi diversimode exposita fuerunt, responsa quidem veritatis semper dare, nunquam vero super expositorum huiusmodi veritate seu falsitate pronunciare consuevit.

Super sexto articulo.

De quibusdam propositionibus.

Nihil certi firmari posse quoad propositiones enunciatas in hoc sexto articulo, nisi praehabitis plenioribus et necessariis rerum in eis contentarum notitiis. Interea tamen committendum esse praefato domino patriarchae Antiocheno, ut, auditis episcopis et vicariis apostolicis, necnon peritioribus missionariis illarum partium, hac in re id statuat atque decernat, quod, iuxta datam sibi a Domino prudentiam, catholicae religionis indemnitati atque animarum saluti magis expedire censuerit.

Super septimo articulo.

De librorum expositione.

Praesupposito, quod Sinici libri atheismum et diversas superstitiones contineant, prout in mandato domini episcopi Cononensis dicitur, utile non modo ac salutare, sed et omnino necessarium fuisse monitum de quo agitur in septimo articulo, adeoque illud esse approbandum.

Monitum ad executores.

Laudandam demum esse declarationem in calce eiusdem mandati adiectam, qua dicitur culpandos non esse illos missionarios, qui aliam pravim ab eâ, quae in ipso mandato praescribitur, sequi hactenus duxerunt; cum mirum videri non debeat, quod in eiusmodi materiâ per tot annos discussâ, et in qua, iuxta diversas Apostolicae Sedis expositas circumstantias, diversa itidem antehac emanarunt eiusdem Sedis responsa, concordes omnes non fuerint in eadèm sententiâ. Ita proinde hac in re agendum fore tum a praefato domino patriarchâ Antiocheno, tum ab aliis, quibus superius responsorum executio iniungetur, ut omnis quidem ethnicae superstitionis species eiusque afflatus, iuxta Tertulliani monitum, etiam de longiquo devitetur; insimul tamen operariorum evangelicorum in vineâ Domini strenue ac sedulo laborantium, qui, priusquam supra relata dubia ex solitâ huius S. Sedis providentiâ ac rectitudine dirimerentur, aliter senserunt, honori ac famae consulatur, nec tamquam idololatriae fautores traducantur; praesertim quia pleraque ex illis, quae christianis permittenda non esse, sicut

praemittitur, responsum fuit, ipsi quoque se nunquam reverâ permisisse declararunt; nec dubitandum sit, illos, finità iam causâ, praefatae S. Sedis mandatis, eâ qua decet humilitate et obedientiâ, esse obsecuturos.

IV.

DECRETUM SS. D. N. CLEMENTIS XI,
Quo confirmantur relata responsa, post diligens examen editum.

Fer. v, die xx novembris MDCCIV.

In Congregatione generali sanctae Romanae et universalis Inquisitionis habità in palatio apostolico Quirinali coram sanctissimo domino nostro domino Clemente divinâ providentiâ Papa XI, ac eminentissimis et reverendissimis dominis S. R. E. cardinalibus in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus a Sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis:

Sanctitas Sua, postquam in pluribus Congregationibus coram se habitis ab ipso pontificatus sui primordio super praemissis quaesitis seu dubiis theologorum et qualificatorum ad id a sanctae memoriae Innocentio XII deputatorum sententias exceperit; postquam itidem pluries de iis egerat cum dominis episcopis Berytensi et Rosaliensi, vicariis apostolicis in regno Sinarum, Romae nunc commorantibus, ac postquam demum; quicquid in eiusmodi controversiis patres Franciscus Noël et Gaspar Castner Societatis Iesu procuratores et missionarii apostolici eiusdem regni deducere potuerunt seu voluerunt, audiverat: responsa supradicta, quae in aliis praecedentibus Congregationibus similiter coram Sanctitate Suâ habitis diu multumque discussa ac mature examinata fuerant, confirmavit et approbavit, illaque domino Carolo Thomae de Tournon patriarchae Antiocheno commissario et visitatori apostolico in praefato Sinarum et aliis Indiarum Orientalium regnis transmitti mandavit, unâ cum congruâ et opportunâ instructione desuper faciendâ, ad hoc ut tam ipse, quam reliqui archiepiscopi, episcopi, seu alii qui in illis partibus visitatoris, delegati seu vicarii apostolici munus exercent, vel in posterum exercebunt, responsa huiusmodi ab omnibus et singulis nunc et pro tempore ibidem existentibus missionariis cuiuscumque Ordinis, religionis, et instituti, etiam Societatis Iesu, necnon ab universis christifidelibus earumdem partium, sub poenis canonicis, qua decet obedientiâ observari curent et faciant; suspensâ tamen interea, iustis et rationalibus ex causis animum Sanctitatis Suae moventibus, eorumdem responsorum publicatione, seu quavis evulgatione, tam in Urbe quam in aliis Europae partibus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ioseph Bartolus sanctae Romanae et universalis Inquisitionis notarius.

Dat. die 20 novembris 1704, pontif. anno IV.

LXIX.

Deputantur abbas generalis, visitatores et definitores Congregationis monachorum Vallisumbrosae, cum statuto spectante ad visitationem monasteriorum maioris observantiae [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Prospero felicique Congregationis Vallisumbrosae monachorum Ordinis sancti Benedicti regimini [2] et gubernio, quan- Causae praesentis constitutionis.

1 Constitutiones huius Congregationis extant supra, const. ed. MDCCIV, die 15 martii, pontif. IV, ubi agitur de maiori observantiâ; et in const. ed. MDCCXIII, die 28 septembris, pontif. XIII, conceduntur Congregationi plurima privilegia.

2 Edit. Main. legit *regimine* (R. T.).

tum nobis ex alto conceditur, providere cupientes, ac de infrascriptorum eiusdem Congregationis monachorum expresse professorum fide, prudentiâ, charitate, integritate, vigilantiâ, solertiâ et religionis zelo plurimum in Domino confisi, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dilectos filios Gregorium Bartoli in abbatem generalem, ac Silvanum Caranzi, Columbinum Bassi, Laurentium Poltri, Virgilium Falugi, Angelum Mariam Serafini, Mercurialem Prati, Innocentium Rosetti et Ioannem Aurelium Casati in definitores, ac Ricciardum Betti et Ioannem Iacobum Caleppi, Congregationis praedictae monachos expresse professos, in visitatores respective eiusdem Congregationis, non modo usque ad dominicam tertiam post Pascha Resurrectionis dominicae proxime venturum, qua capitulum generale ipsius Congregationis convocari solet, sed etiam inde ulterius ad tempus solitum, quo eiusmodi officia iuxta regularia memoratae Congregationis instituta per Sedem Apostolicam confirmata durare consueverunt, cum omnibus et singulis praerogativis, praeeminentiis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis et indultis, ac honoribus et oneribus solitis et consuetis, tenore praesentium constituimus et deputamus.

Mandatum pro executione decretae deputationis.

§ 2. Mandantes propterea, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, omnibus et singulis supradictae Congregationis superioribus, monachis et personis, ceterisque ad quos spectat et spectabit in futurum, ut supranominatos monachos ad officia eis respective per praesentes demandata, illorumque liberum exercitium, iuxta earumdem tenorem praesentium, recipiant et admittant, illosque recognoscant, et illis in[1] omnibus, quae ad officia huiusmodi pertinent, faveant et assistant, pareantque et obediant respective. Praeterea, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus abbas generalis pro tempore existens memoratae Congregationis, occasione visitationis monasteriorum maioris observantiae et exactioris vitae communis eiusdem Congregationis, pro eâdem visitatione et examine, praeter duos visitatores et secretarium, etiam abbatem pro tempore existentem monasterii S. Mariae eiusdem Vallisumbrosae, sive S. Ioannis Gualberti de Valle Benedicta, alternatim, unâ cum priore alterutrius monasteriorum huiusmodi adhibere, iique, peractâ visitatione praedictâ, fidelem et sinceram relationem proprio charactere subscriptam circa eamdem vitam communem eiusque progressum ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum super disciplinâ regulari specialiter deputatorum, sub poenis itidem arbitrio nostro infligendis, quantocitius transmittere teneantur.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac monachis supra nominatis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis Vallisumbrosae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI decembris MDCCIV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 11 decembris 1704, pontif. anno V.

LXX.

Committit privative vicesgerenti Urbis causas omnes domus Catechumenorum et Neophytorum de Urbe, locorumque piorum illi adnexorum[1].

Clemens Papa XI,

Monsignor vescovo di Veroli, nostro vicegerente.

Inter praedictorum catechumenorum et neophytorum privilegia exta-

Essendoci stato rappresentato, per parte della Casa de'Catecumeni di Roma, chiesa della Madonna de'Monti, luoghi pii ad essa annessi, e Neofiti, che li nostri predecessori, considerando che detta casa e luoghi pii, come eretti e fondati nella Città capitale del cristianesimo per propagare la nostra santa Fede, e li neofiti, come germogli novelli e persone che dalle loro tenebre sono venute alla luce del santo Vangelo, erano degni d'una singolar protezione della Chiesa Romana, tra gli altri molti privilegî a loro concessi, avevano, con loro lettere in forma di Breve, assegnato in perpetuo a detti luoghi pii un cardinale della S. R. C. per protettore, il quale, per evitar le spese delle liti e la distrazione in diversi tribunali, come anche l'ingiurie o vessazioni che si potessero dare, specialmente dalli infedeli stessi o dalla nazione ebrea ai neofiti, e per facilitare alla detta casa, luoghi pii e neofiti l'esazione dei loro crediti ed assegnamenti, particolarmente da pagarsi dall'università degli ebrei di Roma ed altre università parimente d'ebrei esistenti nel nostro Stato Ecclesiastico, avesse la facoltà privativa rispetto a tutti gli altri tribunali e giudici di conoscere tutte le cause attive e passive, tanto civili come criminali, di detti luoghi pii e de'neofiti, come dalle lettere in forma di Breve della felice ricordanza di Paolo III l'anno MDXLII li XIX febbraio, confermate dalla felice ricordanza di Paolo IV sotto li XXIII marzo MDLIV, e da Pio IV sotto li XXIII marzo MDLVI, e da altri nostri predecessori; e che dopo il decreto o decreti d'una Congregazione particolare confermato o confermati dalla felice ricordanza d'Innocenzo XII nostro predecessore sotto il dì XXIV e XXXI agosto MDCXCII, nei quali fu abolita la

bat illud, quod eorum causae privative spectarent ad cardinalem protectorem.

1 Commissio antea facta fuerat cardinali protectori, uti videre est in constitutionibus infra laudatis; et in huius Pontificis const. ed. MDCCXII, die 2 ianuarii, pontif. XII, conceduntur Congregationi piorum operariorum collegium et ecclesia S. Mariae Montium.

giurisdizione contenziosa ai cardinali della S. R. C. protettori de' luoghi pii, e furono soppressi molti tribunali particolari, detta Casa de' Catecumeni, e detti luoghi pii, come anche i catecumeni e neofiti, distratti da diversi tribunali, abbiano molti pregiudizî e frequenti vessazioni patito:

Sed ab hoc Pontifice avocantur eorum causae a quibuscumque iudicibus et tribunalibus.

§ 2. Noi pertanto, per far conoscere la paterna pietà che abbiamo verso li detti luoghi pii fondati per la conversione degl'infedeli, la quale è il nostro primo instituto apostolico, e verso li catecumeni e neofiti che sono venuti ed in futuro verranno alla santa Fede, quali sono degni della nostra speciale protezione ed assistenza, di nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della nostra potestà apostolica, avendo[1] a noi tutte e singole liti e cause, sì civili come criminali e miste, attive e passive di detta Casa de'Catecumeni, luoghi pii annessi, de'catecumeni stessi e neofiti, figli di primo grado de' medesimi catecumeni e neofiti, e mariti di neofite, o di figlie di primo grado di neofiti, mosse o rispettivamente da moversi in avvenire da qualsivoglia persona, e contro qualsisia persona, per qualunque causa, in qualsivoglia tribunale, avanti qualsisiano giudici ordinarî, delegati, ecclesiastici e secolari, Congregazione anche de' reverendissimi cardinali, e generalmente avanti qualsisiano giudici, benchè privilegiati e privilegiatissimi, le medesime liti e cause tanto attive quanto passive, anco già instrutte, nello stato e termine nel quale si trovano al presente, ed anco tutte le altre cause che in avvenire ed in qualsivoglia tempo s' introdurranno, attive e passive, civili, criminali e miste, pro o contro detta Casa de'Catecumeni e luoghi pii annessi, catecumeni e neofiti, e loro figli di primo grado o mariti di neofite, oppure delle loro figliole di primo grado, in prima istanza, le commettiamo e rispettivamente le rimettiamo a voi, come nostro vicegerente di Roma, ed altri vicegerenti, che saranno *pro tempore*, per gli atti del notaro del nostro vicario di Roma, o di altri notarî di altri tribunali da deputarsi sempre dai deputati di detta Casa dei Catecumeni privativamente ad ogni altro giudice, tribunale anche collegiale, e magistrato, e notaro, con piena, ampla, libera ed assoluta facoltà ed autorità di poterle con tutti i loro incidenti, dependenti, emergenti, annessi, connessi, ed anco con la clausula *quam et quas*, conoscere, decidere, finire e terminare (ancorchè si trattasse o procedesse per vigore di obblighi camerali e giurati, e che le persone, che avessero interesse sì attivamente come passivamente in dette liti e cause, fossero basiliche, chiese, cappelle e religioni, commende, monasterî, conventi, ospedali, confraternite, ed anche luoghi pii, anco insigni, e quantosivoglia privilegiati e privilegiatissimi, ed ancorchè fossero pupilli, vedove e minori, anche per causa di mercedi, alimenti e doti, e qualsisiano altre persone che avessero privilegî tali che per comprenderli avessero bisogno di speciale menzione), e di potere nelle dette cause procedere ogni giorno ed ora, non però feriato, in onor di Dio, senza servazione di termini sostanziali, confezioni d'estratti e registri, ed ancora senza produzioni d'instromenti e scritture publiche, ma con le sole copie semplici o indicazione di quelle a vostro e de' vostri successori arbitrio, ed ancora senza deposito o pagamento di sportule o propine, con le sole citazioni *domi dim. copia*, per contraddette, o per editto, anco fuor di Roma e tutto il nostro Stato Ecclesiastico, in qualsivoglia luogo, ben-

1 Forsan *avocando* (R. T.).

chè *de iure* per costituzioni, statuti, stili e consuetudini fossero necessarie di farle personalmente, e di eseguire tutto ciò sommariamente ed esecutivamente, e senza strepito e figura di giudizio, e veduta la sola verità del fatto, posposta e rimossa ogni qualunque appellazione e ricorso, fuori che al nostro auditore, tanto nella seconda quanto che in altre istanze, anco per capo di restituzione *in integrum*, e non altro tribunale, benchè supremo, dandovi perciò ancora piena ed ampla facoltà ed autorità di avocare e reassumere le cause e liti suddette da qualunque giudice o tribunale, come sopra, e a quelli inibire, sotto le pene e censure a vostro arbitrio, che non ardiscano porvi più le mani, nè ingerirvisi in modo alcuno.

Clausulae. § 3. Volendo e decretando che al presente nostro chirografo non possa in alcun tempo opporsi di sorrezione, obrezione, o difetto della nostra volontà ed intenzione, nè di alcun altro vizio o difetto, benchè sostanziale e formale, e che ammettendosi e registrandosi in Camera, secondo la disposizione della Bolla di Pio IV nostro predecessore *De registrandis, etc.*, vaglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione e vigore con la semplice nostra sottoscrizione, e ancorchè non siano stati chiamati, citati, nè sentiti qualsisiano persone e luoghi pii che avessero già mosse liti e cause contro della Casa de' catecumeni, luoghi pii annessi, e neofiti, e persone sopra specificate, e qualsisiano altre persone, le quali sopra di ciò direttamente o indirettamente o in qualunque altro modo avessero o pretendessero di avere interesse, e che sopra tutte e singole cose suddette così e non altrimenti debba sempre giudicarsi, definirsi e interpretarsi, tanto da voi quanto da altri che *pro tempore* vi succederanno, senza che altri possano ingerirsi nè in giudicare, nè interpretare, ancorchè fossero legati *de latere*, ovvero auditori della nostra Rota, Camera, Segnatura, e qualsisiano altri giudici ordinarî, commissarî, delegati e subdelegati, come sopra, togliendo noi ad essi e a ciascheduno di loro sopra le cose suddette la facoltà e autorità di giudicare, interpretare e definire altrimente, e dichiarando noi adesso, per quando potesse venire il caso, preventivamente irrito, nullo e invalido tutto ciò che in contrario si facesse. Non ostanti le costituzioni d'Innocenzo VIII, Giulio II, Gregorio XIII, Gregorio XIV, Innocenzo XII, ed altre de'Sommi Pontefici sopra le facoltà di qualsisiano giudici e tribunali, qualsivoglia privilegî, a qualsisia persona fossero conceduti e competenti per le qualità de' contratti e persone suddette, la regola della nostra Cancellaria *de iure quaesito non tollendo*, e qualsisiano altre costituzioni e ordinazioni apostoliche de' nostri predecessori, leggi civili e canoniche, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, e qualunque altra cosa che facesse o potesse fare in contrario; alle quali tutte e singole, ancorchè contenessero clausole insolite derogatorie, e derogatorie di derogatorie, supplendo noi con la pienezza della nostra podestà a qualsivoglia difetto sì sostanziale come formale che sopra ciò potesse intervenire, avendone il tenore qui per espresso e di parola in parola inserto, per questa volta sola, ed all'effetto suddetto, amplamente e in ogni altro miglior modo deroghiamo.

Dato nel nostro palazzo Vaticano questo di XXI gennaro MDCCV.

Dat. die 21 ianuarii 1705, pontif. anno V.

LXXI.

Declaratur, ius visitandi parochiales ecclesias regularium in insulis Philippinis competere locorum Ordinariis[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Lis inter religiosos et Ordinarios dictarum insularum de visitatione ecclesiarum parochialium.

§ 1. Cum, sicut venerabilis frater modernus archiepiscopus Manilanensis nobis nuper exponi fecit, dilecti filii fratres Ordinum Praedicatorum, Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, ac Eremitarum S. Augustini, necnon clerici seu presbyteri regulares Societatis Iesu ordinariam visitationem in septingentis et amplius parochialibus ecclesiis, seu, ut vocant, doctrinis, quas in dioecesi Manilanensi et aliis insularum Philippinarum episcopatibus regunt[2], et respective exercent, admittere renuant, seque potius animarum curam dictasque parochiales ecclesias deserere, quam sese visitationi praedictae subiicere velle declarent (plura scandala et absurda exorta[3]), inde vero plura scandala et inconvenientia cum neglectu constitutionum apostolicarum ac decretorum Concilii Tridentini exoriantur; ac proinde ipse archiepiscopus de opportuno desuper remedio a nobis provideri plurimum desideret: nos,

Declarat ut in rubricâ.

eiusdem archiepiscopi votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eorum[1] nomine nobissuper hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus dicti Concilii Tridentini interpretibus super hoc negotio a nobis deputatorum, qui fratrum et clericorum seu presbyterorum regularium praedictorum procuratorem citatum et informantem super praemissis audiverunt, consilio, ius visitandi regulares, in iis quae concernunt curam animarum ac sacramentorum administrationem, archiepiscopo Manilanensi aliisque episcopis in insulis Philippinis existentibus competere, nec eosdem regulares parochias seu doctrinas, de quibus agitur, sub censurarum, amissionis bonorum, aliisque arbitrariis poenis, dimittere posse, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Clausulae.

§ 2. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinum et Societatis praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatio-

1 De confessariis regularibus ab Ordinario approbandis extat Innocentii XII constit. edit. MDCXCVIII, die 6 septembris, pontif. VIII; et in Innocentii XIII constit. edit. MDCCXXII, die 26 augusti, pontif. II, agitur de ingressu parochorum in ecclesias regularium.

2 Edit. Main. legit *regant* (R. T.).

3 Quae parenthesi inclusimus, delenda videntur (R. T.).

1 Videtur legendum *eius* (R. T.).

ne apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 30 ianuarii 1705, pontif. anno V.

LXXII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de instituendo procuratore generali in Urbe pro Minoribus Discalceatis et Recollectis, cum quibusdam ordinationibus[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Species facti. § 1. Aliàs, ad supplicationem dilectorum filiorum fratrum provinciarum Ordinis Minorum sancti Francisci Discalceatorum et Recollectorum nuncupatorum familiae ultramontanae, emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum S. Congregationis. Sacra congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, re mature discussâ, et perpensis obiectionibus ex adverso oppositis per patrem procuratorem generalem de Observantiâ, referente eminentissimo domino cardinali Sperello, sub diebus XV iunii et XXXI augusti, ac iterum sub die VII decembris anni MDCCIII, censuit constituendum esse procuratorem generalem pro Discalceatis et Recollectis, qui Romae et in conventu Aracaelitano debeat residere, donec de alio conventu in Urbe ei provideatur, unâ cum socio qui eidem in munere secretarii deserviat: officium autem ipsius duret per sexennium, videlicet ab uno capitulo generali ad aliud: isque res peragat omnium Discalceatorum et Recollectorum tam Hispaniae et Italiae quam etiam Galliae aliarumque regionum et provinciarum, exceptis Germano-Belgicis, qui, nullâ factâ innovatione, remanere valeant sub dicto procuratore generali de Observantiâ. Et similiter quotquot ex Polonia, Bohemia, aliisque provinciis hactenus fuerunt sub procuratore generali Reformatorum cismontanae familiae residente in conventu S. Francisci ad Ripam, sub eodem remanere debeant, cui nusquam praeiudicium inferatur, sed praecedentiae et alia iura semper illaesa permaneant. Ad huiusmodi officium alterâ vice assumi debeat unus ex Recollectis, et alterâ unus ex Discalceatis, idque ab eorum vocalibus in capitulo generali. Electio autem fiat per schedulas et vota secreta, nemine proponente. Socius vero secretarii munere functurus, cum procurator erit ex Recollectis, assumatur ex Discalceatis; et e contra, cum erit ex Discalceatis, assumatur ex Recollectis. Pro hac primâ vice sit

1 De electione definitoris fratrum Recollectorum extat Innocentii XII const. ed. MDCXCIX, die 30 maii, pontif. VIII; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVI, die 28 ianuarii, pontif. II, agitur de erectione coenobii fratrum Discalceatorum.

procurator generalis pater Ioannes Damascenus Mesnard recollectus provinciae S. Dionysii, cuius officium ex nunc incipiat, et duraturum sit usque ad aliam electionem faciendam ex familiâ Discalceatorum in capitulo generali anni MDCCXII. Et quia ipse pater Mesnard est absens extra Italiam, donec ad Urbem venerit, eius partes et vices impleat pater Isidorus a Iesu, discalceatus provinciae S. Iosephi in Castella. Huiusmodi procuratoris munus sit in omnibus simile muneri procuratoris generalis Reformatorum cismontanae familiae, cum iisdem facultatibus et praerogativis quibuscumque. Romae, etc. G. cardinalis CARPINEUS. *Locus † sigilli.*

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte eorumdem fratrum nobis nuper expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, praefatos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciarum, conventuum et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII martii MDCCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 12 martii 1705, pontif. anno V.

LXXIII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium, approbans divisionem provinciae S. Antonii in

regno Portugalliae fratrum Minorum Reformatorum in duas, sub certis conditionibus [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Causae divisionis praedictae a capitulis provincialibus MDCXCIV et MDCCIII, nec non generali MDCCIII, ac nuncio apostolico approbatae.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum ministri provincialis et superiorum provinciae S. Antonii in regno Portugalliae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, cum in [2] ipsâ provinciâ numerus conventuum et religiosorum notabiliter auctus reperiretur, praedicti eius religiosi, ob locorum distantiam et ardua itinera, multa patiebantur incommoda, ac inter eos continuae dissensiones, lites, gravissimaeque inordinationes oriebantur; ac proinde, his aliisque incovenientibus in capitulo provinciali provinciae praefatae, quod die XVI ianuarii MDCXCIV in conventu S. Antonii loci de Castagneira celebratum fuit, consideratis, de eâdem provinciâ in duas dividendâ, si ad id huius Sanctae Sedis licentia accederet, illam approbante et confirmante tunc existenti ministro generali dicti Ordinis qui in eodem capitulo praesidentis munere fungebatur, deliberatum fuerat; subinde vero eadem divisio, repartitis per tres religiosos qualificatos conventibus, ac tredecim ex eis uni, totidemque alteri sic de novo erigendis provinciis assignatis, in capitulo generali mense iunii eiusdem anni in oppido civitate nuncupato Victoriae itidem celebrato, a discretorio, dicto ministro generali et definitorio generali ibidem congregatis iterum approbata, ac novissime, nempe die XVII februarii MDCCIII, eadem divisio alterâ vice proposita in capitulo provinciali in praedicto conventu convocato, praeviâ reformatione circa aliqua pacta, plenis votis et nemine discrepante, cum conditionibus in eodem capitulo stabilitis, acceptata fuerat: et in eâdem expositione subiuncto, quod, cum praedicta cardinalium Congregatio ad venerabilem fratrem Michaëlemangelum archiepiscopum Tharsensem in Portugalliae et Algarbiorum regnis nostrum et Apostolicae Sedis nuntium pro informatione super dictâ divisione scripsisset, praedictus Michaëlangelus archiepiscopus et nuntius transmiserat ad ipsam Congregationem cardinalium, unâ cum suâ informatione, conditiones sequentes, videlicet:

Conditiones sub quibus divisio fieri debebat.

I. Ut provincia Ulyssiponensis suum proprium nomen S. Antonii retinere, altera vero sic de novo erigenda provincia Conceptionis de Bera et Migno nuncupari ac convenienti sigillo uti deberet.

II. Quod expensae pro expeditione praesentium litterarum ab utrâque provinciâ pro aequali portione fierent.

III. Ut eleemosynae communes, ordinariae nuncupatae, quas carissimus in Christo filius Petrus Portugalliae et Algarbiorum rex pro suâ regiâ pietate singulis annis provinciae supradictae facere solet, aequaliter dividerentur, ita ut provinciae erigendae illa pars obveniret, quae ad quemlibet suorum conventuum spectabit.

IV. Ut suffragia pro religiosis defunctis, qui professionem ante perventam divisionem emisissent, ab utrâque provinciâ persolverentur, ac dies eorum obitus per litteras notificari deberet, prout de praesenti fieri solet.

V. In conventu supradicto S. Antonii Ulyssiponensi duae cellae assignatae erunt

1 Const. ed. MDCCII, die 15 septembris, pontif. II, extat dismembratio coenobiorum a provinciâ S. Petri de Alcantara regni Neapolis; et const. ed. MDCCIX, die 8 martii, pontif. IX, agit de divisione provinciae S. Didaci Papiensis.

2 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

pro duobus religiosis procuratoribus novae provinciae erigendae huiusmodi, quotiescumque eos ad praedictam civitatem pro ipsius provinciae negotiorum expeditione accedere contigisset.

VI. Liceret unicuique ex religiosis alterutram ex dictis provinciis intra sex menses a die conclusionis dictae divisionis incipiendos eligere.

VII. Ex duobus conventibus, qui in districtu loci de Maragnon, nempe de Gran Para, et praefati de Maragnon, locorum respective nuncupatorum, siti sunt, primodictus ad Ulyssiponensem, alter vero ad Conceptionis praedictae [1] provincias respective spectabunt; hac tamen conditione, quod praefatus conventus dicti loci de Maragnon religiosos provinciae Conceptionis erigendae huiusmodi, eo tempore quo inibi hospites erunt, charitative excipiet, parique charitate ab altero conventu eiusdem loci de Para excipientur religiosi provinciae Ulyssiponensis praefatae, et ibidem curabuntur, si eos aliquâ infirmitate tempore missionum corripi contingat; missiones vero huiusmodi inter fratres utriusque provinciae aequaliter dividantur.

VIII. Repartitio conventuum sic fiat; scilicet, ut, relictis provinciae S. Antonii omnibus illis conventibus qui usque ad oppidum seu locum de Cantagneda inclusive siti sunt, nova fundatio conventus de Figuereio de Campo nuncupatus, ceterique alii conventus, qui a Serem et Vizeu usque ad flumen Mignum reperiuntur, ad novam provinciam Conceptionis praedictam spectare debeant, collegii autem Colimbriensis (licet illius gubernium in solidum penes provinciam S. Antonii remaneat) dicta nova Conceptionis provincia usum habeat, hac formâ nempe, quod in ipsum collegium collegiales utriusque provinciae aequali numero admittantur, et indistincte tractabuntur, prout hactenus observatum fuit; deficientibus vero eleemosynis pro illius sustentatione, utraque provincia pro ratâ iuxta religiosorum numerum in eo commorantium illas subministrabit. Lectores artium alternatim, theologiae vero de primâ et tertiâ, iuxta antianitatem uniuscuiusque, ita ut quaelibet provincia lectorem suum semper habeat, constituantur.

Praeterea, si nova provincia Conceptionis praedicta aliquem situm pro construendo dormitorio aliisque sibi necessariis commodum inveniret, consequi posset; divina autem officia in eâdem ecclesiâ et sacrario peragi, et aulâ pro actibus litterariis, prout de praesenti fit, et perinde ac si omnes sub eâdem provinciâ uniti essent, uti debeant, et, quatenus nova provincia Conceptionis huiusmodi ad eum statum perveniret habendi collegium separatum, utriusque provinciae superiores inter se circa necessarias provisiones concordare curabunt:

Ac proinde, quo quies et unio inter praedictos fratres conservaretur, eidem Congregationi pro parte dictorum exponentium supplicato ut divisionem huiusmodi, cum conditionibus praedictis et in novissimo capitulo provinciali, ut praefertur, acceptatis, confirmaret et approbaret, emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis approbans divisionem cum relatis conditionibus.

Sacra congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentâ relatione nuntii apostolici apud serenissimum Lusitaniae regem residentis, referente eminentissimo S. Clementis, censuit indulgendum, prout praesentis decreti vigore benigne indulget, confirmationi divisionis praefatae provinciae cum conditionibus expressis et approbatis in proximo praeterito capitulo provinciali, ita tamen ut effectum non habeat nisi completo regimine provincialis electi in eodem capitulo. Romae XVIII aprilis MDCCIV. G. cardinalis CARPINEUS. *Loco † sigilli.* N. GRIMALDUS secr.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut praedicti fratres provinciae erigendae huiusmodi nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio com-

1 Aptius leg. *praedictas* pro *praedictae* (R.T).

muniri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis cardinalium huiusmodi.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae S. Antonii huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV aprilis MDCCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 24 aprilis 1705, pontif. anno V.

LXXIV.

Confirmatur decretum Congregationis Rituum de facultate celebrandi missam de B.M.V. singulis sabbatis pro fratribus Minoribus Discalceatis provinciae Mexicanae[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, ad supplicationem dilecti filii Iosephi de Sottomayor fratris expresse professi ac proministri provincialis provinciae Mexicanae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Excalceatorum nuncupatorum, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum S. Congregationis in quo tamen excipiuntur nonnulla sabbata.

Mexicana. Ad humillimas preces sanctissimo Domino nostro Clementi Papa XI a patre Iosepho de Sottomayor, Ordinis Excalceatorum sancti Francisci et provinciae Mexicanae proministro, porrectas a Sanctitate Sua ad sacrorum rituum Congregationem remissas et ab eminentissimo et reverendissimo domino cardinali S. Clementis relatas, sacra eadem Rituum Congregatio, gratiam aliàs sub die XIII augusti MDCCI eidem Ordini provinciae Baeticae impar-

1 Haec facultas concessa fuerat provinciae Baeticae constit. ed. MDCCIV, die 13 februarii, pontif. IV.

titam extendendo, benigne indulsit atque concessit ut in ecclesiis Ordinis praedicti Excalceatorum sancti Francisci provinciae Mexicanae qualibet die sabbati per annum non impediti officio duplici primae et secundae classis, exceptis sabbato sancto, sabbatis infra octavam Resurrectionis Domini nostri et Pentecostes, et vigiliâ Nativitatis Domini si in sabbatum inciderit, non omissâ conventuali, unica etiam missa votiva de beatâ Mariâ Virgine celebrari possit et valeat. Die IV aprilis MDCCV. — G. cardinalis CARPINEUS. *Loco † sigilli.* B. INGHIRAMI, sacrorum rituum Congregationis secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut praedictus Iosephus nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum Iosephum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII maii MDCCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 maii 1705, pontif. anno V.

LXXV.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de non immutando habitu et breviario Congregationis Praemonstratensium Hispaniarum [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ in causâ praetensae commutationis habitus et officii inter dilectos filios canonicos regulares Congregationis Praemonstratensium Hispaniae, ex unâ, et modernum procuratorem generalem Ordinis Praemonstratensium Galliae etiam nonnullosque religiosos eiusdem Congregationis Hispaniae, ex alterâ partibus, vertente, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum S. Congregatio-

In causâ Hispaniarum praetensae commutationis habitus et officii vertente inter

1 Hoc decreto decernitur non esse executioni mandandam constit. ed. MDCCIII, die 8 februarii, pontif. III; et in Innocentii XIII constit. ed. MDCCXXIV die 9 februarii, pontif. III, conceditur facultas recitandi officia Sanctorum propriorum iuxta ritum breviarii et missalis romani.

nis quo statuitur, non esse executioni mandandam constitutionem editam MDCCIII de mutatione habitus et breviarii.

Congregationem Praemonstratensium Hispaniae, ex unâ, et procuratorem generalem Ordinis Praemonstratensium Galliae, etc., et nonnullos patres eiusdem Congregationis Hispaniae, partibus ex alterâ, sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster preces eiusdem Congregationis Praemonstratensium Hispaniarum remisit, mature perpensis Brevibus B. Pii V, sanctae memoriae Gregorii XIII, Clementis VIII et Urbani VIII, et resolutionibus ipsius sacrae Congregationis aliàs emanatis super eâdem praetensâ mutatione habitus, re discussâ in ipsâ sacrâ Congregatione favore memoratae Congregationis Hispaniarum, necnon statutis primaevis Ordinis Praemonstratensis et constitutionibus praedictae Congregationis Hispaniae, habitâque opportunâ informatione Brevis sanctae memoriae Innocentii XII ad instantiam nonnullorum religiosorum praefatae Congregationis Hispaniarum expediti, atque attente considerato Brevi motu proprio a Sanctitate Suâ die VIII februarii MDCCIII concesso, mutationem habitus et breviarii in eâdem Congregatione Praemonstratensium Hispaniarum deferri et recitari respective consueti demandante, partibus hinc inde informantibus, referente eminentissimo S. Clementis, censuit ac decrevit, si eidem sanctissimo domino nostro placuerit, praefatum Breve, a Sanctitate Suâ[1] sub dictâ die VIII februarii MDCCIII concessum, non esse exequendum. Romae XXX ianuarii MDCCV. Et die VII februarii dicti anni factâ super praemissis relatione eidem sanctissimo domino nostro, Sanctitas Sua praedictae sacrae Congregationis sententiam benigne approbavit, praedictumque Breve executioni non demandari iussit. Romae, etc. — Cardinalis CARPINEUS. — I. F. GRIMALDUS secr.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dilecti filii Ioannis Arevali canonici regularis expresse professi ac procuratoris dictae Congregationis Hispaniae nobis subinde expositum fuit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum Ioannem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum

1 Vocem *Suâ* nos addimus (R. T.).

quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX maii MDCCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 30 maii 1705, pontif. anno V.

LXXVI.

Confirmantur et innovantur constitutiones Innocentii X et Alexandri VII adversus Iansenianam haeresim, cum nonnullis opportunis declarationibus[1].

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
universis christifidelibus,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a sollicitudine curandi observantiam eorum quae pro extinguendis pravis erroribus a praedecessoribus ordinata sunt.

Vineam Domini Sabaoth, quae est Catholica Ecclesia, pro commisso nobis divinitus apostolicae servitutis munere custodire atque excolere omni studio atque industriâ iugiter satagentes, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad succrescentes in illâ perniciosarum novitatum vepres radicitus evellendos prudenti salubrique consilio constituta esse noscuntur, ut, quibuscumque inimici hominis molitionibus deiectis, firmius semper atque exactius observentur, apostolici muniminis nostri praesidio libenter roboramus, atque aliàs desuper sollicitudinis et providentiae nostrae partes interponimus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, ad fidelem ac tutam orthodoxae veritatis custodiam, necnon animarum pretioso unigeniti Dei filii domini nostri Iesu Christi sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Damnatio propositionum e libro Cornelii Iansenii excerptarum ab Innocentio X edita, confirmata fuit ab Alexandro VII.

§ 1. Sane, postquam felicis recordationis Innocentius Papa X praedecessor noster per quamdam suam desuper editam constitutionem quinque famosas propositiones, ex libro Cornelii Iansenii episcopi Iprensis, cui titulus *Augustinus*, excerptas, apostolici censurâ iudicii rite confixerat, recolendae memoriae Alexander Papa VII, etiam praedecessor noster, ad eiusmodi iam damnatos errores e christifidelium mentibus prorsus abolendos, publicaeque tranquillitatis perturbatorum subtili tectas calliditate machinationes penitus evertendas, praedictam Innocentii praedecessoris constitutionem, toto illius inserto tenore, confirmavit, novarumque declarationum accessione constabilivit, suâ in id pariter editâ constitutione tenoris qui sequitur, videlicet:

Constitutio Alexandri VII, XVI octobris MDCLVI.

« ALEXANDER EPISCOPUS, *servus servorum Dei, universis christifidelibus, salutem et apostolicam benedictionem.* Ad sanctam Beati Petri Sedem, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCLVI, XVII kalendas novembris, pontificatus nostri II ».

Prosequitur constitutio Clementis XI.

Subinde vero, quo omnis apostolicarum definitionum eludendarum aditus intercluderetur, memoratus Alexander praedecessor, priscum Ecclesiae morem

1 Laudatae constitutiones hic referuntur, et tres aliae ad eamdem rem spectantes memorantur, videlicet Clementis IX ed. MDCLXIX, die 19 ianuarii, et Innocentii XII MDCXCIV, die 6 februarii, ac MDCXCVI, die 24 novembris. In huius Pontificis const. ed. MDCCIV, die 11 februarii, pontif. IV, damnata fuere quaedam folia: *Acte d'appell, etc.*, et constit. edit. MDCCVIII, die 13 iulii, pontif. VIII, damnatur liber *Novum Testamentum, etc.*

1 Bullam Alexandri VII et in eâ insertam aliam Innocentii X omittimus quia iam legitur tom. XVI, pag. 245 (R. T.).

sequutus, certam edidit formulam, ab omnibus ecclesiastici ordinis tam secularibus quam regularibus personis subscribendam, per aliam suam hac in re promulgatam constitutionem tenoris sequentis, videlicet:

Constitutio altera Alexandri VII XIV februarii MDCLXIV, in quâ exhibita fuit formula ab omnibus subscribenda.

« ALEXANDER EPISCOPUS, *servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Regiminis apostolici, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCLXIV[2], XV kalendas martii, pontificatus nostri anno X ».

Sequitur continuatio constitutio Clementis XI, ubi referuntur tria effugia inquietorum hominum.

§ 2. Sic equidem causa finita est; non tamen sic, ut par erat, finitus est error, apostolico toties mucrone percussus. Neque enim defuere, nec adhuc desunt homines veritati non acquiescentes, et nunquam Ecclesiae contradicendi finem facientes; qui variis distinctionibus, seu potius effugiis, ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam ipsam turbare, eamque interminatis quaestionibus, quantum in ipsis est, involvere et implicare conantur; quodque deterius est, ipsamet Apostolicae Sedis decreta redarguendis eorum pravis sensibus condita, ac praesertim quasdam piae memoriae Clementis Papae IX die XIX ianuarii MDCLXIX ad quatuor Galliae episcopos, necnon binas similis memoriae Innocentii Papae XII etiam praedecessorum nostrorum die VI februarii MDCXCIV et die XXIV novembris MDCXCVI ad episcopos Belgii in formâ Brevis respective datas litteras, in erroris sui patrocinium advocare temerario plane ausu non erubescunt: perinde ac si memoratus Clemens praedecessor (qui eisdem suis litteris se Innocentii X et Alexandri VII praedecessorum constitutionibus supradictis firmissime inhaerere, ac a dictis quatuor episcopis veram et totalem obedientiam, adeoque formulae a praefato Alexandro praedecessore sicut praemittitur editae sincere per eos subscribi voluisse declaravit) aliquam in tam gravi negotio exceptionem seu restrictionem, quam nullam prorsus se unquam admissurum fuisse protestatus fuit, re ipsâ admisisset; dictus vero Innocentius XII praedecessor, dum sapienter ac provide praedictas quinque propositiones ex memorato libro Iansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent ac praeseferunt, damnatas esse pronunciavit, non de ipsomet obvio sensu, quem in Iansenii libro habent, quive ab eodem Iansenio intentus, ac a praefatis Innocentio X et Alexandro VII praedecessoribus damnatus fuit, sed de alio quopiam diverso sensu cogitasset, dictasque Innocentii X et Alexandri VII praedecessorum constitutiones temperare, restringere aut alio quovis modo immutare voluisset iisdem ipsis litteris, quibus eas in suo robore fuisse et esse, seque illis firmiter inhaerere verbis apertissimis asserebat.

1. Sinistra interpretatio Brevium Clementis IX et Innocentii XII.

§ 3. Praeterea iidem inquieti homines, sparsis undequaque scriptionibus ac libellis exquisitâ ad fallendum arte compositis, non sine gravi Apostolicae Sedis iniuriâ maximoque totius Ecclesiae scandalo, docere non sunt veriti, ad obedientiam praefatis apostolicis constitutionibus debitam non requiri ut quis praedicti Ianseniani libri sensum, in antedictis quinque propositionibus, sicut praemittitur, damnatum, interius ut haereticum damnet; sed satis esse, si eâ de re obsequiosum (ut ipsi vocant) silentium teneatur. Quae quidem assertio quam absurda sit et animabus fidelium perniciosa, satis apparet, dum fallacis huius doctrinae pallio non deponitur error, sed absconditur; vulnus tegitur, non curatur; Ecclesiae illuditur,

2. Non opus esse, ut quis interius damnet sensum Iansenii, sed sufficere silentium obsequiosum.

1 Vide tom. XVII, pag. 335 (R. T.).

2 Legendum *1665* (R. T.).

non paretur, et lata demum filiis inobedientiae via sternitur ad fovendam silentio haeresim, dum ipsam Iansenii doctrinam, quam ab Apostolicâ Sede damnatam Ecclesia universalis exhorruit, adhuc interius abiicere et corde improbare detrectant.

3. Licite subscribi posse praenotatam formulam ab iis, qui interius non damnant uti haereticam Iansenii doctrinam.

§ 4. Quin etiam eò impudentiae nonnullos devenisse compertum est, ut, veluti naturalis honestatis, nedum christianae sinceritatis obliti, asserere non dubitaverint praefatae formulae a memorato Alexandro praedecessore praescriptae subscribi licite posse etiam ab iis qui interius non iudicant praedicto Iansenii libro doctrinam haereticam contineri. Quasi vero (contra quam scriptum est: *Qui loquitur veritatem in corde suo:* et: *Qui iurat proximo suo et non decipit*) huiusmodi erroris sectatoribus liceat Ecclesiam ipsam iureiurando decipere, simulque Apostolicae Sedis providentiam fallere, dum eiusdem formulae conceptis verbis loquuntur quod Ecclesia loquitur, quod tamen sentit ipsa, non sentiunt; seque parere constitutionibus apostolicis profitentur, quibus animo contradicunt.

Causae praesentis Constitutionis.

§ 5. Hinc est quod nos, ad opportunum et efficax tam exitiali morbo, qui ut cancer serpit et quotidie in deterius vergit, remedium adhibendum, non minus demandatae nobis omnium ecclesiarum sollicitudinis debito, quam plurimorum venerabilium fratrum nostrorum diversarum partium, ac praesertim regni Galliarum, episcoporum zelo ac precibus excitati, ne huiusmodi pravi homines catholicae Ecclesiae pacem subvertere impune pergant et simplicium ac pusillorum mentibus imponere, docentes quae non oportet; neve ullus, apud eos quoque qui bonâ, ut aiunt[1], fide ac falsis rumoribus decipi se fortasse patiuntur, de mente ac sententiâ Apostolicae Sedis amplius ambigendi supersit locus; divino prius, tam privatis nostris, quam publice indictis precibus, implorato praesidio, ac re mature discussâ, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium consilio, auditisque complurium in sacrâ theologiâ magistrorum suffragiis, primo quidem praeinsertas Innocentii X et Alexandri VII praedecessorum constitutiones, omniaque et singula in eis contenta, autoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus, approbamus et innovamus;

Declarationes quibus decernitur satis non esse obsequiosum silentium, vel verbalem condemnationem quinque propositionum.

§ 6. Ac insuper, ut quaevis in posterum erroris occasio penitus praecidatur, atque omnes catholicae Ecclesiae filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam et impii in tenebris conticescunt), sed et interius obsequendo, quae vera est orthodoxi hominis obedientia, condiscant, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, obedientiae, quae praeinsertis apostolicis constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri, sed damnatum in quinque praefatis propositionibus Iansenianî libri sensum, quem illarum verba praeseferunt, ut praefertur, ab omnibus christifidelibus ut haereticum, non ore solum, sed et corde, reiici ac damnari debere; nec aliâ mente, animo, aut credulitate supradictae formulae subscribi licite posse; ita ut qui secus, aut contra, quoad haec omnia et singula, senserint, tenuerint, praedicaverint, verbo vel scripto docuerint aut asseruerint, tamquam praefatarum apostolicarum constitutionum transgressores, omnibus et singulis illarum censuris et poenis omnino subiaceant, eâdem auctoritate apostolicâ decernimus, declaramus, statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 7. Decernentes pariter, easdem

1 Forsan deest *sunt* (R. T.).

praesentes et praeinsertas litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos ubique iudicari et definiri debere, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executio praesentium committitur.

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon haereticae pravitatis inquisitoribus et iudicibus ecclesiasticis, ad quos pertinet, committimus et mandamus, ut, singuli in suis respective dioecesibus ac locis suae iurisdictioni subiectis, ipsas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque exequantur et exequutioni mandari et observari ab omnibus curent, et inobedientes et rebelles quoscumque per censuras et poenas praefatas, aliaque iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, omnino coërceant et compellant.

Transumptorum fides.

§ 9. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, innovationis, decreti, declarationis, statuti et ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCV, XVII kalendas augusti, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 16 iulii 1705, pontif. anno V.

LXXVII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium approbans Caeremoniale provinciae de Mexico Ordinis Minorum de Observantia[2].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

A capitulo generali MDCC permissum fuit ut singulae provinciae Indiarum suas caeremonias servarent.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum fratrum provinciae S. Evangelii Mexicanae in Indiis Occidentalibus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod aliàs in capitulo generali dicti Ordinis in hac almâ Urbe anno MDCC celebrato pro bono regimine spirituali et temporali omnium provinciarum Indiarum dicti Ordinis, ac ad occurrendum incommodis et gravibus malis, quae oriebantur ex instabilitate caeremoniarum et rituum, quos commissarii Novae Hispaniae et regni Peruani Ordinis praedicti ritibus propriae alterinsque provinciae conformare nitebantur, sancitum, ac sub privationis officii poenâ dictis commissariis iniunctum fuerat ut permitterent provincias vivere iuxta suas laudabiles caeremonias et ritus in his quae non erant contra Sanctae Sedis praescriptum, nec

1 Edit. Main. ad marg. notat *14* (R. T.).

2 In Innocentii XII const. ed. MDCXCVIII, die 10 novembris, pontif. VIII, confirmatus fuit usus librorum divini officii.

ea quoquomodo innovare aut alterare attentarent, decernendo irritum et inane quidquid in contrarium fecissent, committendo insuper pro tempore existenti ministro generali et commissario itidem generali Indiarum dicti Ordinis in oppido Matriti pro tempore commoranti, ut statutum huiusmodi inviolabiliter observari facerent, et aliàs prout in dicto statuto uberius dicebatur contineri; subinde vero, ad instantiam tunc etiam existentium fratrum dictae provinciae, ac etiam de eius superiorum iussu, huiusmodi caeremoniae et ritus per dilectum filium Isidorum Alphonsum de Casteneira, fratrem dicti Ordinis expresse professum, in septem paragraphos, quibus titulus *Manuale Caeremoniarum provinciae S. Evangelii de Mexico*, iuxta ordinem praedicti capituli generalis collectae fuerant; et in eâdem expositione subiuncto, quod verebatur, ne, temporis decursu, praemissa ab aliquo superiore, non sine gravi dictae provinciae spirituali temporalique iacturâ, moderarentur aut innovarentur, ideoque ipsi exponentes, quo statutum seu decretum huiusmodi perpetuo servaretur, nec illud ullo unquam tempore a superioribus dictae provinciae nisi de eius consensu immutaretur, plurimum cupiebant, decretum huiusmodi, unà cum dictae provinciae caeremoniis, sicut praemittitur, congestis, auctoritate dictae Congregationis cardinalium confirmari: emanavit ad eorum supplicationem ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis illud approbans.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, audito patre procuratore generali Ordinis, et attentis narratis, petitam confirmationem oratoribus benigne concessit. Romae VII augusti MDCCV. — N. card. ACCIAIOLUS: *Loco* † *sigilli*.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dicti exponentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvà tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis

et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV septembris MDCCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 15 septembris 1705, pontif. anno V.

LXXVIII.

Conceditur facultas mittendi discretum et juvenes provinciae Aquitaniae antiquioris, Ordinis S. Francisci de Observantiâ, ad coenobium Parisiense [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

A Clemente X vetitum fuit ne praedicti ad coenobium Parisiense amplius mitterentur.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Philippus Faure, exdefinitor generalis et minister provincialis provinciae Aquitaniae antiquioris, Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod a nonnullis annis per quasdam felicis recordationis Clementis PP. X praedecessoris nostri desuper in simili formâ Brevis expeditas litteras, ad instantiam tunc existentis ministri provincialis dictae provinciae, nomine Ioannis Jourdain prohibitum fuit ne discretus et studentes eiusdem provinciae ad magnum Parisiensem conventum dicti Ordinis amplius mitterentur, eo quod regularis observantia in illo minime vigeret, indeque timeretur ne ad provinciam praedictam transactis studiis redeuntes in ipsâ regulari observantiâ aliquo modo declinarent.

Rationes et preces provincialis pro restitutione dictae facultatis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, reformatio in praedicto conventu Parisiensi a tunc pariter existente ministro generali Ordinis praedicti introducta fuerit, necnon ibidem regularis observantia huiusmodi de praesenti vigeat, cessetque proinde talis praetextus, neque simile periculum amplius sit timendum; ac propterea dictus Philippus exdefinitor generalis et minister provincialis provinciam praedictam in suum ius, quo ante emanatas litteras praedictas pacifice et absque ullâ controversiâ fruebatur, restitui, eique facultatem mittendi discretum et studentes more solito ad eumdem conventum Parisiensem concedi plurimum desideret, et pro iuris huiusmodi restitutione a praedicto Clemente praedecessore aliae itidem in formâ Brevis litterae die XVIII octobris MDCLXXII expeditae, ob legitima tamen impedimenta executioni demandatae minime fuerint: nos, ipsius Philippi exdefinitoris generalis et ministri provincialis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus

Concedit, ut in rubricâ.

1 Pro restitutione huius facultatis a Clemente X edita iam fuerat const. ed. MDCLXXII, die 18 octobris: in huius Pontificis const. ed. MDCCVIII, die 18 decembris, pontif. IX, praecipitur executio constitutionis Clementis X.

episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti etiam filii moderni procuratoris generalis dicti Ordinis audiverunt, consilio, superioribus regularibus, ad quos ceteroqui iuxta praescriptum eiusdem Ordinis constitutionum pertinet, ut discretum et iuvenes ad praefatum conventum Parisiensem, prout ante primodictarum in formâ Brevis litterarum expeditionem consueverant, studiorum causâ mittere possint et valeant, facultatem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Clausulae. § 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII septembris MDCCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 28 septembris 1705, pontif. anno V.

LXXIX.

Unitur provincia Italiae fratrum Discalceatorum SS. Trinitatis redemptionis captivorum Congregationi Hispaniae[1].

1 De subiectione huius provinciae ministro generali, vide Urbani VIII const. ed. MDCXXIX, die 12 septembris; et de novâ erectione provinciae, Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVII, die 14 augusti, pontif. IV.

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Refertur institutio dictae provinciae.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Amedeus de Sanctis, frater expresse professus ac procurator provinciae Italiae fratrum Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, quod, cum aliàs tunc existentes fratres Discalceati trium conventuum Italiae dicti Ordinis, ob defectum regularis observantiae, aliisque iustis et rationabilibus de causis in Congregatione tunc pariter existente[1] S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ probatis et iustificatis, proprias obligationes nequaquam adimplere, minusque aliquos sive in spiritualibus sive in temporalibus religiosos progressus facere valerent, seque proinde Congregationi Hispaniae fratrum Discalceatorum eiusdem Ordinis uniri petiissent, et successive superiores dictae Congregationis consensum unioni huiusmodi praestitissent, ac deinde iidem fratres Discalceati provinciae praefatae supplicem libellum felicis recordationis Innocentio Papae XI praedecessori nostro pro unione huiusmodi obtinendâ porrexissent, isque ab ipso Innocentio praedecessore ad dictam cardinalium Congregationem, et ab eâdem Congregatione ad bonae memoriae Alderanum S. R. E. praefatae cardinalem Cybo nuncupatum, dicti Ordinis, dum vixit, apud eumdem Innocentium praedecessorem et Sedem Apostolicam protectorem, remissus fuisset, dictus quidem Alderanus cardinalis et protector suum pro dictâ unione votum iustis de causis unâ cum eo relatis praefatae Congregationi cardinalium exhibuit; verum, cum die V maii MDCXC causa in

1 Edit. Main. legit *existentes* (R. T.).

ipsâ cardinalium Congregatione proposita fuisset, dilato circa dictam unionem negotio, emanavit ab eâdem Congregatione decretum, quo pro tunc ex tribus conventibus praefatis constituta fuit separatio supradictae, nempe Italiae, provinciae[1], quorum conventuum religiosi sub obedientiâ ministri generalis dicti Ordinis, iuxta formam tamen in quibusdam recolendae memoriae Urbani PP. VIII praedecessoris pariter nostri litteris in simili formâ Brevis die XII septembris MDCXXIX expeditis praescriptam, permanerent.

Causa praedictae unionis, et preces procuratoris provinciae.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti religiosi observantiam constitutionum dictae Congregationis Hispaniae in solemni eorum regulari professione expresse promiserint, adeoque eas observare teneantur, illae vero ipsos ad subiectionem pro tempore existenti ministro generali eiusdem Congregationis Hispaniae omnino obligent, ipsique proinde, quo facilius vota sua Altissimo reddere et propria instituta regularia adimplere valeant, memoratae unionis gratiam summopere expetant[2]: nobis propterea dictus Amedeus humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Unio praedicta.

§ 3. Nos igitur, ipsius Amedei votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris dictae S. R. E. cardinalibus, super causâ huiusmodi unionis dictae scilicet provinciae Italiae, omniumque eius religiosorum praefatae Congregationi Hispaniae, inter eumdem Amedeum ex unâ, et dilectum etiam filium Vincentium Coppolam procuratorem generalem dicti Ordinis, ex alterâ partibus, controversâ, a nobis specialiter deputatorum, qui ipsos Amedeum et Vincentium procuratorem generalem tam ore quam scriptis informantes audiverunt, negotioque mature perpenso, iustis ac rationalibus de causis unionem praefatam fieri posse censuerunt, consilio, praefatam provinciam Italiae dictae Congregationi Hispaniae, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, unimus, coniungimus, annectimus et incorporamus, ac dilecto filio moderno et pro tempore existenti ministro generali eiusdem Congregationis subiicimus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac memorati Urbani praedecessoris super erectione Congregationis reformatae fratrum pariter Discalceatorum dicti Ordinis, et quibusdam nostris etiam in simili formâ Brevis die XVIII augusti MDCCIII

1 Edit. Main. legit *provincia* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *expectant* (R. T.).

super unione seu confirmatione capitulorum unionis totius eiusdem Ordinis respective emanatis litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatae Congregationis cardinalium decretis, ac provinciae, conventuum, Congregationum Hispaniae et Reformatae, et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici suscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx novembris MDCCV, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 20 novembris 1705, pontif. anno v.

LXXX.

Mandatur provinciali fratrum Minorum Discalceatorum provinciae Mexicanae, quod iuri praecedendi fratribus eremitis S. Augustini absque consensu definitorii et discretorii nuncium remittere nequeat [1].

Dilecto filio moderno et pro tempore existenti ministro provinciali provinciae S. Didaci Mexicani Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum,

Clemens Papa XI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

A quo Pontifice concessus et confirmatus fuerit huiusmodi ius praecedendi.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Isidorus a Iesu, verbi Dei praedicator et procurator provinciarum Ss. Iosephi, Ioannis Baptistae et Petri de Alcantara Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum, nobis nuper exponi fecit, aliàs ad favorem fratrum provinciae S. Didaci Mexicanae a felicis recordationis Innocentio PP. XII praedecessore nostro die xiv iunii MDCC emanarint [2] in simili formâ Brevis litterae expeditae confirmatoriae cuiusdam decreti Congregationis tunc existentium S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, per quas dispositum reperitur praecedentiam fratribus supradictae provinciae non solum in processionibus solis, etiam sub proprià cruce, sed etiam in concionibus, disputationibus, concurrentiâ praelatorum, aliisque actibus tam publicis quam privatis, interveniente vel non interveniente familiâ de Observantiâ, supra fratres provinciae SS. Nominis Iesu Ordinis eremitarum sancti Augustini competere; et subinde nos praedictas Innocentii praedecessoris litteras per alias nostras pariter in simili formâ Bre-

1 Huiusmodi ius concessum fuit ab Innocentio XII const. ed. MDCC, die 3 aprilis, pontif. IX, et postea confirmatum ab hoc Pontifice, const. ed. MDCCII, die 24 novembris, pontif. III; in const. ed. MDCCXIV, die 6 octobris, pontif. XIV, agitur de primatu inter fratres clericos et laicos provinciae Baeticae.

2 Edit. Main. legit *emanavit* (R. T.).

vis die XXIV novembris MDCCII expeditas litteras confirmaverimus; ipse vero Iosephus, ut dicto iuri praecedendi, primodictae provinciae, sicut praemittitur, competenti, a se seu tunc existente illius ministro provinciali sine totius provinciae consensu renunciari nequeat, per nos decerni plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Mandatum praedictum ministro provinciali factum.

§ 2. Nos igitur, ipsum Isidorum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum etiam filium modernum procuratorem generalem dicti Ordinis super praemissis audiverunt, consilio, tibi et pro tempore existenti ministro provinciali dictae provinciae committimus et iniungimus, ut, sine consensu patrum definitorii et discretorii, iuri praecedentiae, de quo agitur, renunciare nequeas; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis et provinciae S. Didaci, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDCCV, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 12 decembris 1705, pontif. anno VI.

LXXXI.

Prohibetur, ne fratres eremitae S. Augustini Discalceati Congregationis Hispaniae alteri religioni adscripti habitent in eâ provincia, in quâ priorem habitum gestaverint [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sacrosancti apostolatus sollicitudo, quam, meritis licet et viribus longe impares, auctore Deo gerimus, nos admonet, ut conservandae religiosorum virorum, qui e fluctibus saeculi in regularis vitae portum confugerunt, assumptoque suavi Christi iugo Altissimi obsequiis sese devoverunt, ac uberes bonorum operum fructus per Dei gratiam proferre iugiter satagunt, existimationi, quantum nobis ex alto conceditur, satagamus.

Causa dictae prohibitionis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius modernus vicarius generalis Congregationis Hispaniae fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini

1 Const. ed. MDCCXCII, die 24 novembris, pontif. III, extat prohibitio ne duo consanguinei vel affines in capitulis suffragentur, et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVI, die 22 ianuarii, pontif. II, praecipitur uniformitas in cantu, barbâ, et caputio Congregationis Discalceatorum.

Discalceatorum nuncupatorum, quod nonnulli e dictâ Congregatione ad alias religiones, etiam laxiores, transeundi licentiam ab hac Sanctâ Sede variis praetextibus obtinere curant; eâque obtentâ, in illis habitum regularem assumunt, necnon ad eas provincias, in quibus habitum praedictae Congregationis fratrum Discalceatorum publice gestaverant, ac cogniti et commorati fuerant, illuc habitatum se conferunt, et, ad detegendas seu defendendas proprias imperfectiones, eiusdem Congregationis fratrum Discalceatorum illiusque superiorum famam multis imposturis et derisionibus lacerare non verentur, cum gravi saecularium scandalo bonique nominis dictae Congregationis detrimento. Quare idem vicarius generalis nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Prohibitio, ne dicti fratres commorentur in eâdem provinciâ.

§ 2. Nos igitur, ipsius vicarii generalis votis favorabiliter, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, ne de cetero quisquam, qui e memoratâ Congregatione Hispaniae fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum, post emissam in illâ professionem regularem, ad aliam quamcumque religionem quomodolibet transierit, in eâ provinciâ, in qua professionem huiusmodi emiserit ac habitum fratrum eiusdem Congregationis Discalceatorum Hispaniae publice gestaverit[1], habitare seu commorari audeat quovis modo vel praesumat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, prohibemus et interdicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum et institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo

1 Edit. Main. legit *gestaverint* (R. T.).

personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI decembris MDCCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 16 decembris 1705, pontif. anno VI.

LXXXII.

Confirmatur decretum Congregationis Rituum de cultu immemorabili et casu excepto pro beatis Teresia et Sancia, regis Portugalliae filiabus, Congregationis Alcobacensis Ordinis Cisterciensis monialibus [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exordium

Sollicitudo pastoralis officii, quo Catholicae Ecclesiae per universum orbem diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos urget atque compellit, ut beatarum Christi ancillarum in caelis cum eo regnantium cultum et venerationem in terris promovere studeamus, sicut pia regum et principum orthodoxorum studia postulant, et nos ad omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiae decus et praesidium, ac spiritualem christifidelium aedificationem et consolationem expedire in Domino arbitramur.

Causae beatificationis enarratio.

§ 1. Cum itaque aliàs, videlicet die IV octobris MDCLXVII, a felicis recordationis Clemente Papa IX praedecessore nostro commissiones pro introductione causae seu causarum beatificationis beatarum reginarum Teresiae et Sanciae, monialium Ordinis Cisterciensis, clarae memoriae Sancii I, dum vixit, Portugalliae regis illustris natarum, signatae, ac in illarum executionem die X decembris eiusdem anni, dicto Clemente praedecessore annuente, litterae remissoriales (attento quod sedes episcopalis Colymbriensis tunc vacabat), tunc existenti episcopo Targensi, civitate Ulyssiponense commoranti, dirigendae, pro constructione processus particularis super cultu immemorabili praedictis Teresiae et Sanciae praestito et casu excepto a decretis iussu recolendae memoriae Urbani Papae VIII pariter praedecessoris nostri editis, decretae fuerint, cum facultate, quod in unâ remissoriâ ambae commissiones includerentur; litterae vero huiusmodi, prout assertum fuerat, nunquam expeditae fuerint; ideoque, ad effectum conficiendi praefatum processum, ad pias enixasque preces carissimi in Christo filii nostri Petri Portugalliae et Algarbiorum regis illustris, ac tunc in humanis agentis clarae memoriae Mariae, dum vixit, reginae eius uxoris, necnon dilecti filii nobilis viri Cosmi Etruriae sibi subiectae magni ducis, accedentibus etiam in id ipsum supplicationibus nonnullorum praelatorum, religiosorum, tribunalium, senatuum, magistratuum et academiarum regni Portugalliae, ac ad iteratas humillimas instantias dilecti filii Bernardi de Castel Branco monachi expresse professi ac procuratoris generalis Congregationis S. Mariae de Alcobatia Ordinis praefati in sacrâ theologiâ magistri, causae seu causarum beatificationis et canonizationis huiusmodi postulatoris, nobis referentibus, qui tunc in minoribus constituti [1] cardinalatus honore fungebamur ac in locum bonae memoriae

1 De cultu immemorabili B. Mariae de Capite vide Innocentii XII constit. edit. MDCXCVII, die 11 augusti, pontif. VII; et in huius Pontificis constit. ed. MDCCX, die 26 martii, pontif. X, confirmatur cultus B. Luciae de Narnia.

1 Edit. Main. legit *constituto* (R. T.).

Sigismundi Chisii, dum vixit, S. R. E. cardinalis Sigismundi nuncupati, causae seu causarum huiusmodi relatoris, subrogati fueramus, exhibitis prius per dictum Bernardum postulatorem binis processibus in Colymbriensi seu Ulyssiponensi civitatibus, postquam Sedes Apostolica in causâ seu causis praefatis manus apposuerat, nulliter contructis, die XVII septembris MDCXCV a Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum novae remissoriales seu compulsoriales litterae tunc pariter existentibus archiepiscopo Ulyssiponensi et episcopo Colymbriensi eorumque vicariis in spiritualibus generalibus dirigendae, annuente etiam die XXV eiusdem mensis septembris piae memoriae Innocentio Papa XII itidem praedecessore nostro, concessae fuerint; illarumque vigore, processus praedictus constructus, ut[1] in actis memoratae Congregationis cardinalium exhibetur, servatisque servandis apertus fuerit; demum vero, eodem Bernardo postulatore instante, proposito dubio in praedictâ Congregatione cardinalium per dilectum filium nostrum Carolum dictae S. R. E. diaconum cardinalem Bichium nuncupatum (qui in relatorem causae seu causarum praedictarum in locum nostrum a nobis subrogatus fuerat) an constaret de cultu immemorabili beatis Teresiae et Sanciae supradictis praestito et casu excepto a dictis decretis Urbani praedecessoris, et an sententia desuper lata a memorato episcopo Colymbriensi, iudice delegato, esset confirmanda in casu et ad effectum de quo agebatur: dicta Congregatio cardinalium, audito tam in scriptis quam in voce venerabili fratre Prospero archiepiscopo Mirensi, promotore fidei, de eiusmodi cultu immemorabili et casu excepto constare censuerit: hinc est quod nos, piis ac devotis eiusdem Petri regis, ac totius Congregationis de Alcobatia huiusmodi, necnon dilectarum in Christo filiarum abbatissae et monialium monasterii Lorvaniensis supplicationibus, nobis super hoc humiliter porrectis, favorabiliter annuere cupientes, ac praefatarum abbatissae et monialium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, decretum a praefatâ cardinalium Congregatione editum, ut praefertur, quod scilicet de cultu immemorabili eisdem beatis Teresiae et Sanciae praestito et casu excepto a decretis eiusdem Urbani praedecessoris constet, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

Decretum S. Congregationis.

Confirmatur.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros efffectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae.

1 Edit. Main. legit *ac* (R. T.).

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem ut ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate, constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCCV, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 23 decembris 1705, pontif. anno VI.

LXXXIII.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis canonicorum regularium S. Augustini Congregationis S. Rufi in festis Ss. Augustini, Rufi et Monicae.

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Commissae nobis a domino nostro Iesu Christo dispensationis ratio exigit, ut caelestium munerum thesauros ad augendam in terris Sanctorum in caelo regnantium venerationem, fovendamque et incitandam erga illos fidelium devotionem, fideli prudentiâ, quantum nobis ex alto conceditur, erogare studeamus.

Concessio praedictae indulgentiae.

§ 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni abbatis monasterii S. Rufi, praepositi generalis Congregationis canonicorum regularium eiusdem S. Rufi Ordinis sancti Augustini, nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque monasteriorum canonicorum regularium dictae Congregationis hactenus erectis et in futurum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, in praefatorum Ss. Augustini et Rufi ac S. Monicae festis diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides transumptorum.

§ 2. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII ianuarii, MDCCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 12 ianuarii 1706, pontif. anno VI.

LXXXIV.

Confirmatur decretum generalis Ordinis Praedicatorum, quo prohibetur receptio illegitimorum in provinciâ Angelopolitanâ [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Causa praedicti decreti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ferdinandus de Espinosa, frater

1 De dimissione fratrum e Congregatione S. Sabinae et eorum receptione agitur in Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXIV, die 1 maii, pontif. I.

expresse professus Ordinis Praedicatorum provinciae Angelopolitanae, dicti Ordinis in sacrâ theologiâ magister, quod dilectus pariter filius Antoninus Cloche, magister generalis Ordinis huiusmodi, spirituali quieti religiosorum eiusdem provinciae, non modicas ob frequentem in illis partibus illegitimorum ad habitum regularem Ordinis huiusmodi receptionem perturbationes patientium, consulere peroptans, suo peculiari decreto, die IX septembris anni proxime praeteriti edito, omnibus et singulis superioribus provinciae praedictae, in virtute Spiritus Sancti et sanctae obedientiae, sub formali praecepto, necnon sub poenâ absolutionis ab officio ipso facto incurrendâ, prohibuit et interdixit, ne, sub quovis titulo seu praetextu, ad habitum et Ordinem huiusmodi quempiam illegitime genitum, etiam ex soluto et muliere solutâ, cuiusvis conditionis et qualitatis existat, absque expressâ pro tempore existentis magistri generalis Ordinis praedicti in scriptis et cum specificâ derogatione prohibitionis huiusmodi concedendâ licentiâ, admittant; irritum et inane declarans quidquid in contrarium contigerit attentari; et aliàs, prout in eodem decreto uberius dicitur contineri.

Confirmatio relati decreti. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ferdinandus decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, specialem ipsi Ferdinando gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum etiam filium modernum procuratorem generalem Ordinis praedicti super praemissis audiverunt, consilio, suprapradictum decretum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Clausulae.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV ianuarii MDCCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 15 ianuarii 1706, pontif. anno VI.

LXXXV.

Declarantur nulla acta in Indiis collata a generali inquisitore, archiepiscopo S. Fidei, episcopo S. Marthae, et curiâ laicali, adversus episcopum Carthaginensem immunitatis ecclesiasticae iura tuentem, cum nonnullis aliis declarationibus et statutis [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Lis orta inter episcopum Carthaginensem et alios praedictos.

§ 1. Ex commissi nobis divinitus pastoralis officii debito causam inter venerabilem fratrem Michaëlem Antonium episcopum Carthaginensem in Indiis, ex unâ, et dilectos filios Franciscum Varelam adversus haereticam pravitatem inquisitorem in dictâ civitate auctoritate apostolicâ deputatum, ac officiales seu ministros curiae laicalis, necnon venerabiles fratres tunc existentes archiepiscopum S. Fidei et episcopum S. Marthae, aliosque, ex alterâ partibus, vertentem [2] dirimere cupientes, de Congregationis nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus a nobis specialiter deputatae, quae diebus XI decembris MDCCIII et XI ianuarii MDCCIV, si ita nobis placuisset, ut infra censuit, consilio, omnia acta per dictum Michaëlem Antonium episcopum esse rite et bene gesta, et viceversâ cuncta, quae per dictos inquisitorem et curiae laicalis officiales seu ministros ac archiepiscopum S. Fidei et episcopum S. Marthae contra praedictum Michaëlem Antonium episcopum gesta fuerunt, esse nulla, invalida et attentata, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus. Et nihilominus, ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi debere decernimus et pariter declaramus.

Quomodo procedendum adversus partem contrariam, et delinquentes: atque tribunal Inquisitionis in civitate Carthaginensi abolentur.

§ 2. Ceterum praefati archiepiscopus S. Fidei et episcopus S. Marthae, ceterique omnes supranominati, consulant conscientiae suae pro eorum absolutione. Quo vero ad canonicos aliosque ecclesiasticos etiam regulares delinquentes, dictus Michaël Antonius episcopus in reditu ad suam ecclesiam, contra illos, non obstante quacumque praetensâ exemptione per eos forsan adducendâ, prout de iure procedat, et iam excommunicati curent sibi concedi absolutionem a praefato Michaële Antonio episcopo, qui praevio edicto offerat illam comparentibus infra terminum praefigendum, excepto canonico cognominato *Bentancur*, cui, uti magis culpabili, et in suis delictis detestabili, dictus Michaël Antonius episcopus de

1 Innocentii XII constit. edit. MDCXCIII, die 1 septembris, pontif. III, declarata fuere nulla edicta praetoris Cremonensis de festo S. Dominici; et huius Pontificis constit. edit. MDCCVII, die 1 ianuarii, pontif. VII, declaratur nullum edictum archiepiscopi Goanensis contra iurisdictionem commissarii apostolici in Indiis Orientalibus.

2 Edit. Main. legit *vertente* (R. T.).

mandato nostro iniungat, ut ad hanc almam Urbem nostram accedat, firmis tamen remanentibus privatione canonicatûs et praebendae, necnon beneficiorum, aliisque poenis ei[1] per memoratum Michaëlem Antonium episcopum inflictis. Praeterea tribunal Inquisitionis a dictâ civitate Carthaginensi amovendum esse harum serie etiam decernimus.

Quid de iis, qui plura iniusto passi sunt.

§ 3. Quo vero ad illos, qui carcerationem, exilium et quamplures alias poenas passi fuerunt, ex quo eidem Michaëli Antonio episcopo adhaeserunt, eisdem et eorum familiis tam in puritate sanguinis quam in nobilitate, prout etiam quoad officia et quaecumque beneficia cum curâ et sine curâ, canonicatus et praebendas ac dignitates, etiam primas, necnon quascumque cathedrales et metropolitanas ecclesias obtinendas, nullum praeiudicium illatum fuisse, ac illis omnes mulctas aliaque damna passa pariter reficienda esse, et processus contra eosdem formatos pro abolitis et cassatis habendos esse, auctoritate et tenore praefatis itidem declaramus.

Monasterium monialium S. Clarae episcopo subiicitur, et fratres Minores puniuntur.

§ 4. Insuper subiectionem monasterii monialium sanctae Clarae civitatis praedictae eidem Michaëli Antonio episcopo, iuxta declarationem tunc existentium eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum et quasdam felicis recordationis Innocentii Papae XI praedecessoris nostri desuper in simili formâ Brevis expeditas litteras, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, cum privatione omnium officiorum ac vocis activae et passivae in perpetuum respectu illorum fratrum qui complices et culpabiles de tot insultibus et violentiis contra monasterium et moniales huiusmodi commissis reperti fuerunt, factam confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Porro dilectus filius minister generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum procedat prout de iure ad executionem poenae adversus delinquentes, iique pro absolutione a censuris incursis ad eumdem Michaëlem Antonium episcopum recurrere teneantur.

Omnia alia monialium monasteria, uno excepto, episcopi iurisdictioni subiiciuntur.

§ 5. Ulterius omnia alia monasteria cuiuscumque Ordinis, si quae adsint, (excepto Ordine sancti Augustini) a iurisdictione et regimine spirituali et temporali religiosorum, quibus monasteria huiusmodi subiecta sunt, eâdem auctoritate, ipsarum tenore praesentium, perpetuo eximimus, ac illa omnimodae iurisdictioni tam in spiritualibus quam in temporalibus memorati Michaëlis Antonii et pro tempore existentis episcopi Carthaginensis subiicimus.

Antonius episcopus Carthaginensis merito ornatur elogio.

§ 6. Demum, zelum praefati Michaëlis Antonii episcopi, pro omnibus ad suae dignitatis iurium ecclesiae et immunitatis ecclesiasticae defensionem gestis, plurimum in Domino commendantes, illum de omnibus Ecclesiae suae fructibus decursis et non exactis, necnon de omnibus damnis occasione eiusmodi indebitae vexationis per ipsum passis, reintegrandum esse decernimus.

Clausulae.

§ 7. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto Michaëli Antonio episcopo, aliisque, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores,

1 Edit. Main. legit eo (R. T.).

iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, monasteriorum et Ordinum praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX ianuarii MDCCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 19 ianuarii 1706, pontif. anno VI.

LXXXVI.

Statuitur, ut inter auditores Rotae Perusinae sit semper locus pro uno cive civitatis Urbini [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Rota Perusina, a Clemente VII erecta, ex quatuor auditoribus, uno Perusino, altero Maceratensi, et

§ 1. Cum, sicut dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Perusinae nobis nuper exponi fecerunt, dudum in dictâ civitate tribunal Rotae nuncupatum ad causarum decisionem per quasdam felicis recordationis Clementis PP. VII praedecessoris nostri litteras in simili formâ Brevis expeditas erectum, ac per statuta et ordinationes ipsius tribunalis, vigore facultatis per dictas Clementis praedecessoris litteras attributae condita, expresse cautum fuerit, ut quatuor auditores, quibus tribunal huiusmodi constat, exteri seu forenses esse deberent; nunc tamen unus eorum, iuxta aliarum recolendae memoriae Clementis PP. X praedecessoris pariter nostri in eâdem formâ Brevis emanatarum litterarum dispositionem, ex doctoribus legistis, qui de collegio doctorum dictae civitatis Perusinae existant, et alter, in vim conventionis aliàs inter eamdem civitatem Perusinam ex unâ et civitatem pariter nostram Maceratensem ex alterâ partibus initae, ac per nos hodie seu nuper per nostras in pari formâ Brevis litteras confirmatae, ex civibus ipsius civitatis Maceratensis respective eligendi sint; reliqui vero duo ex aliis etiam civitatibus seu locis libere eligantur; ac proinde ipsi exponentes, perpetuum aliquod sincerae eorum in nos devotionis propensaeque in civitatem etiam nostram Urbinatensem, patriam nostram dilectissimam, voluntatis, nec non praeclarae, quam de eâdem civitate habent, aestimationis argumentum extare cupientes, post maturam a magistratu et deinde in publico et generali consilio dictae civitatis Perusinae communibus suffragiis habitam deliberationem, nobis supplicandum esse duxerint, ut singulis quadrienniis, quibus iuxta praedictarum Clementis VII praedecessoris litterarum formam ad auditorum praefatorum electionem deveniri solet, unum eorum e civibus dictae civitatis Urbinatensis, quam plurium semper doctrinae et integritatis laude praestantium viro-

duobus itidem exteris constare debet.

Preces exponentium.

1 A Clemente VII instituta fuit huiusmodi Rota; A Clemente X concessus locus uni civi Perusino; et ab hoc Pontifice civi Maceratensi; a Clemente X erecta fuit universitas Urbanitensis const. ed. MDCLXXI, die 6 aprilis, pontif. I; et ab Innocentio XIII conceditur locus in Rotâ Maceratensi civi Urbinatensi, const. ed. MDCCXXI, die 27 novembris, pontif. I.

rum copiâ florere conspiciunt, de cetero assumendum esse decernere dignaremus: nos, ipsorum exponentium votis hac in re favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super consultationibus civitatum, terrarum et locorum Status nostri Ecclesiastici auctoritate apostolicâ deputatorum, qui rem mature discusserunt, consilio, ut de cetero perpetuis futuris temporibus unus ex auditoribus tribunalis Rotae praefati, quotiescumque eosdem quatuor auditores renovari contigerit, e civibus dictae civitatis Urbinatensis, qui in illius studii generalis universitate ad doctoratûs lauream in utroque iure promoti, necnon collegio etiam generali, ut vocant, doctorum ipsius civitatis adscripti fuerint, ac ceteroquin qualitatibus in tribunalis praefati erectione seu aliàs requisitis praediti reperiantur, ab illis, ad quos spectat, servatis aliàs servandis, eligi seu assumi debeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Statuitur ut in rubricâ.

Clausulae.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon civitatis Perusinae et tribunalis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 30 ianuarii 1706, pontif. anno VI.

LXXXVII.

Conceduntur fratribus eremitis S. Augustini provinciae Portugalliae, qui in Congregatione Indiarum Orientalium vicarii provincialis munere perfuncti fuerint, omnia privilegia exprovincialium provinciae [1].

1 Eadem privilegia exprovincialium concessa fuerunt quibusdam fratribus Insularum Philippinarum ab Innocentio XI const. ed. MDCLXXVII, die 11 decembris, pontif. II; et nonnullis Discalceatis Congregationis Hispaniae et Indiarum ab hoc Pontifice const. ed. MDCCIV, die 13 februarii, pontif. IV; in Benedicti XIII, const. ed. MDCCXXVII, die 14 iunii, pontif. IV, statuitur ne amplius concedantur privilegia exprovincialium in provinciâ Portugalliae.

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Rationes pro obtinenda huiusmodi concessione.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum provinciae Portugalliae Ordinis eremitarum S. Augustini nobis expositum fuit, quod (cum ipsa provincia quamdam habeat Congregationem in Indiis Occidentalibus sibi subiectam, ad cuius gubernium unus vicarius provincialis cum quatuor definitoribus, qui illam tam in spiritualibus quam in temporalibus, iuxta peculiares constitutiones dicti Ordinis auctoritate apostolicâ confirmatas, ad instar cuiuslibet memorati Ordinis, provinciae cum ordinariâ iurisdictione et auctoritate regant, institui solet; Congregatio vero huiusmodi aliquibus ab hinc annis in calamitoso et miserabili statu reperiatur, tum ob religiosorum defectum qui illam zelo ac debito fervore gubernent, curamque specialem missionum eis commissarum ac in illis partibus adeo necessariarum[1] habeant, tum denique ob repugnantiam quam habent praedictae provinciae alumni pro memoratae Congregationis regimine electi ad subeundum adeo longum et periculosum maris iter) iidem religiosi in vicarios provinciales electi tametsi, absoluto eorum officio, in dictâ Congregatione permanentes privilegiis provincialibus absolutis competentibus potiantur, nihilominus ipsi ad propriam provinciam postea revertentes in eâ omni prorsus privilegio et exemptione carent. Ut autem religiosi praedictae provinciae digniores ad subeunda tot tantaque evidentia eorum vitae pericula in conficiendo tam longo itinere sex millium leucarum maris et visitandis post eorum adventum conventibus dictae Congregationis inter se valde distantibus et demum disseminando verbum Dei variis in locis pariter distantibus, prout necessitas exigit, incitentur, dilecti pariter filii Simon de Gowea, lector iubilatus, et Ioannes Ferreyra, fratres expresse professi Congregationis et Ordinis huiusmodi, exvicarii provinciales, Congregationis[1] seu capitulo intermedio dictae provinciae die x novembris MDCCIV celebrato supplicem libellum porrexerunt pro opportuno remedio, enixe deprecantes, ut, nedum iidem Simon et Ioannes, qui praedicta omnia pericula et incommoda munus vicarii provincialis obeundo passi fuerunt, verum etiam ceteri dictae provinciae religiosi, quos in posterum ad memoratam Congregationem ad vicarii provincialis huiusmodi officium exercendum transmitti contigerit, post eorum in provinciam reditum omnibus privilegiis et exemptionibus, quibus eiusdem provinciae provinciales absoluti cum voce et loco in capitulis provincialibus[2] fruuntur, similiter gaudere deberent.

Preces provinciae pro concessione.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, omnes fratres de gremio definitorii, lectis ac mature perpensis supradictis rationibus, nemine penitus contradicente, indulti huiusmodi concessioni consensum praestiterint: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut in infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie

Facultas petita conceditur.

1 Edit. Main. legit *necessarium* (R. T.).

1 Aptius lege *Congregationi* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *provincialis* (R. T.).

absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui votum capituli generalis per dilectum etiam filium modernum priorem generalem dicti Ordinis relatum perpenderunt, ipsumque priorem generalem super praemissis audiverunt, consilio, ut memorati Simon et Ioannes, qui in praedictâ Congregatione in Indiis Orientalibus vicarii provincialis munere functi sunt, privilegiis et praerogativis exprovincialium, etiam cum voto in capitulis provincialibus provinciae Lusitaniae, ac cum loco immediate post exprovinciales eiusdem provinciae, potiantur et gaudeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus: praeterea eadem privilegia et praerogativas exprovincialium, etiam cum voto in capitulis provincialibus et cum loco immediate post praedictos exprovinciales, vicariis provincialibus Congregationis Orientalis praedictae, postquam in provinciam Portugalliae supradictam reversi fuerint, auctoritate et tenore praedictis concedimus: eâ tamen lege, ut ii dumtaxat enarratis privilegiis in provinciâ ipsâ gaudere valeant, qui ex Europâ in Indias transeunt, et ibidem vicarii provincialis munus integro biennio cum laude et profectu sacrarum missionum obierint, quive aut lectores iubilati sint, aut evangelicae praedicationis principalioribus in Lusitaniae urbibus viginti ad minus annos cum plausu iustâque famâ expleverint: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus felicis recordationi Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, quae incipit *Admonet nos, etc.*, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Congregationis, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I februarii MDCCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 februarii 1706, pontif. anno VI.

LXXXVIII.

Conceditur militibus S. Ioannis Hierosolymitani facultas faciendi celebrari missam in magnis navibus annuâ navigatione contra infideles [1].

1 Vide infra allegata. In Alexandri VIII constit. ed. MDCXC, die 5 augusti, pontif. I, extat

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Rationes pro huiusmodi facultate obtinendâ.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Franciscus de Marevil, frater miles hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, aliique praefecti seu capitanei navium bellicarum, ac fratres milites eiusdem hospitalis, quod, cum aliàs felicis recordationis Pius IV et Sixtus V, Romani Pontifices praedecessores nostri, fratribus militibus dicti hospitalis privilegium utendi in terrâ altari portatili in navigationibus, quas ipsi singulis annis contra infideles suscipere solent, concesserint; praedictum vero privilegium eis inutile reddatur, eo quia magnae naves, quibus dictos infideles de praesenti insequuntur, in alto mari navigant, ac rarissime terram attingunt: ipsi exponentes, ad consulendum spirituali consolationi navigantium, et ad tollendam omnem controversiam, quae super alio indulto hac in re per recolendae memoriae Innocentium Papam VIII praedecessorem pariter nostrum, die XXVIII aprilis MCDLXXXV, ut asseritur, concesso oriri posset, facultatem celebrari faciendi missam in navibus huiusmodi, in quibus, cum magni ponderis et firmae structurae existant, et quaelibet ipsarum quinquaginta et ultra tormenta aenea bellica sustineat, nullum in celebratione missae inconveniens enasci potest, sibi a nobis concedi plurimum desiderant. Nobis propterea praedicti exponentes, ac etiam dilectus filius Raymundus de Perellos et Roccafull, magnus magister memorati hospitalis, humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

privilegium pro aerario; et in huius Pontificis const. edit. MDCCXI, die 17 ianuarii, pontif. XI, restituitur ius super regimine trium navium contra pyratas.

Concessio praedictae facultatis mari tranquillo caeloque sereno, et cum assistentiâ alicuius ministri.

§ 2. Nos igitur, piis eiusdem Raymundi magni magistri votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, dictosque exponentes specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, eisdem exponentibus et pro tempore existentibus fratribus militibus hospitalis praedicti petitam facultatem celebrari faciendi missam in supradictis magnis navibus occasione dictae navigationis, dummodo naves huiusmodi enunciatae qualitatis sint, ac celebratio missae eo dumtaxat tempore quo mare tranquillum et caelum serenum reperiatur, et cum assistentiâ alterius sacerdotis seu diaconi, fiat, itaut periculum effusionis Sanguinis in dictâ celebratione minime adsit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 22 martii 1706, pontif. anno VI.

LXXXIX.

Extenditur indultum recitandi divina officia ritu latino, necnon Sanctorum

Ordinis S. Basilii, ad monachos et moniales ritus latini eiusdem Ordinis[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Rationes pro extensione praedicti indulti.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Petrus Menniti, abbas generalis Ordinis S. Basilii Magni, nobis nuper exponi fecit, aliàs per decretum infrascriptae Congregationis cardinalium, quod subinde a nobis per quasdam nostras desuper in simili formâ Brevis die XVII februarii MDCCIII expeditas litteras confirmatum fuit, abbatissae et monialibus monasterii S. Salvatoris *Philantropos* nuncupati civitatis Messanensis eiusdem Ordinis indultum fuerit, ut, relicto ritu graeco, in posterum divina officia ritu latino ad praescriptum breviarii romani, necnon Sanctorum eiusdem Ordinis, quae a Sede Apostolicâ monialibus alterius monasterii eiusdem S. Salvatoris civitatis Panormitanae recitandi facultas concessa fuit, recitare possent et valerent, prout in dictis litteris uberius continetur; ipse vero Petrus abbas generalis, quo de cetero uniformitas in divinâ psalmodiâ servetur, indultum huiusmodi tam ad monachos quam moniales eorumdem Ordinis et ritus latini, quemadmodum in aliis regularibus Ordinibus qui inter se eiusmodi gratias spirituales communicare solent, extendi plurimum desideret: nos, piis dicti Petri abbatis generalis votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ac ipsius et monachorum ac monialium huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, indultum praedictum ad omnes et singulos monachos et moniales ritus latini quorumcumque monasteriorum dicti Ordinis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis cardinalium.

Annuit Pontifex.

Clausulae.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit ac attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, monasteriorum et Ordinis praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemis-

1 Hoc indultum concessum fuit monialibus Messanensibus const. edit. MDCCIII, die 17 februarii, pontif. III; et const. edit. MDCCVI, die 15 iunii, pontif. VI, conceditur indulgentia plenaria perpetua pro omnibus ecclesiis.

sorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI martii MDCCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 26 martii 1706, pontif. anno VI.

XC.

Eriguntur computistariae locorum montium in officia vacabilia, venalia et resignabilia in Datariâ expedienda, solutâ certâ pecuniarum quantitate [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Motuproprio, etc.

Motusproprius Pauli V, anno XV, die XIV iulii, de secretariis et computistariis montium.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanavit motusproprius tenoris qui sequitur, videlicet:

Paulus Papa V. Motu proprio, etc. Cum Romani Pontifices praedecessores nostri, et forsan nos, ex iustis causis, in montium erectionibus et institutionibus officia secretariatûs videlicet et computistariarum pro uno secretario seu computista idoneo, qui rationem administrationis bonorum et fructuum montium huiusmodi tenere, et de eis, quae ad loca montium et eorum possessores eâ in parte spectant, notam sumere, ac patentes litteras super eorum concessionibus expedire, aliaque munia respective obire debeant, apostolicâ auctoritate erexerint et instituerint, seu erexerimus et instituerimus; officia vero huiusmodi, sicut accepimus, nonnulli tamquam per successionem parentum et antenatorum suorum ad se spectantia, alii in vim assertarum deputationum nulliter factarum, ac venditionum ab eorum occupatoribus similiter factarum, alii per modum provisionis et tacite, alii etiam nullo titulo occupata detineant, illaque ad eorum libitum in aliorum quam nostris manibus, ac etiam coram solis notario et testibus resignare et vendere praesumpserint, Sede Apostolicâ desuper inconsultâ, in praeiudicium iurium dictae Sedis et Camerae Apostolicae: nos igitur, ne de cetero officia huiusmodi personis minus idoneis conferantur, providere, et, cum plurimum intersit Camerae praedictae ut eius bonorum et proventuum per ministros idoneos et peritos quantum fieri potest ratio habeatur, indemnitati Sedis et Camerae praedictarum consulere volentes, motu proprio simili, et ex certâ nostrâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, praesentium tenore, omnia et singula officia secretariarum et computistariarum montium tam vacabilium quam non vacabilium de Urbe, sicut, ut praefertur, erecta et instituta, quorum concessio et assignatio et quaelibet alia dispositio ad nos et Sedem praedictam spectare et pertinere dignoscitur, et de quibus per nos aut Romanos Pontifices praedecessores nostros specialiter dispositum hactenus non fuit, a primaevâ eorum erectione et institutione vacare et vacavisse declaramus et decernimus; ea vero, quae in erectionibus montium huiusmodi seu aliàs erecta non fuerunt, ex nunc prout ex tunc in officia vacabilia et resignabilia ad instar aliorum Romanae Curiae officiorum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, erigimus perpetuo et instituimus; eisque sic erectis et in-

1 Hac de re plures hîc laudantur constitutiones, sed una refertur Pauli V, ann. pontif. XV edit., die 10 ianuarii Innocentii XII const. edit. MDCLXXXIX, die 6 iunii, pontif. XIII, est de rectâ montium administratione; Innoc. XII const. edit. MDCXCV, die 20 augusti, pontif. V, reservatur pontifici electio votantium signaturae; et Benedicti XIII const. edit. MDCCXXIV, die 12 septembris, pontif. I, erigitur mons Ursinus.

stitutis omnes et singulos honores, salaria et emolumenta solita, et quae hactenus dictorum officiorum detentores licite tamen perceperunt, pro illâ obtinentium substentatione etiam perpetuo applicamus et appropriamus. Decernentes, nullum praeter nos et Romanos Pontifices pro tempore existentes de officiis praedictis disponere potuisse sive posse, illaque tam primâ vice a primaevâ erectione seu institutione huiusmodi, ut praefertur, vacantia, quam etiam cum primum per cessum vel decessum, aut resignationem, privationem vel quamvis aliam amissionem illa obtinentium, seu aliàs quomodolibet vacare contigerit, per nos et Romanos Pontifices pro tempore existentes dumtaxat per viam supplicationis in Datariâ nostrâ ad instar aliorum officiorum vacabilium dictae Curiae concedi et resignari debere; et si quis ex eorum officiorum detentoribus, idoneitate sibi suffragante, illud vel illa, quae detinet, aut aliquod aliorum assequi intendat, supplicationem super illius vel illorum concessione in dictâ Datariâ infra semestre proximum omnino expedire teneatur; alioquin ab eorum exercitio amotus et illis perpetuo privatus censeatur eo ipso, et ab illo vel illis penitus abstineat; praesentemque nostrum motumproprium, et litteras forsan desuper conficiendas, ex quacumque causâ, nullo unquam tempore, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari vel annullari posse, sed valida et efficacia existere suosque effectus sortiri debere, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque litteras vel constitutiones apostolicas seu Cancellariae apostolicae regulas, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices, etiam motu proprio, etc., etiam consistorialiter, ac cum datae praesentium expressâ mentione, ac sub quibuscumque tenoribus et formis, necnon cum quibusvis clausulis pro tempore factis et concessis, comprehendi, sed semper ab illis excepta[1], necnon, quoties illas revocari vel limitari aut suspendi seu eis derogari contigerit, toties in pristinum statum etiam sub priori datâ restitutas, repositas et plenarie reintegratas et de novo concessas esse et censeri, sicque per quoscumque iudices, etc., etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ, etc., iudicari, etc., debere, irritumque, etc. Non obstante regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, quatenus opus sit, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac collegiorum et officiorum huiusmodi ac montium erectionibus et institutionibus, si in aliquo obstent, eorumque statutis, privilegiis, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, etiam motu proprio aut consistorialiter concessis; quibus omnibus, etc., eorum tenores, etc., etiamsi de illis, etc., hac vice specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis. Fiat motu proprio C. Et de erectione, institutione, applicatione, singulis decretis, derogatione aliisque praemissis, ut supra, latissime extendendis; et quod praesentis motusproprii sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat in iudicio et extra illud, regulâ contrariâ quacumque non obstante. Per praesentes autem non intendimus alicui

1 Edit. Main. legit *exceptis* (R. T.).

officiali, collegio, seu cuicumque personae, cui expressim facultas disponendi de dictis officiis vel eorum aliquo per nos vel antecessores nostros forsan concessa fuit, in aliquo praeiudicare, sed illis et cuilibet eorum sua iura intacta et illaesa remaneant. *Fiat* C.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, pridie idus iulii, anno XIV [1].

Continuatio constitutionis Clementis XI. Ab Alexand. VII computistariae montium restauratorum in officia vacabilia et venalia erecta fuere.

Et subinde piae memoriae Alexander VII, pariter praedecessor noster, montes restauratos primae, secundae et tertiae erectionis instituendo, computistarias eorumdem locorum montium in officia vendibilia, et per obitum eorum, qui illa obtinuerint, vacatura, erexit; voluitque per Datariam apostolicam ad instar aliorum officiorum Romanae Curiae conferri, personis tamen per thesaurarium generalem pro tempore existentem quoad peritiam approbandis, seu commendandis, prout in diversis litteris itidem motu proprio expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis habemus, fusius continetur.

Erigunt'ur computistariae ut in rubrica.

§ 2. Cum autem Urbanus VIII, Innocentius XI et alii forsan Pontifices praedecessores nostri diversas alias montium erectiones fecerint atque instituerint, in quibus de officiis computistariarum huiusmodi, aut diversimode dispositum fuit, aut non ita clare in officia vacabilia erecta fuerunt: hinc est quod inter Datariae nostrae administros et dilectum filium thesaurarium generalem nostrum exortum est dubium super modo et formâ concedendi et expediendi computistarias praedictas. Cui dubitationi, ne celeri negotiorum expeditioni impedimento esset, pro posse, sicuti tenemur, providere volentes, illius cognitionem, discussionem et resolutionem venerabilis fratris prodatarii nostri et nonnullorum Romanae Curiae praelatorum particulari Congregationi prout de iure demandavimus. Et a Congregatione praedictâ fundamentis utriusque in voce et in scriptis deductis accurate discussis, sub diebus XVI martii MDCCV et X februarii MDCCVI declaratum et resolutum fuit, providendum esse de omnibus officiis computistariarum per organum Datariae personis tamen approbandis per thesaurarios pro tempore. Quam declarationem et resolutionem subinde ad nos relatam sub die XII eiusdem mensis februarii approbavimus et executioni iussimus demandari. Ne autem materia haec plene discussa et resoluta in posterum revocetur in controversiam, omnes montium institutiones per praedecessores nostros factas et illarum tenores ac datas praesentibus pro expressis habentes, ac Pauli et Alexandri praedictorum et forsan aliorum Pontificum praedecessorum vestigiis inhaerentes, motu pari omnes et singulas locorum montium tam erectorum quam fortasse in posterum erigendorum computistarias in officia vacabilia, vendibilia et resignabilia, quatenus opus sit, de novo erigimus et instituimus, et pro erectis et institutis tamquam in primaevâ dictorum montium fundatione haberi volumus et decernimus. Statuentes quod computistariarum officia sic erecta perpetuis futuris temporibus per nos, et Romanos Pontifices pro tempore existentes, dumtaxat per viam supplicationis in Datariâ nostrâ et per organum eiusdem expedienda, ad instar aliorum officiorum dictae Curiae, personis tamen approbandis per thesaurarios pro tempore, solutis tamen (ultra pretium pro compositione in concessione seu resignatione singularum computistariarum locorum montium per praedictos praedecessores nostros iam erectorum et institutorum) octo quoad S. Petri nunc

1 In notâ ad rubr. et ad marg. legitur XV (R.T.).

a primâ usque ad nonam erectionem inclusive, ultra emolumenta monti Datariae nostrae debita, ac aliis octo quoad praedictos restauratos et novennales, ac Fidei, comprehensis eiusdem montis Datariae emolumentis, ac quoad Communitatis ac Religionis vacabilis, comprehensis similiter emolumentis montis Datariae huiusmodi, necnon quoad S. Pauli religionis respective montes, ducatis duobus auri de Camerâ, computatis emolumentis praedicti montis Datariae, seu aliàs solutâ compositione arbitrio dicti prodatarii nostri et illius pro tempore successorum iuxta qualitatem locorum in singulo monte existentium, concedi et resignari debeant. Mandantes propterea, ut, si quis computistariarum officium seu officia sine titulo per organum Datariae expedito quocumque modo nunc detineat, supplicationem super illius seu illorum concessione in Datariâ nostrâ infra tres menses proximos, praeviâ praedicti thesaurarii approbatione, omnino expedire teneatur; alioquin ab exercitio amotus, et officia computistariarum huiusmodi vacare eo ipso censeantur.

Clausulae. § 3. Decernentes, praesentem nostrum motumproprium, ac litteras forsan desuper conficiendas, et in eis contenta, ex quacumque causâ, nullo unquam tempore, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari, impugnari, retractari vel annullari posse, sed semper valida et efficacia fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus per quascumque litteras vel constitutiones apostolicas, seu Cancellariae apostolicae regulas, etiam per nos et successores nostros, etiam motu proprio, etiam consistorialiter, ac cum datae praesentium expressâ mentione, et sub quibuscumque tenoribus et formis, necnon cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore factis et concessis seu concedendis comprehendi, sed semper ab illis excepta, necnon, quoties illa revocari seu limitari vel suspendi seu eis derogari contigerit, toties in pristinum et eum in quo antea erant statum, et sub priori datâ restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac de novo concessa esse et censeri, sicque et non aliàs per quoscumque iudices, etc., etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ, etc., iudicari, etc., debere; irritumque, etc., decernere[1]. Non obstantibus per praedictos praedecessores nostros in erectionibus supradictorum montium aliter seu in contrarium dispositis, ac regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, quatenus opus sit, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, etiam motu proprio aut consistorialiter concessis, etc.; quibus omnibus, etc., eorum tenores, etc., etiamsi de illis, etc., hac vice specialiter et expresse motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque: cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio I. F.

Et quod erectionem[2] montium huiusmodi tenores etiam veriores habeantur pro expressis, seu in toto vel parte exprimi possint in litteris; et de perpetuis erectione, institutione, cognitione, discussione, resolutione, approbatione, executione, voluntate, decreto, statuto, mandato, derogatione, aliisque praemis-

1 Forsan *contigerit attentari* (R. T.).
2 Forsan *erectionum* (R. T.).

sis, quae hîc pro sufficienter et ad partem repetitis habeantur, ac aliàs, prout supra, in litteris latissime extensi; et cum decreto quod sola praesentis nostri motusproprii signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in iudicio et extra, regulâ quacumque contrariâ non obstante seu, si videbitur, litteras desuper, etiam per viam de Curiâ, quandocumque expediri; et cum alio decreto quod moderni computistae, qui deinde post acquisitum officium habuerunt alios montes additos, non teneantur ad augmentum pretii pro additionibus hucusque factis; illi vero, qui nullo modo pretium persolverunt, illud omnino solvere teneantur Datariae apostolicae ad rationem bononenorum seu baioccorum duorum cum dimidio pro quolibet loco.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, VI idus aprilis, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 8 aprilis 1706, pontif. anno VI.

XCI.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis monachorum S. Basilii in festo eiusdem Sancti[1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Iniunctae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio postulat ut caelestium munerum thesauros, dispensationi nostrae a Domino creditos, fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris Sanctorum in caelis cum Christo regnantium venerationem, excitandamque et confovendam erga illos fidelium devotionem, ac ad animarum salutem, speramus in Domino profuturum.

1 Const. ed. MDCCVI, die 26 martii, pontif. VI, extensum fuit indultum recitandi divina officia ritu latino; et const. MDCCXXVI, die 12 iunii, pontif. II, agitur de confirmatione abbatis generalis.

§ 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni procuratoris generalis Ordinis S. Basilii Magni nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque monasteriorum dicti Ordinis, tam hactenus erectis quam in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, die festo eiusdem sancti Basilii a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi annis singulis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Concedit ut in rubricâ.

§ 2. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae. Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV iunii MDCCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 15 iunii 1706, pontif. anno VI.

XCII.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis Ordinis militaris

Crucigerorum cum rubeâ stellâ in festo Exaltationis S. Crucis[1].

Clemens Papa XI,
Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Indulgentia de qua in rubrica. § 1. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, ac supplicationibus dilecti filii moderni magni magistri Ordinis militaris Crucigerorum cum rubeâ stellâ per Bohemiam, Silesiam, Moraviam et Poloniam existentis sub regulâ sancti Augustini nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dicti Ordinis in eisdem regnis et provinciis existentibus die festo Exaltationis Sanctae Crucis a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Eccclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae. § 2. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII augusti MDCCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 28 augusti 1706, pontif. anno VI.

1 Innocentii XII constit. edit. MDCXCV, die 23 iulii, pontif. V, confirmata fuerunt privilegia; et in Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXIV, die 4 augusti, pontif. I, extat translatio indulgentiae.

XCIII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de servandâ constitutione Innocentii XI pro divisione provinciae Poloniae B. Mariae Montis Carmeli[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Refertur huiusmodi divisio in provinciam Poloniae et Russiae, atque eius confirmatio ab Innocentio XI facta. § 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum prioris provincialis, definitorum ac superiorum provinciae Russiae S. Iosephi Ordinis fratrum Beatae Mariae de Monte Carmelo in regno Poloniae, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, cum provincia Poloniae, quae omnes conventus dicti Ordinis in illis partibus existentes comprehendebat, propter eius amplitudinem ab uno priore provinciali quotannis, quinimo singulis trienniis, commode, et eâ qua par erat curâ, visitari non valuisset, in capitulo generali eiusdem Ordinis tunc celebrato, hac aliisque rationibus mature perpensis, decretum fuerat, eamdem provinciam Poloniae in duas dividendam, unde bonae memoriae Paulutius S. R. E. presbyter cardinalis de Alteriis nuncupatus, dum vixit, Ordinis praedicti apud sanctam Sedem Apostolicam protector, in vim facultatis ei super hoc per reseri-

1 Laudata constit. edit. fuit MDCLXXXVII, die 27 iunii; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXV, die 21 iulii, pontif. I, confirmatur decretum pro pace in provinciâ Poloniae.

ptum felicis recordationis Innocentii Papae XI praedecessoris nostri attributae, per suum decretum die VII iunii MDCLXXXVII editum, divisionem provinciae praedictae in duas a se invicem distinctas provincias fecerat, assignatis utrique earum suis respective conventibus, et cum diversis ordinationibus earumdem provinciarum statui et utilitati ac felici progressui congruentibus; quod quidem decretum dictus Innocentius praedecessor per quasdam suas desuper in simili formâ Brevis die XXVII eorumdem mensis et anni expeditas litteras, toto illius tenore inserto, confirmaverat: et in eâdem expositione subiuncto, quod in novissimo capitulo generali Ordinis huiusmodi in almâ Urbe nostrâ celebrato tunc existentes priores provinciales provinciarum Poloniae et Russiae sine consensu earumdem provinciarum pro illarum reunione institerant; ipsi vero exponentes renunciationi huiusmodi sese opposuerunt, et proinde dictas Innocentii praedecessoris litteras praefati decreti Palutii cardinalis et protectoris confirmatorias etiam confirmari plurimum cupiebant: emanavit a praefatâ Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum super hoc S. Congregationis.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, audito patre procuratore generali Ordinis, referente eminentissimo Flisco, censuit et decrevit servandum esse enunciatum Breve, et imponendum perpetuum silentium, prout praesentis decreti vigore servari mandat. Romae, X septembris MDCCVI. — G. cardinalis CARPINEUS. — FERDINANDUS archiepiscopus Nicensis, secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dicti exponentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum

quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX octobris MDCCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 9 octobris 1706, pontif. anno VI.

XCIV.

Indicitur iubilaeum universale pro pace inter principes christianos[1].

Clemens Papa XI,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a continuatis christianae reipublicae calamitatibus ob acerbum bellum inter christianos principes.

Ex eminenti Principis Apostolorum Sede, in qua per ineffabilem divinae suae bonitatis abundantiam, meritis licet imparibus, collocare nos voluit Altissimus, terrarum orbem universum, nostras videlicet curas, sollicite circumspicientibus nobis miserior in dies semperque luctuosior se offert christianae reipublicae facies. Cum gravissimo siquidem ac vere lacrymabili totius pene Europae incendio christiani principes inter se decertantes (quae olim extrema minatus est Deus inimicis nostris, atque iis, qui insurgunt adversus nos) diuturno nimium et sane acerbissimo bello se invicem depascuntur, ac proprio sanguine, quasi musto, inebriantur: ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio, undique percutimur, undique amaritudinibus replemur. Visitavit profecto nos Dominus in gladio suo duro et grandi et forti, sicut impetus aquarum multarum inundantium et emissarum super terram spatiosam. Ascendit fumus in irâ eius, et ignis a facie eius exarsit; commota est, et contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt, quoniam iratus est eis. Sed numquid in aeternum proiiciet Deus? aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? Absit, non enim obliviscitur misereri Dominus, nec continet in irâ misericordias suas; sed qui multus est ad ignoscendum, ac propitiatur invocantibus eum in veritate, effundet in nos divitias misericordiae suae, si iniquitates nostras, quibus eum[1] offendimus nimis, humili confessione agnoscamus, dignosque poenitentiae fructus faciamus. Adeamus itaque cum fiduciâ ad thronum gratiae, ac (ne exprobrari nobis audiamus propheticum illud: *Quaesivi de eis virum qui interponeret sepem et staret oppositus contra me pro terrâ, ne dissiparem eam, et non inveni; et effudi super eos indignationem meam*) obsecrationibus, ieiuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus divinam iram, acceptabili hoc dominici Adventus tempore, placare studeamus, Regique pacifico, qui proxime venturus est, ut pacem annuntiet hominibus bonae voluntatis, in novitate vitae ambulantes humiliter occurramus. Suppliciter ab eo petamus ut flagella, quibus nos corripit ad emendationem, clementer a nobis avertat, et qui castigat nos propter scelera nostra, ipse salvet nos propter misericordiam suam. Potissimum vero eum deprecemur, quatenus septimo, quem nunc divinâ favente clementiâ inimus, nostri pontificatus anno faciat remissio-

1 Simile iubilaeum indictum fuit ab Innocentio XII constit. edit. MDCXCV, die 3 decembris, pontif. V; et in huius Pontificis constit. edit. MDCCXV, die 31 maii, pontif. XV, indicitur iubilaeum contra Turcas.

1 Edit. Main. legit *cum* pro *eum* (R. T.).

nem, ut vere sit sabbatum terrae requietionis Domini, sublatisque dissidiis, sedeat christianus populus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciae, et in requie opulentâ. Haec autem ut ferventiori spiritus ardore maiorique fructu peragantur, ex prisco Romanae Ecclesiae omnium matris et magistrae more caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae commisit divina dignatio, aperire et largâ manu erogare decrevimus.

Indictio iubilaei.

§ 1. Itaque de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in almâ Urbe nostrâ degentibus, qui solemni processioni, quam feriâ quintâ proximae hebdomadae, quae erit secunda Adventus, a capellâ publicâ palatii nostri apostolici in Vaticano ad basilicam Principis Apostolorum unâ cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis et epicopis, quos in Romanâ Curiâ adesse contigerit, ac christianorum regum et principum oratoribus apud nos existentibus, praelatis quoque et officialibus eiusdem Curiae, universoque clero et populo, benedicente Domino, agemus, devote interfuerint, vel S. Ioannis in Laterano, eiusdem Principis Apostolorum et S. Mariae Maioris ecclesias, seu basilicas, vel earum aliquam, etc. (*Reliqua ut alibi*).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II decembris MDCCVI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 2 decembris 1706, pontif. anno VII.

XCV.

Declaratur nullum edictum archiepiscopi Goanensis contra iurisdictionem commissarii et visitatoris apostolici in Sinarum et aliis Indiarum Orientalium regnis [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Carolus patriarcha Antiochensis electus fuit commissarius, cuius censuras adversus nonnullos religiosos promulgatae, nullae declaratae fuere praedicto edicto ab Augustino archiepiscopo Goanensi.

§ 1. Cum nos aliàs, pro commisso nobis divinitus apostolicae servitutis munere etiam ad remotissimam ab hac Sanctâ Sede regiones pastorales vigilantiae nostrae curam extendentes, per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras venerabilem fratrem Carolum Thomam, patriarcham Antiochenum, nostrum et Apostolicae Sedis commissarium et visitatorem in Sinarum et aliis Indiarum Orientalium regnis, cum potestate etiam nostri et eiusdem Sedis de latere legati ac diversis et amplissimis facultatibus constituerimus et deputaverimus, et aliàs, prout in praedictis nostris die IV iulii MDCCII expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur: et, sicut nuper non sine gravi animi nostri dolore accepimus (postquam idem Carolus Thomas, patriarcha, commissarius et visitator, in dioecesi Melioporensi, debitâ, ut par erat, reverentiâ a venerabili pariter fratre Gaspare Alphonso, episcopo Meliaporensi, recognitus et exceptus fuerat, ac iustis et rationabilibus causis adductus censuras quasdam ecclesiasticas in eâdem dioecesi contra nonnullos regulares promulgaverat), edictum quoddam, sub no-

1 Declarata fuerunt nulla acta a generali inquisitore aliisque contra episcopum Carthaginensem const. edit. MDCCVI, die 19 ianuarii, pontif. VI; et const. edit. MDCCXI, die 15 martii, pontif. XI, declarantur nulla acta ab episcopo Macaonensi adversus commissarium Sinarum.

mine venerabilis etiam fratris Augustini ab Annunciatione die XXII decembris MDCCIV editum prodierit, et subinde in quibusdam oppidorum seu locorum Madraspatani et Pudiaherii ecclesiis, et forsan alibi, publicatum fuerit, quo, sub variis, frivolis ac prorsus insubsistentibus praetextibus, censurae praedictae, ab eodem Carolo Thoma patriarcha commissario et visitatore, sicut praemittitur, promulgatae, inaudito ausu, nullae declarantur, ipsique regulares ad sacramentorum ecclesiasticorum administrationem admittuntur, necnon omnibus et singulis tam ecclesiasticis quam laicis mandatur, ne ipsi Carolo Thomae patriarchae commissario et visitatori obediant, aut dictas censuras revereantur, ac insuper eidem Carolo Thomae patriarchae commissario et visitatori, inverso sane poenarum per canonicas sanctiones irrogatarum usu, sub excommunicationis poenâ inhibetur, quominus iurisdictionem suam libere exerceat, aliaque temere praecipiuntur atque ordinantur, in gravissimum apostolicae auctoritatis, qua idem Carolus Thomas patriarcha commissarius et visitator nostro et dictae Sedis nomine in illis partibus fungitur, contemptum, praeiudicium et detrimentum, et aliàs, prout in praefato edicto, quod, non approbandi, sed penitus et omnino reprobandi animo, praesentibus itidem pro plene et sufficienter expresso et de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri:

Declaratio nullitatis edicti praefati.

§ 2. Hinc est quod nos, ex debito sacrosancti apostolatus officii, quod humilitati nostrae, meritis licet et viribus longe impari, commisit divina dignatio, eiusdem Caroli Thomae patriarchae, commissarii et visitatoris, seu potius nostram et dictae Sedis dignitatem, auctoritatem et iurisdictionem a temerariis et perniciosis huiusmodi conatibus illaesas sartasque et tectas tueri et conservare cupientes, ac omnium, quae praedicti edicti seu in eo contentorum occasione quovis modo acta et gesta sunt, seriem, causas et circumstantias, etiam aggravantes, aliave quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pariter pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus Congregationis propagandae fidei negotiis praepositae super rebus Indiarum Orientalium a nobis specialiter deputatorum consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praenarratum edictum et quaecumque in eo contenta, cum omnibus et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, inania, invalida, irrita, temeraria, attentata et de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris et momenti esse et perpetuo fore, tenore praesentium declaramus; et nihilominus ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, et pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi debere, decernimus et pariter declaramus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedictus Augustinus archiepiscopus et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis,

praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali aut incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis praedictae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon metropolitanae ecclesiae Goanensis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, etiam quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus, et quomodolibet qualificatis, ac ecclesiis et locis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam consistorialiter, concessis, ac pluries et quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, Derogatio contrariorum.

hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die .....[1] ianuarii MDCCVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 1 ianuarii 1707, pontif. anno VII.

XCVI.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de formâ eligendi generalem infra triennium in Congregatione monachorum Montis Oliveti [2].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Variae mutationes factae, super forma praedictae electionis.

§ 1. Aliàs pro parte dilecti filii abbatis Roselli procuratoris generalis Congregationis monachorum Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod iamdudum in dictâ Congregatione Montis Oliveti, ad evitandas expensas quae in celebratione capituli generalis Congregationis huiusmodi fieri solebant dum infra triennium abbatis generalis Congregationis praefatae officium vacare contingebat, certus numerus vocalium, qui electioni huiusmodi interesse debebat, praefixus, nunquam tamen ab eâdem Congregatione cardinalium confirmatus fuerat, quemadmodum pro derogatione novissimae constitutionis eâ super re emanatae, § *Si autem infra triennium ob mortem, etc.*, expresse requirebatur, imo ab ultimo capitulo generali dictae Congregationis Montis Oliveti, re melius discussâ et consideratâ, eiusdem electionis modus prorsus abolitus remanserat, et pro illius libertate magis conveniens existimatum fuerat ut capitulum generale praedictum in hunc modum convocaretur, videlicet:

I. Quod, praeviâ vicarii generalis intimatione faciendâ, capitulum generale huiusmodi semper in monasterio Montis Oliveti Maioris convocari, ibique electio novi abbatis generalis intra terminum trium mensium fieri debeat;

II. Ut in supradicto capitulo generali vicarius generalis, visitatores, procurator generalis actu existentes, abbates, exgenerales, vicarius exgeneralis et visitatores antecedentis definitorii, et unus monachus in discretum a familiâ eiusdem Montis Oliveti Maioris formâ hactenus usitatâ eligendus, votum sive suffragium ferant; unde, exceptis abbatibus exprovincialibus, sexdecim in totum erunt vocales;

III. Quod, cum una provincia uno ex duobus visitatoribus destituta remaneat, abbas antiquior in eâdem provinciâ, deficientibus vero praedictis duobus visitatoribus, duo abbates antiquiores in eorum locum respective succedant;

IV. Quod scrutatores, qui in hoc capitulo schedulas electionis abbatis generalis colligere, signare et legere debeant, sint tres, qui ex numero novissimi definitorii sorto extrahantur;

V. Quod pro expensis praedicti capituli quaelibet provincia memorato monasterio Montis Oliveti Maioris viginti scuta mone-

1 Deest numerus, at ad marg. notat. *1* (R.T.).

2 De electione abbatum titularium extat Clementis X const. edit. MDCLXXI, die 27 februarii, pontif. I; et eius derogatio in huius Pontificis const. edit. MDCCXIII, die 12 aprilis, pontif. XIII.

tae romanae solvere teneatur, necnon, tam pro expensis itineris, quam pro pecuniâ supradicto monasterio subministrandâ, fiat repartitio pro ratâ super monasteriis eiusdem provinciae:

Decretum S. Congregationis.

Emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentâ relatione eminentissimi cardinalis Spinulae praedictae Congregationis Olivetanae apud Sanctam Sedem protectoris, referente eminentissimo Gabriellio, petitam confirmationem oratori benigne concedendam censuit, prout praesentis decreti vigore concedit; constitutionibus apostolicis et ordinibus, ceterisque contrariis non obstantibus. Romae XXVII novembris MDCCV. — G. card. CARPINEUS. — I. N. GRIMALDUS secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus abbas Iustinus procurator generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, specialem ipsi abbati Iustino procuratori generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis Montis Oliveti et monasteriorum huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII ianuarii MDCCVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 28 februarii 1707, pontif. anno VII.

XCVII.

Confirmatur decretum Congregationis particularis, quo declaratur non esse locum petitae divisioni Congregatio-

nis presbyterorum Missionis, et servandas esse constitutiones[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Causa exponitur.

§ 1. Nuper a Congregatione nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus a nobis specialiter deputatâ emanavit in causâ Romanâ seu Galliarum praetensae divisionis inter dilectos filios modernum superiorem generalem Congregationis Missionis, ex unâ, et presbyteros saeculares Italiae eiusdem Congregationis Missionis, ex alterâ partibus, vertente, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum S. Congregationis quod favet assistenti Italiae.

In causâ Romanâ seu Galliarum praetensae divisionis inter dominum superiorem generalem Congregationis Missionis, ex unâ, et dominos Missionarios Italiae, partibus ex alterâ, sacra Congregatio eminentissimorum et revereudissimorum dominorum S. R. E. cardinalium Carpinei, Marescotti, Panciatici, Spadae et Casoni per SS. D. N. specialiter deputata, partibus ipsis informantibus, reque mature discussâ, censuit ac declaravit, non esse locum divisioni, et servandas constitutiones et ad mentem, quae quidem est quod superior generalis utatur consilio et operâ assistentis Italiae in omnibus negotiis Congregationis, quemadmodum utitur consilio et operâ aliorum assistentium, quodque illum admittat et retineat unâ cum aliis in domo suae residentiae, et ceteros subditos amanter et charitative tractet. Romae IV octobris MDCCVI. — G. cardinalis CARPINEUS — F. archiepiscopus NICAENUS secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus superior generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, specialem ipsi superiori generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis Missionis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet

1 Const. ed. MDCCIII, die 9 iulii, pontif. III, concessum fuit quoddam ius primo assistenti; et const. ed. MDCCIV, die 9 septembris, pontificatus IV, declaratae fuere constitutiones; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXVII, die 15 iulii, pontif. IV, agitur de electione assistentis.

concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II aprilis, MDCCVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 2 aprilis 1707, pontif. anno VII.

XCVIII.

Conceditur presbyteris Congregationis Piorum Operariorum facultas celebrandi missam unâ ante auroram et post meridiem horâ [1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos admonet ut sacris eiusdem Ecclesiae ministris pro gregis dominici salute laudabiliter laborantibus ea libenter concedamus, per quae eorum ministerium ad animarum salutem et spiritualem fidelium consolationem uberiori cum fructu, bendicente Domino, valeant adimplere.

Concessio praedictae facultatis presbyteris supplicantibus facta. § 1. Volentes itaque dilectis filiis presbyteris saecularibus Congregationis Piorum Operariorum nuncupatorum gratiam facere specialem, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem modernis et pro tempore existentibus presbyteris Congregationis praedictae ubique existentibus, ut ipsi, perpetuis futuris temporibus, tam in eorum quam in aliis ecclesiis civitatum, terrarum et locorum quibus iuxta laudabile eorum institutum sacras missiones de Ordinariorum respective locorum licentiâ exercebunt, per horae spatium ante auroram et post meridiem missas celebrare libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum. § 2. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandatum parce utendi dictâ facultate. § 3. Volumus autem ut presbyteri praedicti huiusmodi indulto celebrandi ante diem parce utantur; quia, cum in altaris ministerio immoletur dominus noster Iesus Christus Dei filius, qui candor est lucis aeternae, congruit hoc non in noctis tenebris fieri, sed in luce:

Transumptorum fides. § 4. Utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die X maii MDCCVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 10 maii 1707, pontif. anno VII.

---

1 Const. ed. MDCCX, die 9 ianuarii, pontif. X, conceditur approbatis confessariis iter agentibus facultas excipiendi confessiones absque facultate Ordinarii loci.

XCIX.

Declarantur nulla quamplura edicta, aliaque gesta in ditione Sabaudiae ducis, libertati, immunitati et iurisdictioni ecclesiasticae praeiudicialia, cum eorumdem damnatione, et decreto de firmitate censurarum donec S. Sedi satisfactio exhibeatur [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exponitur series plurium attentatorum quae tempore Innocentii XII in praeiudicium libertatis ecclesiasticae gesserunt ministri ducis Sabaudiae.

§ I. Aliàs, cum ad felicis recordationis Innocentii PP. XII praedecessoris nostri aures pervenisset, plura per ministros dilecti filii nobilis viri Victorii Amedei, Sabaudiae ducis et Pedemontii principis, eiusque magistratus laicos, videlicet delegatos super conservatione ac reunione regestri et tarificatione contractuum nuncupatos, necnon senatus Niciensem et Taurinensem, gesta fuisse et attentata Sedis Apostolicae auctoritati et ecclesiasticae iurisdictioni, libertati atque immunitati nedum contraria, sed illarum laesiva, ac prorsus destructiva, necnon generalibus conciliis et sacris canonibus ac Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus penitus adversantia; inter alia vero eidem Innocentio praedecessori innotuisset, quod prius, nempe die XVIII septembris MDCXCVII, praefati delegati super conservatione et reunione regestri et tarificatione contractuum edictum typis mandatum publicaverant, in quo inter cetera, § 6, continebatur praeceptum syndicis, consiliariis, secretariis, ac aliis regimini et gubernio civitatum terrarum et locorum ditionis eiusdem Victorii Amedei ducis pro tempore praepositis iniunctum, sub certis inibi expressis poenis, ne aliquod beneplacitum, vulgo *Placet*, de cetero amplius concederent ad hoc ut quisquam clericalem statum assumeret, vel iam minoribus ordinibus initiatus ad sacros ordines promoveri posset, minusque super quantitate patrimoniorum sacrorum convenirent, nisi prius officialem, patrimonialem generalem nuncupatum, certiorem facerent de instantiis, quas sibi, et a quibus, pro dicto beneplacito, seu *Placet*, obtinendo fieri contigeret, transmissâ eidem informatione tam qualitatum et capacitatis personarum, quam numeri parochialium ecclesiarum in civitatibus, terris et locis praedictis existentium, atque ecclesiasticorum celebrantium, et ad sacros ordines promotorum nondum celebrantium, aliorumque clericorum, qui in illis reperirentur, necnon numeri fratrum et sororum et quantitatis bonorum instantium, prout etiam an parentes haberent, et an bona per illos possessa obnoxia essent alicui hypothecae ad favorem communitatum, seu universitatum, civitatum, terrarum et locorum huiusmodi, ad hoc ut dictus patrimonialis opportunam relationem ipsis delegatis facere valeret, et ab ipsis decerneretur, quid [1] expedire conveniret circa eiusdem beneplaciti, seu *Placet*, concessionem ac patrimoniorum constitutionem, iuxta ecclesiae indigentiam et Concilii Tridentini dispositionem: idem Innocentius praedecessor venerabili fratri archiepiscopo Taurinensi mandavit ut congruam moderationem seu declarationem praefati edicti in partibus ecclesiasticae libertati et iurisdictioni praeiudicialibus obtinere satageret. Quod sane spatio vigintiseptem mensium frustra fuit ab ipso omni studio tentatum, donec tandem die XVII mensis decem-

Inter alia, edictum de regio *Placet* requirendo pro clericis assumendis vel promovendis.

1 Vide Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVI, die 26 februarii, pontif. X, de nullitate alienationis Status Messerani et in huius Pontificis const. ed. MDCCX, die 27 octobris, pontif. X, contra quoddam edictum ducis eiusdem.

1 Male edit. Main. legit *qui* pro *quid* (R. T.)

bris MDCXCIX renovata fuit eiusdem edicti publicatio, additâ declaratione, quod in edicto prius publicato fuerant demandatae praefatae diligentiae, ad hoc ut patrimonialis generalis, supplendo negligentiam officialium communitatum et universitatum, posset securius earum statum superioribus ecclesiasticis repraesentare, ut, pro eorum prudentiâ atque iustitiâ, praeiudicio, quod illis ex nimis aucto ecclesiasticorum numero resultasset, remedium afferre possent[1], ipsum coërcendo ad limites necessitatis atque utilitatis ecclesiarum, necnon patrimoniorum excessum ad formam Concilii Tridentini supradicti reducendo. Quâ tamen declaratione insufficienti compertâ, postquam, pro eâ obtinendâ quae sufficiens fuisset, inutiliter trium mensium spatio renovatae fuerant instantiae, fuit tandem per archiepiscopum praedictum die XX martii MDCC publicatum edictum, quo nulla declarata fuerunt ea quae per delegatos praefatos prius edita et promulgata fuerant, in iis partibus quas idem archiepiscopus ecclesiasticae libertati et iurisdictioni adversari et eisdem laesionem inferre posse arbitratus fuit.

Aliud pro subiectione oneri *del tasso* bonorum exemptorum.

Cumque pariter ad eiusdem Innocentii praedecessoris notitiam devenisset, quod die XII iulii MDCXCIX in civitate Ipporegiensi fuerat auctoritate laicali publicatum edictum, quo ministris publicis praecipiebatur, ut cum omni celeritate ac diligentiâ recognoscerent omnes personas ecclesiasticas, universitates, corpora atque collegia non concurrentia solutioni annui oneris *tasso* nuncupati pro bonis in catastro descriptis et ab ipsis possessis, ac similiter pias confraternitates eadem bona detinentes, pro quibus nedum a praedicti, sed etiam aliorum onerum solutione eximebantur, eiusmodi vero recognitionem et informationem transmitterent delegatis generalibus super reunione ac conservatione regestri, procedendo interim ad sequestrum super fructibus bonorum in catastro descriptorum, absque ullâ personarum exceptione, cum aliis etiam dispositionibus quibus laesa remanere poterat ecclesiastica libertas et iurisdictio; ac praeterea significatum fuisset edicti praefati publicationem in aliis etiam Pedemontanae ditionis civitatibus factam fuisse; adeoque pro veriori rei habendâ informatione scriptum fuisset omnibus illius regionis episcopis ut super hoc referrent, et interim defensioni atque conservationi ecclesiasticae libertatis incumberent: habitâ ex ipsorum responsis notitiâ nedum dictae publicationis nonnullis in locis sequutae, sed quod varii gravesque alii abusus in praeiudicium ecclesiasticae immunitatis atque iurisdictionis alicubi irrepserant, ultra particularia remedia iuxta casuum exigentiam praescripta, generaliter a Congregatione tunc existentium S.R.E. cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositâ demandata fuit praefatis episcopis publicatio contrarii edicti, qua Ecclesiae iura sarta et tecta servarentur, et novis, quae in dies excrescere poterant, praeiudiciis obviaretur: quod sane per nonnullos Pedemontanae ditionis episcopos, prout in mandatis habuerant, peractum fuit. Verum eiusmodi contrariorum edictorum publicationem, scilicet tam illam ab archiepiscopo Taurinensi factam contra edictum sicut praemittitur emanatum a delegatis super conservatione et reunione regestri die XVIII septembris MDCXCVII et renovatum die XVII decembris MDCXCIX, quam aliam expresse demandatam a memoratâ Congregatione

Episcoporum contraria reclamatio impeditur.

1 Edit. Main. legit *possel* (R. T.).

cardinalium et editam a tunc existente episcopo Ipporegiensi ac a nonnullis aliis episcopis contra aliud edictum, ut praefertur, publicatum in dictâ civitate Ipporegiensi die XII mensis iulii MDCXCIX, aegre ferentes delegati super conservatione ac reunione regestri, ad instantiam patrimonialis generalis die XII maii anno MDCC novum ediderunt edictum, sive, ut aiunt, rescriptum, typis mandatum et publice affixum, in quo declararunt, esse non potuisse mentem eiusdem archiepiscopi edicta prius ab ipsis promulgata irritare, et, quatenus voluisset, id praestare non potuisse; nullum propterea, invalidum, ac irritum ipsius archiepiscopi edictum declarando, ac insuper praecipiendo in omnibus et per omnia suorum edictorum observantiam, non obstante illorum irritatione factâ per dictum archiepiscopum, illum monendo ne illorum executionem in posterum turbaret, sub poenâ reductionis suorum bonorum temporalium; eodemque modo irritum declararunt aliud edictum per aliquos ex episcopis, sicut praemittitur, promulgatum, similiter declarando mentem eorumdem esse non potuisse contrario edicto ipsorum iurisdictiones turbare, et, quatenus voluissent, non potuisse id peragere, neque exactionem onerum certorum ac solvi consuetorum a possidentibus bona in catastro descripta atque edictorum super hoc editorum executionem impedire; ac propterea, attentâ notorietate antiquae possessionis eadem onera exigendi, in eâ conservandum esse ducale patrimonium, cum inhibitionibus opportunis, praecipiendo insuper eorumdem laicalium edictorum omnimodam observantiam, sub poenis, quoad laicos, etiam corporalibus, et monendo episcopos ut abstinerent ab ulteriori perturbatione in concernentibus tam executionem edictorum quam onerum exactionem, sub poenâ reductionis eorum bonorum temporalium. Non tulit profecto idem Innocentius praedecessor inultam remanere tam gravem ecclesiasticae libertatis, atque iurisdictionis laesionem, sed, approbando decretum a praefatâ Congregatione cardinalium hac in re editum die VIII iunii dicti anni MDCC, eiusdem executionem archiepiscopo Taurinensi aliisque episcopis iniunxit. Tenor autem decreti est ut sequitur:

Decretum sacrae Congregationis Immunitatis MDCC, die VIII iunii, editum.

Archiepiscopo Taurinensi, qui procedat, prout de iure, tam contra delegatos quam patrimonialem et forucrium, pro publicatione edicti emanati sub die XII maii, necnon contra omnes qui executionem eidem decreto praestiterint. Communicetur episcopis ordo datus archiepiscopo, et iniungatur eisdem, ut, in casu publicationis praefati edicti in eorum dioecesibus, procedant, prout de iure, contra affixores et publicatores, et, quatenus de eisdem non possiut[1] constare, procedant in genere, declarando incursos in censuras omnes qui tale edictum promulgaverint, vel eidem dederiut[2] executionem, et deinde procedant, prout de iure, contra omnes qui praefato edicto in eorum dioecesibus dederint executionem.

Monitorium archiepiscopi pro declaratione incursus censurarum, illiusque defixio.

Cumque dictus archiepiscopus, in executionem mandati sibi iniuncti, affigi iussisset monitorium contra ipsos delegatos et patrimonialem generalem aliosque inibi expressos et comprehensos, iisdem assignando terminum quindecim dierum ad comparendum et dicendum causam quare declarari non deberent incursi in censuras et poenas a sacris canonibus et apostolicis constitutionibus comminatas propter publicationem praefati edicti editi die XII maii eiusdem anni, nedum per curiae laicalis satellitum praefectum, vulgo baroncellum, monitorium praefatum cum notorio con-

1 Edit. Main. legit *possint* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *dederit* (R. T.).

temptu defixum fuit, sed non expectato lapsu termini in eo assignati, per eosdem delegatos, ad instantiam ipsius patrimonialis, die III augusti dicti anni MDCC[1] editum et successive die V eiusdem mensis publicatum fuit novum edictum, in quo, praevià declaratione assertae notoriae nullitatis et iniustitiae monitorii supradicti, eumdem archiepiscopum, cum manifesto auctoritatis excessu, monere ausi sunt ut illud revocaret intra terminum duorum mensium, ac ab omni ulteriori processu abstineret, sub poenà reductionis suorum bonorum temporalium, aliisque (ut erronee assertum inibi fuit) de iure atque usu permissis; inhibendo insuper omnibus in monitorio comprehensis, ne coram quocumque iudice ecclesiastico in dictâ causâ comparerent, sub poenâ mortis naturalis. Ac sub eâdem datâ emanavit atque typis mandatum et publice affixum fuit simile edictum senatûs Taurinensis ad instantiam procuratoris generalis, declarans, nullatenus per edicta dictorum delegatorum fuisse laesam libertatem ac iurisdictionem ecclesiasticam, quinimo evidenter laicalem per archiepiscopi et aliorum episcoporum edicta fuisse violatam; ac propterea confirmans omnia per eosdem delegatos, uti ad naturalem et legitimam (quod non minus perperam praetensum fuit) defensionem gesta, monendo ipsum archiepiscopum ut pariter intra terminum duorum mensium revocaret et a regestris suae curiae aboleret et expungeret praefatum monitorium, uti nullum atque iniustum, omnesque actus illud concernentes, ac insuper nullam in eo comprehensis molestiam inferret, nec ulterius turbaret iurisdictionem laicalem, sub eâdem poenâ reductionis suorum bonorum temporalium, et respective, quoad laicos in monitorio comprehensos qui coram tribunali ecclesiastico comparuissent, mortis naturalis.

1 Male edit. Main. habet *1709* (R. T.).

Abusus potestatis laicalis commissus a senatu Niciensi, et quae inde secutae sunt controversiae.

§ 2. Grave etiam accidit eidem Innocentio praedecessori non minus ecclesiasticae libertati quam suae et Sedis Apostolicae iurisdictioni inflictum vulnus per senatum Niciensem, assumendo scilicet cognitionem causae ad instantiam Caietani Albanelli provisi de ecclesiâ parochiali loci Rocasteronis Glandevensis dioecesis in comitatu Niciensi sitâ, pro impediendâ exactione fructuum inexactorum dictae ecclesiae ad Cameram Apostolicam pertinentium, super quibus ab eodem senatu decretum fuit sequestrum cum eorum successivâ relaxatione ad favorem ipsius Caietani; ac ulterius, turbando iurisdictionem Nunciaturae Apostolicae, ad quam, iuxta facultates eidem a Sede praedictâ tributas, eiusmodi cognitio privative spectabat, sicuti etiam ratione praeventionis, intolerabili siquidem ausu, idem senatus temere mittens manus in messem alienam, sub praetextu assertae notoriae nullitatis sententiae excommunicationis latae contra praefatum Caietanum in tribunali eiusdem Nunciaturae ob recursum ab ipso factum ad senatum in spretum iurisdictionis ipsius Nunciaturae, praevià admissione appellationis interpositae per procuratorem fiscalem mensae episcopalis Glandevensis ac per procuratorem fiscalem patrimonialem generalem, inhibuit ipsi Caietano ne coram alio iudice, praeter senatum, compareret, sub poenà reductionis bonorum; praecepitque syndicis universitatis dicti loci et cuicumque personae, ne auderent eumdem impedire in libero exercitio parochialis officii, quamvis a tribunali Nunciaturae fuisset, ut praefertur, nominatim excommunicatus, ob idque ex Ecclesiae praecepto vitandus

et a divinorum nedum administratione, sed etiam participatione suspensus atque submotus. Ac insuper idem senatus contra procuratorem Camerae Apostolicae, licet notorie exemptum, procedere ausus fuit, ipsum citando ad comparendum, cum subsequutà reductione bonorum tam Iosephi Aude, advocati Camerae praedicti, quam canonici cognominati Torrini, tunc subcollectoris apostolici, in odium actuum ab ipsis gestorum, ut proprio muneri satisfacerent. Dum vero opportunae reparationi per tunc existentem episcopum Niciensem, in executionem decreti memoratae Congregationis cardinalium opera dabatur, nova emersit attentati species.

Nova attentati species.

Nam venerabilis frater archiepiscopus Ebredunensis, tamquam metropolitanus, ex abrupto, nullàque iudiciarià formâ servatâ, sibique omnino incompetentem auctoritatem cognoscendi de iuribus Sanctae Sedis et de gestis per illius nuncium, absque dubio superiorem suum, assumendo, et, quod magis intolerabile est, sese supra ipsum extollendo, ad petitionem praefati Caietani, licet ante reiectam, et ad quos de iure a tunc existente episcopo Glandevensi suo Ordinario, apud quem ille prius insteterat, remissam, temere declaravit nunquam in dioecesi Glandevensi spoliorum ius usu fuisse receptum, eidem Caietano aliisque omnibus ecclesiasticis suae metropolitanae iurisdictioni subiectis propterea inhibendo ne dictum ius spoliorum directe vel indirecte unquam recognoscerent, praeterea nullam esse pronunciavit sententiam excommunicationis contra dictum Caietanum latam a tribunali Nunciaturae, absolutionem eidem ad cautelam tribuendo, licitumque in dictâ provinciâ recursum ad senatum in materiâ spoliorum uti semper usitatum asseruit. Cuius sane ordinationis, tanquam notoriâ nullitate ob defectum iurisdictionis in materiâ de qua agebatur infectae, nec minus ecclesiasticae immunitati adversantis, quam iurium huius Sanctae Sedis manifeste laesivae, demandata fuit cassatio, revocatio et annullatio tunc existentibus tam nuncio Taurinensi quam prolegato Avenionensi, prout ambo illam cum omnibus inde secutis cassarunt, revocarunt et annullarunt. Sed, cum dictus prolegatus affigi iussisset valvis ecclesiae dicti loci Rocasteronis declarationem desuper ab eo editam, fuit carceribus mancipatus cursor ad id peragendum transmissus, et in illis plurium mensium spatio detentus, quousque fugâ sibi consuluit. Similiter nec potuit praedictus episcopus Niciensis exequi mandata dictae Congregationis cardinalium procedendi, prout de iure, contra senatum, non repertis, ob illius perhorrescentiam, ministris vel officialibus, qui eidem parere voluerint, ut ipse eidem Congregationi rescripsit.

Edictum senatus Niciensis, et inde exorti iurisdictionum conflictus.

§ 3. Nec minus temerarium extitit quod ab eodem Niciensi senatu attentatum fuit occasione praetensionis, quod subditi ditioni temporali comitatûs Niciensis, Ventimiliensis dioecesis, vigore assertorum privilegiorum, trahi non possent extra temporale dominium eiusdem comitatûs pro cognitione causarum in primâ instantiâ coram episcopo peragendâ. Ad hanc siquidem praetensionem confovendam, immemor idem senatus, quod non licet laicali potestati in concernentia causarum spiritualium cognitionem sese ingerere, ac multo minus iudici ecclesiastico circa propriae iurisdictionis exercitium legem imponere, loco recurrendi, ut aliàs peractum fuerat, ad Sedem Apostolicam praedictam, ad quam unice eorumdem assertorum privilegiorum declaratio spe-

ctabat, publico edicto die XXVI novembris MDCXCVII edito vetuit omnibus subditis, ne pro ullâ causâ comparerent in tribunali episcopi Ventimiliensis, sub poenâ privationis gratiae principis, eumdemque episcopum monuit ut intra terminum viginti dierum deputaret vicarium in parte suae dioecesis subditae in temporalibus ditioni Niciensi cum facultate decidendi omnes causas tam contentiosas quam gratiosas, sub poenâ reductionis bonorum a mensâ episcopali possessorum, quorum fruitione deinde dictus episcopus ob non factam petitam deputationem fuit per abusum potestatis laicalis violenter privatus : praeterea eodem anno MDCXCVII idem senatus Niciensis mandavit tunc existenti vicario foraneo loci Sospelli, ut cognosceret omnes causas, et illas, pro quibus ei defecisset auctoritas, concessis testimonialibus, ad tunc pariter existentem nuncium Taurinensem remitteret. Quocirca dictus episcopus, postquam spatiotrium annorum plures et sane ferventissimas instantias, quamvis inutiliter, fecerat pro reintegratione suae mensae, sui tandem muneris partes esse censuit, parendo etiam mandatis memoratae Congregationis cardinalium, quosdam ministros laicos censuris innodatos declarare ; ipse vero senatus Niciensis in eam prorupit audaciam, ut ad Arcam Domini non quidem erigendam substinendamque, quod adhuc severâ ingentique adeo ultione fuisse a Deo punitum in sacris paginis legimus, sed ad illam deturbandam prosternendamque sacrilegas manus extollere non erubuerit, ac, inaudito forsan hactenus ausu, sanctissima Ecclesiae instituta atque praecepta intervertere tentaverit. Cum enim non minus provide quam salubriter Ecclesia iubeat excommunicatos, velut igne et aquâ interdictos, et tamquam putrida membra canonicae severitatis mucrone abscissa ne totum corpus inficiant, ab omnibus christifidelibus esse vitandos, ipse senatus publico typisque tradito edicto laicali iurisdictioni subditis, mortis naturalis poenâ contravenientibus impositâ, praecepit, ut cum illis commercium haberent; ac, cum pariter Ecclesiae praecepto statutum sit ut censuris irretiti a communione fidelium ac divinorum participatione arceantur, peculiari etiam impositâ poenâ iis qui illos ad spirituale consortium admitterent, senatus itidem praefatus, quem hac in re obsequendi potius manebat necessitas quam auctoritas imperandi, solemniter edixit, atque omnes ecclesiasticos monuit, ut eosdem excommunicatos ad communionem in divinis reciperent, et sacramentorum participes redderent, cum comminatione gravium poenarum in casu contraventionis. Licet autem edictum huiusmodi, in hac dumtaxat posteriori parte, seu clausulâ, ecclesiasticos, ut praefertur, tangente, ex speciali iussu supradicti Victorii Amedei ducis revocatum fuerit, nihilominus, cum in aliis omnibus eius partibus expresse praeservatum adeoque confirmatum fuerit, nova potius per insufficientem ac imperfectam eiusmodi revocationem Ecclesiae laesio illata fuit, quam prior reparata.

Longanimitas Summi Pontificis.

§ 4. Haec sane omnia, quae, dum in humanis ageret memoratus Innocentius praedecessor, contigerunt, ac nobis, qui, dum cardinalatus honore fungebamur, congregationibus, in quibus de rebus hisce actum fuit, pluries interfuimus, apprime innotuerant, unâ cum aliis praesentium temporum facile praevisis calamitatibus, mentis nostrae oculis obversata effecerunt, ut nos, ad supremi apostolatus apicem non minus inviti quam immerentes vocati, totâ

animi contentione gravissimum hoc onus subire dectrectaverimus. Verum, quia obsequi tandem debuimus divinae vocis imperio, primas profecto pastoralis sollicitudinis nostrae partes esse duximus lapidem omnem movere, ut ecclesiasticae libertatis violatores ad cor redirent, et recogitantes flagella, quibus divina ultio eiusmodi criminum reos percutere consuevit, debitam Ecclesiae satisfactionem exhiberent. Dum haec tamen omnibus adhibitis apostolicae longanimitatis et paternae benevolentiae mediis agebamus, non sine maximo animi nostri moerore accepimus, a praefato senatu Niciensi, mala malis accumulando, per suum decretum die XIX ianuarii MDCCI editum admissam fuisse appellationem, pro parte procuratoris fiscalis generalis ducalis interpositam, a decretis curiae legationis Avenionensis et tribunalis nunciaturae Taurinensis super circumscriptione et cassatione sententiae irregularis ac totaliter incompetentis latae per curiam archiepiscopalem Ebredunensem die VII maii MDCC in causâ superius relatâ dicti Caietani Albanelli; quo sane decreto typis impresso dictus senatus eò temeritatis processit, ut declarationes tam legationis quam nunciaturae praefatarum tamquam nullas et abusivas pronunciare atque damnare non erubuerit. Novis hisce iniuriis lacessiti patienter adhuc sustinuimus. Quinimo, cum, post elapsos quamplures terminos a nobis assignatos ad praestandas necessarias et frustra diu expectatas reparationes, nobis exhibita fuisset instantia, pro parte tunc existentis pro eodem Victorio Amedeo duce apud nos et Sedem praedictam residentis, ut aliquem ex sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus deputaremus, cum quo de his rebus agere posset (quamvis omnia iamdiu in dictâ Congregatione cardinalium mature discussa, et nobis quoque plerumque intervenientibus et suffragantibus supra relatae resolutiones captae, et partim etiam executioni demandatae fuissent, eodem Innocentio praedecessore nedum approbante, sed iubente), adhuc tamen, ut vere possemus dicere, *quid ultra potui facere, et non feci?*, dilecto filio nostro Sperello tituli S. Ioannis ante Portam Latinam eiusdem S. R. E. presbytero cardinali Sperello nuncupato commisimus, ut ea, quae per dictum residentem eiusque defensores deducerentur, audiret, et nobis referret. Verum, post aliquos inter eosdem Sperellum cardinalem et residentem hac in re habitos congressus, contigit ut dictus residens re infectâ ab hac Urbe discesserit. Nova interim in dies in praefati Victorii Amedei ducis ditionibus Ecclesiae vulnera infligi acerbiori semper doloris sensu intelleximus. Ortâ scilicet iampridem, nempe anno MDCXCVIII, controversiâ inter mensam et curiam episcopalem Augustanam provinciae Tharantasiensis, ex unâ, ac canonicos regulares S. Egidii loci de Verresio, ex alterâ partibus, super iure conferendi nonnullas parochiales ecclesias, introductoque iudicio in tribunali Nunciaturae supradictae, utrâque parte consentiente ac iura sua in eodem deducente, secutâ vacatione duarum ex dictis ecclesiis, procurator fiscalis dictae curiae episcopalis Augustanae causam deferre studuit ad Sabaudiae senatum, eidem exponendo, quod, licet episcopus reperiretur in possessione dictas ecclesias conferendi, fuerint tamen eidem per praefatos canonicos regulares illatae molestiae, cum praesentatione citationis, cum inhibitione eiusque executione; et quia per tribunal Nunciaturae dictis canonicis regularibus decreta fuerat ma-

Sed novae ex alia parte irrogantur iniuriae.

Iterum nova Ecclesiae vulnera inflicta.

nutentio, dictus promotor fiscalis ad eumdem senatum appellaverat, a quo citationem nedum contra ipsos, sed etiam contra iudicem ecclesiasticum obtinuit; ac tandem, comparere coactis iisdem canonicis regularibus coram dicto senatu, prodiit sententia, per quam revocata fuit praecedens, tamquam (ut male praetensum fuit) nulliter et abusive per tribunal Nunciaturae lata, simulque omnibus ecclesiasticis et aliis prohibitum fuit, sub poenâ nullitatis, ac scutorum mille auri, aliisque, ne ad dictum tribunal causas deferrent: et haec quidem sententia in civitate Augustanâ ad sonum tubae publicata fuit die x maii anni MDCCI. Gravia profecto fuerunt haec, et mucrone canonicae severitatis resecanda; unde contra ea clamare non cessavimus, ita Domino nos per Prophetam admonente, ac apostolici muneris debito exigente, ne veluti canes muti non valentes latrare ac lupos gregem dominicum devastantes arcere negligentes corriperemur[1], et spiritualis interitus ovium nobis a Domino commissarum rei evaderemus. Verum praefati senatus aliique laicae iurisdictionis ministri atque officiales, veluti aspides surdi et aures suas obturantes ne vocem venefici incantantis sapienter audirent, adhuc in suâ malitiâ perseverantes et obdurati, nec paternis exhortationibus nostris, nec minis flecti potuerunt, ut animarum suarum saluti consulerent, et Ecclesiae, quam toties et tam graviter laeserant, satisfacerent. Quin potius, haec inter, novum aliud ecclesiasticae libertati et Sedis Apostolicae auctoritati vulnus inflictum fuit, dum ex abrupto, quacumque eiusdem Sedis reverentiâ postpositâ, dilectus filius Alexander Codebò iampridem auditor Nunciaturae praefatae, tuncque illam in civitate Taurinensi nomine nostro administrans, ab omnibus ipsius Victorii Amedei ducis, eo tempore a dictâ civitate absentis, dominiis, in manifestum tam clericalis ordinis quam muneris, quod de mandato nostro exercebat, contemptum, dimissus fuit, assignato eidem brevi duorum dierum termino pro discessu a civitate praefatâ, et quatuor ab universâ dicti Victorii Amedei ducis ditione, ne quidem illi permissâ facultate nos de hoc sibi iniuncto discedendi praecepto per cursorem citatis equis transmittendum certiores reddendi, nostrumque desuper responsum expectandi, itaut in locum Tilliolarum nuncupatum, huic Sanctae Sedi etiam in temporalibus subiectum, se recipere coactus fuerit.

Novum pontificiae longanimitatis experimentum et ad ducem Sabaudiae litterae.

§ 5. His omnibus maturâ deliberatione perpensis, et implorato prius divino praesidio, die VII februarii MDCCII super praemissis omnibus dictae Congregationis cardinalium, qui rem totam diligenter ac mature coram nobis discusserunt, vota exquisivimus; iisque auditis, novum aliud paternae nostrae longanimitatis experimentum facere decrevimus: ac proinde nostras in formâ Brevis expeditas litteras Victorio Amedeo duci conscripsimus, in quibus acerbissimum cordis nostri dolorem ob ea, quae ab illius magistratibus adversus ecclesiasticam libertatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam, debitamque huic Sanctae Sedi observantiam attentata fuerunt, fuse explicavimus; eumque propterea admonuimus, rogavimus atque obsecravimus, ut per egregiam, et ad magna quaeque ac praeclara propensam, quam sortitus fuerat ânimi indolem, per uberem erga ipsum eiusque domum divinae beneficentiae fontem, per veterem denique et constantem nostram in ipsum voluntatem, auferret tandem malum de domo Israël,

1 Male edit. Main. legit *corriperemus* (R. T.).

omnique morâ postpositâ, quae iniuste acta fuerant, celeri et magnanimâ retractatione revocaret, Ecclesiae pristinam dignitatem et laesa iura restitueret, nosque ipsos a tam gravi, qua angebamur, sollicitudine liberaret. Neque enim aliàs tot tantaque mala, quibus Ecclesiae auctoritas laedebatur, sacrorum canonum norma contemnebatur, et ipsa beati Petri Sedes iniuriâ afficiebatur, traditaeque a Domino claves impetebantur, diutius, absque animae nostrae periculo divinaeque indignationis incursu, dissimulare valebamus. Porro has ipsas litteras tunc in humanis agenti bonae memoriae Carolo, dum vixit, S. R. E. cardinali Barberino nuncupato, quem eidem Victorio Amedeo duci ob praeclaras et nunquam satis laudatas eius animi dotes summopere acceptum esse noveramus, consignavimus, ut illas ipsi Victorio Amedeo duci, quamcelerius fieri poterat, transmitti, simulque rem totam ad ipsum sincere deferri curaret, non dubitantes, quin, câ diligenter perspectâ, ex ipsâ qua praestat animi magnitudine, omnia perperam gesta protinus emendaret.

Edictum supradicti ducis contra capacitatem eiusdem religiosorum.

§ 6. Verum non modo conceptâ hac spe frustrari nos vidimus, sed alia et quidem non minus gravia praefatae[1] Sedis iurisdictioni et libertati ecclesiasticae in illis partibus praeiudicia in dies inferri percepimus. Etenim die III maii MDCCXII nomine ipsius Victorii Amedei ducis publicatum fuit edictum in executionem ac interpretationem, sive ampliationem, ut in eo asserebatur, alterius edicti ab eius tritavo lati anno MDLXIII, cuius tamen longaeva adeo inobservantia satis illud viribus carere monstraverat; in quo quidem nupero edicto plura continebantur circa successionem personarum et communitatum regularium, et circa dotes monialium, ecclesiasticae iurisdictionis usurpationem manifeste praeseferentia, eiusdemque libertatis summopere laesiva, declarando scilicet omnes religiosos utriusque sexus cuiusvis Ordinis in regionibus ultramontanis ipsius Victorii Amedei ducis temporali dominio subiectis degentes, etiam Societatis Iesu, atque Ordinis militaris S. Ioannis Hierosolymitani, post emissam professionem sive expressam sive tacitam per vota solemnia vel simplicia, civiliter mortuos et incapaces testandi ac de propriis bonis disponendi tam inter vivos quam per ultimam voluntatem, ac generaliter quoque incapaces omnium effectuum ac actuum civilium, et ullas recipiendi aut colligendi successiones tam praeteritas quam futuras, sive ex testamento sive ab intestato, easdem propterea deferendo proximioribus consanguineis iure ordinario successivo, quodque per professionem votorum solemnium vel simplicium expressam aut tacitam purificatae censerentur omnes substitutiones, perinde ac si religiosi praefati naturaliter defuncti fuissent, relictâ solum ipsis facultate recipiendi annuam pensionem vitalitiam convenientem, titulo sumptûs et alimentorum, sicut senatus aequum iudicasset; ac insuper earumdem successionum incapaces declarando dictum Ordinem et religionem sancti Ioannis Hierosolymitani, et omnes alios Ordines et religiosas communitates, societates, conventus ecclesiasticos, regulares, saeculares et militares, sicut etiam collegia cathedralium, collegiatarum, et alias omnes societates ecclesiasticas, regulares et saeculares, per dispositiones titulo universali, per testamentum, codicillos aut donationem causâ mortis, et etiam per donationem inter vivos, et titulo particularis legati, praeter unam sextam partem suppellectilium dictorum donantium aut testatorum, etiam ex causâ ingressus in

1 Edit. Main. legit *praefata* (R. T.).

dictas religiones, monasteria, societates et conventus, exceptis hospitalibus et Ordine militari Ss. Mauritii et Lazari. Praeterea in eodem edicto additum fuit, quod religiosi utriusque sexus, qui per sex annos habitum regularem cuiuscumque Ordinis detulissent, numerando sexennium a die suscepti habitus regularis huiusmodi, quoad eos qui illum post expletum decimumsextum suae aetatis annum susceperunt, quoad alios vero, qui illum ante dictam aetatem susceperunt, a fine dicti decimisexti anni, etiamsi nullum fecissent votum, vel tantum vota simplicia, censerentur mortui civiliter, et privati omni iure civili, tam pro casibus praeteritis quam futuris, ipsos quoque privatos declarando facultate possidendi propria sua bona, quovis tandem praetextu deposuissent vel deponerent habitum regularem in futurum (quibus tamen adiudicari posset a senatu aliqua provisio alimentaris de bonis parentum, vel religionis, a qua egressi fuissent, prout dictus senatus aequum iudicasset), facultatem reclamandi ad sexennium, ut supra, computandum, citatis interesse habentibus, restringendo, ita quod, non obtentâ ultimis duobus annis declaratione nullitatis, reclamationes amplius non attenderentur; circa vero receptiones religiosorum utriusque pariter sexus, in eodem edicto dispositum et declaratum fuit, quod domus, conventus, societates aut monasteria, cum reciperent aliquos religiosos, nihil possent acceptare quovis praetextu sumptuum, ingressus in religionem, novitiatus, suppellectilium, vestium, fundationum et aliorum, nisi mille florenos illarum partium, liberum tamen esset dictis religiosis sibi reservare ex eorum bonis pensionem quinquaginta florenorum, ratione studiorum tantum, et hoc per decennium a die professionis; et quoad religiosas et moniales, monasteria, in quae ingressae fuissent, acceptare nihil possent quovis praetextu sumptuum, ingressus in religionem, novitiatus, dotis, suppellectilium, vestium, fundationum, aut aliorum, nisi summam[1] pro qualitate locorum in praefato edicto taxatam, impositâ contravenientibus certâ poenâ pauperibus applicandâ ex bonis temporalibus monasteriorum et regularium communitatum sumendâ. Postremo in eodem edicto sancitum fuit, quod haec omnia effectum haberent retroactivum quoad successiones aliasque res delatas praefatis communitatibus, quae, ut praefertur, incapaces declaratae fuerant quidquam consequendi quod illis fuisset delatum per actus ultimae voluntatis, exceptis tamen rebus quae eisdem communitatibus per sententiam iam fuissent adiudicatae. Et hoc quidem edictum verificatum, atque, ut dicitur, per senatum Sabaudiae interinatum fuit die XVII aprilis MDCCIII, inhaerendo praecepto desuper in eius calce specialiter inserto, licet, quoad clausulam retroactivam et bona a communitatibus supradictis pacifice possessa, fuerit ab eodem senatu modificatum. Porro ambigi nequit, quin omnia in illo disposita manifestam ecclesiasticae potestatis et auctoritatis usurpationem, eiusdemque libertatis violationem praeseferant nullatenus tolerabilem. Quamvis vero incertus ad nos pervenerit rumor suspensam subinde fuisse praefati edicti executionem, nihilominus, praeterquamquod nullum hactenus suspensionis huiusmodi certum accepimus documentum, nemo non intelligit solam suspensionem minime sufficientem fuisse ad praemissam gravissimam laesionem tollendam.

Monitorium cardinalis camerarii.

§ 7. Praeterea (cum, ad retundendas graves et frequentes molestias quas

1 Edit. Main. legit *summa* (R. T.).

ducales ministri subditis et feudatariis huius Sanctae Sedis locorum Montafiae, Cisternae et Cortansae, non sine manifesto[1] directi et supremi dominii ad nos et ad eamdem Sedem in praedictis locis unice et privative spectantis, pridem intûlerant, novasque, quas illi inferre praefati ministri minabantur, instante dilecto filio commissario generali Camerae nostrae apostolicae, per dilectum filium nostrum Ioannem Baptistam S. R. E. cardinalem Spinulam nuncupatum, eiusdem S. R. E. camerarium, die VIII augusti MDCCII expeditum atque transmissum et eorumdem feudorum syndicis praesentatum, necnon feudatariis, eo quo licuit modo, intimatum fuisset monitorium, quo districte prohibebatur ne alium supremum dominum, praeter Sedem Apostolicam et Romanam Ecclesiam, recognoscere auderent) fuit, ad similem patrimonialis ducalis requisitionem, mense septembris MDCCII, per Cameram, quam vocant computorum, aliud publicatum et respective intimatum edictum seu decretum, quo, praeviâ declarationis nullitatis et invaliditatis eiusdem monitorii, tam ipsis feudatariis (qui eâtenus Sedem praedictam tamquam dominam directam, eiusque supremam auctoritatem constanter recognoverant[2], ipsis etiam Sabaudiae ducibus id approbantibus) quam syndicis universitatum atque vassallis sub gravissimis poenis praecipiebatur, quod de cetero supremam tantum ipsius Victorii Amedei ducis auctoritatem recognoscerent; ad huius vero edicti publicationem praefatarum universitatum syndicos vi metuque ducales ministri compellere tentarunt; omnibusque renuentibus, nonnulli in civitate Astensi deprehensi, carceribus mancipati, alii vero, qui ad illam accedere recusarunt, militaribus copiis a dictis feudis violenter extracti, similiter detenti fuerunt, morte etiam sclopo illatâ alteri[1] ex ipsis, qui fugâ sibi consulere studuerat.

Contrarium potestatis laicalis edictum.

§ 8. Nec minor apparuit alia senatus Taurinensis audacia. Cum enim venerabilis frater episcopus Aquensis a divinis suspendisset parochum loci Mombaldoni, eius dioecesi subiecti, quamvis siti in ditione temporali eiusdem Victorii Amedei ducis, pro coërcendâ illius inobedientiâ, ex quo comparere contumaciter recusaverat, licet pluries vocatus ad se expurgandum de gravibus delictis de quibus fuerat delatus, et signanter quod in manifestum ac detestabilem contemptum clavium ad divinorum participationem admisisset comites Franciscum, Dominicum et Michaëlem suos fratres, per publicarum schedularum affixionem sequutam die V februarii MDCCI tamquam excommunicatione irretitos denunciatos, ipsisque praesentibus et assistentibus celebrasset, habito ad memoratum senatum recursu per procuratorem fiscalem laicalem, promulgatum fuit edictum ab eodem senatu die II decembris MDCCI, quo praefatum episcopum monuit, sub poenâ reductionis bonorum temporalium, ne ipsum parochum extra ditionem ducalem evocaret, sed in illâ vicarium deputaret; eidem parocho prohibendo ne alibi compareret, sub simili poenâ reductionis bonorum temporalium; super cuius edicti affixione in palatio praetorio sequutâ, sumptis contra ipsum parochum per curiam episcopalem informationibus, eoque in contumaciâ perseverante, atque divinis ministrante, necnon in parochialis officii exercitio sese immiscente, die XXII dicti mensis decembris idem parochus declaratus fuit irregularis, ac subinde, in executionem mandatorum dictae Congregationis cardina-

Audacia senatus Taurinensis.

1 Deest vox *contemptu*, vel similis (R. T.).
2 Edit. Main. legit *recognoverat* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *alter* (R. T.).

lium die XXIV eiusdem mensis decembris expeditorum, ad compescendam eius proterviam, et consulendum spirituali bono animarum ipsi commissarum, die XXIV ianuarii subsequentis tam ipsius parochialis quam aliarum ruralium ecclesiarum valvis affixum fuit edictum, quo ipse omnibus nunciabatur a divinis suspensus et irregularis, ac ad omnem ecclesiasticam functionem[1] peragendam inhabilis, interdictâ ei sacramentorum administratione, ac respective receptione; qua tamen suspensionis et irregularitatis publicâ denunciatione contemptâ, praefatus parochus celebrare continuavit, omnemque lapidem apud dictum senatum movit, ut impediretur sacerdoti, supplendis eius vicibus deputato, parochialis muneris exercitium; quocirca novum ab eodem senatu expeditum fuit edictum die XXVII aprilis MDCCI ad similem instantiam procuratoris fiscalis, quo episcopus, sub poenâ reductionis bonorum temporalium, iterum monebatur ut revocaret provisiones contra dictum parochum captas, et[2] vicarium in ditione ducali pro exercendâ iurisdictione deputaret, eidemque parocho prohibebatur ne alibi personaliter vel per procuratorem compareret. Unde dictus parochus, edicti huiusmodi auctoritate fretus, magis in dies contumax, et ordinariae ac delegatae auctoritatis contemptor evasit, dum animo prorsus obdurato, iterum suspensus et irregularis declaratus, respondere et comparere detrectavit.

Alia eiusdem senatus Taurinensis temeritas.

§ 9. Ad haec idem senatus Taurinensis in aliam prorupit temeritatem. Nam die X octobris MDCCII, ad instantiam procuratoris generalis ducalis iurisdictionis, per decretum typis impressum inhibuit omnibus fratribus familiae seu conventus Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, ne executionem darent eidam sententiae de mandato Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae die XV iulii MDCCII contra Carolum Augustinum Mallettum fratrem expresse professum dicti Ordinis latae, qua ipse declaratus fuerat ecommunicatus omnibusque gradibus et officiis sui Ordinis privatus ob damnabilem recursum habitum ad laicalem potestatem ad effectum impediendi accessum custodum conventuum eiusdem Ordinis in ditione ipsius Victorii Amedei ducis existentium ad provinciale capitulum quod in civitate Alexandrinâ provinciae Mediolanensis celebrari debebat, mandatum ab eâdem laicali potestate impetrando, quo illis sub poenâ ducalis indignationis praecipiebatur, ne ab eâdem ditione recederent, illudque custodibus ipsis intimando, qui omnes ei paruerunt: dictam porro sententiam, quamvis sacrorum canonum et constitutionum apostolicarum, ac praecipue litterarum quotannis in die Coenae Domini legi solitarum dispositioni conformem, adhuc tamen memoratus procurator generalis ducalis iurisdictionis, in recursu ad dictum senatum habito, evidenter et intolerabiliter iniustam asserere non erubuit, ipseque senatus, eiusdem instantiae annuendo, praefatae sententiae publicationem et executionem, ac ne quidquam in praeiudicium dicti Caroli Augustini innovaretur quousque habitus fuisset recursus ad quem de iure competeret, sub eâdem ducalis indignationis poenâ districte prohibuit; unde idem Carolus Augustinus, praemissorum colore fretus, spretâ excommunicatione, qua per dictam sententiam fuerat innodatus, in divinis ministrare ausus fuit, et ob id irregularis evasit.

1 Edit. Main. legit *sanctionem* (R. T.).
2 Forsan deest *ne* (R. T.).

Item senatus Niciensis contra ecclesiasticam auctoritatem attentata.

§ 10. Inter haec ad nostrum pervenit auditum aliud a senatu Niciensi ecclesiasticae auctoritati illatum praeiudicium. Cum enim supradictus episcopus Niciensis, auctoritate prius ordinariâ et deinde sibi delegatâ a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, inhibuisset cuidam Antonino Arnaud, fratri expresse professo Ordinis Praedicatorum, officiali deputato ab archiepiscopo Ebredunensi pro exercendâ iurisdictione metropoliticâ prius in loco nuncupato Barcinona, seu Barcinonetta, in eius dioecesi sito, et in temporalibus subdito gubernio Niciensi, exerceri consuetâ, ac deinde translato illius exercitio in ipsam civitatem Niciensem, ne in eam se se ingereret, cum id manifeste tenderet in turbationem atque imminutionem ordinariae iurisdictionis ipsius episcopi, et sacrorum canonum sanctioni adversaretur, ut eadem Congregatio declaravit, habito recursu per eumdem Antoninum ad senatum praedictum, ipse die XIV decembris MDCCI monuit praefatum Niciensem episcopum ne sui officii exercitium ipsi Antonino impediret, sub praetextu publici populorum beneficii, cum comminatione poenae reductionis eius bonorum temporalium; eamdemque monitionem et inhibitionem renovavit die XXVI ianuarii MDCCII ad instantiam procuratoris fiscalis laicalis, etiam post acceptam notitiam decreti praefatae Congregationis officii huiusmodi exercitium improbantis, additâ ulterius, sub eâdem poenâ necnon ducalis indignationis, prohibitione cuilibet personae, etiam ecclesiasticae, ullam citationem exequendi, vel intimandi sententiam aut ordinationem cuiuscumque tribunalis extra Statum siti, prout de facto impedita fuit intimatio memorati decreti cum citatione per episcopum praefatum transmissâ, male scilicet prius habito et postea etiam detento quodam clerico pro eâdem praesentandâ adhibito.

Causae insequentis declarationis.

§ 11. Cum autem praemissa omnia, nimium sane per nos hucusque tolerata, libertatem, immunitatem ac iurisdictionem ecclesiasticam manifeste laeserint et violaverint, ac laedant et violent, necnon nostris ac Sedis Apostolicae iuribus atque auctoritati maximum et gravissimum praeiudicium intulerint, atque adhuc inferant, quinimo in ipsorum senatuum, magistratuum, iudicum, officialium, aliorumque, tam mandantium, quam consulentium, exequentium, illisque favorem et auxilium quoquo modo praestantium aut approbantium, et, cum possint, non impedientium, nec corrigentium, perniciem, ac praeterea in scandalum plurimorum tendant, animasque pretioso salvatoris et domini nostri Iesu Christi sanguine redemptas in gravissima pericula coniecerint, et deplorandis malis involvere pergant; cumque adhuc senatus, magistratus, iudices, officiales, aliique praedicti, eisque adhaerentes et ab ipsis gesta approbantes, post plures ac toties repetitas nostras paternas monitiones a pluribus annis factas, et diligentias atque instantias adhibitas pro gestorum huiusmodi retractatione ab eis obtinendâ, adhuc id minime praestiterint, nec ministro apostolico, laicali auctoritate a ditione memorati Victorii Amedei ducis, sicut praemittitur, expulso, adhuc fuerint revocata ac sublata impedimenta ad hoc ut possit ad suam residentiam suique muneris exercitium libere redire: hinc est quod nos, qui iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque christifidelium curam et sollicitudinem supernâ dispositione gerimus, ac proinde tam graves saecularis pote-

Declaratio nullitatis et reprobatio, ut in rubricâ.

statis abusus diutius dissimulare non possumus, libertatem, immunitatem et iurisdictionem ecclesiasticam sartam tectamque atque illibatam tueri et conservare, necnon animarum periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium et singulorum, quae in praemissis seu eorum occasione quovis modo acta et gesta fuerunt, seriem, causas et circumstantias, etiam aggravantes, necnon senatuum, magistratuum, iudicum, officialium, aliorumque praefatorum qualitates, dignitates, nomina et cognomina, aliave quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefata omnia et singula decreta, ordinationes, mandata et edicta, ac alia quaelibet a senatibus, magistratibus, iudicibus et officialibus supradictis, aliisque quibusvis personis, etiam specificâ et individuâ mentione dignis, in praemissis seu eorum occasione, in praeiudicium libertatis, immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae, atque auctoritatis apostolicae respective, quovis modo emanata, edita, acta, gesta et perpetrata, cum omnibus et singulis inde secutis et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita, invalida, iniqua, iniusta, damnata, reprobata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque roboris et momenti vel efficaciae esse, et ab initio fuisse, et perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec ea a quopiam observari posse vel potuisse, nec ex illis cuiquam aliquod ius, vel actionem, aut titulum, etiam coloratum, aut possidendi, seu quasi possidendi, vel praescribendi causam acquisitam vel acquisitum fuisse vel esse, aut quandocumque acquiri vel competere posse, neque illa ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent nec facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi volumus et mandamus.

Decretum firmitatis censurarum et obligationis reponendi in pristinum omnia praemissa, cum reservatione aliarum poenarum.

§ 12. Ceterum, cum notorii et explorati iuris sit, eos omnes, qui decreta, ordinationes, mandata et edicta praedicta ediderunt, promulgarunt, aut quoquo modo pro iis insteterunt, vel illis usi fuerunt, eaque executioni demandarunt, ac alia praemissa vel eorum aliqua perpetrarunt, necnon illorum fautores, consultores, mandantes et adhaerentes, atque in eorum sequelam et executionem gesta approbantes, censuras ecclesiasticas a sacris canonibus, generalium conciliorum decretis, et apostolicis constitutionibus, ac praesertim litteris die Coenae Domini singulis annis legi et promulgari solitis inflictas, necnon feudorum, si quae eis a Romanâ vel aliis ecclesiis concessa fuerunt, privationis, ac omnium et quorumcumque privilegiorum, gratiarum ac indultorum sibi a nobis seu Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris quomodolibet forsan concessorum amissionis poenas

eo ipso incurrisse, nec a censuris huiusmodi a quoquam nisi nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari posse, ac insuper inhabiles et incapaces esse qui absolutionis et liberationis beneficium consequantur, donec supradicta decreta, ordinationes, mandata, edicta, omniaque in eorum executionem gesta atque secuta et quomodolibet attentata publice retractaverint, revocaverint, cassaverint et aboleverint, eaque novis edictis, ordinationibus, mandatis atque decretis e medio sustulerint, ac omnia in pristinum statum plenarie et cum effectu reintegraverint, dictoque nostro et Sedis praedictae administro liberum regressum ad suam residentiam cum plenario sui officii exercitio respective permiserint, vel aliàs debitam et condignam Ecclesiae ac nobis et huic Sanctae Sedi satisfactionem in praemissis praestiterint: idcirco illos omnes, etiam specialissimâ mentione dignos, necnon illorum successores in officiis, a retractatione, revocatione, cassatione et abolitione decretorum, ordinationum, mandatorum, edictorum, aliorumque praemissorum per seipsos faciendâ vel aliàs debitâ et condignâ Ecclesiae ac nobis et dictae Sedi satisfactione realiter et cum effectu in eisdem praemissis exhibendâ, praesentium litterarum seu alio quocumque praetextu minime liberos et exemptos, sed semper ad haec obligatos fore et esse ut absolutionis beneficium obtinere valeant, earumdem tenore praesentium decernimus et pariter declaramus; facultatem insuper quandocumque procedendi ad alia canonica et severiora remedia, quatenus praefati ecclesiasticae libertatis et iurisdictionis apostolicae violatores, in suâ contumaciâ persistentes, censuras et poenas ecclesiasticas huiusmodi animo, quod absit, sustinuerint indurato, nobis et eidem Sedi expresse reservantes.

§ 13. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, seu[1] ad ea vocati, citati et auditi, et causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quomodolibet[2] etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illos[3] aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros

Clausulae.

1 Male edit. Main. legit *sed* pro *seu* (R. T.).
2 Forsan *quolibet* (R. T.)
3 Potius lege *illas*, vel *illa* (R. T.).

effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis praedictae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 14. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praedictis aliisque quibuslibet personis, etiam quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus, et aliàs quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium publicatio.

§ 15. Cum autem eaedem praesentes litterae in locis ditioni praedicti Victorii Amedei ducis subiectis nequeant tute publicari, ut hactenus experientiâ compertum est et nobis notorie constat, prout tenore praesentium declaramus, volumus illas, seu earum exempla, ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum necnon Cancellariae apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio et in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent;

Fides transumptorum.

§ 16. Utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus[1] adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

1 Verba *adhibeatur, quae eisdem praesentibus* nos addimus (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII mensis maii, anno MDCCVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 17 maii 1707, pontif. anno VII.

C.

Declarantur nulla gesta a ministris regiae audientiae Aquilanensis circa condemnationem clerici, sequestrum mensae, et eiectionem episcopi [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Referuntur molestiae illatae curiae episcopalis ministris.

Ab ipsis pontificatus nostri primordiis non sine gravi animi nostri molestiâ serio perpendimus quot quantasque, non multo ante obitum felicis recordationis Innocentii Papae XII praedecessoris nostri, tunc in humanis agens bonae memoriae Ignatius de la Zerda, dum vixit, episcopus Aquilanensis, aerumnas et contumelias a tunc existentibus praeside, auditoribus Rotae, advocato fiscali, aliisque ministris et officialibus regiae audientiae civitatis Aquilanensis pertulerit, eo quia Ecclesiae iura sarta tecta pro viribus tueri, illaque a laicorum violationibus fideliter ac strenue asserere non dubitaverat.

Episcopus ad se avocat clericum extremâ sententiâ damnatum.

§ 1. Nobis siquidem innotuerat quod aliàs, postquam dictus Ignatius episcopus quondam Iosephum Carosi, qui unius seu plurium homicidiorum reus asserebatur, clericali charactere, quemadmodum ex pluribus testium depositionibus aliisque non levibus documentis apparebat, insignitum, in potestatem curiae laicalis dictae civitatis incidisse, ipsamque curiam ultimi supplicii sententiam in illum iam latam executioni demandari facere paratam esse comperat, sub comminatione censurarum ecclesiasticarum, ministros et officiales praefatos monuit ut dictum Iosephum unâ cum actis ad suam curiam episcopalem remitterent; quod cum illi, suspensâ dumtaxat contra eumdem Iosephum sententiae supradictae executione, minime praestitissent, eos iterum, parendo mandatis Congregationis tunc existentium S. R. E. cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositae, sub eâdem comminatione monuit ut ipsum Iosephum sibi consignarent ad effectum caute cum custodiendi in carceribus ecclesiasticis, vel saltem illum, praeviâ debitâ cautione, in carceribus laicalibus nomine Ecclesiae pro tutiori custodiâ retinerent, donec ipse Ignatius episcopus, omnibus mature perpensis, ac servatis servandis, declarasset, an de clericatu eiusdem Iosephi vere constaret.

Ministris laicis renuentibus, censuras intimat.

§ 2. Verum, per ministros et officiales praedictos comminatione censurarum huiusmodi penitus contemptâ, idem Iosephus ad ultimum supplicium traductus, eoque affectus fuit. Unde dictus Ignatius episcopus, ut tam gravem iniuriam Ecclesiae, a qua de veritate dicti clericatus iuxta sacrorum canonum dispositionem privative cognosci et iudicari debebat, illatam vindicaret, praedictos ministros et officiales memoratas censuras ecclesiasticas propter praemissa incurrisse declaravit. Dicti vero ministri et officiales, caeco consilio et odio abrepti, eò inconsiderationis et temeritatis postmodum devenerunt, ut nonnullos tunc pariter existentium ministrorum dictae curiae episcopalis, eorumque, qui examen ad favorem dicti Iosephi super praemissis subierant, con-

Vicissim iniuriae rependuntur.

1 Innocentii XI const. ed. MDCLXXVII, die 28 novembris, pontif. III, declarata fuere nulla acta a regio consilio Castellae contra nuncium apostolicum; quemadmodum in huius Pontificis constit. ed. MDCCVII, die 17 maii, pontif. VII, acta in ditione ducis Sabaudiae libertati et iurisdictioni ecclesiasticae praeiudicialia.

sanguineos, absque ullâ sexus vel aetatis distinctione carceribus mancipaverint, ac insuper sequestrum super bonis mensae episcopalis Aquilanensis apposuerint, et, quod gravissimum ac plene detestabile fuit, ipsius Ignatii episcopi a[1] dictâ civitate totoque regno Neapolitano expulsionem, ingeminatâ praeconis voce, in publicâ eiusdem civitatis plateâ promulgari fecerint, ac subinde militum et satellitum seu birruariorum turbâ stipati ad palatium episcopale accedere, illudque ingressi, eidem Ignatio episcopo violentiâ et minis adiunctis semel atque iterum exilium intimare ausi fuerint, itaut dictus Ignatius episcopus, quo se a violentiâ et minis huiusmodi eximeret, ecclesiam suam Aquilanensem, sibique commissum dominicum gregem deserere, ac e praefato regno exire coactus fuerit, eademque ecclesia Aquilanensis suo pastore, in gravissimis quibus reperiebatur angustiis, destituta remanserit.

Cur interdicto subiecta non fuerit civitas Aquilae.

§ 3. Haec profecto omnia animo revolventes, ac, in quantum per illa Ecclesiae libertas necnon episcopalis iurisdictio sacerque character et sublimis dignitas vilipendium et contemptum adducta fuerint, sedulâ cordis nostri meditatione cogitantes, ne tam indigna probrosaque facinora inulta remanerent, in eam deveneramus sententiam, quae aliàs a Congregatione nonnullorum eiusdem S. R. E. cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositorum, de quorum numero tunc in minoribus constituti eramus, a praefato Innocentio praedecessore super praemissis specialiter deputatâ, inita fuerat, quaeque ipsius Innocentii praedecessoris infirmitate ac deinde obitu supervenientibus executioni demandari minime potuerat, quod scilicet dicta civitas Aquilanensis, eiusque dioecesis, ecclesiastico interdicto subiicerentur. Verum sperantes mitius agendo fore ut redirent praevaricatores ad cor, eiusmodi consilium exequi distulimus, et interim nullum studium nullamque diligentiam aut operam praetermisimus, ut eos ad suos excessus agnoscendos, illosque condignâ poenitentiâ delendos, praecipue vero ad dictum Ignatium episcopum a memorato eius exilio ad suam residentiam honorifice revocandum, omnesque praenarratos actus libertatis ecclesiasticae lacrivos cassandos et abolendos converteremus. Interea tamen, cum, dictis praevaricatoribus de die in diem resipiscere differentibus ac secundum duritiam suam et impoenitens cor thesaurizantibus sibi iram in die irae, dictus Ignatius episcopus a civitate et dioecesi huiusmodi exul ab humanis decessisset, adeoque eâ unicâ spe, qua animi nostri moerorem solabamur, quod scilicet per ipsius Ignatii episcopi honorificum ad suam ecclesiam reditum violata ecclesiastica libertas laesusque episcopalis dignitatis honor aliquâ ex parte reparari potuissent, frustrati remansissemus, valde turbatum fuit cor nostrum, indeque pristinum de apponendo ecclesiastico interdicto praefato consilium reassumpsimus. Verum, antequam ad publicationem litterarum interdicti huiusmodi procederemus, infelix illa civitas horribili terraemotu concussa ac prorsus eversa remansit, itaut in eius excidio iusti et misericordis Dei inscrutabilia iudicia et investigabiles vias eius mirati fuerimus: licet enim eam tantâ plagâ percusserit et afflixerit Dominus, adhuc tamen illam in multitudine misericordiae suae respexisse visus fuit, disponendo, ut, tempore dicti terraemotus, ecclesiastico interdicto praefato supposita minime reperiretur. Porro

1 Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).

miser ille ac plene luctuosus dictae civitatis status ad commiserationem potius, quam ad ulteriorem vindictam nos movit, ac propterea memorati interdicti publicationem, ne afflictionem afflictis adderemus, suspendimus.

Causae insequentis declarationis.

§ 4. Cum tamen interea praefati ministri et officiales, caelo terràque frustra clamantibus, pro tot tantisque iniuriis et offensionibus Ecclesiae, ut praefertur, illatis, ne minimâ quidem ex parte tot annorum spatio satisfacere curaverint, ne illae ex diuturniori tolerantiâ negligi penitus aut dissimulari videantur, ac ecclesiasticae immunitatis violatorum in dies crescat audacia, ea tandem, quae pastoralis officii nostri ratio postulat, implere decrevimus. Hinc est quod nos, qui iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, libertatem, immunitatem ac iurisdictionem ecclesiasticam a temerariis et perniciosis huiusmodi conatibus, quantum nobis ex alto conceditur, illaesam tueri et conservare cupientes, ac omnium, quae in praemissis seu eorum occasione quovis modo decreta, ordinata, acta et gesta sunt, seriem, causas et circumstantias etiam aggravantes, necnon tribunalium, ministrorum, officialium et aliorum quorumcumque in praemissis quomodolibet culpabilium qualitates, dignitates, nomina et cognomina, aliave quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula per praedictos praesidem, auditores Rotae, advocatum fiscalem, aliosque ministros et officiales regiae audientiae civitatis Aquilanensis, necnon quoscumque alios in praemissis quomodolibet culpabiles, tam circa condemnationem praefati Iosephi ac sequestrum bonorum mensae episcopalis Aquilanensis, quam circa supradicti Ignatii episcopi exilium et expulsionem, ac aliàs in praemissis seu eorum occasione in praeiudicium libertatis, immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae quomodolibet acta, decreta, gesta et ordinata, cum omnibus et singulis inde secutis et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, inania, invalida, irrita, temerarie attentata, et de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris et momenti esse et perpetuo fore, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, quatenus de facto processerunt, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi debere, earumdem tenore praesentium decernimus et pariter declaramus, illaque damnamus et reprobamus; firmis tamen remanentibus censuris et poenis ecclesiasticis, quas praeses, auditores Rotae, advocatus fiscalis, ministri, officiales, aliique praefati propter praemissa quovis modo incurrerunt, a quibus nonnisi a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente, post debitam et condignam Ecclesiae praestitam satisfactionem (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras eo ipso quo convaluerint), absolvi et liberari valeant; ac expresse insuper nobis sanctae Sedi reservatâ facultate, quatenus illi minime redierint ad cor, ad alia

Declaratio et reprobatio ut in rubrica.

canonica et severiora remedia, quandocumque nobis placuerit, procedendi.

Clausulae. § 5. Decernentes etiam, ipsas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis[1] iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos ac eiusdem Sedis nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 6. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praefatis aliisque quibuslibet iudicibus, curiis, tribunalibus et personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret,

1 Edit. Main. legit *quantum* (R. T.).

tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium publicatio.

§ 7. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari; sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent;

Fides transumptorum.

§ 8. Utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI maii MDCCVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 21 maii 1707, pontif. anno VII.

CI.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis fratrum et monialium Tertii Ordinis sancti Francisci in festis Ss. Ludovici et Elisabethae[1].

1 In Innocentii XI const. ed. MDCLXXX, die 26 augusti, pontif. IV, concessa fuit indulgentia in quibusdam festis pro ecclesiis fratrum et monialium sancti Francisci.

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniunctae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio postulat ut caelestium munerum thesauros dispensationi nostrae a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris Sanctorum in caelis cum Christo regnantium venerationem, excitandamque et fovendam erga illos fidelium devotionem, et ad animarum salutem speramus in Domino profuturum.

Concessio praedictae indulgentiae.

§ 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Bonaventurae Guglieri, ministri generalis Tertii Ordinis sancti Francisci, nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis tam fratrum quam monialium eiusdem Ordinis hactenus erectis et in posterum quandocumque erigendis, ac ubique locorum existentibus, in S. Ludovici regis ac S. Elisabethae reginae Hungariae festis diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis festorum huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae.

§ 2. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, seu procuratoris generalis eiusdem Ordinis obsignatis, ubi-

que eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII maii MDCCVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 23 maii 1707, pontif. an. VII.

CII.

Declaratur nulla concordia in Sedis Apostolicae et S. R. E. praeiudicium inita super hibernis[1] *stationibus militum Germanorum in ducatu Parmae et Placentiae, cum decreto firmitatis censurarum*[2].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Irruptiones Germanorum militum in ducatum atque concordia a duce et communitatibus coacte instituta cum illis.

Ad apostolatus nostri notitiam non sine gravi animi nostri molestiâ ante aliquot menses pervenit, quod (cum prius, videlicet mense novembris proxime praeterito, nonnullae Germanorum militum legiones in plura loca ducatus Parmae et Placentiae ex inopinato irrupissent, dictorumque locorum incolis plurima et sane gravissima damna intulissent; ac insuper legionum huiusmodi ductores seu moderatores hibernas ibidem stationes de facto ac violenter se figere velle declarassent; nec ad mala ista avertenda quidquam profuissent plures tam a dilecto filio nobili viro Francisco Farnesio Parmae et Placentiae duce quam a dilectis filiis communitatibus et hominibus civitatum Parmensis et Placentinae adductae rationes, eo potissimum fundamento innixae, quod ducatus ipse et eius loca praedicta nobis et huic S. Sedi, etiam in temporalibus, mediate subiecta essent, ideoque ab eiusmodi oneribus ac gravaminibus libera prorsus et immunia esse deberent) tandem mense decembris subsequenti (communitatibus et hominibus praefatis assentientibus, qui tamen vi et necessitate coacti, nec alio quam imminentia graviora mala propulsandi consilio haec peragere protestati fuerunt, ipsoque Francisco duce ob easdem rationes annuente) inita fuit super praemissis quaedam concordia in decem capitula seu articulos distincta, cuius tenor est qui sequitur, videlicet:

Concordia decem capitulis comprehensa.

Articoli concordati tra S. E. il marchese di Priè, come plenipotenziario di Sua Maestà Cesarea in Italia in virtù dell'imperiale diploma delli 4 maggio scaduto, e l'illustrissimo signor governatore Francesco Malpeli, deputato di S. A. serenissima il signor duca di Parma, coll'[1] illustrissimi signori conte Giovanni Francesco Marazzani-Visconti e marchese Annibale Scotti, due cavalieri di questo publico di Piacenza, dal quale, coll'approvazione e consenso dell'A. S. serenissima, come da suo benignissimo foglio in data de' 20 novembre prossimo passato, sopra il regolamento del presente quartiere d'inverno che si è preso di fatto negli Stati di Parma e Piacenza mediante l'ingresso delle truppe cesaree e collegate, non ostanti li varî ricorsi e le dimostranze più efficaci fatte dal predetto signor duca e col mezzo de'suoi ministri, come pure da queste comunità di Parma e Piacenza, s'è venuto all'accordo infrascritto, affinchè si stabilisca il buon ordine, e si scansino li maggiori danni e pregiudizî.

I. Si è fissato dal suddetto signor marchese di Priè per parte del commissario cesareo l'ammontare di esso quartiero alla

1 Edit. Main. legit *gubernis* (R. T.).

2 Contra inferentes praeiudicium iuribus Sanctae Sedis et S. R. E. extant Urbani VIII const. edit. MDCXLI, die 5 iunii, Leonis X constit. edit. MDXV, die 25 maii, et Bullae in die Coenae Domini; in huius Pontificis const. ed. MDCCVII, die 21 maii, pontif. VII, nulla declarata fuere gesta a regiâ audientiâ Aquilanensi contra episcopum; et in const. ed. MDCCIX, die 5 octobris, pontif. IX, declaratur nullum edictum saecularis potestatis circa sequestrum fructuum ecclesiasticorum in ducatu Mediolanensi.

1 Legend. *coll' intervento delli* (R. T.).

somma di doppie novantamila di Spagna o loro valore, delle quali ne toccheranno doppie sessantasettemila settecento cinquanta alli particolari secolari di essi due Stati (esclusa la tangente degli ecclesiastici riservata nell'articolo nono) da sborsarsi ne' termini e modi infra espressi alla cassa cesarea per il mantenimento delle truppe che resteranno acquartierate in questi Stati, e de' reggimenti di cavalleria che si sono rimossi per maggior sollievo di essi, mediante la qual somma sarà bonificato tutto ciò che verrà somministrato in natura dal paese, tanto per porzioni da bocca che di cavalli, e dovranno pure non meno li signori generali ed officiali che li soldati comuni (escluse le infrascritte porzioni) pagare puntualmente la carne, vino e tutti li comestibili, che saranno tassati a giusti prezzi; e seguendo qualche disordine contro il buon regolamento che si pubblicherà e stabilirà ne' quartieri, sarà riparato con ogni più accurata diligenza da' signori comandanti dei reggimenti, che dovranno obbligare li trasgressori ad una congrua indennizzazione, la quale ove non si ottenesse col loro mezzo, si ricorrerà all'eccellentissimo signor generale della cavalleria marchese Visconti comandante in questo quartiero, che farà dar loro la dovuta soddisfazione.

II. Ha pure condisceso detto signor marchese di Priè alla compensa di doppie cinquemila dalla total somma delle doppie novantamila, tanto a favore degli ecclesiastici, secondo la loro porzione, che de' secolari, in isconto del pane somministrato in occasione del passaggio dell'armata cesarea nello scorso mese d'agosto, di cui si promise la restituzione, come pure del pane ed altri comestibili ricevuti in più occasioni dalle truppe assiane, e dal corpo delli cinquecento cavalli comandati ultimamente dal tenente colonnello Sant' Amor, e si è avuto in ciò pure riguardo alli carri che verranno provveduti da essi Stati per la vettura dei grani ed avena che converrà introdurre da varie parti per la sussistenza delle truppe e per non accrescere la penuria del paese, cui verranno concessi gli opportuni passaporti che saranno bramati, tanto per acqua che per terra, per l'introduzione pure dei grani che mancassero al loro bisogno.

III. Per facilitare maggiormente il paese al pagamento della suddetta somma spettante ai secolari, si è convenuto per patto espresso che saranno sborsate le due terze parti, che importano quarantaduemila cinquecento doppie, nel mese di aprile, e l'altra terza parte di doppie ventunmila duecento e cinquanta, mediante l'obbligazione de' migliori banchieri di questi Stati, in due termini, cioè la metà nel mese d'agosto, e l'altra metà in ottobre dell'anno prossimo venturo, colle quali somme si dichiara da detto signor marchese di Priè che s'intende soddisfatto per parte del signor duca alle obbligazioni feudali che gli corrono verso S. M. cesarea.

IV. Come si è creduto spediente per minor peso di questi Stati di devenire all'erezione d'un Monte per un capitale di doppie trentaseimila e più, così si pubblicherà senza ritardo nel mese corrente. Sarà destinato per fondo di esso Monte, che ascenderà a doppie di Spagna trentaseimila o più, un reddito annuo da assegnarsi sopra li proprî effetti di S. A. serenissima a ragione del cinque per cento, che dal giorno dell'impiego correrà a favore dei compratori. Si daranno inoltre tutte le cautele possibili per sicurezza et invito di essi compratori, ed a questo fine si obligheranno non solo li publici delle città di Parma e Piacenza, ma ancora *in solidum* sei delle case più comode e benestanti, e li migliori banchieri d'ambedue dette città, al puntual pagamento dei frutti, come sopra, di trimestre in trimestre, a termini maturati, e alla restituzione del capitale in due termini, cioè doppie diciottomila in ottobre dell'anno MDCCVIII, e l'altre diciottomila, o più, nello stesso mese del MDCCIX. Perchè poi detti signori hanno dubitato (attese le circostanze dei presenti tempi) di non poter ritrovare tutta la somma per riempire il Monte, però si è benignamente accollato S. E. il signor marchese di Priè (nel caso suddetto) di prendere sopra di sè il carico di trovare una o più persone che suppliscano sino alla som-

ma di doppie ventimila nella compra d'esso Monte, la quale frattanto dall' E. S. sarà compensata in detti termini. Si è però convenuto che si pratichino senza ritardo dai suddetti signori tutte le possibili diligenze a Milano, Genova o Bologna per rinvenire il più prontamente che si potrà tutta essa somma, ed ove ciò riesca, ed a misura che entrerà il danaro, si farà sborsare indilatamente alla cassa cesarea di guerra.

v. A fine d'accertare il punto più essenziale che si è discusso, cioè il modo di poter stabilire e combinare col servizio cesareo e sussistenza delle truppe la conservazione del paese, e perciò il sostentamento del popolo e del bestiame (attesi li frequenti passaggi di truppe e la penuria dei grani e dei foraggi che si prova nel corrente anno per la siccità della scorsa state e le straordinarie inondazioni ultimamente accadute), si è convenuto che l'obligazione per parte del paese di provvedere il pane sia puramente ristretta alli tre reggimenti imperiali di cavalleria e di dragoni, e sarà buonificato per oncie trenta di peso, che importa per cadauna porzione, ed oncie diciotto carne al giorno, che sarà somministrata dal paese, doppia una di Spagna al mese, comprese lire dodici di questa moneta di Piacenza, che saranno pagate per il vino che si venderà ai soldati nel paese stesso ai giusti prezzi; quanto poi alle truppe di Prussia, sarà totalmente a carico del commissariato cesareo il provvederle e l'introdurre grani per la sussistenza loro, e saranno puramente somministrate le vetture dal paese entro il territorio; si farà però l'anticipazione per un mese di tremila porzioni di pane ogni giorno, il quale sarà puntualmente restituito in tanto grano della medesima specie; dovrà pur anche somministrarsi il foraggio con carri del paese, e distribuirsi con tutto il miglior ordine e la più esatta misura che sarà possibile, cioè a ragione di quindici libbre di fieno per ogni porzione da cavallo; e si provvederà per quattromila in circa, secondo la ripartizione, specificazione che sarà data dai commissarî di guerra di Sua Maestà cesarea, purchè si lasci la necessaria sussistenza per il bestiame, senza la quale non avrebbe potuto questo paese assumere nè supplire alle suddette obligazioni; si restringerà però esso bestiame al numero puramente indispensabile alla coltura dei terreni ed alla metà delle vaccherie, e si destineranno pur anche commissarî da ambe le parti per fare la recognizione e conscrizione dei foraggi, e procurare che tutto ciò sia posto puntualmente in esecuzione.

vi. Si è fissato il prezzo del foraggio, regolato alle suddette libre quindici al giorno, e[1] due terzi di doppie di Spagna ogni mese, e l'altro terzo per l'avena di libre otto per porzione che si somministrerà dal paese sino al fine di gennaio prossimo (passato il[2] qual tempo sarà tenuto il commissario cesareo a provvederle), con facoltà al paese medesimo di poter somministrare, in difetto dell'avena suddetta, altri grani confacevoli alla sussistenza della cavalleria imperiale, secondo una giusta porzione che dovrà stabilirsi col suddetto signor marchese generale Visconti; e dove venissero dette porzioni da cavallo ad essere calcolate a maggior prezzo nello stato di Milano, si seguirà la stessa regola.

vii. Mediante le accennate prestazioni ed obbligazioni, non dovranno li suddetti Stati essere astretti nè soggetti ad alcun altro peso, toltone il coperto con l'uso del fuoco, lume e letto, o pure pagliarizzo, secondo il comodo dei paesi, per li soldati in casa dei particolari; ed esigendosi di più, si farà soddisfare dai loro officiali. Parimenti non saranno astretti li Stati suddetti che a dare il puro coperto e la legna (in quella quantità che sarà limitata dal signor generale Visconti) per li signori generali e officiali, li quali pure non potranno obligare il paese a somministrare il foraggio per li loro cavalli, il quale potesse eccedere le porzioni che sono a loro assegnate, ecc.

viii. Sarà compensato nella detta somma l'ammontare del foraggio per tutti li reggimenti cesarei e prussiani dal tempo che

1 Forsan *a* pro *e* legendum (R. T.).

2 Ed. Main. hab. *prossimo passato* (*il* (R.T.).

sono entrati in questo paese, e sono stati di passaggio dal principio dello scorso mese di novembre; e perchè non si può fare presentemente un esatto calcolo di tutto ciò che di foraggio ed avena hanno ricevuto, si dichiara che per temperamento di equità si compenserà ogni porzione a quattro quinti di doppia; si farà pure rimborsare dai reggimenti il pane, carne e vino che si giustificherà essere stata dal suddetto tempo somministrato e ricavato dal paese. Lo stesso si praticherà esattamente nell'avvenire per tutte le truppe che occorresse di far passare per questi Stati, eccettuato il foraggio in erba, che si somministrarà senz'alcun pagamento del paese, spirato il termine dei quartieri.

IX. Per eguagliare il peso del presente quartiere, e sollevare questi Stati, dovranno concorrere li particolari tutti indistintamente, ancorchè privilegiatissimi, mentre la S. A. S. istessa effettivamente concorre per la quota dei suoi beni; e come li ecclesiastici, siano secolari o regolari, possedono buona parte dei terreni in ambi detti Stati, ed hanno concorso altre volte ai quartieri, come pure concorrono anche attualmente per la quarta parte dei secolari al mantenimento dei presidî di Parma e Piacenza, così si riserva il commissario cesareo la facoltà, nelle dovute e legittime forme, di ricavare da essi la loro rata fino a doppie ventunmiladuecentocinquanta, mediante il che restano pure esenti li beni dei suddetti ecclesiastici dalli danni maggiori che avrebbero potuto patire indistintamente, quando non si fossero divertiti con li suddetti temperamenti: nel che però tutto si protesta per parte dei secolari di non volere alcuna parte, nè ingerenza.

X. Il signor marchese generale Visconti, comandante di queste truppe, farà osservare ogni più esatta disciplina nelli suddetti quartieri, alla mente e conformità di questo stabilimento, ed invigileranno pure li signori commissarî di S. A. S. e di questi Stati, acciò si adempisca a tutto ciò per parte di essi, ed affinchè si faccia la più giusta e proporzionata disposizione e distribuzione dei quartieri.

In fede di che si è sottoscritta la presente, e munita dei rispettivi sigilli.

Piacenza nel convento di S. Savino, li 14 dicembre 1704.

Il marchese Di Priè.

Francesco Malpeli, governatore e delegato.
Gio. Francesco Marazzani-Visconti.
Annibale Scotti.

Nullitas eiusdem concordiae tamquam laesivae supremo Sedis Apostolicae in dicto ducatu.

§ 2. Porro, licet explorati iuris esset concordiam praedictam, quam, non quidem approbandi, sed penitus et omnino reprobandi animo, praesentibus inserendam duximus, utpote nostrorum et dictae Sedis iurium, necnon directi ac supremi dominii nobis et S. R. E. in ducatu supradicto competentis, manifeste laesivam, nullius prorsus esse roboris et momenti, ac insuper notum esset felicis recordationis Urbanum Papam VIII praedecessorem nostrum Apostolicae Sedis et Romanae Ecclesiae praefatarum iura a quibuscumque praeiudicialibus huiusmodi per quasdam suas die V iunii MDCXLI expeditas litteras amplissime praeservasse, adeoque nullâ prorsus opus esset ulteriore declaratione ad hoc ut eadem concordia tamquam irrita, inanis et invalida ab omnibus haberi deberet[1]; nihilominus, cum ad nos delata res esset occasione petiti a nobis beneplaciti super iis quae in nono capitulo seu articulo eiusdem concordiae quoad portionem seu ratam pecuniarum a personis ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus ducatus praedicti persolvendam, sicut praemittitur, conventa fuerant, nos, beneplacitum huiusmodi denegando, concordiam praefatam non modo a nobis approbari non posse, sed semper reprobari ac damnari debere non obscure declaravimus: quinimo, animo revolventes quam diras omnique humanae potestati terribiles censuras et

1 Edit. Main. legit *debere* (R. T.).

poenas irrogent canonicae sanctiones spiritu Dei conditae, quaeque deterrima ingeminatae quotannis Ecclesiae voces imprecentur iis qui ecclesiastica iura violant, aut bona diripiunt, vel illis damna et onera divinis humanisque legibus vetita inferre non verentur, per quasdam nostras ad eumdem Franciscum ducem die v ianuarii proxime praeteriti manu nostrâ conscriptas litteras, eos omnes qui loca praedicta, sicut praemittitur, invadere, illaque ac supremam iurisdictionem in eis nobis et eidem S. R. E. competentem perturbare et vexare temere et de facto praesumpserunt, censuras et poenas supradictas incurrisse, nec eis illas a nobis quovis modo remissas vel condonatas intelligi debere, diserte significavimus, sperantes, ubi haec innotuissent, abunde sufficere posse ut redirent praevaricatores ad cor, absque eo quod nos apertius ad severiora procedere cogeremur. Cum autem, sicut accepimus, non solum studia haec nostra optato, quem sperabamus, fructu vacua remanserint; sed, quod maxime deplorandum est, personis ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus praedictis, portionem seu ratam pecuniarum, in dicto IX capitulo seu articulo, sicut praemittitur, conventam, solvere merito recusantibus eo quia necessarium ad id nostrum et dictae Sedis beneplacitum non modo non concessum, sed expresse, ut praefertur, a nobis denegatum fuerat, inaudito ac detestabili ausu plures militum turmae in earumdem personarum ecclesiasticarum, domos, praedia ac bona immissae fuerint, ibidem expensis personarum huiusmodi permansurae, donec illae taedio affectae portionem seu ratam praedictam realiter et cum effectu persolverint; haec vero, quae nonnisi summo omnium recte sentientium horrore ac moerore audiri potuerunt, nullatenus tolerabilem libertatis, immunitatis, ac iurisdictionis ecclesiasticae violationem importent:

Causae insequentis declarationis.

§ 3. Hinc est quod nos, qui omnia paternae charitatis officia, quae pro eiusmodi tollendis malis sedulo adhibere curavimus, vana hactenus et inania experti fuimus, quique, ex commissi nobis divinitus pastoralis muneris debito, quorumcumque eidem Romanae, aliisque inferioribus ecclesiis, necnon quibusvis personis et bonis ecclesiasticis competentium iurium assertores in terris a Domino constituti sumus, tametsi non dubitemus venerabiles fratres episcopos illarum partium, quorum zelum excitare non praetermisimus, strenue ac fortiter hac in re muneris sui partes impleturos esse, et forsan etiam iam implevisse, ac insuper certo credamus tam iniqua militum facinora ac etiam iniquiora consilia longe ab aequissimâ carissimi in Christo filii nostri Iosephi Romanorum regis in imperatorem electi mente aliena esse, quinimmo ipsum in eos, qui illa perpetrarunt, severe, ut omnis iustitia exigit, animadversurum esse speremus: nihilominus, ne, in tantâ Ecclesiae afflictione diutius silentes, ac sacerdotibus ministris Domini inter vestibulum et altare plorantibus, et dicentibus *Parce, Domine, parce populo tuo, et ne des haereditatem tuam in opprobrium*, otiosi ac desides, incumbenti nobis apostolicae servitutis officio deesse videamur, ac, nimiâ longanimitate, proditae ecclesiasticae libertatis desertaeque turpiter Dei causae rei efficiamur, exurgentes in Domino, ac tam memorati Urbani praedecessoris, quam felicis memoriae Leonis PP. X, etiam praedecessoris nostri, qui per quamdam suam VIII kalendas iunii anno MDXV editam constitutionem personas omnes,

Declarat ut in rubricâ.

etiam specificâ et individuâ mentione dignas, quae civitates, terras et loca ad dictam Romanam Ecclesiam mediate vel immediate pertinentia, praesertim vero Parmensem et Placentinam civitates, invasissent, excommunicavit, anathematizavit, ac maledictionis et damnationis aeternae mucrone percussit, vestigia sectantes, ac insuper apostolicis litteris, quas plurimi Romani Pontifices praedecessores nostri die Coenae Domini legi et promulgari fecerunt, et nos similiter singulis annis legi et promulgari fecimus, ac signanter canonibus XVIII et XX litterarum huiusmodi firmiter inhaerentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nortris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertam concordiam, eiusque articulos et capitula quaecumque, cum omnibus et singulis in eis eorumque quolibet[1] contentis, ac inde secutis, et quandocumque secuturis, ipso iure nulla, irrita, invalida, iniusta, damnata, reprobata, inania, viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab ipso initio fuisse et esse, ac perpetuo fore, neminemque ad illorum, seu cuiuslibet eorum, etiamsi iuramento vallata sint, observantiam teneri, immo nec ea a quopiam observari potuisse vel debuisse, nec ex illis cuiquam aliquod ius vel actionem aut titulum etiam coloratum vel possidendi aut praescribendi causam acquisitam vel acquisitum fuisse vel esse, aut quandocumque acquiri vel competere posse, neque illa ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent, vel facta non fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, motu, scientiâ, deliberatione ac potestatis plenitudine paribus, damnamus, reprobamus, cassamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus.

§ 5. Firmas praeterea ac salvas esse volumus atque decernimus quascumque censuras et poenas ecclesiasticas, quas ii omnes, qui praemissa perpetrarunt, ab episcopis supradictis, iuxta ea quae ipsis mandavimus, palam et publice de more denunciandi, vel forsan iam denunciati, tam scilicet qui terras et loca ducatus supradicti, ut praefertur, invadere, perturbare et praenarratis modis vexare, quam qui praedicta onera et gravamina personis ac bonis ecclesiasticis ducatus huiusmodi inferre et imponere, per se vel alios, directe vel indirecte, praesumpserunt, necnon adhaerentes, fautores et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestantes, quocumque tandem gradu seu dignitate praefulgeant, propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt, a quibus, post debitam damnorum illatorum refectionem, ac aliàs condignam Ecclesiae praestitam satisfactionem, nonnisi a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo constituti, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestitâ, atque cum reincidentiâ eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari valeant. Decretum firmitatis censurarum.

§ 6. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specificâ et individuâ mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas Clausulae.

1 Edit. Main. legit *quomodolibet* (R. T.).

eaedem praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae aut ullo modo iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque causâ, colore, praetextu et capite, et etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vel invalididitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium vel habere praetendentium consensûs, aliove quocumque etiam quantumlibet magno ac incogitato inexcogitabilique defectu, aut ex alio quovis capite a iure, vel facto, aut statuto, consuetudine, vel privilegio resultante, notari, impugnari, invalidari, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci ullatenus posse; sed ipsas praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae praefatae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, legibus quoque, etiam imperialibus et municipalibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibuscumque personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac plurics iteratis et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique

locorum et gentium in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII iulii MDCCVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 27 iulii 1707, pontif. anno VII.

CIII.

Communicantur Congregationi fratrum Bethlemitarum privilegia Ordinum Mendicantium, et clericorum Ministrantium Infirmis [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Exordium

Iniuncti nobis caelitus pastoralis officii ratio postulat, ut, paternam sacrarum religionum et congregationum christianae charitatis et hospitalitatis operibus ex professo laudabiliter incumbentium curam gerentes, pium illarum exercitium et institutum, quo, labores expeditius suscipiendo, illud alacrius continuent et ferventius exequantur, liberalibus gratiarum et privilegiorum muneribus confoveamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Rationes pro consequendâ dictâ communicatione.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Michaël de Iesu et Maria, Congregationis fratrum Bethlemitarum nuncupatorum, in hospitalibus pauperum convalescentium in Indiis Occidentalibus se exercentium, in Romanâ Curiâ procurator, nobis nuper exponi fecit, dicta Congregatio aliàs a felicis recordationis Innocentio PP. XI praedecessore nostro per quasdam suas desuper in simili formâ Brevis die XXVI martii MDCLXXXVII expeditas litteras in religionem erecta fuerit; fratres vero dictae Congregationis tria essentialia vota in illâ, ad instar ceterorum Ordinum et institutorum a Sede Apostolicâ confirmatorum, de praesenti emittant, aliaque multiplicia atque insignia pietatis et christianae charitatis opera erga pauperes et convalescentes in eorum hospitalibus degentes non sine spirituali animarum beneficio exercuerint et in dies exercere non desinant; ut autem illa semper impensius et indefessi obeant et continuent, ipse Michaël plurimum cupiat gratias et privilegia Ordinum Mendicantium et Congregationis clericorum regularium Ministrantium Infirmis, quae aliàs recolendae memoriae Urbanus PP. VIII, praedecessor pariter noster, Ordini tunc Congregationi nuncupatae fratrum S. Ioannis Dei communicavit et concessit, nosque subinde, nempe die XXV iunii MDCCI, per quasdam nostras in simili itidem formâ Brevis desuper expeditas litteras, ad Congregationem Charitatis sub titulo S. Hyppoliti martyris in Indiis, sub certis modo et formâ tunc expressis, extendimus, praedictae Congregationi fratrum Bethlemitarum illiusque fratribus et locis a nobis pariter communicari et concedi:

Communicatio praedictorum privilegiorum.

§ 2. Nos, eamdem Congregationem fratrum Bethlemitarum et pia illius instituta confovere et promovere, ac proinde dictum Michaëlem et dilectos filios fratres Congregationis huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulas personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat conrequendum, harum

1 Const. ed. MDCCII, die 17 iunii, pontif. II concessa fuit exemptio a processionibus; et const. ed. MDCCXI, die 24 iulii, pontif. XI, confirmatur praesens constitutio.

serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eiusdem Michaëlis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, et attentâ relatione dilecti filii nostri Thomae Mariae Ferrarii tituli S. Clementis eiusdem S. R. E. presbyteri cardinalis S. Clementis nuncupati super praemissis dictis cardinalibus factâ, omnia et singula privilegia, praerogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes, conservatorias, immunitates, exemptiones, libertates, ceterasque gratias, praeeminentias et indulta cuiusvis generis existentia, spiritualia et temporalia, qualiacumque illa sint, dummodo tamen sint in usu, et non sint revocata vel sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis aut apostolicis constitutionibus et ordinationibus vel memoratis regularibus dictae Congregationis Bethlemitarum institutis non adversentur, praedictis Ordinibus Mendicantium et Congregationi clericorum regularium Ministrantium Infirmis, eorumque conventibus, domibus et aliis locis regularibus, ac Ordinum et Congregationis huiusmodi generalibus, praesidentibus, et quibusvis aliis superioribus, praelatis et capitulis etiam generalibus, provincialibus, seu intermediis, eorumque definitoribus, prioribus, novitiis, fratribus, conversis, donatis, et quibusvis eorum regularibus personis, tam in Urbe quam etiam in quibuscumque mundi partibus existentibus, et illorum intuitu, aut aliàs quomodolibet, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, seu per nos et successores nostros, aut aliàs auctoritatem habentes concessa sunt et concedentur, ac quibus de iure, usu vel consuetudine, privilegio, seu concessione apostolicâ, in genere vel in specie, ac tam coniunctim quam divisim, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, ad praedictam Congregationem Bethlemitarum et singula illius hospitalia, domos et alia loca regularia, illorumque superiores, praelatos et quascumque regulares personas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo extendimus, illaque eis communicamus et de novo concedimus ac suffragari volumus. Decernentes, easdem praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, achiepiscopis et episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumque, necnon dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus quilibet eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte generalis et fratrum dictae Congregationis Bethlemitarum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nos-

Clausulae.

Praesentium publicatio.

strâ easdem plenum earum effectum sortiri et obtinere, illisque omnes, quos concernunt, pacifice frui et gaudere, non permittentes quemquam desuper contra illarum tenorem, sub quovis praetextu et causâ, etiam defectu intentionis nostrae, per quoscumque quomodolibet indebitae molestari, quinimmo, quidquid in contrarium attentari vel fieri contingeret, omnino semper in pristinum reponi; contradictores quoslibet et rebelles, etiam per quascumque, de quibus eis videbitur, censuras et poenas ecclesiasticas, et alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii PP. VIII etiam praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque[1] constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinum et Congregationis clericorum regularium huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus aut nonnisi sub certis modo et formâ derogari possit, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCCVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 28 iulii 1707, pontif. anno VII.

1 Edit. Main. legit *aliis* (R. T.).

CIV.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium, quo revocantur facultates concessae fratribus Carmelitis musicis provinciae Portugallie manendi extra coenobia[1].

1 Innocentii XII const. ed. MDCXCVI, die 11 februarii, pontif. V, confirmata fuere quaedam decreta pro dictâ provinciâ; et huius Pontificis const. ed. MDCCXVII, die 22 februarii, pontificatus XVII, prohibetur ne superiores concedant licentiam canendi in alienis ecclesiis.

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Causae sequentis decreti.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum prioris provincialis et definitorii provincialis provinciae Portugalliae Ordinis fratrum B. M. V. de Monte Carmelo, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, licet per Concilium Tridentinum, sess. XXVIII, cap. IV, prohibeatur expresse ne quis regularis, sine sui superioris licentiâ, praedicationis vel lectoris aut cuiusvis pii operis praetextu, subiiciat se obsequio alicuius praelati, principis vel universitatis, vel communitatis, aut alterius cuiuscumque personae seu loci; nihilominus in regno Portugalliae irrepserat abusus regulari observantiae praeiudicialis, ac populis illarum partium scandalum praebens, eo quia episcopi earumdem partium, in vim indultorum per nostrum[1] et Sedis Apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis nuncium concessorum, nonnullos religiosos musicae peritos pro eorum ecclesiarum servitio e propriis conventibus absque superiorum regularium eiusdem provinciae licentiâ educebant: ac propterea pro parte dictorum exponentium memoratae cardinalium Congregationi supplicato, ut, praemissis occurrendo, omnibus et singulis religiosis praedictae provinciae extra eorum conventus servitio cuiuslibet simplicis ecclesiae addictis et sine superiorum suorum licentiâ degentibus, ut ad ipsorum respective conventus redirent, praecipere, quodque superiores praedicti illos ad id, quocumque indulto minime obstante, compellere possent, decernere, necnon pro tempore existenti nuncio mandare, ne huiusmodi indulta, nisi legitimis de causis, et audito superiore religiosi, qui ab episcopis pro eorum servitio postulatur, concederet, aliàsque in praemissis iuxta memorati Concilii dispositionem providere dignaretur: emanavit ab eâdem Congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis, quo iniungitur nuncio ut revocet licentias omnes.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster supplicem hunc libellum remisit, attentâ relatione patris procuratoris generalis Ordinis, censuit committendum, prout praesentis decreti vigore committit, eminentissimo nuncio apostolico in Lusitaniâ residenti, ut revocet quascumque licentias, et curet regulares redire omnino ad eorum conventus. Romae, XXIX iulii MDCCVII. — G. cardinalis CARPINEUS. — F. A. NICAENUS secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dicti exponentes nobis exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis

1 Edit. Main. legit *nostram* (R. T.).

cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas ed efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI augusti MDCCVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 31 augusti 1707, pontif. anno VII.

CV.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis Ordinis sancti Pauli primi eremitae in eius die festo[1].

1 Innocentii XI const. ed. MDCLXXVI, die 27 novembris, pontif. I, confirmata fuere quaedam statuta pro eremitis in regno Portugalliae.

Clemens Papa XI,

universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Concessio praedictâ indulgentiae.

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum Ordinis sancti Pauli primi eremitae ubique existentibus, die festo eiusdem sancti Pauli primi eremitae, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die I octobris MDCCVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 1 octobris 1707, pontif. anno VII.

CVI.

Damnantur et prohibentur libri omnes adversus decretum apostolicum super remotione archiepiscopi Sebasteni a vicariatu apostolico missionum Hol-

landicarum, cum prohibitione illud quoquomodo impugnandi[1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Praetextus conscribendi illos libros et eorum examen institutum.

§ 1. Cum, sicut nobis innotuit, obtentu tam defendendae causae venerabilis fratris Petri Coddaei archiepiscopi Sebasteni, quem nos dudum ab apostolico Hollandiae illique foederatarum provinciarum vicariatu, nostro desuper die III aprilis MDCCIV edito decreto, removendum duximus, quam tuendarum quarumdem eiusdem Petri archiepiscopi scriptionum, quas eodem decreto damnavimus et prohibuimus, quamplurimi inquietorum hominum et publicae tranquillitati adversantium operâ in lucem prodierint et in dies prodeant libelli, quorum evulgatione exortae hactenus inter catholicos illarum partium turbae atque dissidia foventur, imo et pravae doctrinae semina ad simplicium subversionem, non sine maximo orthodoxae fidei detrimento, diffunduntur: nos, dum de aliis tam gravi morbo, in animarum nobis ab Altissimo commissarum perniciem vergenti, opportune adhibendis remediis sedulo cogitamus, aliquos interea ex iisdem libellis, qui ad apostolatus nostri notitiam pervenerunt, latino, gallico et belgico respective idiomate typis impressos, venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a Sede Apostolicâ specialiter deputatis examinandos commisimus, quorum tituli sunt infrascripti, videlicet:

Libri praediti.

Apologia pro clero ecclesiae Batavorum romano-catholicae, seu rationes ob quas clerus censuit in locum reverendissimi archiepiscopi Sebasteni non esse illico recipiendum dominum Theodorum Cokkium. Per IOANNEM PALAEOPISTUM. *Delphis, apud Henricum Van Rhyn,* MDCCII.

Assertio iuris ecclesiae metropolitanae romano catholicae adversus quosdam, qui eam ad instar ecclesiarum per infidelium persecutiones destructarum iure pristino penitus excidisse existimant. Per I.C.E.I.V. *licentiatum eiusdem ecclesiae canonicum. Delphis, typis* HENRICI RHENAVI, MDCCIII.

Imago pontificiae dignitatis penicillo sacrarum scripturarum ac traditionis native delineata: ubi quid Pontifici Romano competat vel non competat, collectis ex ecclesiasticâ supellectili documentis, luculenter ac compendio demonstratur. Auctore DESIDERIO PALAEOPHILO. *Constantiae, apud Æneam Sylvium,* MDCCIV.

Cleri catholici per Foederatum Belgium et archiepiscopi Sebasteni religio vindicata contra libellum memorialem De statu et progressu iansenismi in Hollandia IOANNIS CLERICI in S. Augustinum censura refellitur. *Scripta varia ad rem pertinentia ad calcem appenduntur. Auctore* CHRISTIANO PHILIRENO *presbytero, sacrae theologiae professore. Traiecti ad Rhenum,* MDCCIII.

Motivum iuris pro capitulo cathedrali Harlemensi. Harlemi, typis Nicolai Braau MDCCIII.

Refutatio responsi ad libellum, cui titulus: Motivum iuris pro capitulo cathedrali Harlemensi, sive elucidatio ulterior iurium eiusdem capituli. *Harlemi, typis Nicolai Braau.* MDCCIII.

Epistola PETRI CODDAEI *archiepiscopi Sebasteni ad catholicos incolas Foederati Belgii de suo ad Urbem itinere, ac de muneris sui administrandi interdictione. Traiecti ad Rhenum, typis Theodori ab Eynden,* MDCCIV.

Epistola secunda PETRI CODDAEI *archiepiscopi Sebasteni ad catholicos incolas Foederati Belgii. Traiecti ad Rhenum, ex bibliopolio Theodori ab Eynden,* MDCCIV.

Even redige samenspraek ophot veruyzen van onsen saligmaker Iesus Christus, en op de ZAEK VANDEN *arschbischop van Sebasten.*

1 Decretum editum fuit MDCCIV, die 3 aprilis, pontif. IV. In const. ed. MDCCIV, die 11 februarii, pontif. IV, damnata fuere quaedam folia *Acte d'appel, etc.*; et const. ed. MDCCVII, die 19 decembris, pontif. VIII, damnatur libri: *Doctoris Laurentii, etc.: Epitoma de las indulgencias, etc.*

Xenicum chronographicum, sive selecta innocentiae per invidiam calumniamve oppressae exempla, illustrissimo ac reverendissimo domino PETRO CODDAEO *archiepiscopo Sebasteno, etc., pro strenuâ oblatâ cordis et animi sinceritate.* MDCCV.

Lettre de monsieur N. à un seigneur d'Angleterre sur la demande s'il est bon d'employer les pères Iésuites dans une mission? Qu'on a trouvé à propos de donner déréchef au public entrant qu'elle fournit de la lumière dans l'affaire de monsigneur de Sebaste. 3 *fevrier* MDCLXXXVI.

Klagende merkuur opgedragen aan de heer FRANCISCUS FAIRLEMNS *theol. doct. door* HENRICK SPOOR *phil. et med. doct. Tot Utrecht gedrukt voor den autheur by* IOHAN VISCH, MDCCIII.

Lettre d'un homme de qualité pour servir de réponse à une autre lui adressée par monseigneur l'internonce apostolique, avec la Bulle qui a pour titre..... Datée à Rome le VII *d'avril* MDCCIII.

ADEODATUS PO *compresbyteris de clero per Foederatum Belgium dominum* THEODORUM COKKIUM *ut provinciarum non recipientibus S.P.D. Delphis, apud Henricum Van Rhyn,* MDCCIII.

Responsio HENRICI SPOOR *ad epistolam sibi scriptam a domino internuntio Bruxellensi, edita latino et belgico idiomate, et data Ultraiecti..... maii* MDCCIII.

Lamenta et querelae sponsae Sebastenae, per Clementem XI viduatae, ad eumdem pro sponso suo.

Cato Uticensis redivivus ad amplissimos archidioeceseos Ultraiectensis et dioeceseos Harlemensis capitulares viros. Pro aris et focis.

GISBERTI AMSTELII *expostulatio altera adversus Loiolitas, foedos Societatis Iesu desertores. Coloniae, apud Balthasar ab Egmont,* MDCCIV.

Collyrium Theodoro de Cock dono missum per M.M.A.P.C. *cordis amicitia,* MDCCIV.

Declaratio et responsiones ab archiepiscopo Sebasteno, cum in Urbe esset, eminentissimis dominis cardinalibus tradita, et iam orbi pandita christiano, MDCCIV.

Avis sincères aux catholiques des Provinces Unies sur le décret de l'Inquisition de Rome contre monseigneur l'archevêque de Sebaste vicaire apostolique, avec plusieurs pièces qui ont rapport à son affaire, MDCCIV.

Réflexions succintes sur la lettre d'un catholique romain à un de ses amis d'Italie touchant l'état present des catholiques romains en Hollande, VII *novembre* MDCCIV.

Litterae ad archiepiscopum Sebastenum nomine sacrae Congregationis de Propaganda Fide, XXV *augusti* MDCCIII, *ut fertur, scriptae, ab inquietis quibusdam hodie in lucem editae, notis vero brevibus illustratae per* IANUM PARRHASIUM. *Amsterodami,* MDCCIV.

Diotrephes, sive spiritus et opera THEODORI COCKII *accurate descripta, et iustificando clero eum in vicarium apostolicum non recipiente, in lucem data ab* EUGENIO CLARIO *theologo. Lugduni, apud Henricum Aersen,* MDCCIV.

Iesuitarum aliorumque Romanae Curiae adulantium de Summi Pontificis auctoritate commenta, regnis regibusque infesta, ac specialiter supremis praepotentibusque Foederati Belgii ordinibus periculosa, fideliter proposita per iurisconsultum Batavum, Ecclesiae et patriae amantem. Amsterodami, MDCCIV.

Notae breves in epistolam ad catholicos Hollandiae, quae sub nomine Pontificis Clementis XI circumfertur, per iurisconsultum Batavum.

Notae in decretum quod sub Inquisitionis nomine circumfertur contra archiepiscopum Sebastenum, per IANUM PARRHASIUM.

Disquisitio theologica de potestate ac iurisdictione, quibus in Foederati Belgii provinciis etiam num fruitur archiepiscopus Sebastenus, ablato licet vicariatu apostolico, nunquam antehac typis edita.

Zedelyke Oweruveginge van het decreet der Roomse Inquisite, des iaars MDCCIV, III *april. Tegens de ver klaringe en verantwoordinge des aarschsbisschops van Sebasten. Rotterdam,* MDCCIV: idest: *Modesta consideratio decreti Romanae Inquisitionis, anni* MDCCIV, III *aprilis, etc.*

Vreedzamige Waarschouving, over zekere Brief de naam voerende van Clement XI: idest: *Pacifica admonitio super certam epistolam nomen ferentem Clementis XI.*

Denunciatio apologetica Petri Coddaei *archiepiscopi Sebasteni sinceris solidisque documentis firmata, quam circa praecipua causae suae capita evulgandam duxit. Traiecti ad Rhenum*, MDCCVI.

Damnatio relatorum librorum, aliorumque edendorum.

§ 3. Auditis itaque memoratorum cardinalium, qui relatas sibi super iisdem libellis plurium in sacrâ theologiâ magistrorum censuras diligenter perpenderunt, sententiis, creditum nobis a Domino pastoralis curae atque vigilantiae munus, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter exequi cupientes, de eorumdem cardinalium consilio, ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, non modo omnes et singulos supradictos libellos, utpote multa falsa, calumniosa, Apostolicae Sedi eiusque ministris iniuriosa, piarum aurium offensiva, scandalosa, temeraria, erronea, atque in apertum schisma tendentia respective continentes, verum etiam omnes et quoscumque alios libros, libellos, epistolas, et alia quaevis opera seu opuscula, directe vel indirecte adversus praefatum nostrum decretum remotionis supradicti Petri archiepiscopi necnon damnationis et prohibitionis memoratarum eius scriptionum quocumque idiomate hactenus edita, et si quae in posterum edi contigerit, tenore praesentium damnamus et reprobamus, ac pro damnatis et reprobatis perpetuo haberi debere decernimus.

Prohibitio eorumdem.

§ 3. Ac proinde omnium et singulorum tam supra descriptorum, quam aliorum quorumlibet similium libellorum, librorum, epistolarum, operum seu opusculorum impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum, omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione ac expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo a quoquam, praeterquam a nobis seu Romano Pontefice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus et prohibemus; volentes et apostolicâ auctoritate mandantes, ut, quicumque libros, libellos, epistolas, opera seu opuscula praedicta, vel eorum aliquod, penes se habuerint, illa seu illud, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, teneantur tradere atque consignare locorum Ordinariis, vel haereticae pravitatis Inquisitoribus, qui exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent.

Item prohibitio impugnandi praedictum decretum pontificium.

§ 4. Insuper, sub pari excommunicationis poenâ, interdicimus similiter et prohibemus, ne quis in concionibus, catechismis, lectionibus, aut aliis ad populum sermonibus praedictum nostrum decretum in causâ memorati Petri archiepiscopi, summâ quidem maturitate et iustitiâ editum, ullo tempore vel quovis praetextu impugnare praesumat, vel eidem quomodolibet ausu temerario contraire.

Clausulae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium publicatio.

§ 6. Ceterum, ut ipsae praesentes litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, et auctoritate praefatâ decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae apostolicae, necnon Curiae generalis in Monte Citatorio et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; sic vero publicatas, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter in-

timatae et notificatae fuissent; earumdem autem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fidem tam in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Adhortatio ad pacem.

§ 7. Demum omnes et singulos, qui in praefatis Foederatis Provinciis vere catholicorum nomine censeri volunt et Apostolicae Sedi communione sociari, atque eos praesertim, qui, in sortem Domini vocati, spiritu humilitatis, lenitatis et obedientiae debent ceteris praelucere, pro paternae nostrae charitatis debito hortamur, rogamus, atque obsecramus in Domino Iesu, ut, depositis simultatibus et partium studiis, discant idipsum sapere in Domino, donantes invicem si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Christus donavit nobis, ut non blasphemetur nomen Domini; sed unanimes honorificemus Deum, et qui unâ fide iungimur, unitate spiritus et vinculo pacis invicem copulemur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV octobris MDCCVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 4 octobris 1707, pontif. anno VII.

CVII.

Damnantur et prohibentur libri sub titulis: Doctoris LAURENTII PIRES CARVALHO quaestiones selectae de Bulla Cruciatae, etc. Epitome das Indulgencias, y privilegios da Bulla da santa Cruzada, etc [1].

1 Const. ed. MDCCVII, die 4 octobris, pontif. VII, damnati fuerunt libri adversus decretum apostolicum; et const. ed. MDCCVIII, die 14 maii, pontif. VIII, damnatur liber *Traité de la puissance ecclésiastique, etc.*

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Referuntur libri praedicti, et eorum damnationis causae.

§ 1. Cum, sicut nobis innotuit, quod [1] in lucem prodierint ante aliquot annos duo libri, unus quidem in duos tomos divisus sub titulo infrascripto, videlicet: *Doctoris* LAURENTII PIRES CARVALHO *quaestiones selectae de Bullâ Cruciatae Lusitaniae, pars prior et posterior*, Ulyssipone, MDCXCVIII; alter vero lusitanico idiomate editus, cui titulus: *Epitome das indulgencias y privilegios da Bulla da sancta Cruzada, repartido per a maior clareza en titulos pellas indulgencias e diversas facultates, que contem, còm alguàs advertencias no principio, composta par* LORENÇO PIREZ DE CARVALHO *do conselho de sua migestade, deputado de tribunal de consciencia e ordens, e do conselho dos tres estades, commissario geral da Bulla da sancta Cruzada nestes reinos et dominios de Portugal*, Lisboa, MDCXCVI; et venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generales inquisitores a Sede Apostolicâ specialiter deputati, auditâ librorum huiusmodi censurâ sibi relatâ, illos damnandos et prohibendos esse censuerint:

Damnatio et prohibitio cum mandato illos tradendi Ordinariis vel inquisitoribus.

§ 2. Hinc est quod nos, pro commissâ nobis divinitus gregis dominici curâ, animarum periculis atque detrimentis, quae ex eorumdem librorum lectione et usu provenire possent, pastorali sollicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere cupientes, de memoratorum cardinalium consilio, ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, libros supradictos et eorum quemlibet tenore praesentium damnamus et re-

1 Particula *quod* redundat (R. T.).

probamus, ac legi et retineri prohibemus, ipsorum librorum et eorum cuiuslibet impressionem, descriptionem, retentionem, lectionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo per quemquam, nisi per nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, omnino interdicimus. Volentes, et apostolicâ auctoritate praecipientes, ut, quicumque libros praedictos vel aliquem eorum penes se habuerint, illos seu illum, statim atque praesentes litterae ad eorum notitiam pervenerint, teneantur tradere atque consignare locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus, qui exemplaria sibi tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Clausulae. § 3. Ceterum, ut ipsae praesentes litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter et auctoritate praefatâ decernimus ut illae ad valvas basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae apostolicae, necnon Curiae generalis in Monte Citatorio, et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; sic vero publicatae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent; utque earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX decembris, MDCCVII pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 19 decembris 1707, pontif. anno VIII.

CVIII.

Declarantur nullae electiones duorum administratorum ecclesiarum Gnesnensis et Vladilasviensis, et quaecumque inde secuta et secutura, cum nonnullis ordinationibus [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex, in sublimi Apostolicae Sedis speculâ cum potestatis plenitudine a Domino constitutus, suo et Apostolicae Sedis inferiorumque ecclesiarum ac illarum praesulum iura, ex commissi sibi caelitus pastoralis officii debito, sarta tecta tueri, et, si quando ea temerariis quorumcumque ausibus violata esse novit, ab eiusmodi violationibus asserere studet, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, aequitati et iustitiae consentaneum esse in Domino arbitratur. Exordium.

§ 1. Ad nostri siquidem apostolatus notitiam non sine gravi animi nostri mo- Laicae potestatis attenti in ecclesiâ Gnesnensi.

1 Const. ed. MDCCVII, die 21 maii, pontif. VII, declarata fuerunt nulla acta pro electione episcopi Aquilani; constit. ed. MDCCVII, die 27 iulii, pontif. VII, damnata fuit concordia circa fructus ecclesiasticos ducatus Parmae et Placentiae cum militibus germanis; constitut. editâ MDCCXI, die 3 ianuarii, pontif. I, declaratur nulla deputatio vicarii de Seorga aliisque locis Ventimiliensis dioecesis; et const. ed. MDCCXI, die 28 iulii, pontif. XI, damnantur decreta Consilii Varsaviae de solutione fructuum ecclesiasticorum pro exercitu alendo.

lestiâ pervenit, quod, tametsi[1] nos aliàs, nempe die VII iunii MDCCVI, in concistorio nostro secreto, ut moris est, venerabilem fratrem Stanislaum Szembek, tunc episcopum Vladislaviensem, a vinculo quo tenebatur ecclesiae Vladislaviensis, cui tunc praerat, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, illum ad metropolitanam ecclesiam Gnesnensem, certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutam, de consilio et potestatis plenitudine paribus transtulerimus, ipsumque eidem ecclesiae Gnesnensi in archiepiscopum praefecerimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae Gnesnensis illi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque illi ad ecclesiam Gnesnensem huiusmodi transeundi licentiam tribuendo, necnon, tametsi subinde, nempe die XXV eiusdem mensis iunii, itidem in concistorio nostro secreto ipsi ecclesiae Vladislaviensi, per translationem huiusmodi vacanti, de personâ venerabilis fratris Constantini Szianiawski, nobis et cardinalibus praefatis ob suorum exigentiam meritorum acceptâ, de eorumdem cardinalium consilio auctoritate apostolicâ providerimus, ipsumque Constantinum eidem ecclesiae Vladislaviensi in episcopum praefecerimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae Vladislaviensis illi in spiritualibus et temporalibus plenarie similiter committendo, et aliàs, prout in binis seu pluribus nostris sub plumbo desuper expeditis litteris uberius continetur; ac tametsi demum ipsi Stanislaus archiepiscopus et Constantinus episcopus, post captam et apprehensam ecclesiarum praefatarum possessionem, suos in illis respective officiales constituerint et deputaverint: nihilominus non defuit, qui, omnium humanarum aeque ac divinarum legum immemor, nullâque ad id legitimâ auctoritate suffultus, sed solâ laicali potestate, seu potius armorum violentiâ fretus, per suas litteras dilectis filiis capitulo et canonicis dictae metropolitanae ecclesiae Gnesnensis die XVI septembris anni proxime praeteriti, seu alio veriori tempore, conscriptas, dictum Stanislaum archiepiscopum usurpatorem illius ecclesiae nuncupare, ac proinde ab ipsis capitulo et canonicis aliquem ex eorum gremio in administratorem bonorum eiusdem metropolitanae ecclesiae, perinde ac si illa adhuc vacaret, eligendum esse, temere, iniuste et sine ullo prorsus legitimo fundamento asserere praesumpsit; ac subinde non minus audacter per alias suas die XXIII eiusdem mensis septembris, seu alio veriori tempore, exaratas litteras eisdem capitulo et canonicis iniungere ausus fuit, ut omnes proventus dictae metropolitanae ecclesiae Gnesnensis tamquam vacantis a tempore obitus postremi illius archiepiscopi, tam praeteritos quam futuros, titulo mutui, futuro archiepiscopo, ut asseruit, per rempublicam resarciendi, in manibus cuiusdam capitanei commissarii a se nominati, ad effectum illos erogandi pro auctorandâ totius patriae militiâ, consignari, extradi et numerari absque ullâ cunctatione curarent, sub poenis per leges contra mandatorum regiorum transgressores statutis, ac adiectâ insuper executionis militaris comminatione.

Renuenti capitulo vis armatâ manu illata fuit.

§ 2. Successive vero, cum animadvertisset quod litterae huiusmodi et mandata in eis contenta (capitulo et canonicis praefatis obtemperare eis merito detrectantibus) inania prorsus et

1 Male edit. Main. legit *tamen* (R. T.).

absque ullo effectu remanebant, militaribus copiis, inter quas plures acatholicorum secum foederatorum legiones numerabantur, stipatus, versus civitatem Gnesnensem se contulit, ibique in oppido Shupen nuncupato, a dictâ civitate quatuor circiter milliaribus distante, easdem militares copias disposuit, deinde autem, per quemdam ablegatum suum ad eamdem civitatem missum, capitulum et canonicos praefatos ad electionem memorati administratoris, qui, officiali, quem praefatus Stanislaus archiepiscopus, ut praefertur, constituerat, amoto, regimen dictae metropolitanae ecclesiae Gnesnensis necnon curam et administrationem bonorum illius mensae archiepiscopalis susciperet, urgere coepit; comminando renuentibus omnimodam eiusdem metropolitanae ecclesiae desolationem omniumque illius mensarum archiepiscopalis et capitularis bonorum devastationem, aliaque similia gravissima damna in ipsorum perniciem et evertionem inferenda. Porro capitulum et canonici supradicti, eiusmodi minis perculsi, die III octobris proxime praeteriti, licet illa non esset dies capitularis, secluso, ut asseruerunt, contemptu clavium, ac declaratâ verbis erga hanc Sanctam Sedem obedientiâ illâ, quam reipsâ negabant, venerabilem fratrem Ioannem Dluzeuski episcopum Gratianopolitanum suffraganeum Chelmensem, ac dictae metropolitanae ecclesiae Gnesnensis custodem, in illius administratorem generalem, non tamen sine aliquorum dissensu, elegerunt, ac ipsi plenariam iurisdictionem administrationibus[1] huiusmodi de iure et consuetudine competentem tam in spiritualibus quam temporalibus concesserunt, totumque ei regimen tradiderunt. Subinde vero, nempe die XXI eiusdem mensis octobris, dictis militaribus copiis ipsam civitatem Gnesnensem adhuc circumsidentibus, adeoque eodem metu perdurante, electionem administratoris huiusmodi in omnibus et per omnia approbarunt et ratificarunt.

Non minus iniuste ac violenter actum cum ecclesiâ Vladislaviensi.

§ 3. Ceterum non minus iniuste ac violenter cum ecclesiâ Vladislaviensi actum fuit. Dilecti siquidem filii capitulum et canonici dictae ecclesiae Vladislaviensis (cum litteras, non dissimiles eis quae ad capitulum et canonicos Gnesnenses, sicut praemittitur, transmissae fuerant, imo eâdem die XXIII septembris proxime praeteriti eodemque nomine sibi conscriptas, et per eadem fere verba exaratas recepissent, in quibus scilicet, falso aeque ac temere praesupposito quod dicta ecclesia Vladislaviensis vacaret, fructus et proventus illius mensae episcopalis tam praeteriti quam futuri per aliquem e sui gremio eligendum administratorem colligendi, similiter titulo mutui per rempublicam futuro episcopo resarciendi, eidem capitaneo commissario ut praefertur nominato, pro auctorandâ quantocius patriae militiâ consignari demandabantur; et cum subinde ipsi gravium malorum comminationibus perterriti fuissent, nisi ad administratoris huiusmodi electionem devenissent), ut maiora scandala et infortunia imo et bonorum omnium iacturam evitarent, dilectum filium Adalbertum Ignatium Bardzinki, qui prius eiusdem ecclesiae Vladislaviensis officialis a praefato Constantino episcopo deputatus fuerat, in administratorem huiusmodi, itaut, titulo officialis in alium administratoris commutato, ceteroqui penes ipsum cura, regimen et gubernium dictae ecclesiae Vladislaviensis, ut prius, remanerent, eligere coacti fuerunt.

1 Forsan *administratoribus* (R. T.).

Causae praesentis declarationis de nullitate praedictorum electionum.

§ 4. Cum autem haec omnia per execrabilem, scandalosum ac a sacris canonibus et conciliorum generalium decretis, apostolicisque constitutionibus sub anathemate saepius damnatum saecularis potestatis abusum gesta fuerint, adeoque libertatem ecclesiasticam, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam, manifeste laeserint ac laedant, nostramque et Apostolicae Sedis auctoritatem, qua Stanislaum archiepiscopum metropolitanae Gnesnensi, et Constantinum episcopum praefatos Vladislaviensi respective ecclesiis supradictis, sicut praemittitur, praefecimus, gravissime et aperte violaverint et violent; ac praeterea animas pretioso Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi sanguine redemptas in gravissima pericula coniecerint, et deplorandis malis adhuc involvere pergant; novasque proinde et sane graviores multiplicibus illis atque diuturnis, quibus florentissimum olim, nunc perturbatissimum Poloniae regnum aerumnis premitur, calamitates adiungere noscantur: hinc est quod nos, qui iurium ecclesiasticorum supremi assertores in terris a Domino constituti sumus, necnon omnium ecclesiarum et christifidelium curam et sollicitudinem supremâ dispositione gerimus, regnumque praefatum et illius inclytam nationem paternâ charitate complectimur, tametsi non dubitemus venerabilem fratrem Iulium archiepiscoporum Nazarenum, nostrum et dictae Sedis in eodem regno nuncium, omnia, quae ei hac in re a nobis mandata fuerunt, quaeque proinde firma semper et salva esse volumus, sedulo ac fideliter, quantum sibi in praesenti infelicissimo illarum rerum statu permissum fuerit, iam implevisse, nihilominus, ex iniuncto nobis divinitus apostolicae servitutis munere, praefatarum Gnesnensis et Vladislaviensis ecclesiarum, illarumque praesulum indemnitati uberius consulere, nostraque et dictae Sedis iura sarta tecta atque illibata enixius tueri et conservare, necnon animarum huiusmodi periculis, quantum nobis ex alto conceditur, peramplius occurrere cupientes, ac omnium et singulorum in praemissis tam a capitulis et canonicis Gnesnensibus et Vladislaviensibus praefatis, quam ab administratoribus per eos, ut praefertur, electis, et aliis quibuscumque quomodolibet actorum et gestorum seriem, causam et occasiones, aliave quaelibet, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac exactissime et accuratissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, electiones eorumdem Ioannis episcopi in metropolitanae Gnesnensis, necnon Adalberti Ignatii in Vladislaviensis ecclesiarum praefatarum, earumque bonorum, redditnum et proventuum administratores, ac cuiuscumque iurisdictionis concessionem et regiminis traditionem, eis ab earumdem ecclesiarum Gnesnensis et Vladislaviensis capitulis et canonicis respective factas, ut praefertur, et quomodolibet ratificatas seu confirmatas, aliaque omnia et singula in praemissis vel circa ea, tam a capitulis et canonicis, quam ab administratoribus huiusmodi, vel illorum aliquo, praefatarum suarum electionum, eisque, sicut praemittitur, respective commissarum administrationum vigore seu praetextu, per se vel alios quomodocumque et qualitercumque acta, facta, gesta, mandata, decreta, ordinata vel disposita, ac forsan in futurum (quod Deus avertat) agenda, gerenda, facienda, man-

Declaratio ut in rubrica.

danda, decernenda et ordinanda, cum omnibus et singulis inde quovis modo secutis et quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, invalida, inania, irrita, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata et de facto praesumpta, nulliusque roboris, momenti et efficaciae esse et ab initio fuisse ac perpetuo fore, tenore praesentium declaramus et decernimus, illaque damnamus et reprobamus; ac nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, quatenus de facto processerunt, revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, nec ullum per ea ecclesiis earumque praesulibus praedictis preiudicium illatum fuisse, aut inferri quandocumque posse, sed ipsas ecclesias, earumque praesules in suis primaevis iuribus continuare debere, similiter declaramus, in omnibus et per omnia, perinde ac si illa numquam facta fuissent nec evenissent, neque unquam fierent vel evenirent.

Prohibitio, ne asserti administratores se ingerant in regimine dictarum ecclesiarum, sub diversis poenis.

§ 4. Quocirca Ioanni episcopo et Adalberto Ignatio administratoribus, ut praefertur, nulliter electis praedictis, et eorum cuilibet, in virtute sanctae obedientiae, ac sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae, necnon, ipsi quidem Ioanni episcopo sub suspensionis ab exercitio pontificalium et interdicti ab ingressu ecclesiae, dicto vero Adalberto Ignatio sub excommunicationis maioris, utrique demum sub privationis beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque per eos respective obtentorum, perpetuaeque inhabilitatis ad illa et alia similia vel dissimilia quaecumque in posterum quomodolibet obtinenda, ipso facto absque aliâ declaratione incurrendis poenis, districte prohibemus et interdicimus, ne, suarum irritarum electionum, sibique nulliter ut praefertur commissarum administrationum huiusmodi vigore seu praetextu, praefatarum Gnesnensis et Vladislaviensis respective ecclesiarum regimen suscipere et assumere, sive iam susceptum et assumptum de cetero retinere, minusque ullam iurisdictionem, potestatem vel auctoritatem in illis exercere, ullumve inibi actum iurisdictionalem facere seu continuare, neque illarum fructus, redditus et proventus percipere, seu forsan iam perceptos cuiquam alteri, nisi earumdem ecclesiarum respective praesulibus seu illorum legitimis procuratoribus, vel aliis quibus nos illos tradi vel consignari mandaverimus, tradere vel consignare ulterius audeant quovis modo seu praesumant. Eos quoque, qui illis vel eorum alicui scienter in praemissis paruerint, vel auxilium, consilium vel favorem quovis modo praestiterint, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae vel dignitatis fuerint, similibus poenis eo ipso innodamus, et innodatos fore, ac beneficia huiusmodi, quorum privationis poenam propter transgressionem praesentis prohibitionis per praefatos quomodolibet incurri contigerit, ipso facto absque aliâ declaratione vacare, illaque per quoscumque impetrari posse, decernimus itidem et declaramus; necnon eorumdem beneficiorum sic vacantium collationem, provisionem et omnimodam dispositionem, ac praefatarum poenarum absolutionem seu relaxationem nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus. Monentes insuper omnes utriusque sexus christifideles, de quorum aeternâ salute solliciti esse debemus, praefatos Ioannem episcopum et Adalbertum Igna-

tium nullam in eisdem ecclesiis, suarum irritarum ac invalidarum electionum, eisque nulliter et de facto, ut praefertur, respective commissarum administrationum huiusmodi vigore vel praetextu, sive quoad temporalia, sive quoad spiritualia, iurisdictionem aut potestatem habere vel habuisse; adeoque nec ullam, circa ea quae sacramentorum administrationem aut aliàs forum conscientiae vel contentiosum quomodolibet concernunt, auctoritatem interponere ullo modo valide posse nec potuisse; neque contra haec allegari vel praetendi posse excusationem ex communi errore; nam praeterquamquod satis omnibus notum erat, atque est, neutram ex ecclesiis praedictis vacare, et utramque illarum suum habere pastorem a nobis canonice constitutum, abusus saecularis potestatis in electione administratorum praedictorum fere communiter innotuit, omniumque recte sententiam horrore et detestatione reprobatus fuit, prout illum ab omnibus damnari et reprobari volumus.

Absolutio censurarum, in quas incurrerunt rei, summo Pontifici reservatur.

§ 5. Praeterea, cum notorii et explorati iuris sit, eos omnes, qui capitula et canonicos supradicta ad praemissa peragenda per se vel alios quoquomodo adegerunt, necnon adhaerentes, fautores, consultores et defensores eorum, quocumque tandem gradu seu dignitate quantumcumque sublimi praefulgeant, censuras omnes et poenas ecclesiasticas, a sacris canonibus, generalium conciliorum decretis, et apostolicis constitutionibus, ac praeserlim litteris die Coenae Domini singulis annis legi et promulgari solitis contra similia perpetrantes inflictas, damnabiliter eo ipso incurrisse; notum similiter omnibus esse volumus, illos a censuris et poenis eiusmodi, post debitam et condignam Ecclesiae ac partibus praestitam satisfactionem, nonnisi a nobis vel Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo constitutos, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo, cautione praestità, atque cum recidentià eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari posse.

Clausulae.

§ 6. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati et alii quicumque in praemissis seu eorum aliquo ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificà et individuà mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex alià qualibet etiam quantumvis iuridicà et privilegiatà causà, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensùs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientià et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros ef-

fectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos et eiusdem Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in[1] universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon praefatarum Gnesnensis et Vladislaviensis ecclesiarum, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praefatis aliisve quibuslibet personis, etiam quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus, et aliàs quomodolibet qualificatis ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV februarii MDCCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 4 februarii 1708, pontif. anno VIII.

CIX.

Confirmatur decretum capituli generalis fratrum recollectorum Discalceatorum Ordinis sancti Augustini Congregatio-

2 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

nis Hispaniae de casu, quo decederet vicarius generalis dictae Congregationis[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

A capitulo generali dictae Congregationis MDCCVI edita fuerunt duo insequentia decreta.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis fratrum eremitarum recollectorum Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispanicae Ordinis sancti Augostini, quod in capitulo generali dictae Congregationis in oppido civitate nuncupato Borgia in regno Aragoniae die XX maii MDCCVI celebrato, inter alia, duae sequentes constitutiones pag. 171 editae fuerunt, videlicet:

1. De magistris novitiorum.

I. Quod magistris primariis novitiorum trium domorum regularium, nempe Matritensis, Caesaraugustanae et Hispalensis, attentis eorum laboribus, ius ferendi suffragium sive votum in capitulis provincialibus suarum provinciarum competat, eâ tamen lege ut dicti magistri novitiorum ab immediatâ priorum iurisdictione exempti minime sint, et in omnibus et per omnia iisdem prioribus subiecti remaneant, quemadmodum alii religiosi subditi immediate illis subiecti reperiuntur, et quod in posterum ii religiosi, qui priorum alicuius domus, sive magni conventus, sive definitorii provinciarum, seu lectoris sacrae theologiae muneribus functi fuerint, in magistros novitiorum eligantur;

2. De casu, quo vacaret vicarius generalis.

II. Ac insuper in praedictis constitutionibus fol. 173 statutum fuit quood decedente vicario generali praedictae Congregationis, sive naturaliter, sive civiliter, in eius gubernio pro tempore existens prior provincialis provinciae, cuius est filius, usque ad complementum sexennii succedat, ad hoc ut omnes provinciae dignitatis honore per dictum sexennium aequaliter frui valeant, ac officia generalia pariformiter nonnisi post triennium cessent, necnon expensae occasione capitulorum faciendae evitentur; casu vero quo eumdem priorem provincialem in praedicti vicarii generalis officio succedere contingat, officium prioris provincialis huiusmodi vacet, et id, quod in constitutionibus super praecedentiâ rectoris provincialis dispositum reperitur, adimpleatur.

Confirmatio secundi tantum decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, capitulum generale praedictum confirmationem decretorum seu statutorum huiusmodi, pro firmiori illorum subsistentiâ et observatione, ab hac Sanctâ Sede impetrari mandaverit: nobis propterea praefatus procurator generalis tam suo quam dictae Congregationis nomine humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum (qui, attentâ relatione dilecti filii nostri Iosephi Renati eiusdem S. R. E. cardinalis Imperialis nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, eisdem cardinalibus factâ, quoad primum decretum resolutionem distulerunt) consilio, secundodictum decretum seu statutum capituli generalis dictae Congregationis Hispaniae, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis

1 Const. ed. MDCCIV, die 13 februarii, pontif. IV, declarata fuere privilegia provincialium absolutorum; et Benedicti XIII const. ed. MDCXXX die 14 februarii, pontif. V, reducitur alternativa pro electione vicarii generalis.

apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis praedictorum cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis Hispaniae et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x februarii MDCCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 10 februarii 1708, pontif. anno VIII.

CX.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de electione definitorum adiunctorum loco procuratorum generalium absentium Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Causa enarratur. § 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, in causâ Avenionensi seu Parisiensi inter dilectos filios clericos saeculares Congregationis Doctrinae Christianae in Galliâ ex unâ et quosdam particulares presbyteros provinciae Parisiensis eiusdem Congregationis Doctrinae Christianae ex alterâ partibus vertente, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Dubia proposita. In causâ Avenionensi seu Parisiensi vertente inter Congregationem Doctrinae Christianae in Galliâ ex unâ, et quosdam particulares presbyteros provinciae Parisiensis eiusdem Congregationis, partibus ex alterâ, desuper infrascriptis dubiis, nempe:

I. *An sequens decretum capituli generalis anni* MDCCV *sustineatur in casu, etc.: et, quatenus affirmative,*

II. *An beneplacitum apostolicum pro voce declarativâ sit concedendum?*

1 Innocentii XII constit. ed. MDCXCVIII, die 9 augusti, pontif. VIII, confirmatum fuit decretum de interventu quorumdam in capitulo provinciali; et in huius Pontificis const. ed. MDCCVIII, die 25 iulii, pontif. VIII, conceditur vox deliberativa praedictis definitoribus.

Decretum capituli generalis patrum Doctrinae Christianae Parisiis celebrati anno MDCCV.

Sessio XVIII. « Quia alter procurator generalis vel uterque simul possunt abesse a loco, ubi definitorium desit, sicque suam privare provinciam suffragio ipsi debito; statutum est, quod, ut iusta stabiliatur aequalitas iuxta id quod decretum fuit in novissimo generali capitulo, sessione XXXII, in eorum loco eligentur definitores adiuncti, qui voce fruantur consultivâ, illis absentibus, et non aliter, donec a Sanctâ Sede ipsis et deliberativa obtineatur, tum in definitorio, tum in capitulo generali, cum dicti procuratores generales ipsis adesse non poterunt: ad eorum autem electionem requiretur eadem et aetatis et professionis antiquitas quae ad aliorum officialium maiorum; locus eorum erit post secretarium generalem; quod si vel morte praeventi, vel aliâ quacumque ratione deficiant, eorum officio providebitur eo modo quo officia aliorum officialium maiorum »:

Decretum S. Congregationis.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, partibus ipsis informantibus, referente eminentissimo S. Clementis, respondit affirmative ad utrumque. Romae XXIII septembris MDCCVII — G. cardinalis CARPINEUS — F. archiepiscopus Nicaenus secret.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus procurator generalis praefatae Congregationis Doctrinae Christianae nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis Doctrinae Christianae huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV martii MDCCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 24 martii 1708, pontif. anno VIII.

CXI.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de iuramento in abbatum benedictionibus pro Congregatione Benedictino-Bavarica[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Lis orta inter abbates praedictos et quosdam episcopos.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, in causâ benedictionum novorum abbatum et iuramenti in illarum actu praestandi, inter dilectos filios modernum praesidem et abbates Congregationis Bavaricae monachorum Ordinis sancti Benedicti, ex unâ, et venerabiles fratres modernum Augustanum nonnullosque alios episcopos, ex alterâ partibus, vertente, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis.

In causâ vertente inter patres praesidem et abbates exemptae Congregationis Benedictino-Bavaricae, praetendentes in benedictionibus novis abbatibus impartiendis ab episcopis, tamquam Sedis Apostolicae delegatis, novos abbates non teneri ad aliud iuramentum, quam ad illud contentum in pontificali romano, iuxta decreta Congregationis particularis die XIV ianuarii MDCLXXXVII, ex unâ, et episcopum Augustanum nonnullosque alios episcopos, sustinentes novos abbates in actu dictarum benedictionum teneri praestare iuramentum fidelitatis, subiectionis et reverentiae ipsis episcopis eorumque ecclesiis, partibus ex alterâ, sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, partibus hinc inde auditis, referente eminentissimo Sperello, mandavit executioni demandari decreta praedicta Congregationis particularis, et censuit ac declaravit servandam esse formam praescriptam in pontificali romano pro abbatibus exemptis. Romae, XX aprilis MDCCVIII. — G. card. CARPINEUS. — FERDINANDUS archiepiscopus Nicaenus.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dictorum praesidis et abbatum praedictae Congregationis Bavaricae nobis subinde expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam,

1 Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVII, die 21 martii, pontif. XI, confirmatur decretum super dubiis circa constitutiones pro nuncio Helvetiorum.

quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis Bavaricae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII maii MDCCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 8 maii 1708, pontif. anno VIII.

CXII.

Damnatur et prohibetur liber sub titulo Traité de la puissance ecclésiastique et temporelle, etc.[1].

1 In const. edit. MDCCVII, die 19 decembris, pontif. VIII, damnati fuere libri Laurentii Pirez de Carvalho; et const. ed. MDCCVIII, die 13 iulii, pontif. VIII, damnatur *Le Noveau Testament, etc.*

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Damnatio et prohibitio dicti libri.

§ 1. Ex iniuncto nobis apostolicae servitutis munere, quo catholicae Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidemus, dominici gregis custodiae ingiter invigilantes, ac oves aeterni pastoris sanguine redemptas a perniciosarum doctrinarum venenis pastorali charitate, quantum nobis ex alto conceditur, praeservare satagentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium in tota republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede Apostolicâ specialiter deputatorum consilio, ac etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, librum quemdam gallico idiomate conscriptum, cui titulus: *Traité de la puissance ecclésiastique et temporelle,* anno MDCCVII typis (ut accepimus) impressum et in lucem editum, tenore praesentium damnamus et reprobamus, ac legi et retineri prohibemus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub excommunicationis poenâ per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo per quemquam, nisi per nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus absolvi possit, omnino interdicimus. Volentes, et auctoritate apostolicâ mandantes, ut quicumque librum praedictum penes se habuerint, illum, statim ac praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere atque consignare teneantur.

Clausulae.

§ 2. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius per-

ducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus et auctoritate praedictâ decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae apostolicae, necnon Curiae generalis in Monte Citatorio et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, itaut, sic publicatae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent; ipsarum autem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV maii MDCCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 14 maii 1708, pontif. anno VIII.

CXIII.

Confirmatur et innovatur constitutio Pauli V contra ambientes officia et dignitates in Congregatione canonicorum regularium S. Salvatoris Ordinis S. Augustini [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ecclesiae catholicae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad recidendam et excludendam a religiosis viris, quos in humilitatis spiritu Deo servire decet, ambitiosam[1] honorum et dignitatum cupiditatem pie prudenterque constituta esse noscuntur, apostolici muniminis nostri patrocinio libenter constabilimus, novisque praesidiis, ut serventur exactius, corroboramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam et religionis incrementum salubriter in Domino expedire arbitramur.

Refertur constitutio Pauli V.

§ 1. Dudum siquidem, per felicis recordationis Paulum PP. V praedecessorem nostrum accepto, quod quidam in Congregatione canonicorum regularium S. Salvatoris Ordinis S. Augustini, dignitatum et officiorum in dictâ religione ambitione ducti, pro iis consequendis ecclesiasticorum et saecularium principum aut aliarum personarum studia requirebant, et S. R. E. cardinalibus aliisque praelatis commendatitias litteras aliosque favores et gratias procurabant, quibus adiuti gradus et dignitates in eâdem religione consequi valerent; propterea dictus Paulus praedecessor, officia et dignitates pro meritis cuiuscumque absque ambitu conferri cupiens, per quasdam suas in simili formâ Brevis die XXII septembris MDCVII expeditas litteras, motu proprio et ex certâ scientiâ et merâ deliberatione suis, omnes et singulos canonicos regulares dictae Congregationis et Ordinis cuiuscumque gradus, status, conditionis, praeeminentiae, qualitatis et dignitatis existentes, qui de cetero, pro praelaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus et aliis officiis Congregationis et Ordinis praedictorum consequendis, ad principum et praelatorum ac aliarum quarumcumque personarum

1 Innocentii XII const. edit. MDCXCV, die 19 ianuarii, pontif. IV, statutum fuit ut serventur constitutiones de receptione regularium professorum; et in huius Pontificis const. ed. MDCCIX, die 18 martii, pontif. IX, extenditur indultum de praelaturis obtinendis.

1 Edit. Main. legit *ambitiosa* (R. T.).

tam ecclesiasticarum quam saecularium de gremio dictae Congregationis non existentium, etiam cardinalatus honore et quacumque saeculari dignitate et excellentiâ etiam imperiali, regali et ducali fulgentium, favores recurrissent, aut aliis viis illicitis ad huiusmodi praelaturas, gradus, honores et dignitates, administrationes et alia officia obtinenda aspiravissent, vel aliis minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere quaesivissent, ac iis obtentis usi fuissent, illorumque complices et fautores, ad quascumque praelaturas, dignitates, officia, gradus, honores, administrationes et munera in ipsâ Congregatione obtinenda perpetuo inhabiles declaravit, et obtentis per eos praelaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus et officiis huiusmodi eo ipso privavit, et sic promotos voce tam activâ quam passivâ carere decrevit et declaravit, atque in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poenâ, omnibus dictorum Congregationis et Ordinis superioribus, praelatis, canonicis, quocumque nomine nuncupatis, etiam priori generali, tunc et pro tempore existentibus, praecepit districteque mandavit, ne quempiam ullo tempore, precibus, litteris vel favoribus adducti, vel aliàs ad instantiam seu requisitionem vel contemplationem principum, etiam imperatoris, regum, ducum et rerumpublicarum, vel praelatorum, etiam eiusdem S. R. E. cardinalium, aut aliarum quarumcumque personarum tam saecularium quam ecclesiasticarum extra dictum gremium existentium, ad cuiusvis generis praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et officia dictae Congregationis promovere, vel poenas aliquas remittere auderent vel praesumerent; decernens[1] electiones et promotiones ad monasteria seu prioratus vel officia dictorum Congregationis et Ordinis, contra earumdem litterarum dispositionem quandocumque faciendas et pro tempore obtentas, nullas prorsus invalidasque fore et esse, ac omnes et singulos in praemissis delinquentes, nullâ aliâ admonitione praecedente, et absque processu desuper habendo, sententias et poenas praemissas irremissibiliter eo ipso incurrere, et, ad illos sententias et poenas praemissas damnabiliter incurrisse legitime probandum, solas praemissarum personarum instantiam, preces et favores, etiam oretenus porrectas, plenam, indubiam et sufficientem in iudicio et extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri; et aliàs, prout in praefatis Pauli praedecessoris litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Confirmatio et innovatio constitutionis Pauli V precibus procuratoris generalis facta.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Angelus Seraphinus Mastri procurator generalis praedictae Congregationis S. Salvatoris nobis nuper exponi fecit, praedictae Pauli praedecessoris litterae non ita exacte et accurate, ut par est, in eâdem Congregatione observentur: hinc est quod nos, considerantes quod nemo debet sibi assumere honorem nisi vocatus a Deo tamquam Aaron, ac proinde pravum hoc ambitionis malum omnino tollere et a dictâ Congregatione penitus excludere cupientes, ut Congregatio ipsa praeclarâ semper humilitatis religiosae laude floreat, illiusque munera, non mendicatis studiis, sed a viris virtute et meritis conspicuis obedienter suscipiantur et humiliter administrentur, ac dictum Angelum Seraphinum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicatio-

1 Male edit. Main. legit *decernentes* (R. T.).

nis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praedictas Pauli praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis censuris et poenis et aliis quibuslibet contentis in illis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac, quatenus opus sit, innovamus ac de novo constituimus, ordinamus, decernimus et declaramus, illaque omnia et singula inviolabiliter et inconcusse in praefatâ Congregatione S. Salvatoris perpetuo servari mandamus et praecipimus.

Clausulae cum mandato generali constitutionem affigendi et legendi.

§ 3. Volentes et eâdem auctoritate decernentes, easdem praesentes litteras, illarumque exempla etiam impressa, manu abbatis generalis ipsius Congregationis S. Salvatoris subscripta et eius sigillo munita, in locis patentibus uniuscuiusque monasterii affigi et perpetuo retineri, ac semel in anno per superiores quorumcumque monasteriorum inter alias constitutiones apostolicas legi et publicari, dictasque litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus et singulis illis quae praedictus Paulus praedecessor in litteris supradictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx iunii MDCCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 20 iunii 1708, pontif. anno VIII.

CXIV.

Conceditur vinea in loco Pariolo Congregationi de Propagandâ Fide de Urbe, cum erectione alumnatus pro uno iuvene nationis Epiri[1].

Clemens Papa XI.

URBIS MOTU PROPRIO.

Exordium.

Cum in iis, quae ad divinum cultum, sanctamque catholicam religionem ampliandam conservandamque pertinent, non tam operis initium, quam illius firmitas perpetuitasque spectanda sit; nos praecipuas muneris nostri partes esse intelligimus, nedum spiritualibus piorum institutorum ad id tendentium incrementis peculiari studio adniti, verum etiam temporalibus illorum commodis et tranquillitati prospicere, quos divina bonitas ad sacrum evangelicae praedicationis fideique propagandae ministerium adlegit, ut, tamquam digni operarii in agro Domini, cum tempus messis advenerit, strenue utiliterque laborent, et uberiorem in sinu Ecclesiae fructum, Deo benedicente, deponant.

Erectio collegii et causae emendi aliquem

§ 1. Sane, licet felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster

1 De erectione eius collegii et privilegiis, vide Urbani VIII constit. ed. MDCXXVII, die 1 augusti, pontif. IV; in aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCVIII, pontif. VIII, declaratur et conceditur exemptio a parocho S. Andreae de Fractis.

locum pro recreatione.

per quasdam suas litteras apostolicas optimo quidem consilio collegium seu seminarium apostolicum pontificium pastorale Urbanum nuncupatum pro excipiendis et alendis sacerdotibus saecularibus, et etiam clericis ad maiores tamen ordines infra certum tempus promovendis, bonis moribus, pietate et sanâ doctrinâ praeditis, ex omni gente et natione desumendis, ad effectum fidem catholicam et apostolicam in partibus infidelium, totoque terrarum orbe, etiam cum eorum vitae discrimine, si opus foret, propagandi et dilatandi, eamque tuendi et conservandi in iis locis ubi iam sata reperitur, erexerit et instituerit, aliaque statuerit, decreverit et ordinaverit pro felici gubernio collegii seu seminarii et alumnorum huiusmodi, ut in praedictis litteris super hoc editis plenius et uberius continetur: experientiâ tamen compertum est, iuvenes istos ex longinquis ac etiam extremis mundi partibus ad idem collegium seu seminarium accedentes, caelique qualitate ac vitae etiam ratione inter se maxime diversos, ex assiduâ in studiis ac piis exercitiis occupatione, quibus eorum natura assueta non erat, graviter affici, et, paulatim exinde contractarum aegritudinum causâ, aut praemature decedere, aut inhabiles ad labores in missionibus sustinendos evadere; quod non accidit Germanici pontificii ceterorumque similium collegiorum a clarae memoriae Gregorio XIII aliisque nostris praedecessoribus Romanis Pontificibus erectorum alumnis, quorum levamini, quieti et tranquillitati provide consultum est de aliquo ad amoenitatem facto loco, ubi vacationum tempore vel statutis horis intermisso studio honestae recreationis causâ conveniunt:

Studium cardinalium Congregationis pro

§ 2. Hinc propterea Congregatio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, quae cogitare et agere nunquam desinit ea quae primodictorum collegii et alumnorum bono profutura cognoscit, emptioni alicuius similis loci, seu vineae, prope et extra moenia Urbis, ubi iuvenes praedicti sanitatis vel oblectamenti causâ quandoque recreari et vires recipere valerent, pluribus ab hinc annis studiose incubuit, et nos postremo ad hunc effectum scuta quatuor mille monetae romanae obtulimus, ut ipsa Congregatio tot expensis missionum praegravata ab huiusmodi incommodo sublevaretur. Sed re ob enascentes passim difficultates hucusque protractâ (nam ubi inventa est opportunitas loci et salubritas aëris, defuit voluntas dominorum proprias vineas alienare renuentium, et ubi prompta erat occasio, deficiebant qualitates ad indigentiam exoptatae), dilectus tandem filius noster Petrus S. Laurentii in Damaso nuncupati S.R.E. diaconus cardinalis Ottobonus nuncupatus, eiusdem S.R.E. vicecancellarius, atque unus ex cardinalibus praefatae Congregationis, adeo utilis et salutaris deliberationis effectum ulterius differri non patiens, menti ac intentioni nostrae et dictae Congregationis adhaerens, necnon zelo propagationis sanctae Fidei et conservandae bonae valetudinis alumnorum ad munus apostolicum, divinâ favente gratiâ, vocatorum ductus, vineam in contradâ Parioli in eminentiori situ extra muros praedictae Urbis positam, aëris saluberrimi, cum palatio et aliis mansionibus de pertinentiis monasterii abbatiae nuncupatae S. Laurentii extra muros praedictae Urbis S. Augustini canonicorum regularium seu alterius Ordinis, cuius ipse Petrus cardinalis abbas seu perpetuus commendatarius ex commendâ ad sui vitam de praedicto monasterio

emptione alicuius loci, et scuta quatuor mille eo fine a Sanctitate Suâ oblata, et vinea a cardinali Ottobono in manibus Sanctissimi dimissa.

eidem Petro cardinali aliàs apostolicâ auctoritate factâ existit, sponte obtulit, et re ipsâ vineam praedictam in manibus nostris sponte et libere oretenus dimisit, cum reservatione tamen, favore abbatis seu commendatarii pro tempore existentis dicti monasterii, ne eidem monasterio ex dimissione praedictâ magnum inferatur praeiudicium, alicuius perpetui canonis seu annuae responsionis, et cum aliis conditionibus nobis benevisis et dicto monasterio utilibus.

Concessio de qua in rubrica.

§ 3. Nos itaque, qui primodicti collegii et alumnorum eius, quorum de praesenti numerus, comprehensis aliquibus iuvenibus Svetiae regni, ad quadraginta septem, ut accepimus, ascendit, statum prosperum et tranquillum intensis desideramus affectibus, ob laboriosum quem ipsi in vineâ Domini praestituri sunt famulatum, et propter uberes fructus quos in agro militantis Ecclesiae hactenus produxerunt utiliter ac producunt, et in futurum producturos firmâ spe tenemus, ut iidem promptiores semper alacrioresque ad sua officia in dies persolvenda reddantur, dignum arbitramur et congruum sollicitudinis nostrae partes in id etiam adiicere, per quod alicui honesto eorum sublevamini et servandae corporum saluti consulatur; ea quippe est humanae naturae conditio, ut, nisi animus remissione quadam rigorem intentionis suae interdum relevet et relaxet, irremisso vigore lentescens spiritus, cum necessitas poscit, virtuti obsecundare non valeat. Spontaneam igitur aeque ac piam dicti Petri cardinalis oblationem ac dimissionem praedictae vineae, ut supra in manibus nostris factam, et per nos motu proprio ac de apostolicae potestatis plenitudine nuper acceptatam, denuo per praesentes acceptantes et confirmantes, accedente tamen, quatenus opus sit, novo ipsius Petri cardinalis consensu, eamdem vineam, unâ cum palatio, tinello, ceterisque mansionibus et aedificiis in quacumque illius parte positis, ac eamdem vineam totam, quanta est intra suos notissimos fines (quos eisdem praesentibus, unâ cum praemissorum valore in proprietate ac annuis fructibus et redditibus, omnibusque et singulis aliis membris, iuribus et pertinentis, haberi volumus pro singillatim expressis, itaut specialitas illorum generalitati non deroget), in perpetuum, motu proprio, concedimus praefatae Congregationi de Propagandâ Fide, illiusque fructus, redditus et proventus, detracto infradicendo canone, cum aliis illius fructibus dictae Congregationi unimus et ad commodum eiusdem Congregationis annectimus et incorporamus; deque praefatâ vineâ, accedente, ut supra, dicti Petri cardinalis, uti eiusdem monasterii abbatis seu perpetui commendatarii, novo consensu, in perpetuum Congregationem praedictam, etiam pro sublevamine, augmento et conservatione alumnorum in praedicto eius collegio degentium, investimus. Canonem vero perpetuum, seu annuam et perpetuam responsionem eidem Petro cardinali, quoad vixerit et monasterium huiusmodi obtinuerit, et cuicumque alteri eiusdem monasterii abbati seu perpetuo commendatario pro tempore existenti, ratione concessionis, unionis, annexionis et incorporationis praefatarum, annuatim, duabus aequalibus solutionibus, pro unâ videlicet in domini nostri Iesu Christi a proxime venturâ incipiendo, et alterâ medietatibus canonis seu responsionis huiusmodi in S. Ioannis Baptistae immediate sequenti Nativitatum festivitatibus, et sic deinceps perpetuis futuris temporibus, de anno in annum, ac de termino in terminum, per Congregatio-

nem praefatam persolvendum seu persolvendam, in annuis scutis centum monetae romanae de iuliis decem pro quolibet scuto huiusmodi, motu pari, apostolicâ auctoritate, taxamus et reservamus, ac taxatum et reservatum, seu taxatam et reservatam esse volumus et decernimus, absque tamen ullo prorsus onere solutionis laudemii, seu, ut dicitur, entraturae seu *capisoldi*, nec non quindennii, tam dicti monasterii abbati seu commendatario pro tempore existenti, quam aliis quibusvis personis seu collegiis Romanae Curiae, etiamsi speciali notâ dignae sint, etiam officialibus Cancellariae nostrae apostolicae quomodolibet debiti, a qua solutione, quatenus de iure deberetur, dictam Congregationem perpetuo, motu simili, eximimus et absolvimus et plenarie liberamus; adiectâ quoque reciprocâ conditione respectu Congregationis praedictae necnon abbatis seu perpetui commendatarii dicti monasterii pro tempore existentis, quod, si ipsa Congregatio non perciperet ex dictâ vineâ fructus annuae responsioni seu annuo canoni huiusmodi correspondentes, ac etiam, detractis expensis, si nulli prorsus fructus ex grandine, siccitate aut alio quocumque infortunio, etiam non cogitato, colligerentur, nihilominus ipsa Congregatio eiusque bona ad integram annuam responsionem seu integrum annuum canonem, ut supra taxatam seu taxatum, in perpetuum obligata sint et ad canonis seu responsionis huiusmodi annuam solutionem teneantur, prohibitâ quacumque spe restauri, remissionis seu reductionis canonis seu responsionis huiusmodi; et e converso, quod si fructus ex dictâ vineâ colligendi in quacumque summâ, etiam ultra dimidiam, seu bessem, annuam responsionem seu annuum canonem huiusmodi excederent, dicti monasterii abbates seu commendatarii pro tempore existentes nihil ultra praetendere possint, attento quod dimissionis, a dicto Petro cardinali ut supra factae, totum commodum ac beneficium ad Propagationis Fidei et conservationis primodicti collegii alumnorum finem dirigitur; et hac lege ac hisce conditionibus ad concessionem et investituram huiusmodi devenire motu simili profitemur. Quibus salvis, liceat eidem Congregationi, eiusque ministris, quocumque nomine nuncupatis, corporalem dictae vineae possessionem, per se, vel alium, seu alios eorum nominibus, proprià auctoritate, absque spolii et attentatorum vitio, libere apprehendere, et apprehensam retinere, eiusque fructus et emolumenta quaecumque colligere, exigere, levare, ac in suos primodictique collegii et alumnorum in eo degentium usus convertere, cuiusvis licentià desuper minime requisità.

Scuta quatuor mille ut supra oblata donantur pro fundatione unius alumnatus provinciae Albaniae.

§ 4. Ac insuper, ut Congregatio praedicta gaudere possit commodo et utilitate scutorum quatuor mille monetae praedictae per nos ut supra oblatorum, volumus eamdem summam quatuor mille scutorum monetae huiusmodi per dilectum filium nostrum Iosephum tituli S. Mariae de Transpontina nuncupatae eiusdem S. R. E. presbyterum cardinalem Sacripantem nuncupatum, et nostrum prodatarium eiusdemque Congregationis praefectum, deponi in banco dilecti filii Francisci Monthioni seu S. Spiritus in Saxia nuncupati de Urbe ad creditum et dispositionem ipsius Congregationis, ad effectum tamen investiendi praefatam summam in tot locis montium cameralium non vacabilium, quorum fructus erogari debeant pro manutentione in primodicto collegio seu praefato seminario unius adolescentis ex provinciâ Epiri, vulgo Albania nuncupatâ, sub regulis et constitutionibus

eiusdem primodicti collegii seu praefati seminarii recipiendi et alendi, prout recipiuntur et aluntur ceteri alumni qui ibidem de praesenti degunt et educantur, sublatâ inter ipsum alumnum Albanensem et alios quacumque prorsus differentiâ, novumque huiusmodi alumnatum ceteris usque modo erectis et institutis motu pari adiungimus et annectimus. Dictique alumni Albanensis nominationem pro tempore, quoties nominandi casus evenerit, postquam tamen sua studia compleverit dilectus filius Petrus Rozovik in dicto collegio de praesenti degens et nostris sumptibus hucusque ibidem retentus et educatus, ad ipsam sacram Congregationem in perpetuum spectare, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus itidem volumus et mandamus.

Clausulae. § 5. Decernentes, praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, vel intentionis nostrae aut alio quopiam defectu notari, argui aut in controversiam ad quorumvis instantiam adduci, seu viâ[1] restitutionis in integrum vel reductionis ad terminos iuris aut aliàs quomodolibet revocari impugnarive posse, nec ex eo quod praemissa verificata non sint, aut quod ii, quorum interest, ad id vocati et auditi non fuerint, easdem litteras per subreptionem obtentas censeri, et propterea viribus carere, neque Congregationem praedictam illiusque ministros ad verificandum praemissa compelli et teneri, neque ob id nullas et irritas ac nullius momenti esse et fore censeri, sicque per quoscumque iudices, etc., etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictae S.R.E. cardinales, etc., sublatâ, etc., iudicari debere, etc., irritumque, etc., attentari, etc. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, necnon Lateranensis Concilii concessiones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, ac praedicti Urbani praedecessoris, necnon recolendae memoriae Symmachi, Pauli II, Pauli IV, et aliorum Romanorum Pontificum[1] praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, ac Pii IV de gratiis Camerae Apostolicae interesse quomodolibet concernentibus in dictâ Camera intra certum inibi praescriptum tempus praesentandis et registrandis, itaut praesentes in eâ praesentari et registrari nullo unquam tempore vel modo necesse sit, ac beati Pii V, felicisque recordationis Sixti V, et dicti Urbani VIII, necnon Clementis X, et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, super solutione annatarum et quindenniorum quomodolibet editis, necnon aliis quibuscumque apostolicis, etiam in generalibus conciliis editis et edendis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique monasterii et Ordinis praedicti, etiam iuramento, etc., roboratis statutis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis monasterio praedicto, illiusque abbatis et monachis seu canonicis regularibus, eidemque Congregationi, ac primodicto collegio seu praefato seminario, illius superioribus et personis, et aliis quibuscumque, in genere vel in specie, aut aliàs, in contrarium, sub quibuscumque tenoribus et formis, quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, et etiam nos, etiam motu proprio, etc., concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etc., etiamsi de illis, etc., eorum tenores, etc., illis aliàs, etc., permansuris, ad praemissorum validissimum

1 Potius lege *vi* (R. T.).

1 Vocem *Pontificum* nos addimus (R. T.).

effectum, motu et scientiâ paribus specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis. *Fiat motu proprio.* I. F. — Et cum absolutione a censuris ad effectum, etc., et quod dictae Congregationis seu primodicti collegii vel seminarii aliae concessiones, applicationes et gratiae ei illiusque alumnis quomodolibet concessae habeantur pro expressis, seu in toto vel parte exprimi possint in litteris, et de vineae praedictae concessione Congregationi huiusmodi seu primodicto collegio vel seminario praedicto, necnon de assignatione et donatione quatuor mille scutorum monetae huiusmodi, ad effectum reinvestiendi, ut supra, sub lege tamen et conditione fructus ex investimento huiusmodi proventuros integraliter erogandi, ut supra, nec non de perpetuâ reservatione iuris nominandi et eligendi alumnum ex provinciâ Epiri modo et formâ superius expressis, cum decreto, derogationibus, aliisque praemissis ut supra in litteris latissime extendendis; et quod praemissorum omnium et singulorum etiam denominatorum qualitercumque nuncupatorum situatio, aliorumque necessariorum maior et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris in formâ gratiosâ, et cum clausulâ *perpetuo et ad perpetuam rei memoriam*, etiam per viam de Curiâ, ut vocant, seu per viam secretam, absque alio signo vel contrasigno, si videbitur, expediendis, seu, si etiam videbitur, volumus quod sola praesentis nostri motus proprii signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in iudicio et extra, regulâ quacumque contrariâ non obstante, quodque praesentium transumptis, etiam impressis, et manu datarii seu prodatarii pro tempore existentis subscriptis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur[1] quae eisdem praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae: *Fiat* I. F.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, XI kalendas iulii anno VIII, cum decreto solius signaturae, seu etiam expeditionis litterarum per viam secretam, aut de Curiâ, et quod transumptis manu datarii seu prodatarii subscriptis fides habeatur.

Novus consensus cardinalis Ottoboni.

Die XXVII iunii MDCCVIII[2] eminentissimus et reverendissimus cardinalis Ottobonus S.R.E. vicecancellarius novum praestitit consensum ad formam dicti motus proprii, ac omnia et singula in eo contenta ratificavit et approbavit, ut latius ex instrumento stipulato per acta domini Petrucci Camerae Apostolicae secretarii.

Emptio locorum montium ex scutis quatuor mille.

Ex scutis quatuor mille per sanctissimum dominum nostrum Clementem XI pro fundatione alumnatus Albanensis elargitis fuerunt empta loca trigintaquatuor Montium, nempe triginta ex Monte S. Petri (v. erect., ut ex litteris patentibus expeditis die XXI iulii), et loca quatuor Montis Restaurati primae et secundae erectionum ex aliis litteris expeditis die XVI eiusdem mensis iulii MDCCVIII.

Dat. die 27 iunii 1708, pontif. anno VIII.

CXV.

Damnatur et prohibetur liber cui titulus: Le nouveau Testament en françois, etc., *vel* Abrégé de la morale de l'Évangile, etc. [3].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Universi dominici gregis cura humilitati nostrae caelitus demandata nos urget, ut

1 Vocem *habeatur* nos addimus (R. T.).

2 Male, ut puto, edit. Main. legit *1707* (R.T.).

3 Const. ed. MDCCVIII, die 14 mai, pontif. VIII, damnatus fuit liber *Traité de la puissance, etc.*; et const. ed. MDCCX, die 18 ianuarii, pontif. X, damnatur *Le mandement de l'évêque de St-Pons.*

sacrarum scripturarum, quibus potissimum Ecclesia catholica pascitur et nutritur, puritati et integritati custodiendae sedulo advigilemus, ac Christi fidelium animas, pretioso eius sanguine redemptas, pravis atque fallacibus docentium quae non oportet institutionibus decipi, aut a viâ veritatis abduci minime patiamur: salutaribus enim veterum patrum documentis instruimur, perversâ petulantium ingeniorum interpretatione de Evangelio Christi fieri evangelium hominis, et in populi Dei seductionem et exitium cedere, si praesertim pietatis obtentu offendicula parentur incautis, et catholicae veritati velut zizania in medio tritici mala semina misceantur erroris.

Referuntur liber et eius damnationis causae.

§ 2. Cum itaque, sicut accepimus, in lucem prodierit liber quidam gallico idiomate impressus, et in plures tomos distributus, sub titulo *Le nouveau Testament en françois avec des réfléxions morales sur chaque verset, etc. A Paris, 1699:* ac aliter: *Abrégé de la morale de l'Évangile, des Actes des Apostres, des épistres de St-Paul, des épistres canoniques, et de l'Apocalypse, ou pensées chrétiennes sur le texte de ces livres sacrés, etc. — A Paris, 1693 et 1694. — Se vend à Bruxelles chez Eugène Henry Friex;* ac pluries typis recusus fuerit, non sine bonorum offensione et ingenti animarum periculo propter eius frequentem etiam in variis provinciis lectionem et usum, quemadmodum pariter ad apostolatum nostrum multorum quaerelâ delatum est; nos librum huiusmodi nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus aliisque in sacrâ theologiâ magistris mature, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus. Illi vero mandatis nostris obsequentes librum ipsum, post accuratam eius discussionem, unanimi consensu prohibendum esse censuerunt, utpote qui sacrum ipsum Novi Testamenti textum exhibet damnabiliter nec sine ausu temerario vitiatum, et alteri versioni gallicae, dudum a felicis recordationis Clemente PP. IX praedecessore nostro per quasdam suas in simili formâ Brevis die XX aprilis MDCLXVIII expeditas litteras damnatae, in multis conformem, a vulgatâ vero editione, quae tot saeculorum usu in Ecclesiâ probata est, atque ab orthodoxis omnibus pro authenticâ haberi debet, multipliciter discrepantem et aberrantem, notas insuper et observationes continet habentes quidem speciem pietatis, sed ad virtutem eius abnegandam subdole deducentes, in quibus passim occurrunt doctrinae et propositiones seditiosae, temerariae, perniciosae, erroneae, aliâs damnatae, et iansenianam haeresim manifeste sapientes.

Damnatio et prohibitio dicti libri, cumm audato illum tradendi Ordinarii vel inquisitoribus.

§ 3. Hinc est quod nos, creditum nobis a Domino pastoralis curae atque vigilantiae munus, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter exequi cupientes, de eorumdem cardinalium consilio, librum supradictum, sive praemissis sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque et quocumque alio idiomate seu quavis editione aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, damnamus et reprobamus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo a quoquam (praeterquam a nobis, seu Romano Pontifice pro tempore exi-

stente) nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus et prohibemus. Volentes, et eâdem auctoritate mandantes, ut quicumque librum huiusmodi penes se habuerint[1], vel in futurum quandocumque habebunt[2], illum, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere atque consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Clausulae. § 4. Ut autem eaedem praesentes litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, et auctoritate praedictâ decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae apostolicae, necnon Curiae generalis in Monte Citatorio, et in acie Campiflorae de Urbe, per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, itaut sic publicatae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent; ipsarum autem litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII iulii MDCCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 13 iulii 1708, pontif. anno VIII.

1 Edit. Main. legit *habuerit* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *habebit* (R. T.).

CXVI.

Conceditur vox deliberativa definitoribus adiunctis Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Ab hoc Pontifice confirmatum fuerat decretum de voce deliberativa pro definitoribus adiunctis.

§ 1. Aliàs nos in causâ Avenionensi seu Parisiensi inter dilectos filios clericos seculares Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia, ex unâ, et quosdam particulares presbyteros provinciae Parisiensis eiusdem Congregationis, ex alterâ partibus, vertente, ad supplicationem dilecti etiam filii Ioannis Fallot procuratoris generalis dictae Congregationis, decretum infrascriptae cardinalium Congregationis, quo duobus dubiis (primo scilicet, an decretum capituli generalis anno MDCCV sess. XVIII editum circa electionem definitorum adiunctorum in locum procuratorum generalium absentium, qui voce fruerentur consultivâ illis absentibus, et non aliter, donec a Sanctâ Sede ipsis et deliberativa obtineretur tum in definitorio tum in capitulo generali, sustineretur in casu etc.[2]; et quatenus affirmative, ac secundo, an beneplacitum apostolicum pro voce deliberativâ esset concedendum) ad utrumque affirmative responsum fuerat, toto illius tenore inserto, auctoritate apostolicâ confirmavimus et approbavimus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiecimus, et aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XXIV martii proxime praeteriti expeditis litteris, quarum tenorem presentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius conti-

1 Haec vox concessa fuerat et confirmata in constit. ed. MDCCVIII, die 24 martii, pontif. VIII; item conceditur definitorio adiuncto const. ed. MDCCXIV, die 11 iunii, pontif. XIV.
2 Male edit. Main. legit *etiam* pro *etc.* (R. T.).

netur. Cum autem, sicut dictus Ioannes procurator generalis nobis nuper exponi fecit, dilectus etiam filius Anselmus Espittalier, clericus dictae Congregationis Doctrinae Christianae, ad munus definitoris adiuncti huiusmodi assumptus fuerit; ipse vero Ioannes procurator generalis, ne unquam futuris temporibus de validitate electionis praedicti definitoris adiuncti, minusque de beneplacito apostolico pro eâdem voce deliberativâ dubitari possit, electionem de personâ dicti Anselmi definitoris adiuncti per nos confirmari, illique, ac eius ad idem munus pro tempore assumendis successoribus vocem deliberativam concedi plurimum desideret:

Nova concessio dictae vocis deliberativae iuxta decretum capituli generalis MDCCV.

§ 2. Nos, ipsum Ioannem procuratorem generalem specialibus favoribus[1] et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, eidem Anselmo, eiusque in dicto definitoris adiuncti officio successoribus, vocem deliberativam tam in capitulo generali quam in definitorio, cum omnibus privilegiis et conditionibus in decreto capituli generalis dicto anno MDCCV sess. XVIII edito contentis, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

1 Edit. Main. legit *favoris* (R. T.).

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto Anselmo, aliisque ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis Doctrinae Christianae huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV iulii MDCCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 25 iulii 1708, pontif. anno VIII.

CXVII.

Conceditur fratribus Tertii Ordinis sancti Francisci provinciae Lugdunensis, ut decedente ministro provinciali sex

mensibus ante capitulum vicarius generalis non eligatur[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii minister provincialis, quatuor definitores, et exprovincialis provinciae Lugdunensis, sive S. Ludovici, tertii Ordinis sancti Francisci, totum et integrum definitorium conficientes, quod, cum ipsi (nonnulla inconvenientia ex executione quarumdam litterarum felicis recordationis Alexandri Papae VII[2] praedecessoris nostri die XVI februarii MDCLX expeditarum, quibus electio vicarii provincialis casu obitus ministri provincialis demandatur, oriri posse animadvertentes, ex eo quod, in predicto casu obitus ministri provincialis, exprovincialis curare debet ut ad electionem vicarii provincialis modo in praefatis litteris praescripto procedatur, et, eveniente dicti ministri provincialis brevi tempore ante triennium sui officii elabendum obitu[3], coetum ad dictam electionem non tantum fore inutilem, verum perturbationes in praefatâ provinciâ moramque pro celebratione capituli subsequentis allaturum esse) ad tollenda inconvenientia huiusmodi dilecto filio Cherubino a Lugduno, fratri[4] expresse professo et procuratori provinciae huiusmodi, dederunt in mandatis, ut memoratarum Alexandri praedecessoris litterarum explicationem ab infrascriptâ cardinalium Congregatione postularet, quatenus, si in praedicto ministri provincialis[1] obitus adventu sex solum menses usque ad celebrationem sequentis capituli provincialis supersint, nulla in posterum electio vicarii provincialis fieri debeat, sed exprovincialis, vel, in eius defectum, alius qui tunc sigillorum et negotiorum provinciae geret curam, provinciam ipsam cum omnimodâ vicarii provincialis potestate usque ad tempus capituli celebrandi praefinitum gubernet, litterasque obedientiales pro convocando eodem capitulo, ad quos de iure accedere competit, transmitti, ceteraque omnia, quae de iure et consuetudine sunt, peragi curet, quemadmodum provinciae Parisinae dicti Ordinis a piae memoriae Innocentio Papa XI praedecessore nostro concessum fuisse memoratur. Nobis propterea exponentes et Cherubinus praedicti humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praedicta.

§ 2. Nos igitur, eosdem exponentes et Cherubinum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, ut, si ab obitu ministri provincialis sex menses dumtaxat supersint usque ad celebrationem futuri

1 Vide allegata in § 1. — In Innocentii XII const. ed. MDCXCIII, die 19 octobris, pontif. III, extat resolutio quorumdam dubiorum; et in huius Pontificis constit. edit. MDCXVIII, die 14 maii, pontif. XVIII, agitur de receptione guardiani et aliorum officialium S. Mariae Miraculorum de Urbe.

2 Male edit. Main. legit *VIII* (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *obitus* (R. T.).

4 Male edit. Main. legit *fratre* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *ministro provinciali* (R. T.).

capituli provincialis, nulla deinceps vicarii provincialis electio fieri debeat, sed exprovincialis, vel, in eius defectum, alius qui tunc sigillorum et negotiorum provinciae curam geret, eamdem provinciam cum omnimodâ vicarii provincialis auctoritate gubernet, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, praedictorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX augusti MDCCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 9 augusti 1708, pontif. anno VIII.

CXVIII.

Confirmatur decretum magistri generalis eremitarum S. Augustini, quo revocatur alternativa in provinciâ B. M. V. de Gratia in Indiis Occidentalibus [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Augustinus Garzia de Galves, frater expresse professus ac in Romanâ Curiâ procurator provinciae B. Mariae Virginis de Gratiâ nuncupatae in Indiis Occidentalibus Ordinis Eremitarum S. Augustini, in sacrâ theologiâ magister, quod aliàs, videlicet die III octobris proxime praeteriti, dilectus etiam filius Adeodatus Nuzzi, prior generalis Ordinis praedicti, decretum super nullitate alternativae dictae provinciae inter religiosos Hispanos in Europâ, et Hispanos ex aliâ parte in Americâ natos, *Crioli* vulgo nuncupatos, ab aliis tunc existentibus prioribus generalibus praedecessoribus suis in dicto decreto emanatis [2] praescriptae, edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum prioris generalis. Adeodatus Nuzzi ab Altamura, sacrae theologiae magister, totius Ordinis fratrum eremitarum sancti patris nostri Augustini prior generalis. Muneris nostri ratio exposcit, ut, quae ad rectum provinciarum regimen spectant, efficaci sollicitudine promoveamus, eaque omnia removere satagamus quae in provinciis ipsis providam et fidelem bonorum administrationem, studiorum profectum, ac regularem disciplinam evertere ac dissipare moliuntur. Sane ex alternativâ in provinciâ nostrâ Deiparae Virginis de Gratia

1 Vide allegata in § 1. — In const. ed. MDCCIV, die 19 aprilis, pont. IV, confirmata fuit alternativa in provinciâ Portugalliae; const. ed. MDCCXVI, die 26 octobris, pontif. XVI, confirmatur alternativa in Lusitania et Algarbiis; et const. edit. MDCCXIII, die 21 iunii, pontif. XIII, agitur de electione provincialium in Indiis Occidentalibus.

2 Potius lege *nominatis* (R. T.).

novi regni Granatensis in Indiis Occidentalibus Hispanos inter ac Criollos, ut vocant, pro officio provincialatus, definitorum et visitatorum a reverendissimo praedecessore nostro Philippo Vicecomite sub die XXIII octobris anno MDCXLIX institutâ, et deinde a reverendissimis pariter praedecessoribus nostris Dominico Valvasorio sub die IV maii anno MDCLXXX, et Fulgentio Travallonio sub die XXII ianuarii anno MDCLXXXIX confirmatâ, quae tamen effectu suo caruit usque ad annum MDCLXXXI, resistente usque ad tempus illud statutae alternativae executioni provinciâ, utpote quae futura mala inde exoritura optime praevidebat, nullum revera in laudatam provinciam commodum, decorem nullum, quinimo gravissima detrimenta tam in temporalibus quam in spiritualibus redundare non sine ingenti cordis nostri dolore experimur. Nam (cum, ob parvum Hispanorum numerum eâdem in provinciâ commorantium, qui ternarium aliquando non excedunt, quique[1] requisitis per sacras Ordinis constitutiones ad officia obtinenda praescriptis saepe saepius destituti reperiuntur, eligi necesse sit ex vi memoratae alternativae in definitores, in visitatores, et, quod lacrymabilius est, in provinciales etiam, viros inidoneos, indoctos, rerum agendarum inexpertos, nullâ virtute probatos, et aliquando a propriis provinciis exules atque profugos) dictu inexplicabile est quot et quae damna miserrima provincia sub talibus superioribus constituta patiatur; inde enim naturali quadam consecutione exoriuntur bonorum temporalium dilapidationes, litterarum contemptus, ac regularis disciplinae relaxatio. Iis propterea malis occurrere volentes, super quibus ut opportune provideamus instantissime nomine provinciae reverendus pater magister frater Augustinus Garzia de Galtes, eiusdem provinciae in hac Aulâ Romanâ procurator nos urget, re[2] mature diuque in nostrâ Congregatione discussâ, nullum aliud remedium provinciae saluti consentaneum adhiberi posse iudicavimus, quam e medio tollere praedictam alternativam, nunc dictorum malorum causam, quamvis ex fine provinciae succurrendi a laudatis praedecessoribus nostris prudenter institutam et respective confirmatam. Harum itaque serie litterarum, nostrique muneris auctoritate, necnon de consilio admodum RR. PP. memoratae nostrae Congregationis, praedictam alternativam a Philippo Vicecomite in provinciâ nostrâ Deiparae Virginis de Granata[1] novi regni Granatensis in Indiis Occidentalibus institutam, et a Dominico Valvasorio, Fulgentio Travallonio, aliisque forsan praedecessoribus nostris, confirmatam, irritamus, cassamus et annullamus, prout, irritam, cassam et nullam esse et fore, volumus, decernimus et declaramus; ac proinde damus et concedimus, seu verius restituimus eidem provinciae novi regni Granatensis plenam facultatem, quae ipsi de iure aliâs competit, sibi eligendi perpetuis futuris temporibus in provincialem, definitores, visitatores, priores et reliquos officiales, sive ex Hispanis, sive ex Criolis, eos viros quos ad praedicta officia respective adimplenda in Domino iudicaverint aptiores. Praecipimus vero omnibus et singulis nobis subditis, in virtute Spiritus Sancti et in meritum salutaris obedientiae, necnon sub rebellionis nostrae, privationis utriusque vocis, officiorum et graduum, ac etiam excommunicationis maioris latae sententiae ipso facto incurrendae, quam, hac unâ pro trinâ canonicâ monitione praemissâ, in his scriptis (licet inviti) ferimus, aliisque nostro arbitrio reservatis poenis, ne, ullo quaesito colore aut praetextu, sint impedimento, quominus praesentes nostrae litterae, quas firmas, validas et efficaces semper esse volumus, suos plenarios et integros effectus sortiantur et obtineant; irritum atque inane declarantes quidquid super his a quoquam nobis inferiore quomodolibet, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Datum in conventu nostro S. patris Augustini de Urbe, die III octobris MDCCVII. — Fr. ADEODATUS NUZZI generalis magister. — Fr. IOSEPHUS MARCHETTI Forosemproniensis, Ordinis secretarius.

1 Male ed. Main. h. *quinque* pro *quique* (R.T.).

2 Pessime edit. Main. legit *urgere*, *mature*, pro *urget*, *re mature* (R. T.).

1 Antea dicta fuit *de Gratiâ* (R. T.).

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Augustinus Garzia procurator praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius Augustini Garziae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium, qui relationem dilecti filii nostri Iosephi Renati eiusdem S. R. E. cardinalis Imperialis nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, perpenderunt, consilio, praeinsertum memorati Adeodati prioris generalis decretum, cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV augusti MDCCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 14 augusti 1708, pontif. anno VIII.

CXIX.

Declaratur collegium de Propaganda Fide in Urbe exemptum esse a parocho S. Andreae de Fractis, cum novâ concessione exemptionis, illudque collegii rectori vel alteri subiicitur [1].

1 Ab Urbano VIII const. edit. MDCXXVII, die 1 augusti, pontif. IV, erectum fuit hoc collegium, eique concessa privilegia; et in huius Pontificis constit. edit. MDCCVIII, die 21 iulii, pontif. VIII, illi concessa fuit quaedam vinea.

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Inter alia privilegia ab Urbano VIII concessa extat exemptio a vicario Urbis et parocho, quae postea confirmata fuit.

§ 1. Cum, sicut accepimus, licet felicis recordationis Urbanus PP. VIII praedecessor noster, per quasdam suas super erectione collegii seu seminarii apostolici de Propaganda Fide Urbani nuncupati de Urbe, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVII, kalendis augusti, pontificatus sui anno IV, litteras, inter alia, dictum collegium seu seminarium, illiusque oeconomos, rectorem, ministros, praeceptores et alumnos pro tempore existentes, illorumque domesticos, officiales et ministros, ab omni iurisdictione tunc et pro tempore etiam existentis sui et Romanorum Pontificum successorum suorum in dictâ Urbe vicarii in spiritualibus generalis auctoritate apostolicâ exemerit, ipsisque collegio seu seminario, rectori, scholaribus, praeceptoribus, magistris, oeconomis, officialibus, ministris et personis, ut[1] quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratiis et indultis, quibus alia germanicae, anglicae et graecae nationum collegia in Urbe praedictâ instituta, illorumque rectores, scholares, praeceptores, magistri, oeconomi, officiales, ministri et personae, quovis modo utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere poterant et possent quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed aeque principaliter et pariformiter in omnibus et per omnia uti et gaudere valerent, dictâ auctoritate indulserit, adeoque eidem collegio, vigore indulti huiusmodi ac insuper nonnullorum decretorum die XXIX aprilis ac die XII augusti MDCXLVII a Congregatione tunc existentium S.R.E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositâ editorum, et a recolendae memoriae Innocentio Papa X praedecessore pariter nostro approbatorum, exemptionem a parocho, ac ius sepulturae pro alumnis et ministris ipsius collegii intra illius septa degentibus, ac administrandi illis SS. Eucharistiae, etiam pro Viatico, ac Extremae Unctionis sacramenta, iuxta aliorum collegiorum praedictorum, pacificâ possessione exemptionis et iuris huiusmodi gaudentium, consuetudinem, competere dignoscatur; nihilominus modernus parochus seu rector parochialis ecclesiae S. Andreae de Fractis nuncupatae de eâdem Urbe, Ordinis fratrum S. Francisci de Paula Minimorum etiam nuncupatorum, nuper sequuto obitu quondam Ioannis Patritii praefatae Congregationis cardinalium ministri, litem dicto collegio coram dilecto filio nostro in Urbe praedictâ vicario in spiritualibus generali super consignatione cadaveris dicti Ioannis et emolumentorum parochialium moverit, emanato desuper quodam decreto provisionali, ac, sequuto pariter quondam Iosephi Zambecchini, alterius eiusdem Congregationis ministri, qui in saeculari et collegiatâ ecclesiâ S. Eustachii de dictâ Urbe, in qua canonicatum et praebendam, dum viveret, obtinebat, sepulturam sibi elegerat, obitu, quartam funeralium et alia iura parochialia praetenderit, ipsos Ioannem et Iosephum, licet, uti ministri huiusmodi ac intra collegii praedicti septa defuncti, nullatenus ei subessent, inter ceteros parochianos suos absque ullâ distinctione recensendo: hinc est quod nos, litem et causam huiusmodi dirimere, ac, ne ullae aliae similes controversiae dicto collegio in posterum inferantur, providere, eidemque collegio specialem gratiam facere volentes, necnon litis et causae earumdem statum et merita, ac dictum decretum provisionale, nominaque et cognomina, ac qualitates indicum

[1] Particulam *ut* nos addimus (R. T.).

et collitigantium, et alia quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et specificatis habentes, de Congregationis nonnullorum ex dilectis filiis Romanae Curiae praelatis super hoc negotio specialiter deputatae consilio, ac etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, litem et causam huiusmodi, in statu et terminis in quibus dè praesenti reperiuntur, a praedicto vicario nostro aliisque iudicibus quibuscumque ad nos harum serie avocamus, illasque perpetuo supprimimus et extinguimus, ac perpetuum desuper tam moderno quam pro tempore futuris dictae parochialis ecclesiae rectoribus seu parochis, aliisque quibuscumque, silentium imponimus, osque occludimus.

Declaratio exemptionis, eiusque nova concessio, et subiectio rectori collegii, vel alteri deputando, non tamen quoad sacramentum matrimonii.

§ 2. Praeterea collegium seu seminarium praedictum, eiusque ministros intra illius septa degentes, a quibusvis iuribus parochialibus exemptos esse tenore praesentium decernimus et declaramus; et nihilominus, ad maiorem cautelam, idem collegium seu seminarium, ac omnes et quoscumque illius ministros et officiales, rectorem, magistros seu lectores, alumnos et convictores, necnon famulos et alios praefatae cardinalium Congregationi ac ipsi collegio quomodolibet inservientes, intra tamen eiusdem collegii ac illius palatii septa degentes, a parochiâ seu parochiali ecclesiâ praedictâ, dictoque moderno ac pro tempore existente illius rectore seu parocho vel vicario curato, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, earumdem tenore praesentium, perpetuo eximimus et plenarie liberamus, eosque sic exemptos et liberatos moderno pariter et pro tempore existenti dicti collegii rectori, seu alteri ab eo vel a dictâ Congregatione cardinalium deputando, in iis quae ad administrationem SS. Eucharistiae, etiam pro Viatico, ac Extremae Unctionis sacramentorum praedictorum, aliisque omnibus quae ad animarum curam spectant, penitus et omnino subiicimus, itaut cura personarum sic exemptarum ad rectorem collegii seu deputandum huiusmodi privative quoad praedictum parochum (exceptâ dumtaxat administratione sacramenti matrimonii quoad officiales et alios inservientes, qui hac tantum ratione parocho et parochiae praedictis subsint), tam super administratione omnium aliorum sacramentorum, quam iure sepeliendi in ecclesiâ dictae Congregationis cardinalium, absque ullâ quartae vel aliorum iurium parochialium, etiamsi in aliâ ecclesiâ sepultura electa fuerit, solutione, spectet et pertineat, ac spectare et pertinere debeat, non secus ac si palatium et collegium praedicta extra limites dictae parochiae sita, et ab eâ prorsus dismembrata essent, ipseque collegii rector unicus ac verus et proprius earumdem personarum intra ambitum palatii et septa collegii commorantium, et ut praefertur inservientium, parochus existeret. Quapropter dicto moderno et pro tempore existenti parocho districtius inhibemus, ne in posterum se in praemissis ingerere, ac desuper collegium, seu seminarium, ac personas et rectorem praedictos, seu eorum aliquem, molestare audeat quovis modo seu praesumat.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod dictus parochus, seu alii in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae et dignitatis,

seu aliàs speciali et individuâ mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes litterae emanarint, adductae, specificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, legitimâ et privilegiata causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quamtumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad viam seu terminos iuris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti posse; sed ipsas praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales et alios quoslibet, quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, et in conciliis etiam universalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, nec non parochialis ecclesiae praedictae, aliisque quibusvis, sub quibuscumque[1], etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem parochiali ecclesiae, dictoque illius rectori seu parocho, aliisque quibusvis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, ac pluries innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Contrariorum derogatio.

1 Verba *sub quibuscumque* delenda (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII augusti MDCCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 18 augusti 1708, pontif. anno VIII.

CXX.

Mandatur ut festum Conceptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae de praecepto ubique observetur [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Commissi nobis divinitus sacrosancti apostolatus officii exigit ratio, ut gloriosissimae Virginis Dei genitricis Mariae, cuius Conceptio gaudium annuntiavit universo mundo, venerationem et cultum, plurium Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum more, ampliare studentes in terris, illius, quae super choros angelorum exaltata pro populo christiano sedula exoratrix apud eum, quem genuit, assidue intercedit in caelis, potentissimam opem in tot tantisque, quibus premimur, christianae reipublicae et catholicae Ecclesiae necessitatibus, quantum nobis ex alto conceditur, promereri iugiter satagamus.

Mandatum praedictum. § 1. Sincerâ itaque nostrâ erga eamdem augustissimam caeli reginam, patronam, advocatam nostram, devotione incitati, festum Conceptionis ipsius beatae Mariae Virginis Immaculatae ubique terrarum in posterum ab omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, sicut alia festa de praecepto observationis festorum comprehendi [2], auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus, praecipimus et mandamus.

1 Innocentii XII const. edit. MDCXCIII, die 15 maii, pontif. II, mandata fuit ubique recitatio officii et missae cum octavâ.

2 Syntaxim esse mendosam quisque sentit (R. T.).

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Clausulae.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI decembris MDCCVIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 6 decembris 1708, pontif. anno IX.

CXXI.

Statuitur ut executioni mandetur constitutio Clementis X de facultate mittendi discretum et iuvenes ad conventum Parisiensem fratrum Minorum de Observantiâ pro superioribus provinciae Aquitaniae antiquioris Ordinis [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Dudum felicis recordationis Clemens Papa X praedecessor noster, supplicationibus tunc existentis ministri provincialis provinciae Aquitaniae antiquioris Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum [2], superioribus regularibus, ad quos ceteroqui iuxta praescriptum eiusdem Ordinis constitutionum pertinebat, ut discretum et iuvenes ad magnum conventum Parisien- Expositio.

1 Laudata constitutio hic refertur, et edita fuit MDCLXXI, die 18 octobris, pontif. III. Item huius Pontificis const. edit. MDCCV, die 28 septembris, pontif. V, concessa fuit haec facultas; et const. edit. MDCCX, die 21 ianuarii, pontif. X, confirmantur regulae collegii S. Bartholomaei in Insulâ de Urbe.

2 Deest *inclinatus*, aut simile (R. T.).

sem, prout ante quarumdam in formâ Brevis litterarum expeditionem consueverant, studiorum causam mittere possent et valerent, facultatem concessit et impartitus fuit, prout continetur in ipsius Clementis praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis tenoris qui sequitur, videlicet :

Constitutio Clementis X qua superioribus provinciae redditum fuit ius mittendi discretum, et iuvenes ad conventum Parisiensem, in quo iam vigebat regularis disciplina.

Clemens Papa X, ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Felix Cuilliens, minister provincialis provinciae Aquitaniae antiquioris Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod a multis annis per quasdam litteras apostolicas in simili formâ Brevis expeditas, ad instantiam tunc existentis ministri provincialis dictae provinciae nomine Ioannis Jourdain, prohibitum fuit ne discretus et studentes eiusdem provinciae ad magnum Parisiensem conventum dicti Ordinis amplius mitterentur, eo quod regularis observantia in illo minime vigeret, indeque timeretur, ne, ad provinciam praedictam transactis studiis redeuntes, ab ipsâ regulari observantiâ aliquo modo declinarent. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, reformatio in praedicto conventu Parisiensi a dilecto filio ministro generali Ordinis praedicti iam laudabiliter feliciterque introducta reperiatur, cessetque proinde talis praetextus, neque simile periculum amplius sit timendum, et propterea dictus Felix minister provincialis provinciam praedictam in suum ius, quo ante emanatas litteras praedictas pacifice et absque ullâ controversiâ fruebatur, restitui, eique facultatem mittendi discretum et studentes more solito ad eumdem conventum Parisiensem concedi plurimum desideret, et pro iuris huiusmodi restitutione iam a praedicto ministro generali in partibus tunc existente decretum ad hunc effectum fuerit expeditum : nos, ipsius Felicis ministri provincialis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dicti ministri generalis audiverunt, consilio, superioribus regularibus, ad quos ceteroqui iuxta praescriptum eiusdem Ordinis constitutionum pertinet, ut discretum et iuvenes ad praedictum conventum Parisiensem, prout ante praenarratarum in formâ Brevis litterarum expeditionem consueverant, studiorum causâ mittere possint et valeant, facultatem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impartimur. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus litteris praedictis, aliisque ordinationibus et constitutionibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub

annulo Piscatoris, die XVIII octobris MDCLXXI [1], pontificatus nostri anno III.

Causa praesentis constitutionis et preces exprovincialis.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus Philippus Faure exdefinitor generalis et exprovincialis dictae provinciae nobis nuper exponi fecit, in praedicto conventu Parisiensi a tunc pariter existente ministro generali Ordinis praedicti reformatio introducta fuerit, necnon ibidem regularis observantia de praesenti vigeat, ac proinde praeinsertas litteras huiusmodi, quae ob quasdam controversias tamen inde secutas executioni demandatae minine fuerunt, per nos confirmari plurimum desideret: nobis propterea dictus Philippus humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Statutum mandandi executioni relatam constitutionem.

§ 3. Nos igitur, ipsum Philippum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum pariter filium procuratorem generalem Ordinis praefati audiverunt, consilio, praeinsertas Clementis praedecessoris litteras, tametsi illae executioni demandatae non fuerint, ut praefertur, nihilominus executioni mandari, ac perpetuis futuris temporibus in omnibus et per omnia servari posse et debere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

1 Vel legend. *1672*, vel *pontif. anno II* (R.T.).

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Clementis praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII decembris MDCCVIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 18 decembris 1708, pontif. anno IX.

CXXII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de ratione habendâ solius meriti in electionibus fratrum Minorum de Observantiâ Reformatorum provinciae S. Didaci Papiensis [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Species facti.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S.R.E.

1 Innocentii XII constit. edit. MDCXCIV, die 7 aprilis, pontif. V, statutum fuit ut procurator generalis eligatur in capitulo generali; et in huius Pontificis constit. edit. MDCCXVII, die 7 septembris, pontif. XVII, agitur de electione visitatorum pro provinciâ Conceptionis B. M. V. Fluminis Ianuarii.

cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, pro declaratione rescripti aliàs, nempe sub die v martii MDCXCIII, in causâ fratrum provinciae S. Didaci Papiensis Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum facti, scilicet quod nihil innovandum esset quoad divisionem, decretum tenoris qui sequitur, videlicet :

Decretum S. Congregationis refertur.

« In causâ Minorum Reformatorum provinciae S. Didaci pro declaratione rescripti aliàs facti sub die v martii MDCXCIII tenoris sequentis : *Nihil innovandum quoad divisionem*, sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, reassumptis, ac visis iuribus et scripturis datis sub dictâ die v martii ad relationem clarae memoriae eminentissimi Petrucci, ac mature perpensis rationibus adductis, referente eminentissimo de Abdua, censuit et declaravit, decretum anni MDCXCIII esse intelligendum ita, ut nulla habeatur ratio nationum et aequalitatis[1] definitorii, sed solum meriti eligendorum. — Romae XXI februarii MDCCIX.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii nonnulli fratres dictae provinciae nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et promptius executioni mandetur, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII martii MDCCIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 8 martii 1709, pontif. anno IX.

1 Nescio an vox *aequalitatis* huic loco conveniat (R. T.).

CXXIII.

Extenditur indultum de assequutione praelaturarum, ab Urbano VIII concessum lectoribus et magistris iuvenum, canonicorum S. Salvatoris Ordinis sancti Augustini, ad religiosos curam animarum habentes [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Ab Urbano VIII concessa fuit habilitatio ad praelaturas lectoribus et magistris iuvenum post sexennium.

§ 1. Dudum recolendae memoriae Urbano VIII praedecessori pro parte tunc existentis abbatis generalis canonicorum regularium Congregationis S. Salvatoris Ordinis sancti Augustini exposito, quod ipse aperte cognoscebat ex rectâ educatione novitiorum et iuvenum professorum quemcumque dictae Congregationis progressum dimanare, et re ipsâ compertum habebat paucos ministerio huiusmodi, uti difficili et laborioso, animum intendere velle, proindeque rei adeo gravi opportunum aliquod remedium adhibere desiderabat; idem Urbanus praedecessor, supplicationibus praedicti abbatis generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, quod ii praedictae Congregationis canonici regulares presbyteri, qui de cetero laudabiliter spatio sex annorum magistri seu lectores novitiorum et iuvenum professorum fuissent, in assecutione praelaturarum dictae Congregationis deinceps vacantium, primum quidem lectores, et deinde magistri novitiorum iuvenumque professorum huiusmodi, quatenus tamen quoad mores et regimen habiles a capitulo generali vel a dictis infra annum haberi solitis reputarentur, quibusvis aliis eiusdem Congregationis canonicis regularibus praeferri deberent, auctoritate apostolicâ statuit, mandavit et ordinavit; et aliàs, prout in ipsis Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XXV iunii MDCXLI expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, plenius continetur.

1 Indultum editum fuit MDCXLI, die XXV iunii; ab hoc Pontifice constit. edit. MDCCIX, die 20 iunii, pontif. VIII, confirmata fuit constitutio contra ambientes.

Causa extensionis indulti et preces procuratoris generalis.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus procurator generalis praedictae Congregationis nobis nuper exponi fecit, Congregatio huiusmodi, ob nonnullas ecclesias parochiales quas obtinet, religiosis, qui curae [1] animarum incumbant, magis indigeat, ipse vero modernus procurator generalis, quo praedicti religiosi ad officium huiusmodi diligenter exercendum incitentur, supradictum indultum, a memorato Urbano praedecessore ad favorem praedictorum lectorum seu magistrorum novitiorum concessum ut praefertur, ad eos religiosos dictae Congregationis qui per sexennium in eâ curam animarum exercuerint, itaut ipsi in assecutione praelaturarum praedictarum pro tempore vacantium, dummodo tamen conditionibus in praedictis Urbani praedecessoris litteris requisitis praediti sint, aliis praeferri debeant, quemadmodum lectores praeferuntur, per nos extendi et ampliari plurimum desideret: nos, praedicti moderni procuratoris generalis votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis su-

Annuit Pontifex.

1 Edit. Main. legit *curam* (R. T.).

per hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, et attentâ narratione bonae memoriae Leandri, dum vixit, eiusdem S. R. E. cardinalis Colloredi nuncupati, dictae Congregationis S. Salvatoris apud nos et Sedem Apostolicam comprotectoris, eisdem cardinalibus factâ, petitam similis indulti extensionem ad favorem illorum religiosorum dumtaxat qui in posterum laudabiliter curae animarum incumbent in illis ecclesiis dumtaxat quibus inserviant ipsi canonici regulares, ibique vigeat regularis observantia, auctoritate et tenore praefatis concedimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in eisdem Urbani praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII martii MDCCIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 18 martii 1709, pontif. anno IX.

CXXIV.

Erigitur congregatio Ordinis sancti Benedicti sub invocatione S. Crucis in regno Poloniae et magno ducatu Lithuaniae, eique conceduntur privilegia Congregationis Benedictino-Bavaricae, ad instar cuius erigitur[1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae sollicitudinis munere, in id praecipue sollicitis studiis incumbimus, ut monastica regularisque disciplina, sicubi[2] collapsa est, modis congruis restitui, ubi verò, Domino benedicente, viget, firmius solidari valeat, eoque tendentia religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub suavi vitae monasticae iugo mancipatorum vota libenter exaudimus, ac aliàs pastoralis officii nostri partes opportunis rationibus, interdum etiam per novarum congregationum institutiones, paternâ desuper charitate interponimus, sicut, omnibus mature consideratis, ad omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiae catholicae decus et praesidium, ad monasticae regularisque disciplinae incrementum et felicem progressum, spiritua- Praeemium.

1 De Congregationis Benedictino-Bavaricae, erectione, vide Innocentii XI const. ed. MDCLXXXIV, die 26 augusti, pontif. VIII; et Innocentii XII constit. edit. MDCXCI, die 11 augusti, pontif. I, de eiusdem privilegiis. In huius Pontificis constit. edit. MDCIX, die 6 iunii, pontificatus IX, conceditur indulgentia huic Congregationi.

2 Edit. Main. legit *sicuti* (n. T.).

lemque christifidelium aedificationem et animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Preces plurium monachorum et rationes pro erectione dictae Congregationis, quae omnium consensu decreta fuit, et missus procurator ad Sedem Apostolicam.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilectis filiis monachis infrascriptorum monasteriorum Ordinis sancti Benedicti in regno Poloniae et magno ducatu Lithuaniae respective consistentium, nempe S. Crucis Calvomontani, Assumptionis Beatae Mariae Virginis Sicuechoviensis, Ss. apostolorum Petri et Pauli Tymecensis, S. Adalberti episcopi et martyris Hocensis, S. Ioannis apostoli et evangelistae Mopilnicensis, S. Mariae Lubinensis, ad S. Mariam Trorensis, ad S. Annam Horodescensis, et ad S. Crucem Nesvicensis, pro regularibus[1] disciplinae collapsae restauratione ac proprii instituti observantiâ et illius augmento necnon felici prosperoque tam in spiritualibus quam in temporalibus praedictorum monasteriorum regimine, ipsa monasteria, iuxta sacrorum canonum et Concilii Tridentini dispositionem, in Congregationem sub uno primario capite gubernandam, ad instar Bavaricae aliarumque similium Congregationum monasteriorum dicti Ordinis, uniri et institui desiderantibus, non ita pridem, in visitatione generali dictorum monasteriorum per dilectum filium Christinum Stanislaum Mirecki abbatem Calvomontani monasterii praedicti de mandato venerabilis fratris Nicolai archiepiscopi Thebarum nostri et Apostolicae Sedis in regno Poloniae nuncii factâ, unanimi monachorum eorumdem monasteriorum consensu parique restaurandae dictae regularis disciplinae zelo decretum extiterit, ut instantia[2] iamdudum ad hanc Apostolicam Sedem pro unione et institutione huiusmodi obtinendâ delata et deinde intermissa renovaretur, ac propterea dicti monachi eumdem Christinum Stanislaum suum ad id procuratorem cum opportunis facultatibus specialiter constituerint, ipseque Christinus Stanislaus ad hanc almam Urbem se contulerit, dictamque unionem et institutionem fieri magnopere exoptet: hinc est quod nos, qui monasticam regularemque disciplinam confovere atque promovere omni studio contendimus, piis et religiosis ipsius Christini Stanislai ac dictorum monachorum desideriis apostolicâ charitate benedicentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum, qui illud mature discusserunt et praedictum Christinum Stanislaum desuper audiverunt, consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula monasteria supradicta Ordinis sancti Benedicti, in regno Poloniae et magno ducatu Lithuaniae respective existentia, tenore praesentium in unum corpus unimus et coniungimus; sicque unita et coniuncta, unâ cum aliis monasteriis eiusdem Ordinis illis, ut infra dicetur, forsan aggregandis, in novam Congregationem sub invocatione S. Crucis Polonam nuncupandam ad instar dictae Congregationis Bavaricae, cum iisdem privilegiis, perpetuo erigimus et instituimus; ac ipsam novam

1 Forsan *regularis* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *instantiam* (R. T.).

Congregationem sic erectam et institutam, eiusque monasteria et loca regularia, illorumque abbates, monachos et bona quaecumque, ab omni iurisdictione, visitatione, correctione et superioritate quorumcumque Ordinariorum, itaut illi in novam Congregationem, monasteria, loca regularia, eorumque abbates et monachos huiusmodi aliquam iurisdictionem vel superioritatem quovis praetextu et ex quacumque causâ habere et exercere non possint (salvis tamen iisdem Ordinariis locorum quoad omnia monasteria iuribus eis vigore Concili Tridentini praedicti et constitutionum apostolicarum competentibus tamquam Sedis Apostolicae delegatis), harum serie eximimus et liberamus, sine praeiudicio in reliquis omnium interesse habentium vel habere quomodolibet praetendentium; praeterea eidem Congregationi sic denuo erectae et institutae alia quaecumque monasteria dicti Ordinis in regno et magno ducatu praedictis consistentia, quae ipsi novae Congregationi aggregari voluerint, sive quorum abbates et conventus aggregationi huiusmodi consenserint (exceptis tamen, si quae sint in dictis regno et magno ducatu constituta, monasteriis alteri cuicumque Congregationi canonice aggregatis), sibi aggregandi, necnon pro bono regimine et gubernio ipsius novae Congregationis in primo illius capitulo generali constitutiones, quae tamen nullam validitatem aut robur assequantur nisi postquam ab Apostolicâ Sede praedictâ[1] fuerint expresse confirmatae, efformandi, facultatem, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, earumdem tenore praesentium, tribuimus et impartimur.

Clausulae. § 2. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti locorum Ordinarii et alii quilibet in praemissis seu eorum aliquibus interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digni, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati et auditi, aut causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, verificatae et specificatae non fuerint, vel ex aliâ qualibet etiam quantumvis legitimâ, iuridicâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato vel inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, limitari, modificari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici

1 Edit. Main. legit *praedictae* (R. T.).

auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis praedictae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio executoris.

§ 3. Quocirca memorato Nicolao archiepiscopo moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis praedictae in dicto regno nuncio per praesentes motu pari committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte praedictae novae Congregationis, eiusque superiorum et monachorum, seu alicuius eorum, desuper fuerit requisitus, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet praesentium litterarum et in eis contentorum huiusmodi commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes[1] illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquieiari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generaliis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium in iudicium non trahatur, necnon, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumvis ecclesiarum et monasteriorum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis et monasteriis, illorumque respective praesulibus, abbatibus, capitulis, conventibus et aliis personis quibuslibet, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries et quantiscumque vicibus iteratis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis ac exactissime et accuratissime servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore per-

1 Edit. Main. legit *permittentes* (R. T.).

mansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII maii MDCCIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 22 maii 1709, pontif. anno IX.

CXXV.

Mandatur Ordinariis Italiae et generalibus religiosorum, ut, saltem bis in anno, populo commendari curent necessitates captivorum[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Preces procuratoris generalis Ordinis SS. Trinitatis ac causae praesentis constitutionis.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius modernus procurator generalis fratrum Discalceatorum Congregationis Hispaniae Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum nobis nuper exponi fecit, christifideles multo numero sub durâ barbarorum servitute cum gemino corporis et animae periculo detineantur, et in illorum redemptionem dilectus pariter filius Mauritius a S. Ioanne de Matha, frater expresse professus Congregationis praedictae, in oppido civitate nuncupato Liburni a suo superiore generali et definitorio iuxta laudabile Congregationis huiusmodi institutum deputatus fuerit; quia vero modica in redemptionem eorumdem christifidelium captivorum subsidia conferunt, unde eorum calamitates et pericula in dies ingravescunt, dictus procurator generalis christifidelium pietatem ad opus adeo pium excitari plurimum desideret: nos, ipsius procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, et attentâ relatione dilecti filii nostri Raynutii S.R.E. presbyteri cardinalis Pallavicini nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super praemissis eisdem cardinalibus factâ, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ceterisque locorum Ordinariis Italiae, necnon dilectis filiis superioribus generalibus quorumvis Ordinum, Congregationum et institutorum regularium, harum serie, auctoritate apostolicâ, praecipimus et mandamus, ut saltem duabus vicibus quolibet anno, Adventus scilicet et Quadragesimae temporibus, in suis respective ecclesiis, tam per verbi Dei praedicatores in sacris concionibus, quam in aliis actionibus et functionibus publicis, praedictorum chri-

Mandat ut in rubrica.

1 Pro indigentiis locorum Terraesanctae vide constit. ed. fuit MDCCI, die 18 novembris, pontif. I; et Innocentii XIII constit. ed. MDCCXXI, die 21 novembris, pontif. I. In huius Pontificis const. ed. MDCCXIII, die 16 septembris, pontif. XIII, extat huic simile mandatum.

stifidelium captivorum miserias et calamitates populo proponi et commendari curent et faciant, ut eorum exhortationibus stimulentur christifideles ad eleemosynas largiter conferendas, quibus praedictus Mauritius, seu alii redemptores dictae Congregationis Hispaniae eosdem captivos a durâ servitute huiusmodi redimere, ac illorum spirituali corporalique saluti, Domino benedicente, valeant providere; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 3. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV maii MDCCIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 25 maii 1709, pontif. anno IX.

CXXVI.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis monachorum Congregationis Poloniae in festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis[1].

Clemens Papa XI,
Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis,
salutem et apostolicam benedictionem.

Preces Congregationis. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, ac supplicationibus dilectorum filiorum monachorum monasteriorum Congregationis Poloniae Ordinis sancti Benedicti sub titulo S. Crucis a nobis erectae et institutae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui ecclesias praedictorum et aliorum quorumcumque dicti Ordinis monasteriorum eidem Congregationi Poloniae in futurum quandocumque canonice aggregandorum, vel earum aliquam, in Inventionis et Exaltationis eiusdem S. Crucis festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis cuiuslibet festi huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione et sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Concedit, ut in rubricâ.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI iunii MDCCIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 6 iunii 1709, pontif. anno IX.

CXXVII.

Declarantur nulla electio gubernatoris ecclesiae Abulensis, et quaecumque

1 Haec Congregatio erecta fuit ab hoc Pontifice const. ed. MDCCIX, die 22 maii, pontif. IX.

gesta a capitulo, cum eorumdem damnatione, et quibusdam ordinationibus [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. In supremo apostolicae dignitatis culmine, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam collocati, ecclesiasticam immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam, nostra et huius Sanctae Sedis inferiorumque ecclesiarum iura, ex commissi nobis caelitus pastoralis officii debito, sarta tecta tueri, et si quando ea quorumcumque, praesertim laicorum, quos in rebus ecclesiasticis obsequendi manet necessitas non auctoritas imperandi, ausibus violata esse novimus, ab eiusmodi violationibus asserere satagimus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, aequitati et iustitiae rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitramur.

Acta euarrantur. § 1. Ad nostri siquidem apostolatus notitiam non sine gravi animi nostri molestiâ pervenit, quod aliàs tunc existens secretarius universae, ut vocant, expeditionis carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici dilectis filiis decano, capitulo et canonicis ecclesiae Abulensis per suas litteras die IV februarii proxime praeteriti, seu alio veriori tempore, eis conscriptas nunciavit, quod, cum dilectus filius Froilanus Diaz, frater expresse professus Ordinis Praedicatorum, dudum ad dictam ecclesiam, per obitum ultimi illius episcopi solatio pastoris destitutam, a dicto Philippo rege nobis praesentatus, praesentationi huiusmodi, antequam illam a[1] nobis admitti contigerit, renunciasset, ac subinde idem Philippus rex ad ecclesiam praedictam venerabilem fratrem Franciscum de Solis episcopum Ilerdensem (ut in eisdem litteris asseritur) similiter praesentasset, quia ab illo sic praesentato curam et regimen dictae ecclesiae quamprimum suscipi et assumi cupiebat, eidem secretario mandaverat ut decano, capitulo et canonicis praefatis significaret, ipsi Philippo regi gratissimum fore si dictus Franciscus episcopus incunctanter ab eis in provisorem et vicarium generalem seu gubernatorem praedictae ecclesiae eligeretur seu nominaretur, eique iura et facultates, quae ipsis, illius sede episcopali vacante, competebant, attribuerentur, ad hoc ut absque ullâ mora, donec dictae ecclesiae de personâ ipsius Francisci episcopi a nobis provideretur et litterae apostolicae desuper de more expedirentur, eamdem ecclesiam, tamquam futurus eius sponsus, regere et gubernare posset et valeret; dicti vero decanus, capitulum et canonici, per suas etiam litteras die XXI eiusdem mensis, seu alio veriori tempore, exaratas, secretario praefato rescripserunt, se quaecumque iura[2] sibi circa gubernium dictae ecclesiae, illius sede episcopali vacante, competentia, dicto Philippo regi libenter deferre, paratos se exhibentes in eius voluntatis implementum illa dicto Francisco episcopo subdelegare, eumque in gubernatorem eiusdem ecclesiae eligere ac nominare; et aliàs, prout in binis litteris supradictis, quarum tenores, non approbandi, sed omnino reprobandi animo, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius dicitur contineri.

1 Const. ed. MDCCVIII, die 4 februarii, pont. VIII, declarantur nullae duae electiones administratorum ecclesiae Gnesnensis et Vladislaviensis; et const. ed. MDCCXVI, die 17 decembris, pontif. XVI, nulla expostulatio episcopi Ofnabrucensis.

1 Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *iure* (R. T.).

Contra sacrarum sanctionum praescriptum ea esse declarat.

§ 2. Cum autem, sicut pariter nobis innotuit, in praemissorum sequelam decanus, capitulum et canonici praedicti, iuribus sibi, sicut praemittitur, competentibus, in eumdem Franciscum episcopum translatis, illum subinde in provisorem seu gubernatorem dictae ecclesiae eligere seu nominare ausi fuerint, ipseque Franciscus episcopus, electionis seu nominationis huiusmodi vigore, ecclesiam suam Herdensem absque nostrâ licentiâ deserere, necnon curam, regimen et gubernium eiusdem ecclesiae Abulensis suscipere, gerere et exercere praesumpserit, et adhuc praesumat; explorati vero iuris sit ipsum Franciscum episcopum minime potuisse nec posse sub oeconomatus, procuratoris, provisoris, vicarii generalis, seu gubernatoris nomine, aut alio quovis quaesito colore seu titulo, curam, regimen et administrationem eiusdem ecclesiae Abulensis in spiritualibus vel temporalibus, per se, vel alium, pro parte, vel in totum, gerere vel recipere, aut illis ullatenus se immiscere, antequam a vinculo, quo tenetur ecclesiae Herdensi, cui praeest, et a quo nonnisi a nobis absolvi potest, realiter et cum effectu absolvatur, ac ad praefatam ecclesiam Abulensem transferatur, eique de illius personâ a nobis provideatur; praesertim cum eiusmodi absolutio, translatio et provisio adhuc a nobis nequidem petita fuerit, quinimo nec asserta eiusdem Francisci episcopi ad dictam ecclesiam Abulensem praesentatio nobis ullatenus facta fuerit; indeque pateat quam temere et perperam praemissa omnia, in regnis Hispaniarum hactenus inaudita, contra eorumdem regnorum consuetudines, contra sacrorum canonum apostolicarumque constitutionum dispositionem ac rectum ordinem per damnabilem saecularis potestatis abusum gesta fuerint, quantum illa Ecclesiae et nostra iura laeserint ac laedant, quam gravibus denique periculis animas pretioso Salvatoris et Domini Iesu Christi sanguine redemptas involverint et adhuc involvere pergant: hinc est quod nos, qui libertatis ac iurisdictionis aliorumque iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque ecclesiarum et christifidelium curam et sollicitudinem supernâ dispositione gerimus, ecclesiae praefatae Abulensis nostrorumque et Apostolicae Sedis iurium indemnitati providere, nec non animarum periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium et singulorum in praemissis, tam a secretario, quam a decano, capitulo et canonicis, nec non Francisco episcopo supradictis, per se vel alios quoscumque, quomodolibet actorum et gestorum seriem, causas et occasiones, aliave quaelibet, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac exactissime et accuratissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, electionem seu nominationem eiusdem Francisci episcopi in provisorem seu gubernatorem praefatae ecclesiae Abulensis, ac quorumcumque iurium et facultatum, circa eiusdem ecclesiae regimen et administrationem, decano, capitulo et canonicis praedictis, illius sede episcopali vacante, competentium, in ipsum translationem seu concessionem ei ab eisdem decano, capitulo et canonicis factas, ut praefertur, aliaque omnia et singula tam ab ipsis decano, capitulo et canonicis, quam a dicto Francisco episcopo suae electionis seu nominationis, ac in ipsum,

Hincque omnia irritat et reprobat.

sicut praemittitur, translatorum seu ei concessorum iurium et facultatum huiusmodi vigore seu praetextu, per se vel alios quoscumque, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignos, in praemissis vel circa ea quomodocumque et qualitercumque acta, facta, gesta, mandata, decreta, ordinata vel disposita, ac forsan in futurum (quod Deus avertat) agenda, gerenda, facienda, mandanda, decernenda et ordinanda, cum omnibus et singulis inde quovis modo secutis et quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, invalida, inania, irrita, temeraria et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata et de facto praesumpta, nulliusque roboris, momenti et efficaciae esse et ab initio fuisse, ac perpetuo fore, tenore praesentium declaramus et decernimus, illaque damnamus et reprobamus. Ac nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, quatenus de facto processerunt, revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, in omnibus et per omnia, perinde ac si nunquam facta fuissent nec evenissent, neque unquam fierent vel evenirent.

Poenae in episcopum, aliosque contravenientes.

§ 3. Quocirca eidem Francisco episcopo in virtute sanctae obedientiae, ac sub suspensionis ab exercitio pontificalium nec non interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto et absque aliâ declaratione incurrendis poenis, districte prohibemus et interdicimus, ne suae irritae electionis seu nominationis aliorumque praemissorum huiusmodi vigore seu praetextu susceptum praefatae ecclesiae Abulensis regimen seu gubernium de cetero retinere, minusque ullam iurisdictionem, potestatem vel auctoritatem ecclesiasticam et spiritualem in civitate vel dioecesi Abulensi exercere, ullumve inibi actum iurisdictionalem facere seu continuare, neque ullos dictae ecclesiae Abulensis fructus, redditus et proventus percipere, seu forsan iam perceptos retinere audeat quovis modo seu praesumat. Illos vero qui ei in praemissis parnerint, vel auxilium, consilium vel favorem quovis modo praestiterint, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae vel dignitatis fuerint, excommunicationis maioris, necnon privationis fructuum beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque, aliorumque quorumvis redditnum ecclesiasticorum per eos respective obtentorum, similiter eo ipso incurrendis poenis innodamus, et innodatos fore decernimus et declaramus; ipsarumque poenarum absolutionem seu relaxationem nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus.

Declaratur nulla gubernatoris iurisdictio, eaque concedi-tur vicario capitulari.

§ 4. Ceterum de salute dominici gregis paternâ charitate solliciti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus tam ecclesiasticis saecularibus, et cuiusvis Ordinis, congregationis, vel instituti regularibus, quam laicis, harum serie denunciandum et ad eorum notitiam deducendum esse censuimus, praefatum Franciscum episcopum nullam in eâdem ecclesiâ Abulensi, suae irritae[1] et invalidae electionis seu nominationis aliorumque praemissorum huiusmodi vigore vel praetextu, sive quoad temporalia sive quoad spiritualia iurisdictionem aut potestatem habere vel habuisse, adeoque nec ullum circa ea, quae sacramentorum administrationem, causarum cognitionem, aut aliàs forum conscientiae vel contentiosum quomodolibet concernunt, auctoritatem interponere ullo modo valide posse nec

1 Edit. Main legit *irrite* (R. T.).

potuisse. Ne autem dicta ecclesia Abulensis, tempore quo praesens illius sedis episcopalis vacatio duraverit, administratore in spiritualibus careat, volumus et ordinamus ut eius vicarius capitularis, antea legitime deputatus, officium vicarii huiusmodi, cum omnibus et singulis facultatibus eiusmodi vicariis capitularibus de iure, usu et consuetudine, ac aliàs quomodolibet iuxta decreta Concilii Tridentini competentibus, cum quibus illud ante praefatam irritam eiusdem Francisci episcopi electionem seu nominationem gerebat et exercebat, seu gerere et exercere poterat, etiam nunc et in posterum gerere et exercere pergat; ac, quatenus opus sit, illum in eodem officio harum serie confirmamus, ut illud etiam nostrâ et Sedis Apostolicae auctoritate, donec tamen alius similis vicarius a capitulo et canonicis praefatis legitime deputatus non fuerit, gerat et exerceat.

Clausulae. § 5. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati et alii quicumque in praemissis seu eorum aliquo[1] ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S.R.E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos et eiusdem Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 6. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon praefatae ecclesiae Abulensis, et aliis quibusvis, etiam iu-

1 Edit. Main. legit *aliquod* (R. T.).

ramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praefatis aliisve quibuslibet personis, etiam quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus et aliàs quomodolibet qualificatis ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et inserentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tum in iudicio quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV augusti MDCCIX[1], pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 24 augusti 1709, pontif. anno IX.

CXXVIII.

Declarantur nulla edictum et mandatum a saeculari potestate in ducatu Mediolanensi promulgata, ne transferantur pecuniae ad Statum Ecclesiasticum, et ut sequestrentur fructus ecclesiastici personarum absentium, cum facultate absolvendi resipiscentes archiepiscopo Mediolanensi concessâ[2].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Acta et mandata potestatis saecularis referuntur.

§ 1. Aliàs, cum ad apostolatus nostri notitiam, non sine gravi animi nostri molestiâ, pervenisset, in civitate et ducatu Mediolanensi prodiisse a saeculari potestate edictum quoddam paulo ante, nempe die XX martii MDCCVIII editum, quo sub gravissimis poenis prohibebatur, ne quis, cuiuscumque status, gradus et conditionis esset, genus ullum pecuniarum, in quavis quantitate, specie vel monetâ, e civitate ac ducatu praefatis ad almam Urbem nostram aliave loca Status nostri Ecclesiastici deferendarum, per se vel alios, directe vel indirecte, ex quavis causâ seu praetextu, etiam privilegiato, extrahere seu extrahi facere auderet; ac insuper sub iisdem poenis interdicebatur ne ullus campsor, seu alia quaelibet persona, di-

1 Male edit. Main. legit *1707* (R. T.).

2 De vi illatâ immunitati ecclesiasticae super fructibus in ducatu Parmae et Placentiae vide const. ed. MDCCVII, die 27 iulii, pontif. VII; et de eâdem re in regno Neapolis vide const. seq.

recte pariter vel indirecte, pecunias praedictas, ad effectum illas sive per mandata sive per litteras cambii, ut vocant, ad Urbem aliave loca Status Ecclesiastici huiusmodi transmittendi, recipere seu solvi facere ex quacumque causâ seu praetextu, ut supra, etiam privilegiato, similiter auderet seu praesumeret; simulque nobis innotuisset, die subsequenti, nempe XXI eiusdem mensis martii, in civitate Mediolanensi praedictâ ab eâdem saeculari potestate itidem prodiisse mandatum seu decretum quoddam, quo tunc existenti nostro et Apostolicae Sedis oeconomo generali in ducatu Mediolanensi huiusmodi auctoritate apostolicâ deputato praecipiebatur, ut illico super fructibus, redditibus et proventibus, cuiuscumque tandem generis essent, omnium et quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum in ducatu praefato a personis extra illum de gentibus possessorum[1] sequestrum apponeret, fructusque, redditus ac proventus huiusmodi, tam tunc decursos et non solutos, quam de cetero decurrendos, exigeret, ac illos seu illorum pretium penes personarum fide et facultatibus idoneam deponeret, neque eos absque praedictae saecularis potestatis licentiâ quovis modo distrahi permilteret; praeterea quascumque pensiones ac praestationes a quibusvis personis dicti ducatus quibuscumque personis ecclesiasticis extra eumdem ducatum, ut praefertur, degentibus solvi seu dari consuetas similiter sequestro committeret, et ad effectum supra expressum retineret; ac aliâs, prout in edicto ac mandato seu decreto supradictis, quorum tenores, non approbandi, sed omnino reprobandi animo, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius continetur:

1 Edit. Main. legit *possessor* (n. T.).

Quanta hucusque fecerit Pontifex.

§ 2. Nos, probe considerantes ex edicto ac mandato seu decreto huiusmodi maximum pontificiae non minus auctoritatis quam dignitatis detrimentum necnon manifestam iurium ecclesiasticorum subversionem sequi, primum quidem, hoc est statim ac praemissa nobis innotuerunt, pastoralis muneris nostri partes quantocitius implere satagentes, per plures litteras iussu nostro a dilecto filio nostro Fabritio S.R.E. presbytero cardinali Paulutio nuncupato, secretario nostro Status, tam dilecto pariter filio nostro Iosepho eiusdem S.R.E. etiam presbytero cardinali Archinto nuncupato, metropolitanae ecclesiae Mediolanensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli, quam aliis venerabilibus fratribus episcopis in dicto ducatu Mediolanensi suas ecclesias vel dioeceses habentibus conscriptas, edictum et mandatum seu decretum supradictum, tamquam iuribus et rationibus Ecclesiae manifeste adversantia, improbavimus, ipsisque Iosepho cardinali et praesuli ac episcopis propterea commisimus et mandavimus, ut contra eos, qui illis exequendis quovis modo se ingerere ausi fuissent, viâ iuris procederent; subinde vero per alias binas litteras ab eodem Fabritio cardinali ac secretario Status, tam eidem Iosepho cardinali ac praesuli, quam tunc in humanis agenti bonae memoriae Iacobo Antonio S. R. E. praedictae cardinali Morigia nuncupato, dum vixit, ecclesiae Papiensis ex concessione et dispensatione paribus praesuli, die XXVIII aprilis eiusdem anni MDCVIII iussu nostro datas, utrique eorum iniunximus, ut non modo iis qui edictum ac mandatum seu decretum huiusmodi ediderant seu subscripserant, sed etiam aliis omnibus qui pro illorum editione, promulgatione, seu forsan etiam executione, auxilium, con-

silium, favorem aut operam quovis modo praestitissent, quocumque[1] tandem gradu seu dignitate praefulgerent, censuras et poenas ecclesiasticas a sacris canonibus, generalium conciliorum decretis, ac apostolicis constitutionibus, ac praesertim litteris die Coenae Domini singulis annis legi et promulgari solitis, signanter vero dicto anno MDCCVIII eâ ipsâ die, qua edicti et mandati seu decreti praefatorum exemplaria typis impressa ad manus nostras pervenerant, lectis et promulgatis, inflictas, quibus ipsi irretiti reperiebantur, pastorali pectore aperte edicerent, illos praeterea paternâ charitate admonerent se a censuris et poenis huiusmodi nonnisi post debitam et condignam Ecclesiae praestitam satisfactionem a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente absolvi et liberari posse, validis demum ac salutaribus officiis apud eum agerent, cuius auctoritate praemissa, a pietate quidem Austriaci nominis, quod praeseferebant, nimium aliena, gesta fuisse dicebantur, quatenus, scandalis tam gravibus constanti suo in Ecclesiam cultu acceptoque ab inclytis maioribus more confestim occurrens, omnino curaret, ut quae nos iure nostro petebamus et exigebamus pro reparatione auctoritatis et iurisdictionis ecclesiasticae, ipso etiam iubente quamprimum implerentur. Quae sane omnia idem Iosephus cardinalis et praesul se evangelicâ libertate, suoque munere ac loco, quem in Ecclesiâ Dei obtinet, vere digni[2] fideliter et alacriter implevisse, suis ad eumdem Fabritium cardinalem et secretarium Status datis litteris rescripsit. Ad haec nostris in simili formâ Brevis ad carissimum in Christo filium nostrum Iosephum Romanorum regem, imperatorem electum, die VI maii eiusdem anni MDCCVIII expeditis litteris, et per celerem cursorem transmissis, gravissimam, quam inde conceperamus, amaritudinem ei denunciavimus, enixe illum hortantes ac commonentes, quatenus auctoritate suâ efficeret, ut Ecclesia ab illis ipsis, a quibus tantâ iniuriâ affecta fuerat, congruis remediis sarciretur, ac nedum ad iura sua, sed et[1] ad pristinam dignitatem quamprimum rediret. Postmodum vero, cum accepissemus, praedictis monitionibus nostris penitus contemptis, mandatum signanter seu decretum supradictum, quo beneficiorum ecclesiasticorum fructus illorum possessoribus extra dictum ducatum, sicut praemittitur, degentibus, nulliter, aeque ac perperam intercipiebantur, vere in civitate et ducatu praedictis executioni demandatum fuisse, per alias litteras a praedicto Fabritio cardinali et secretario Status, tam Iosepho cardinali et praesuli, quam episcopis supradictis, die VII iulii eiusdem anni MDCCVIII iussu itidem nostro scriptas, districte praecepimus et mandavimus, ut adversus quoscumque in executione huiusmodi culpabiles, ac potissimum adversus oeconomum generalem supradictum ac suboeconomos ad legitimam censurarum a Tridentinâ Synodo, sess. XXII *De reformatione*, cap. XI, ac ab apostolicis in die Coenae Domini promulgari consuetis litteris supradictis, praesertim canone XVII, contra talia perpetrantes latarum atque inflictarum declarationem absque ullâ cunctatione devenirent: nobis interim iustum et misericordem Dominum assidue exorantibus, ut nobis quidem caelesti suâ ope clementer adesse, errantibus vero, ut in viam possent redire iustitiae, veritatis suae lumen ostendere non dedignaretur.

1 Male ed. Main. hab. *quorumcumque* (R. T.).
2 Potius lege *digne* (R. T.).

1 Pessime ed. Main. leg. *sedes* pro *sed et* (R. T.).

Declaratio nullitatis praedictorum cum eorumdem revocatione, ac firmitate censurarum et poenarum.

§ 3. Cum autem, sicut nobis nuper innotuit, ab eâdem saeculari potestate, cuius nomine praemissa contra iura et rationes Ecclesiastici Ordinis, ut praefertur, gesta fuerunt, talia tandem pro illorum atque inde secutorum quorumcumque revocatione, rescissione ac retractione mandata prodierint, ut merito sperare possimus, unde nobis oborta fuit iusta ac diuturna amaritudinis causa, brevi dandam esse amplam materiem gratias agendi misericordiarum Patri, quod antiqui hostis conatus deteriora consilia mentibus hominum insinuantis irritos fecerit, inclytumque illud nomen, in quo sancta Dei Ecclesia tutelam atque salutem, necnon validum inter pericula praesidium toties est nacta, a veteri suâ ac preclari laude deflectere non permiserit: hinc est quod nos, qui iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, simulque omnium christifidelium curam et sollicitudinem gerimus, Ecclesiae indemnitati (ultra ei praeiudicialium praedictorum revocationem ac retractationem, eâdem auctoritate, qua illa peracta fuerant, sicut praemittitur, faciendam) apostolici etiam iudicii nostri accessione efficacius ac uberius consulere, ac aliàs animarum saluti, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, necnon omnium et singulorum, quae in praemissis seu illorum occasione quovis modo acta et gesta fuerunt, seriem, causas et circumstantias, etiam aggravantes, aliave quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, edictum ac mandatum seu decretum supradicta, cum omnibus et singulis in eis eorumque quolibet contentis, ac inde secutis et quandocumque secuturis, ipso iure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab ipso initio fuisse et esse ac perpetuo fore, neminemque ad cuiuslibet eorum observantiam teneri, imo nec ea a quopiam observari potuisse vel debuisse, neque ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent vel facta non fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, motu, scientiâ, deliberatione ac potestatis plenitudine paribus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus: firmis tamen remanentibus censuris et poenis ecclesiasticis quibuscumque, quas ii omnes, qui praemissa perpetrarunt, sive aliàs in illis, ut praefertur, culpabiles fuerunt, propter eadem praemissa incurrerunt, a quibus nonnisi a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente post debitam et condignam Ecclesiae praestitam satisfactionem (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari valeant.

Concessio facultatis episcopo Mediolanensis facta absolvendi a censuris et poenis, necnon super irregularitate, ob in contemptum clavium contracta, dispensandi in utroque foro cum rescipiscentibus satisfacientibus et promittentibus se a praedictis abstinendi.

§ 4. Quoniam vero Sedes Apostolica, pia mater, recurrentibus ad eam post excessum cum humilitate filiis se propitiam exhibere solet et benignam, idcirco omnes et singulos primodictos, seu aliquos ex eis, qui verae poenitentiae[1] signa ostenderint, paternâ nostrâ clementiâ prosequi volentes, eidem Iosepho cardinali et praesuli per praesentes committimus et mandamus, ut, si et postquam sibi constiterit edictum et mandatum seu decretum supradictum cum

1 Edit. Main. legit *poenitentia* (R. T).

omnibus inde secatis congrue revocata et retractata fuisse, ac aliàs desuper debitae ac condignae satisfactioni Ecclesiae opportune consultum fuisse, omnes et singulos, sive laicos sive clericos, tam saeculares quam regulares, ad ipsum recurrentes, cuiuscumque status, ordinis, gradus, dignitatis et conditionis existant, qui praemissa peregerunt, seu aliàs in illis quovis modo culpabiles fuerunt, si hoc ab eo humiliter petierint, et factâ prius per eos promissione quod in futurum a similibus abstinebunt, et quidquid eis prescriptum et iniunctum fuerit, priusquam infrascriptae absolutionis beneficium obtineant, observabunt et adimplebunt, a censuris et poenis ecclesiasticis quibuslibet, quas propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri vel praetendi possent, iniunctâque cuique pro modo culpae poenitentiâ salutari, et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, similiter iniunctis, in utroque foro auctoritate nostrâ apostolicâ in formâ Ecclesiae consuetâ absolvat et totaliter liberet, dictasque poenas eis et eorum cuilibet gratiose remittat et condonet; ac cum illis qui clerici seu etiam presbyteri fuerint super irregularitate per eos, quia censuris huiusmodi propter eadem praemissa innodati missas et alia divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebrarunt, seu aliàs in suis ordinibus ministrarunt, quomodolibet contractâ, ad quemcumque effectum in utroque pariter foro dispenset; ipsosque et eorum quemlibet ad famam, gradus, dignitates, necnon beneficia et officia ecclesiastica quaecumque, ceteroqui tamen canonice per eos obtenta, ac aliàs in pristinum et eum[1] in quo antea quomodolibet erant statum adversus eadem praemissa rehabilitet, restituat, reponat ac plenarie reintegret. Nos enim quamcumque necessariam et opportunam ad praemissa facultatem, quam etiam aliis, prout sibi opportunum videbitur, communicare et subdelegare valeat, eidem Iosepho cardinali ac praesuli harum serie auctoritate praedictâ tribuimus et impertimur.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specificâ et individuâ mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, aut ullo modo iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium vel habere praetendentium consensûs, alioque quocumque etiam quantumlibet magno ac incogitato inexcogitabilique defectu, aut ex alio quovis capite, a iure vel facto, aut statuto, consuetudine vel privilegio resultante, notari, impugnari, invalidari, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci ullatenus posse; sed ipsas praesentes litteras, et quaecumque earum executionem ab ipso Iosepho cardinali et praesule facienda, semper firma, valida, efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quos- Clausulae.

1 Male edit. Main. legit *eorum* (R. T.).

cumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis Apostolicae nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et in[1] universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, legibus quoque, etiam imperialibus et municipalibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibuscumque personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v octobris MDCCIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 octobris 1709, pontif. anno IX.

CXXIX.

Declarantur nulla edicta et litterae a saeculari potestate in regno Neapolis promulgata, ne transmittantur pecuniae ad Statum Ecclesiasticum, et ut sequestrentur fructus ecclesiastici personarum absentium, cum facultate absolvendi resipiscentes archiepiscopo Neapolitano concessâ [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Acta saecularis potestatis referuntur.

Aliàs, cum ad apostolatus nostri notitiam non sine gravi animi nostri mole-

1 Vide praecedentem constit. edit. MDCCXI, die 28 iulii, pontif. XI, declarantur nulla edicta Magni Consilii in Polonia de suppositione fructuum ecclesiasticorum pluribus oneribus.

stiâ pervenisset, in civitate Neapolitanâ prodiisse a saeculari potestate edictum quoddam paulo ante, nempe die VIII iunii MDCCVIII editum, quo sub gravibus poenis prohibebatur, ne quis, cuiuscumque status, gradus ac conditionis esset, genus ullum pecuniarum in quavis quantitate, specie vel monetâ a regno Neapolis ad almam Urbem nostram aliave loca Status nostri Ecclesiastici deferendarum, per se vel alios, directe vel indirecte, ex quavis causâ seu praetextu, etiam privilegiato, extrahere seu extrahi facere auderet; ac insuper sub iisdem poenis interdicebatur, ne ulla persona directe vel indirecte pecunias praedictas, ad effectum illas, sive per mandata, sive per litteras cambii, ut vocant, ad Urbem aliave loca Status Ecclesiastici huiusmodi transmittendi, recipere seu solvi facere ex quacumque causâ seu praetextu ut supra etiam privilegiato similiter auderet seu praesumeret; simulque nobis innotuisset, vigore quarumdam litterarum ab eâdem saeculari potestate datarum, quibus omnes et singulos fructus, redditus et proventus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum tam in civitate quam regno Neapolis huiusmodi a personis extra idem regnum degentibus cuiuscumque ordinis ac qualitatis essent possessorum sequestro committi, illosque penes Montem pietatis dictae civitatis deponi, itaut quidquam ex eis absque praedictae saecularis potestatis licentiâ distrahi minime posset[1] districte praecipiebatur; aliud itidem edictum in executionem litterarum huiusmodi in praedictâ civitate Neapolis die XI eiusdem mensis iunii promulgatum fuisse, quo omnibus et singulis personis, cuiuscumque tandem status, gradus et conditionis existerent, sub gravibus poenis mandabatur, ut, intra certum inibi praefixum tempus, fructus, redditus, pensiones, praestationes et alia quaevis emolumenta, quae ex quavis causâ seu titulo a personis ecclesiasticis extra dictum regnum degentibus in eâdem civitate eiusque districtu percipiebantur, ad effectum supradictum denunciare tenerentur; et aliâs, prout in litteris ac edictis huiusmodi, quorum tenores, non approbandi, sed omnino reprobandi animo, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius continetur:

§ 2. Nos, probe considerantes ex edictis et litteris praedictis maximum pontificiae non minus auctoritatis quam dignitatis detrimentum necnon manifestam iurium ecclesiasticorum subversionem sequi, primum quidem, hoc est statim ac praemissa nobis innotuerunt, pastoralis muneris nostri partes quantocitius implere satagentes, per litteras iussu nostro a dilecto filio nostro Fabritio S. R. E. presbytero cardinali Paulutio nuncupato, secretario nostro Status, tam dilecto pariter filio nostro Francisco, eiusdem S. R. E. etiam presbytero cardinali Pignatello nuncupato, metropolitanae ecclesiae Neapolitanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli, quam aliis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in dicto regno Neapolis suas ecclesias vel dioeceses habentibus, conscriptas[1], edicta et alia praemissa tanquam iuribus et rationibus Ecclesiae manifeste adversantia improbavimus, ipsisque propterea Francisco cardinali et praesuli ac archiepiscopis et episcopis supradictis commisimus et mandavimus, ut confestim contra eos qui illis exequendis quovis modo directe vel indirecte se ingerere ausi fuissent, viâ iuris procederent; subinde vero per alias litteras a dicto Fabritio

Quae hucusque egerit Pontifex.

1 Edit. Main. legit *potest* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *conscripta* (R. T.).

cardinali ac secretario Status eidem Francisco cardinali et praesuli iussu itidem nostro datas iniunximus, ut non modo iis qui edicta et alia praemissa ediderant seu subscripserant, sed etiam aliis omnibus qui pro illorum editione, promulgatione, seu forsan etiam executione auxilium, consilium, favorem aut operam quovis modo praestitissent, quocumque tandem gradu seu dignitate praefulgerent, censuras et poenas ecclesiasticas a sacris canonibus, generalium conciliorum decretis, et apostolicis constitutionibus, ac praesertim litteris die Coenae Domini singulis annis legi et promulgari solitis, ac eo ipso anno lectis et promulgatis, inflictas, quibus ipsi irretiti reperiebatur, pastorali pectore aperte ediceret, illosque praeterea se a censuris et poenis huiusmodi nonnisi post debitam et condignam Ecclesiae praestitam satisfactionem a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente absolvi et liberari posse, paternâ charitate admoneret; praeterea idipsum, per tunc existentem nostrum et Apostolicae Sedis in dicto regno Neapolis nuncium, ei potissimum qui regnum praedictum cum potestate proregis tunc gubernabat, et cuius auctoritate et nomine eadem praemissa gesta fuerant, nostro nomine edici et denunciari curavimus. Interea tamen, cum ad aures nostras pervenisset, praedictis monitionibus nostris penitus contemptis, executionem edicti signanter seu mandati illius, quo beneficiorum ecclesiasticorum fructus, eorum possessoribus extra dictum regnum, ut praefertur, degentibus, nulliter aeque ac perperam intercipiebantur, variis oeconomis in regno praedicto ab eâdem saeculari potestate deputatis, seu forsan aliis personis commissam fuisse: nos, per alias litteras a praedicto Fabritio cardinali et secretario Status, tam Francisco cardinali et praesuli, quam archiepiscopis et episcopis supradictis, die VI iulii eiusdem anni MDCCVIII scriptas, districte praecepimus et mandavimus, ut adversus quoscumque in dictâ executione culpabiles, ac potissimum adversus oeconomos seu alias personas huiusmodi ad legitimam censurarum[1] a Tridentinâ Synodo, sess. XXII *De reform.*, cap. XI, ac ab apostolicis in die Coenae Domini promulgari consuetis litteris supradictis, praesertim canone XVII, contra talia perpetrantes latarum atque inflictarum declarationem absque ullâ cunctatione devenirent.

Sed a collaterali interdicta fuit censurarum publicatio.

§ 3. Ad haec cum accepissemus, per quasdam saecularis magistratus dicti regni collateralis nuncupati litteras ad eosdem archiepiscopos et episcopos datas non sine gravi comminatione vetitum illis fuisse, ne ad censurarum declarationem huiusmodi, a nobis, sicut praemittitur, demandatam adversus eos qui exequendo praedicto edicto seu mandato se ingessissent, ullatenus procederent: nos, tam apertam et inverecundam sanctissimarum legum violationem dissimulare minime volentes, dilecto filio nostro Vincentio eiusdem S. R. E. diacono cardinali Grimano nuncupato, dicti regni proregi, cuius nomine litterae huiusmodi subscriptae prodierant, per nostras in simili formâ Brevis die I septembris eiusdem anni MDCCVIII expeditas litteras sub certis inibi expressis poenis iniunximus, ut omnino abstineret tum[2] a procurando quomodolibet, sive per se, sive per alios, praedicti edicti seu mandati, quod snâpte naturâ nullius prorsus roboris et efficaciae esse pronunciavimus, executionem[3], tum ab impediendo directe vel indirecte eosdem archiepiscopos

1 Male edit. Main. legit *censuram* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *tam* (R. T.)
3 Edit. Main. legit *executione* (R. T.).

et episcopos, quominus, contra quos propter huiusmodi edictum procedendum esse cognovissent, pastoralis sui muneris partes libenter exequerentur, quemadmodum expresse illis et iterato mandaveramus; iustum interim ac misericordem Dominum humiliter benedicentes, quod plurimos ex archiepiscopis et episcopis supradictis superno christianae fortitudinis spiritu adeo roborasset, ut, propositas sibi minas nullatenus pertimescentes, sacrificium iustitiae pro officii sui debito sacrificare parati essent, eumque insuper assiduò exorantes, ut tam nobis quam illis caelesti suâ ope clementer adesset, errantibus vero, ut in viam possent redire iustitiae, veritatis suae lumen ostendere non dedignaretur.

Declaratio nullitatis praedictorum omnium cum eorumdem revocatione et firmitate censurarum et poenarum.

§ 4. Cum autem, sicut nobis nuper innotuit, ab eâdem saeculari potestate, cuius nomine praemissa contra iura et rationes ecclesiastici Ordinis, ut praefertur, gesta fuerunt, talia tandem pro illorum atque inde secutorum quorumcumque revocatione, rescissione ac retractatione mandata prodierint, ut merito sperare possimus, unde nobis oborta [1] fuit iusta ac diuturna amaritudinis causa, brevi dandam esse amplam materiem gratias agendi misericordiarum Patri, quod antiqui hostis conatus deteriora consilia mentibus hominum insinuantis irritos [2] fecerit, inclytumque illud nomen, in quo sancta Dei Ecclesia tutelam atque salutem, necnon validum inter pericula praesidium toties est nacta, a veteri suâ ac praeclarâ laude deflectere non permiserit: hinc est quod nos, qui iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, simulque omnium christifidelium curam et sollicitudinem gerimus, Ecclesiae indemnitati (ultra ei praeiudicialium praedictorum revocationem ac retractationem, eâdem auctoritate, qua illa peracta fuerant, sicut praemittitur, faciendam) apostolici etiam iudicii nostri accessione efficacius ac uberius consulere, ac aliàs animarum saluti, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, necnon omnium et singulorum, quae in praemissis seu illorum occasione quovis modo acta et gesta fuerunt, seriem, causas et circumstantias, etiam aggravantes, aliave quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, edicta seu mandata supradicta aliaque praemissa, cum omnibus et singulis in eis eorumque quolibet contentis ac inde secutis et quandocumque secuturis, ipso iure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab ipso initio fuisse et esse ac perpetuo fore, neminemque ad cuiuslibet eorum observantiam teneri, imo nec a quopiam observari potuisse vel debuisse, neque ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si numquam emanassent vel facta non fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, et, quatenus opus sit, illa omnia et singula, motu, scientiâ, deliberatione ac potestatis plenitudine paribus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus: firmis tamen remanentibus censuris et poenis ecclesiasticis quibuscumque, quas ii omnes, qui praemissa perpetrarunt, sive aliàs in illis, ut praefertur, culpabiles fuerunt, propter eadem praemissa incurrerunt, a quibus nonnisi a nobis

1 Edit. Main. legit *aborta* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *irritas* (R. T.).

aut Romano Pontifice pro tempore existente post debitam et condignam Ecclesiae praestitam satisfactionem (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari valeant.

Facultas praesuli Neapolitano facta a poenis, censuris et irregularitate absque contemptu clavium contracta in utroque foro absolvendi poenitentes, satisfacientes et pollicitantes in futurum quid simile non patrandi.

§ 5. Quoniam vero Sedes Apostolica, pia mater, recurrentibus ad eam post excessum cum humilitate filiis se propitiam exhibere solet et benignam, idcirco omnes et singulos praedictos, seu illos ex eis qui verae poenitentiae signa ostenderint, paternâ nostrâ clementiâ prosequi volentes, eidem Francisco cardinali et praesuli per praesentes committimus et mandamus, ut, si et postquam sibi constiterit edicta seu mandata praedicta aliaque praemissa cum omnibus inde secutis congrue revocata fuisse ac aliàs desuper debitae ac condignae satisfactioni Ecclesiae opportune consultum fuisse, omnes et singulos, sive laicos sive clericos, tam saeculares quam regulares, ad ipsum recurrentes, cuiuscumque status, ordinis, gradus, dignitatis et conditionis existant, qui praemissa peregerunt, seu aliàs in illis quovis modo culpabiles fuerunt, si hoc ab eo humiliter petierint, et factâ prius per eos promissione quod in futurum a similibus abstinebunt, et quidquid eis praescriptum et iniunctum fuerit, priusquam infrascriptae absolutionis beneficium obtineant, observabunt et adimplebunt, a censuris et poenis ecclesiasticis quibuslibet, quas propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri vel praetendi possent, iniunctâ cuique pro modo culpae poenitentiâ salutari, et aliis quae de iure fuerint iniungenda similiter iniunctis, in utroque foro, auctoritate nostrâ apostolicâ, in formâ Ecclesiae consuetâ, absolvat et totaliter liberet, dictasque poenas eis et eorum cuilibet gratiose remittat et condonet; ac cum illis qui clerici seu etiam presbyteri fuerint, super irregularitate per eos qui, a censuris huiusmodi propter eadem praemissa innodati, missas et alia divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebrarunt, seu aliàs in suis ordinibus ministrarunt, quomodolibet contractâ, ad quemcumque effectum in utroque pariter foro dispenset, ipsosque et eorum quemlibet ad famam, gradus, dignitates, nec non beneficia et officia ecclesiastica quaecumque, ceteroqui tamen canonice per eos obtenta, ac aliàs in pristinum et eum in quo antea quomodolibet erant statum adversus eadem praemissa rehabilitet, restituat, reponat, ac plenarie reintegret. Nos enim quamcumque necessariam et opportunam ad praemissa facultatem, quam etiam aliis, prout sibi opportunum videbitur, communicare et subdelegare valeat, eidem Francisco cardinali et praesuli harum serie auctoritate praedictâ tribuimus et impertimur.

Clausulae.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specificâ et individuâ mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, aut ullo modo instificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium vel habere praetendentium consensûs, aliove quocumque etiam quantumlibet magno aut incogitato inexcogitabilique defectu, aut

ex alio quovis capite, a iure vel facto aut statuto, consuetudine vel privilegio resultante, notari, impugnari, invalidari, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci ullatenus posse; sed ipsas praesentes litteras et quaecumque in earum executionem ab ipso Francisco cardinali et praesule facienda, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis Apostolicae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, legibus quoque, etiam imperialibus et municipalibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibuscumque personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, editis, factis et pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 8. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v octobris MDCCIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 octobris 1709, pontif. anno IX.

CXXX.

Conceditur presbyteris Congregationis Piorum Operariorum, ab eorum locorum Ordinariis approbatis, facultas ubique audiendi sociorum eiusdem Congregationis in itinere confessiones[1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii humilitati nostrae divinitus impositi sollicitudo nos admonet, ut, paternam congregationum virorum in Ecclesiâ Dei uberes bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio, proferre[2] iugiter satagentium, curam peculiari studio gerentes, illas, quo laudabilia earum instituta cum maiori spirituali consolatione uberiorique animarum fructu prosequi valeant, opportunis favoribus et gratiis decoremus.

Concessio praedictae facultatis. § 1. Cum autem, sicut dilectus filius modernus procurator generalis Congregationis Piorum Operariorum nobis nuper exponi fecit, ipse quibuscumque dictae Congregationis presbyteris, ad confessiones audiendas in dioecesibus ubi residere soliti sunt approbatis, sacramentales quorumvis aliorum eiusdem Congregationis confessiones extra dioeceses huiusmodi audiendi facultatem a nobis concedi, et opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desideret: nos, ipsius procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, quibuscumque Congregationis praedictae presbyteris, qui tamen in dioecesibus, ubi residere soliti sint, seu unde discesserint, ad confessiones audiendas approbati reperiantur, ut sacramentalis quorumvis aliorum eiusdem Congregationis unâ cum ipsis iter pro tempore agentium confessiones, tametsi in illis dioecesibus, in quibus iter agendo reperientur, approbati non fuerint, audire, illosque a peccatis suis (poenitentiâ salutari et aliis quae fuerint iniungenda eis iniunctis) absolvere libere, licite et valide possint, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 2. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordi-

1 Const. edit. MDCCVII, die 10 maii, pont. VII, concessa fuit facultas celebrandi missas unâ horâ ante auroram et post meridiem; et const. edit. MDCCXII, die 2 ianuarii, pontif. XII, conceduntur ecclesia et collegium S. Mariae Montium de Urbe.

2 Edit. Main. legit *proferri* (R. T.).

nationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dictae Congregationis piorum operariorum subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae, seu illius superioris generalis, munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX ianuarii MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 9 ianuarii 1710, pontif. anno X.

CXXXI.

Damnantur et prohibentur denuo quatuor libelli episcopi S. Pontii [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Referuntur libellorum tituli.

§ 1. Cum aliàs in lucem prodierint libelli quidem[2] gallico idiomate impressi sub titulis infrascriptis, videlicet: *Mandement de monseigneur l'evesque de St. Pons touchant l'acceptation de* la Bolla *de N. S. P. le Pape Clément XI sur le cas signé par quarante docteurs, avec la justification des vingtrois evesques, que voulant procurer la paix à l'Église de France en* MDCLXVII *le servirent de l'expression d'un silence respectueux, pour marquer la soumission qui est due aux décisions de l'Église sur les faits non revélés, avec les moyens de rétablir à present cette paix,* MDCCVI: — *Nouvelle lettre de monseigneur l'evesque de St. Pons, qui réfute celle de monseigneur l'archevesque de Cambrais, touchant l'infallibilité du Pape,* MDCVII: — *Lettre de monseigneur l'evesque de St. Pons à monseigneur l'archevesque de Cambrais, où il justifie les dixneuf evesques qui escrivirent en* MDCLXVII *au Pape et au roy au sujet des quatre celébres evesques de Alet, de Pasivez, de Beauvais et de Angars: — Réponse de monseigneur l'evesque de St. Pons à la lettre de monseigneur l'archevesque de Cambrais*; illi, vero, tametsi huius Sanctae Sedis auctoritate prohibiti atque damnati, adhuc, praesertim apud Gallos, non sine bonorum indignatione et pusillorum scandalo atque animarum periculo palam in vulgus spargantur, quemadmodum ad apostolatus nostri notitiam plurimorum querelâ delatum fuit: nos, auditis desuper nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, pluriumque in sacrâ theologiâ magistrorum, qui rem mature ac diligenter discusserunt, sententiis, pro commissâ nobis ab aeterno Pastore gregis sui curâ, dominicas oves, quantum nobis ex alto conceditur, a noxiis praeservare cupientes, de memoratorum cardinalium consilio, libellos supradictos, et eorum quemlibet, utpote continentes doctrinas et propositiones falsas, perniciosas, scandalosas, seditiosas, temerarias, schismaticas, erroneas, atque haeresim respective sapientes, necnon in apertam fraudem et elusionem constitutionis ad extirpandam penitus iansenianam haeresim a nobis novissime editae manifeste tendentes, sub superius expressis aliisque quibuscumque titulis, ubicumque et quocumque alio idiomate seu quavis editione et versione hucusque impressos ac manu descriptos, aut, quod absit, in posterum imprimendos et describendos, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, denuo

Illorum damnatio.

1 Constit. edit. MDCVIII, die 13 iulii, pontificatus VIII, damnatus fuit liber *Le Nouveau Testament, etc.*; et constitutione sequenti damnatur liber *Traité de la régale, etc.*

2 Forsan *quidam* (R. T.).

damnamus et reprobamus, ac legi et retineri prohibemus; ipsorumque libellorum et eorum cuiuslibet impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto et absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo per quemquam nisi per nos aut Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, omnino interdicimus; volentes et auctoritate praefatâ mandantes, ut, quicumque libellos praedictos vel aliquem illorum penes se habuerint, illos seu illum, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus deferat; qui autem venerabili fratri episcopo S. Pontii subsunt, metropolitano aut uni ex vicinioribus episcopis tradere atque consignare teneantur; hi vero exemplaria, sibi sic tradita, illico flammis aboleri curent: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Comminatio poenarum in auctorem. § 2. Ceterum contra auctorem libellorum eorumdem, pro traditâ a nobis divinitus supremâ pastoralis officii potestate, in promptu habentes, secundum Apostolum, ulcisci omnem inobedientiam et destruere omnem altitudinem extollentem[1] se adversus scientiam Dei, procedere intendimus, prout iuris fuerit, iuxta canonicas sanctiones.

Clausulae. § 3. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus et auctoritate praefatâ decernimus illas ad valvas basilicae Principis apostolorum ac Cancellariae apostolicae necnon Curiae generalis in Monte Citatorio ac in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, itaut sic publicatae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent.

Fides transumptorum. § 4. Ipsarum autem litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII ianuarii MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 18 ianuarii 1710, pontif. anno X.

CXXXII.

Damnatur et prohibetur liber sub titulo Traité de la régale, etc.[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Libri titulus, et eius damnationis causae. § 1. Cum, sicut ad apostolatus nostri notitiam pervenit, in lucem prodierit liber quidam[2] gallico idiomate editus, cui titulus: *Traité de l'origine de la régale, et des causes de son établissement, par M.* GASPARD AUDOUL, *avocat au parlement et aux conseils du roy et de monseigneur le duc d'Orléans; à Paris* MDCCVIII: in quo eius auctor non modo antiquum illum usum percipiendi seu potius custodiendi fructus quarumdam vacantium ecclesiarum, quem ius rega-

1 Edit. Main. legit *extollente* (R. T.).

1 Constit. praecedenti damnati fuere libelli episcopi S. Pontii, et constit. edit. MDCCX, die 17 februarii, pontif. X, damnatur liber *Ragioni a pro della città di Napoli, ecc.*

2 Edit. Main. legit *quidem* (R. T.).

liae nuncupant, in omnibus regni Galliarum ecclesiis, adeoque etiam illis quae tempore celebris constitutionis in generali Concilio Lugdunensi II editae eiusmodi oneri minime erant obnoxiae, non tam contra ipsius concilii decreta, quam contra satis omnibus notam eâ in re Apostolicae Sedis mentem, locum sibi vendicare contendit, sed, quod prorsus intolerandum est, ausu non minus nobis, quam felicis recordationis Alexandri VIII et Innocentii XII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris iniurioso, universalem iuris regaliae usum huiusmodi, quem recolendae memoriae Innocentius Papa XI etiam praedecessor noster omni humano divinoque iuri contrarium esse censuit, ab iis, qui eidem Innocentio praedecessori successerunt, veluti iustitiae consonum agnitum fuisse, falso aeque ac temere affirmare non erubescit: nos librum huiusmodi nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus aliisque in sacrâ theologiâ magistris examinandum commisimus, qui illum subinde, utpote continentem, praeter praemissa, etiam quamplura alia asserta manifeste falsa, contumeliosa, ecclesiasticae immunitati Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutae adversantia, impia, temeraria, erronea, atque etiam haeresim respective sapientia, damnandum et prohibendum esse unanimiter censuerunt. Auditis itaque eorumdem cardinalium et magistrorum sententiis, creditum nobis a Domino pastoralis curae atque vigilantiae munus, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter exequi cupientes, de ipsorum cardinalium consilio, librum praedictum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, damnamus et reprobamus, ac legi seu retineri prohibemus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo a quoquam praeterquam a nobis seu Romano Pontifice Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus. Volentes, et eâdem auctoritate mandantes, ut quicumque librum huiusmodi penes se habuerint vel in futurum quandocumque habebunt, illum, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere atque consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Damnatio, ut in rubrica.

§ 2. Ut autem eaedem praesentes litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus et auctoritate praedictâ decernimus illas ad valvas basilicae Principis apostolorum ac Cancellariae apostolicae necnon Curiae generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, itaut sic publicatae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent; ipsarum autem litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub

annulo Piscatoris, die XVIII ianuarii MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 18 ianuarii 1710, pontif. anno X.

CXXXIII.

Confirmantur regulae pro collegio Assisiensi missionariorum Ordinis Minorum Conventualium [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Proœmium. Crediti nobis caelitus sacrosancti apostolatus officii ratio exigit, ut illis, quae pro collegiorum seu seminariorum, christianae religionis propagandae catholicaeque fidei tuendae consilio sapienter institutorum, directione felicique progressu provide constituta esse noscuntur, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolici muniminis adiungamus firmitatem.

A Sanctitate Sua mandatum fuerat, ut quidam religiosi Ordines instituerent collegium missionariorum in aliquo coenobio ad instar illius S. Pancratii et S. Petri de Urbe.

§ 1. Exposuerunt siquidem nobis nuper venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales, negotiis prropagandae fidei praepositi, quod (cum nos aliàs, iuxta decretum quod prius, nempe in Congregatione eorumdem cardinalium die III octobris MDCCVII coram nobis habità, edideramus, dilectis filiis quorumdam religiosorum Ordinum superioribus praecepissemus, ut omnino et quamprimum suo quique in Ordine conventum aliquem veluti pro seminario missionariorum, ad instar seminariorum seu collegiorum in S. Pancratii prope et extra muros Urbis Ordinis fratrum beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, et S. Petri in Monte Aureo de eâdem Urbe Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum etiam nuncupatorum conventibus respective institutorum, deputarent, in quo diu ac diligenter vocatio et spiritus eorum, qui missionibus destinarentur, probaretur, illique etiam ibidem de omnibus, quae ad hoc apostolicum ministerium cum laude et fructu exercendum utilia et necessaria forent, plene instruerentur; quatenus vero in aliquo Ordine conventus huiusmodi destinatio ad hunc effectum tantum non tam cito fieri posset, donec ea fieret, ea omnia in aliquo conventu vel domo eiusdem Ordinis, ubi regularis observantia magis vigeret, executioni mandarentur) novissime, nempe die XXIII septembris MDCCIX, memorati cardinales collegium seu seminarium huiusmodi pro missionariis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, re mature discussâ, in conventu Assisiensi eiusdem Ordinis, iuxta oblationem dilecti filii moderni ministri generalis ipsius Ordinis, donec aliter provideatur, destinandum esse decreverunt, ac proinde dilecto filio nostro Iosepho eiusdem S. R. E. cardinali Vallemano nuncupato, Ordinis praedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectori, necnon dilecto filio magistro Sylvio de Cavaleriis in utrâque signaturâ nostrâ referendario, dictae Congregationis cardinalium secretario, ut regulas pro eiusdem collegii seu seminarii salubri directione ad instar duorum praefatorum collegiorum S. Pancratii et S. Petri in Monte Aureo conficerent, prout ab eis reipsâ confectae fuerunt tenoris qui sequitur, videlicet:

Collegium Assisiense Minorum Conventualium institutum.

Regulae referuntur.

1. Pater generalis destinet et assignet locum seu dormitorium in dicto conventu

De loco collegii.

1 Innocentii XI constit. edit. MDCLXXXVI, die 16 octobris, pontif. XI confirmata fuere collegia missionariorum pro Minoribus S. Francisci in Hispania et Indiis Occidentalibus; huius Pontificis constit. edit. MDCCI, die 30 maii, pontif. I, erectum fuit collegium in conventu Urbinatensi; et Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXIV, die 20 iunii, pontif. I, confirmatur erectio collegii in provinciâ Castellae Veteris fratrum Discalceatorum.

Assisiensi cum suis cellis pro decem saltem religiosis, quae sint distinctae et separatae ab aliis dormitoriis, necnon alias cellas in eodem loco sive alio huic viciniori pro lectoribus iuxta numerum inferius praefigendum, cum inscriptione apponendâ in principio vel in parte aptiori dicti dormitorii assignandi: *Collegium*, seu, *Seminarium missionum*.

Qualitates eligendorum pro collegio.

II. Cum munus missionum vere sit apostolicum, incumbat idem pater minister generalis eligere religiosos regulari disciplinâ, probitate morum, ac zelo gloriae Dei praeditos, et ad animarum salutem eximiâ charitate accensos, qui, velut candelabra super montium iugis sita, tenebras tam infidelitatis quam haereseos pro viribus dissolvant, quique nec minores sint annis viginti quinque, nec trigesimum quintum excedant, ac robustâ corporis valetudine polleant, aptique sint ad laborandum in vineâ Domini, theologiae quoque cursum expleverint, ac lectores seu concionatores fuerint, aut saltem in morali theologiâ versati; et non ex solâ Italia, sed ex omnibus provinciis advocari curet, et plures etiam ex unâ provinciâ; si tamen possibile sit, maior pars colligatur ex provinciis Status Ecclesiastici, dummodo praedictas qualitates habeant; moneatque insuper provinciales, guardianos aliosque, si opus fuerit, religiosos, ne accedere volentes ullo modo retrahant; et, contra tales dissuadentes et male consulentes, poenas comminetur privationis activae et passivae vocis, aliasque arbitrio sacrae Congregationis.

Quid ab iis peragendum in ingressu.

III. In ipso ingressu singuli exercitia spiritualia peragant per decem aut saltem octo dies, cum omne datum optimum et omne donum perfectum desursum sit, descendens a Patre luminum; et deinde immediate in manibus patris generalis, aut, eo absente, ipsius vicarii, vel alterius ab eo deputandi, iuramentum iuxta infrascriptam formulam praestent, illudque ad sacram Congregationem transmittatur.

Formula iuramenti talis est:

Formula iuramenti.

Ego frater N. professus in conventu N. provinciae N. Ordinis Minorum Conventualium sancti Francisci iuro et promitto in manibus paternitatis vestrae reverendissimae N. sive patris vicarii aut superioris conventus S. Francisci Assisiensis, ab hoc seminario non discessurum, neque discedere procuraturum, mediate vel immediate, per me vel per interpositam personam, nisi ex legitimâ causâ admittendâ a paternitate vestrâ reverendissimâ vel a vestris successoribus canonice intrantibus, et non aliàs, etc. Insuper, pro fidei catholicae propagandae causâ ac salute infidelium procurandâ, ad eum locum, provinciam seu regnum sine aliquâ repugnantiâ aut exceptione quandocumque iturum, ad quam seu quod a paternitate vestrâ reverendissimâ ero destinatus et missus. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. Ego NN. affirmo, ut supra, manu propriâ.

Quamdiu ibi debeant morari.

IV. In dicto seminario permaneant spatio duorum annorum, et non ultra, nisi fortasse cum aliquo, ob insignis spem profectus vel aliâ legitimâ causâ, censuerint lectores protrahendam esse moram ad triennium, idque cum dispensatione in scriptis patris generalis et sacrae Congregationis.

Censendi sunt tamquam de familiâ.

V. In omnibus collegiales subsint, prout etiam lectores, obedientiae guardiani, sicuti ceteri fratres de familiâ, ac ceteri lectores; ac de his habeatur, dum in seminario permanserint, eadem ratio, ac si huius provinciae fratres essent, tum circa praecedentiam iuxta susceptionem habitus, tum circa reliqua eorum religiosis necessitatibus convenientia, de quibus pater guardianus, non secus ac reliquos sui conventus fratres, eos providebit, sub iisdem poenis quae contra guardianos id ipsum suis fratribus praestare negligentes a statutis decretae sunt; vestiarium vero pater generalis vel a propriis provincialibus eis debito tempore, vel a guardiano Assisii, pro cuius intentione studentes ac lectores missas celebrare debeant, subministrari curet.

Hortum eis concedendum.

VI. Concedat guardianus huiusmodi collegialibus parvum hortum cum suâ serâ, si commode fieri poterit, ubi seiunctim ab aliis honeste refici, ac invicem in linguis cum suis lectoribus sese exercere valeant.

De numero et electione lectorum.

VII. Duo semper in hoc seminario ad minus adsint lectores, controversiarum alter,

et alter, seu plures, qui calleant linguam, qua utuntur Peloponesenses, Costantinopolitani, Transilvani, Moldavi, Valachi, in quorum regionibus dicta religio missiones habet; ita tamen, ut, nonnisi praevio examine coram superiore generali faciendo sive per eum delegando, et confirmatione sacrae Congregationis, admittantur, iisdemque iniungatur serio sedulitas et assiduitas in lectionibus, repetitionibus et exercitiis.

Privilegia eorumdem. VIII. Fruantur lectores, sic electi et confirmati, praecedentiâ et praeeminentiâ, ac privilegiis, quibus lectores actuales theologiae potiuntur.

Eorum onera. IX. Lector controversiarum binas ad minus singulis hebdomadis tradat in scriptis lectiones controversiarum utiles pro dictis locis, ad quae alumni huius seminarii sunt destinandi; et post vesperas earumdem habeat conferentias, frequentibusque exercitiis studentes instituat; singulis vero mensibus traditae doctrinae disputationes habeantur, intervenientibus etiam aliis lectoribus et religiosis eiusdem conventus. Alii vero lectores linguarum ter in hebdomadâ legant, et rerum, quas studentes docuerint, repetitionem ab eis exigant singulis diebus, quibus legere tenentur, per horam post vesperas auditores suos exercendo.

De egressu e conventu. X. Prohibetur aeque lectoribus ac studentibus diebus lectionum a conventu egredi quacumque de causâ, nisi expletis integre lectionibus ac exercitiis eâ die qua fieri debebunt, et in hoc guardianus diligenter incumbat; et si theses eâdem die habeantur, guardianus, si ita expedire videbitur, absolute licentiam deneget.

Interdicitur susceptio aliorum munerum. XI. Interdicitur pariter lectoribus aeque ac alumnis quadragesimalium concionum cursus aggredi, et solummodo permittatur studentibus sermonem aliquem aut concionem interdum infra annum habere ob aliquam occurrentem festivitatem, aut quadraginta horarum, ac similiter in mensâ vel in conventu, ad hoc ut prompti sint ad huiusmodi exercitium subeundum tempore missionum, dummodo per id a studiis praedictis nulla penitus distractio sequatur.

Superiores corrigant negligentes. XII. A lectionibus, repetitionibus ac exercitiis utriusque studii nemo prorsus ex studentibus quocumque titulo aut colore eximatur, aut unquam permittatur abesse; et si quis neglexerit, a guardiano corrigatur; idemque fiat si aliquem negligentem in exscribendis lectionibus aut in dictis studiis desidiosum reperiat, et tam lectores quam guardianus de omnibus superiorem generalem ac etiam sacram Congregationem certiorent.

De thesibus. XIII. Senis quibuscumque mensibus theses theologicae illyricâ seu alterâ linguâ et latino idiomate habeantur, quibus guardianus interesse teneatur, ad dignoscendos eos qui proficiunt, et monere debeat patrem generalem de iis qui forsan studio huiusmodi minus vacaverint, ut valeat, iis submotis, alios subrogare.

Concio habenda de praestantia missionum. XIV. Curet pater generalis aliquem religiosorum deputare, qui ad ipsos studentes singulis mensibus magno zelo ac pietate concionem habeat de missionariorum muneris praestantiâ, deque peculiaribus eiusdem functionibus, quo spiritus apostolicus in eis succendatur ac maneat, erudianturque in iis omnibus quae ad illud congrue et cum Dei gloriâ peragendum pertinent.

De visitationibus. XV. Generalis Ordinis, vel eius vicarius, aut alter delegatus[1], singulis quatuor mensibus saltem studium illud visitet, et si studentem aliquem minime proficientem invenerit, aliquâ poenitentiâ iniunctâ, eum ad propriam provinciam redire iubeat, et eamdem Congregationem de remotione moneat, aliumque quamprimum subroget.

XVI. Ultra vero praedictam generalis visitationem, liceat sacrae Congregationi, eius arbitrio, aliquem deputare, qui collegium praedictum visitet, et de statu ac necessitate ipsius collegii et alumnorum, deque eorumdem progressu certioret.

De expositione cathechismi. XVII. Singulis diebus dominicis, et aliis festivis de praecepto, praefati collegiales in ecclesiâ, vel in alio opportuno loco a patre generali destinando, explicent catechismum romanum, et unusquisque turnarie continuet per mensem.

De missione missionariorum. XVIII. Completo biennio, abeant studentes

1 Male edit. Main. legit *delegatur* (R. T.).

quò a sacrâ Congregatione destinati fuerint; quod si nullus tunc temporis sit in promptu missionis locus, illis a patre generali aliquis conventus deputetur, in eoque permaneant, quousque advenerit occasio missionis, et sacram Congregationem certioret; quod si aliquis illorum ad destinatas missiones renueret aut negligeret accedere, arbitrio sacrae Congregationis plectatur.

De eorum privilegiis.

XIX. Ut autem dicti Ordinis religiosi aliquo etiam temporali congruoque alliciantur praemio, animosque fortius intendant ad libentius semetipsos dicandos sacro missionum ministerio, ac consequenter studiis praefatis veluti ad missiones ipsas directis, tam studentes quam missionarii respective his privilegiis, quae sequuntur, gaudeant.

XX. Ii qui in missione aliquâ per integrum sexennium praefecti munere laudabiliter perfuncti fuerint, ad lauream magisterii promoveantur; si vero in religione dictam lauream iam assecuti fuerint, patres provinciae declarentur; alii vero missionarii si per novennium in missione permanserint, eâdem magisterii laureâ decorentur; et si fuerint in sacrâ theologiâ magistri, patres quoque provinciae instituantur: ordine tamen sacrae Congregationis praecedente.

Praedictorum executio.

XXI. Studeant superiores Ordinis singula debitae executioni demandare. In quibus eorum conscientias sacra Congregatio onerat, relictâ eorum arbitrio facultate alia tam disciplinam quam studiorum profectum respicientia, supradictis tamen firmis remanentibus, statuendi, et cum approbatione sacrae Congregationis decernendi.

Confirmatio eorumdem precibus cardinalium facta.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, cardinales praefati, factâ sibi per eumdem secretarium omnium et singularum regularum huiusmodi distinctâ relatione, unanimi consensu illas approbantes, confirmandas esse censuerint: hinc est quod nos, inviolabili earumdem regularum robori et efficaciae[1] providere volentes, supplicationibus eorumdem cardinalium nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, easdem praeinsertas regulas, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras ac regulas huiusmodi semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, praefati conventus Assisiensis, et illius Ordinis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem

1 Edit. Main. legit *efficacia* (R. T.).

praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI ianuarii MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 21 ianuarii 1710, pontif. anno X.

CXXXIV.

Confirmantur regulae pro collegio missionariorum in conventu S. Bartholomaei in Insulâ de Urbe fratrum Minorum de Observantiâ [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Commissi nobis divinitus sacrosancti apostolatus officii ratio postulat, ut illis, quae provido consilio pro collegiorum seu seminariorum, in quibus religiosi viri ad christianam fidem catholicamque religionem propagandam mittendi opportune instituantur, salubri directione felicique progressu constituta esse noscuntur, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolici muniminis adiungamus firmitatem.

Erectio seminariorum huiusmodi praecepta a Pontifice. § 1. Aliàs siquidem nos, iuxta decretum quod prius, nempe in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum die III octobris MDCCVII coram nobis habitâ, edideramus, dilectis filiis quorumdam religiosorum Ordinum superioribus praecepimus, ut omnino, ac quamprimum, suo quique in Ordine conventum aliquem veluti pro seminario missionariorum, ad instar seminariorum seu collegiorum in S. Pancratii prope et extra muros Urbis Ordinis fratrum beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, ac S. Petri in Monteaureo de eâdem Urbe Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum etiam nuncupatorum conventibus respective institutorum, deputarent, in quo diu ac diligenter vocatio et spiritus eorum, qui missionibus destinarentur, probaretur, ipsique etiam ibidem de omnibus, quae ad hoc apostolicum ministerium cum laude et fructu exercendum utilia ac necessaria forent, plene instruerentur; quatenus vero in aliquo Ordine conventus huiusmodi destinatio ad hunc effectum tantum non tam cito fieri posset, donec ea fieret, ea omnia in aliquo conventu vel domo eiusdem Ordinis, ubi regularis observantia magis vigeret, executioni mandarentur. Porro in praemissorum implementum, sicut praefati cardinales nobis nuper exposuerunt, novissime in conventu S. Bartholomaei in Insulâ de Urbe praefatâ Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum novum collegium seu seminarium pro missionariis huiusmodi erectum seu destinatum, necnon dormitorium pro duodecim religiosis ad loca Terraesanctae et alias missiones expediendis assignatum fuit, ac insimul nonnullae regulae pro novo collegio seu seminario huiusmodi confectae, illaeque ipsis cardinalibus, ut ab iis confirmarentur, exhibitae fuerunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

Collegium institutum de quo in rubricâ.

Regulae eiusdem referuntur. *Regulae et provisiones pro novo collegio seu seminario Minorum Observantium erecto in*

1 Vide similem constitutionem praecedentem; de erectione similium collegiorum vide Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVI, die 28 iunii, pontif. X; et Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVIII, die 16 iunii, pontif. V.

conventu S. Bartholomaei in Insulâ eiusdem Ordinis a sacrâ Congregatione generali de Propagandâ Fide confirmandae.

De loco collegii.

I. Cum a Congregatione particulari habitâ die XII septembris MDCCIX resolutum fuerit, esse destinandum locum seu dormitorium in dicto conventu pro duodecim religiosis expediendis ad loca sancta, et respective ad alias missiones, et pater Caelestinus a Mediolano vicecommissarius generalis assignaverit dormitorium e conspectu palatii dominorum de Sabellis continens duodecim cellas et alias contiguas pro lectoribus iuxta numerum inferius praefigendum, confirmanda videtur dicta assignatio et ponenda in principio dormitorii, vel in loco aptiori, inscriptio: *Collegium*, seu, *Seminarium pro missionibus sanctorum et aliorum locorum.*

De qualitatibus eligendorum, cum poena contra dissuadentes accedere ad collegium.

II. Ut missionum munus, quod vere apostolicum est, per viros undequaque idoneos omni curâ et fervore ac cum fructu exerceatur, incumbat superior generalis eligere religiosos regulari disciplinâ, probitate morum, ac zelo gloriae Dei praeditos, et ad animarum salutem eximiâ charitate accensos, qui, veluti candelabra super montium iugis sita, ad tenebras tam infidelitatis quam haereseos pro viribus dissolvendas sint apti, quique nec minores sint annis vigintiquinque, nec trigesimoquinto maiores, exceptis tamen lectoribus iubilatis et sexennalibus sacrae theologiae ad has missiones divinitus vocatis, dummodo tamen quadragesimum annum non excedant, robustâ quoque corporis valetudine polleant ad iugiter laborandum in vineâ Domini, et quidem indistincte, tam pro locis Terraesanctae quam pro aliis missionibus; theologiae pariter cursum expleverint, ac lectores seu concionatores fuerint, aut saltem in morali theologiâ bene versati; illosque non ex solâ Italia, sed ex omnibus provinciis advocare curet, et plures etiam ex unâ provinciâ, dummodo sic electi praedictas habeant qualitates; moneatque insuper provinciales, guardianos, aliosque, si opus fuerit, religiosos, ne accedere volentes ullo modo retrahant; et, contra tales dissuadentes ac male consulentes, poenas comminetur privationis vocis activae et passivae, aliasque arbitrio sacrae Congregationis.

De eorum ingressu cum formula iuramenti.

III. In ipso ingressu singuli exercitia spiritualia peragant per decem aut saltem octo dies, cum omne donum perfectum desursum sit descendens a Patre luminum, et deinde immediate in manibus dicti patris superioris generalis cismontani, aut, eo absente, alterius ab eo deputandi, iuramentum iuxta infrascriptam formulam praestent, illudque ad sacram Congregationem transmittatur.

Formula iuramenti talis est:

Ego frater N. N., professus in conventu N. provinciae N. Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, iuro et promitto in manibus paternitatis vestrae reverendissimae N., sive superioris delegati, me ab hoc seminario non discessurum, neque discedere procuraturum, mediate vel immediate, per me nec per interpositam personam, nisi ex legitimâ causâ admittendâ a paternitate vestrâ reverendissimâ vel a vestris successoribus canonice intrantibus, et non aliàs. Insuper, pro fidei catholicae propagandae causâ, ac salute infidelium procurandâ, ad loca Terraesanctae, aut aliam quamcumque provinciam vel regnum, sine ullâ repugnantiâ et exceptione, quandocumque iturum, et ad illam partem ex dictis locis aut provinciis, ad quam a paternitate vestrâ reverendissimâ ero destinatus et missus. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. Ego N. N. affirmo ut supra manu propriâ.

De morâ in collegio.

IV. In dicto seminario permaneant spatio duorum annorum, et non ultra, nisi fortasse cum aliquo ob insignis spem profectus vel ex aliâ legitimâ causâ censuerint lectores protrahendam esse moram ad triennium, idque cum dispensatione in scriptis patris superioris generalis cismontani et sacrae Congregationis.

De qua familiâ et provinciâ censendi sint.

V. In omnibus collegiales subsint, prout etiam lectores, obedientiae guardiani et superiorum Ordinis respective, sicuti ceteri fratres et lectores de familiâ, ac de iis habeatur, dum in seminario permanserint, eadem ratio, ac si huius provinciae fratres essent, tum circa praecedentiam iuxta susceptionem habitus (cum hac tamen declaratione, respectu lectorum iubilatorum et

sexennalium, ut, dum actu sunt collegiales, praecedentiâ et praeeminentiis ipsis competentibus secundum statuta Ordinis fruantur, et si sexennales in propriâ provinciâ locum non haberent, sint immediate post ultimum aggregatum de numero) tum etiam circa reliqua eorum religiosis necessitatibus convenientia, exceptis his quae sequuntur, hoc modo, nempe: vestiarium cuique ex dictis studentibus subministretur a singulis respective eorum provinciis iuxta morem in religione observatum ac practicatum erga alios studentes; quo vero ad lectores actu legentes, vestiarium subministretur ex pecuniis Terraesanctae mediante syndico apostolico; eisdemque lectoribus, prout etiam sex studentibus, ex eisdem pecuniis subministrentur ceterae quae in religione vocantur necessitates; quo vero ad alios sex subministrentur a guardiano dicti conventus, et dominus secretarius sacrae Congregationis supplicabit Sanctissimo pro eleemosynâ missarum in dictâ ecclesiâ S. Bartholomaei celebrandarum pro sex ad minus dictorum religiosorum, ne pro habendâ dictâ eleemosynâ ad alias ecclesias divagentur.

De numero, electione et primatu lectorum.

VI. Duo semper in hoc seminario ad minus pro nunc adsint lectores, alter controversiarum, et alter pro linguâ arabicâ, et, si possibile sit, addatur tertius pro linguâ illyricâ; et remittitur prudentiae patris superioris generalis cismontani invenire lectorem, qui utramque ex dictis linguis calleat, et non admittantur, nisi praevio examine et confirmatione sacrae Congregationis; iisdemque serio iniungatur sedulitas et assiduitas in lectionibus, repetitionibus et exercitiis; ac dicti lectores, dum actu legunt, habeant praecedentiam modo quo sequitur, nempe: lector controversiarum, si fuerit lector iubilatus de non numero, inter lectores iubilatos de numero, ultimo tamen loco; si fuerit solum sexennalis, omnes[1] exdefinitores; lectores linguarum, si fuerint iubilati vel sexennales, eo modo quo lector controversiarum; si tantum instituti lectores theologi, inter exdefinitores iuxta antianitatem habitus; si non sint lectores theologi et trigesimum annum compleverint, immediate post vicarium; si non compleverint trigesimum annum, inter lectores artium, cum praerogativis secundum morem et statuta Ordinis respective competentibus, praecedant, incedant et potiantur.

Item de eorum onere.

VII. Praefatus lector controversiarum binas ad minus singulis hebdomadis tradat in scriptis lectiones utiles pro locis Terraesanctae ac aliis respective locis, ubi religio missiones habeat, et post vesperas earumdem agat conferentiam, frequentibusque exercitiis studentes instituat; singulis vero mensibus traditae doctrinae disputationes habeantur, intervenientibus etiam aliis lectoribus et religiosis eiusdem conventus; alii autem lectores linguarum ter in hebdomadâ legant, et rerum, quas docuerint, repetitionem a studentibus exigant singulis diebus, quibus legere tenentur, per horam post vesperas auditores suos exercendo.

De egressu e conventu.

VIII. Prohibetur aeque lectoribus ac studentibus diebus lectionum a conventu egredi quacumque de causâ, nisi expletis integre lectionibus ac exercitiis eâ die qua fieri debebunt, et in hoc guardianus diligenter incumbat, et si theses eâdem die habeantur, si ita expediens videbitur, absolute licentiam deneget.

De prohibitione concionum.

IX. Interdicitur pariter aeque lectoribus ac collegialibus quadragesimalium concionum cursus aggredi, et solummodo permittatur studentibus sermonem aliquem aut concionem interdum infra annum habere ob aliquam occurrentem festivitatem, aut quadraginta horarum, et similiter in mensâ aut in conventu, ad hoc ut prompti sint ad huiusmodi exercitium subeundum tempore missionum, dummodo per id a studiis praedictis nulla penitus distractio sequatur.

De correctione negligentium.

X. A lectionibus, repetitionibus ac exercitiis utriusque studii, nemo prorsus ex studentibus quocumque titulo aut colore eximatur, aut unquam permittatur abesse, et si quis neglexerit, a guardiano corrigatur; idemque fiat si aliquem negligentem in exscribendis lectionibus aut in dictis studiis desidiosum reperiat, et tam lectores quam

1 Forsan *inter* pro *omnes* (R. T.).

guardianus de omnibus superiorem generalem, ac etiam sacram Congregationem certiorent.

De thesibus. XI. Senis quibuscumque mensibus theses theologiae seu controversiarum arabico, latino, et, quatenus fieri possit, illyrico idiomate habeantur, quibus guardianus interesse teneatur ad dignoscendum eos qui proficiunt, et monere debeat patrem superiorem generalem de iis qui forsan studio huiusmodi minus vacaverint, ut valeat, illis submotis, alios subrogare.

De concione habendâ super praestantia missionum. XII. Curet superior generalis aliquem religiosum deputare, qui ad ipsos studentes singulis mensibus magno zelo ac fervore concionem habeat de missionariorum muneris praestantiâ, deque peculiaribus eiusdem functionibus, quo spiritus apostolicus in eis succendatur ac perseveret, erudianturque in iis omnibus quae ad illud congrue et cum Dei gloriâ peragendum pertinent.

De visitationibus faciendis. XIII. Superior generalis familiae cismontanae, vel alter ab eo delegatus, singulis saltem quatuor mensibus studium istud visitet, et si studentem aliquem minime proficientem invenerit, aliquâ poenitentiâ iniunctâ, qua alii ab assumpto munere negligendo deterreantur, eum ad propriam provinciam redire iubeat, et eamdem sacram Congregationem de remotione moneat, aliumque in remoti locum quamprimum subroget. Ultra vero praefatam patris superioris generalis visitationem, secretarius itidem sacrae Congregationis idem collegium bis visitet in anno absque superiorum interventu, ut liberius queat statum et necessitates collegii exponere, adhibito secum dumtaxat aliquo arabicae linguae perito, per quem possit alumnos examinare et de eorum progressu certiorare.

De expositione catechismi. XIV. Singulis diebus dominicis et aliis festivis de praecepto praefati collegiales in loco per superiorem cismontanum in conventu destinando post vesperas serio et cum opportunis observationibus explicent religiosis sacerdotibus, clericis et laicis catechismum romanum, et unusquisque turnarie continuet per mensem, quousque compleatur, et deinde de novo per ordinem incipiatur, ad hoc ut aptiores evadant tempore quo in missionibus permansuri erunt.

De missione missionariorum. XV. Completo biennio, singuli collegiales, iuxta decretum die III octobris MDCCVII emanatum in Congregatione coram Sanctitate Suâ, examinentur, praesente quoque eminentissimo protectore Ordinis, qui cum superiore generali eligat illos ad sancta loca mittendos et alios pro ceteris missionibus eidem eminentissimo bene visis, et referre dignabitur sacrae Congregationi; et si nullus tunc temporis in promptu sit Terraesanctae vel missionis locus', aut saltem non pro omnibus collegialibus, a patre superiore generali destinentur, ut inferius, in aliquibus conventibus, quousque advenerit occasio, iuxta indigentiam et opportunitatem transmittendi, et sacram Congregationem certioret; et si aliquis ad locum destinatum renueret, aut accedere negligeret, arbitrio sacrae Congregationis plectetur, et adventibus novis collegialibus, praemissis exercitiis spiritualibus, factoque iuramento, illud[1] ad sacram Congregationem transmittat.

XVI. Ut autem dicti Ordinis collegiales aliquo etiam temporali praemio alliciantur, animosque libentius intendant ad sacrum missionum ministerium, ac consequenter studiis praefatis veluti ad missiones ipsas directis, infradicendis privilegiis gaudeant et potiantur.

De eorum privilegiis. XVII. Donec completo studio sese obtulerit occasio ad loca sancta vel alias missiones accedendi, pater superior generalis illos ad proprias provincias revocet, collocetque in aliquo principali provinciae conventu iisdem grato, ex quo, ipso generali superiore cismontano inconsulto, dimoveri nequeant.

XVIII. Iis vero, qui in missione aliquâ praefecti munere per sexennium laudabiliter perfuncti fuerint, liceat in reditu aliquem ex principalibus propriae provinciae conventibus sibi deligere, ac inter lectores iubilatos de numero praecedentiam habere iuxta antiquitatem institutionis cum omnibus praeeminentiis per constitutionem sanctae memoriae Urbani VIII concessis; et si iam iidem praefecti fuerint lectores iubilati

1 Forsan *illum* (R. T.).

instituti, sive de numero, sive de non numero, potiantur praecedentiâ et loco immediato ad ultimum exministrum provincialem in propriâ provinciâ, nec non praeeminentiis eorumdem exministrorum provincialium in propriâ provinciâ, ac si officio ministeriatus huiusmodi functi fuissent.

Privilegia pro missionarius.

XIX. Liceat pariter iis qui laudabiliter duodecim annorum spatio sacrae Congregationi in missionibus vel in locis sanctis inservierint, post reditum, unum ex principalibus propriae provinciae conventibus sibi deligere, eorumque locus sit (si iam non fuerint instituti lectores iubilati vel lectores sexennales) immediate post actuales definitores supra quoscumque alios; si vero iam fuerint instituti lectores iubilati vel sexennales, et inservierint ut supra per octo annos, post reditum ad propriam provinciam, potiantur praecedentiâ et praeeminentiis lectoribus iubilatis de numero concessis, servando inter se anterioritatem institutionis: et si discedentes ex missionibus pro negociis earumdem missionum ad Urbem se conferant de licentiâ sacrae Congregationis, maneant in dicto conventu S. Bartholomaei, si commode recipi possint, vel in alio conventu B. Mariae de Aracaeli, et interim habeantur ac si essent de familiâ, quousque per sacram Congregationem expediantur.

De privilegiis lectorum.

XX. Utque similiter tam lectores controversiarum, quam lectores seu magistri linguarum, qui laudabiliter et cum approbatione patris superioris generalis cismontani in praedictis se gesserint, aliquod praemium pro eorum laboribus consequantur, conceditur, ut, si lectores iubilati de non numero per quadriennium, sexennales per octennium, et lectores theologi tantum instituti per decennium legerint, non instituti vero theologi linguas per quindennium docuerint, redeuntes ad propriam provinciam potiantur eâdem praecedentiâ et praeeminentiis, quibus gaudent lectores iubilati de numero, servatâ pariter inter eos anterioritate institutionis.

De procuratore missionum.

XXI. Studeat superior generalis cismontanus deputare procuratorem pro missionibus, qui vel in S. Bartholomaei vel in Aracaelitano conventibus commoretur et unum socium gratum habeat, qui in gerendis negociis missionum eum coadiuvet, et petitâ solitâ benedictione a superiore locali, e conventu exeat; qui quidem procurator vel per sexennium completum fuerit praefectus aut officialis locorum Terraesanctae, vel per decennium missionarius, aut in servitio Terraesanctae per idem tempus permanserit.

De praedictorum executione.

In his omnibus sacra Congregatio conscientiam superiorum Ordinis familiae cismontanae oneratam esse voluit, eorumque arbitrio reliquit regulas (supradictis tamen firmis remanentibus) tum exactam regularem disciplinam, tum studiorum profectum respicientes, et per eamdem sacram Congregationem approbandas.

Confirmatio eorum precibus cardinalium facta.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, memorati cardinales, factâ sibi per dilectum filium secretarium praedictae Congregationis omnium et singularum regularum huiusmodi distinctâ relatione, unanimi consensu illas approbantes, confirmandas esse censuerint: hinc est quod nos, inviolabili earumdem regularum robori et efficaciae providere volentes, supplicationibus eorumdem cardinalium nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, easdem praeinsertas regulas cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, ac regulas huiusmodi semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quando-

cumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definire debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, praefati conventus S. Bartholomaei, et illius Ordinis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI ianuarii MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 21 ianuarii 1710, pontif. anno X.

CXXXV.

Conceditur alternativa tripartita in electione correctoris, collegarum et definitorum in provinciâ Messanensi fratrum ***Minimorum sancti*** *Francisci de Paula*[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, cura animum nostrum sollicitat ad ea peculiari paternae charitatis studio statuenda, per quae christifidelium divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum quieti et felici regimini opportunis rationibus salubriter consulatur.

A provinciâ petita fuit alternativa inter fratres Vallis Neti et Vallis Demonis.

§ 1. Aliàs siquidem per dilectos filios fratres Vallis Neti nuncupatos, provinciae Messanensis, Ordinis sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum, nobis supplicato ut quamdam alternativam in electione correctoris provincialis dictae provinciae inter fratres conventuum dictae Vallis et Vallis Daemonis nuncupatarum provinciae et Ordinis praedictorum concederemus: nos supplicem libellum nobis super praemissis porrectum ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam remisimus. Ipsa vero Congregatio cardinalium eumdem supplicem libellum ad venerabilem fratrem modernum archiepiscopum Panormitanum pro informatione et voto transmisit. Qui quidem archiepiscopus, ad occurrendum inordinationibus quae occasione electionis correctoris provincialis huiusmodi oriebantur[2], ne illius officium

1 Clementis X const. ed. MDCCLXX, die 13 augusti, pontif. I, concessum fuit suffragium; in huius Pontificis constit. edit. MDCCXVII, die 12 augusti, pontif. XVII, agitur de suffragio exprovincialium.

2 Edit. Main. legit *oriebatur* (R. T.).

penes fratres conventus Mylarum perpetuo remaneret, censuit alternativam huiusmodi tripartite concedendam esse; et ad hunc effectum quamdam conventuum repartitionem fecit, assignando eisdem fratribus Vallis Neti conventus Cathaniensem, Syracusanum, Augustae, Leontinensis, Vizzini, Calatagironensem, Mellitellensem, Victoriae, Neti, Terraenovae et Syclensem; fratribus vero districtus Messanensis conventus Messanensem, Castaneae, Scalanensem, Taurominae, Linguaegrossae et Randiatiensem; ac demum fratribus Plani Mylarum conventus Mylaytarensem, Montisfortis, S. Petri, S. Angeli, Condronensem et Gipsensem; addens quod in primo capitulo provinciali celebrando electio de personâ religiosi conventus Vallis Neti, et subinde modo recensito alternatim fieri deberet. Auditoque postmodum ab eâdem Congregatione cardinalium dilecti filii moderni procuratoris generalis voto, die XXVI augusti MDCCVII rescripsit ut ad capitulum provinciale recurrerent et postea supplicarent. Cum autem die XXIX septembris eiusdem anni capitulum provinciale celebratum fuisset, fratres capitulares in eo legitime congregati, praemissa vera esse considerantes, eidem Congregationi cardinalium pro concessione eiusmodi alternativae tripartitae, iuxta votum memorati archiepiscopi (ita scilicet ut in primo memoratus corrector provincialis e fratrum Vallis Neti, nempe Cathaniensis, Syracusani, Augustae, Leontinensis, Vizzini, Calatagironensis, Mellitellensis, Victoriae, Terraenovae, Netensis et Siclensis, in secundo e fratrum Messanensis, Castanensis, Scalattensis, Taurominensis, Linguaegrossae et Randiatiensis, et in tertio capitulo capitulo provinciali dictae provinciae successive celebrando e fratrum Mylaytani, Montisfortis, Gipsensis, S. Petri Condronensis et S. Angeli respective conventibus provinciae et Ordinis praedictorum, tres vero collegae dicti capituli[1] provincialis unus e Vallis Neti, alter vero ex districtu Messanensi, ac reliquus ex Plani Mylarum conventibus eligi deberent, et id ipsum in electionibus sex definitorum servandum sit) ...[2] Quare dicti exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut in infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium, qui relationem praedicti archiepiscopi ad eosdem cardinales super praemissis transmissam audiverunt, consilio, eisdem exponentibus petitum indultum alternativae tripartitae, in omnibus iuxta petita a memorato capitulo provinciali, concedimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium. Concessio praedictae alternativae tripartitae e capitulo provinciali.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Clausulae.

1 Forsan *correctoris* (R. T.).

2 Vid. deesse *rescripserunt*, aut simile (R. T.).

palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis, quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI februarii MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 6 februarii 1710, pontif. anno X.

CXXXVI.

Damnatur et prohibetur liber, cuius titulus Ragioni a pro della fedelissima città e regno di Napoli, ecc. [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Libri titulus et eius censura.

§ 1. Cum, sicut accepimus, in lucem prodierit liber quidam italico idiomate editus, cui titulus *Ragioni a pro della fedelissima città di Napoli contra il procedimento straordinario nelle cause del S. Offfcio, divisate in tre capi, ecc.;* et venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales, in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generales inquisitores a Sede Apostolicâ specialiter deputati, auditâ libri huiusmodi censurâ sibi relatâ, illum, tamquam continentem propositiones falsas, perniciosas, temerarias, seditiosas, erroneas, ecclesiasticae immunitatis et iurisdictionis eversivas, ad schisma excitandum aptas, tribunali sanctae Inquisitionis summopere iniuriosas, haeresim demum sapientes, sive de haeresi suspectas respective, prohibendum et condemnandum esse censuerint: hinc est quod nos, creditum nobis a Domino pastoralis curae et vigilantiae munus, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter exequi cupientes, de memoratorum cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, supradictum librum, ubicumque et quocumque alio idiomate seu quavis editione aut versione hucusque impressum aut imposterum imprimendum, tenore praesentium damnamus et reprobamus, ac legi seu retineri prohibemus, ipsiusque libri impressionem, lectionem, retentionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo a quoquam, praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium obtinere valeat, omnino interdicimus. Volentes et auctoritate apostolicâ mandantes, ut, quicumque librum huiusmodi penes se habuerint, illum, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere atque consignare teneantur, hi vero

1 Const. ed. MDCCX, die 8 iunii, pontif. X, damnatur *Traité de la régale, etc.*; et const. seq. damnantur tres libri de re beneficiariâ.

exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Clausulae. § 2. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, et auctoritate praedictâ decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae apostolicae, necnon Curiae generalis Montis Citatorii, et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, sic vero publicatas omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent. Ipsarum autem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi[1], quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII februarii MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 27 februarii 1710, pontif. anno X.

CXXXVII.

Damnantur et prohibentur libri sub titulis Ragioni del regno di Napoli, ecc. De re beneficiaria, etc. Considerazioni teologico-politiche, ecc., parte prima[2].

1 Edit. Main. legit *habeatur* (R. T.).

2 Constitutione praecedenti damnatus fuit liber *Ragioni a pro della città di Napoli, ecc.*; et const. seq. denuo damnatur praedictus tertius liber, et explicite eius *secunda pars*.

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Librorum titulii eorumque censurae.

§ 1. Cum, sicut nobis innotuit, in lucem prodierint nonnulli libri sub titulis infrascriptis videlicet: 1.us *Ragioni del regno di Napoli nella causa de' suoi beneficî ecclesiastici, che si tratta nel real concilio della Maestà del re nuovamente a tal affare ordinato,* XVIII *giugno* MDCCVIII; 2.us *De re beneficiariâ dissertationes tres, ubi Caroli III Austr. Hisp. regis, pii, felicis, victoris, PP. Augustini edictum, quo fructuum capionem in sacerdotiis externorum et vagantium clericorum iubet, tum summo, tum optimo iure recte atque ordine factum demonstratur. Rex qui sedet in solio iudicii dissipat omne malum intuitu suo* (Prov. *20), anno* MDCCVIII; 3.us *Considerazioni teologico-politiche fatte a pro degli editti di S. M. Cattolica intorno alle rendite ecclesiastiche del regno di Napoli, parte prima, nell'anno* MDCCVIII: venerabiles vero fratres nostri S. R. E. cardinales in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generales inquisitores a Sede Apostolicâ specialiter deputati, auditis librorum huiusmodi censuris sibi relatis, illos, tamquam continentes propositiones falsas, male sonantes, temerarias, seditiosas, erroneas, Sedi Apostolicae iniuriosas, unitatis et primatus eiusdem S. R. E. eversivas, libertatis et immunitatis ecclesiasticae penitus destructivas, suspectas de haeresi, schismati et haeresi proximas, imo etiam haereticas respective, omnino damnandos et prohibendos esse censuerint: hinc est quod nos, pro commissâ nobis divinitus gregis dominici curâ, animarum pretioso salvatoris et domini nostri Iesu Christi sanguine redemptarum periculis atque detrimentis, quae ex eorumdem librorum lectione et usu provenire possent, pastorali sollici-

tudine, quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, de memoratorum cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, libros supradictos, et eorum quemlibet, ubicumque et quocumque alio idiomate seu quavis editione et versione hucusque impressos ac manu descriptos, aut imposterum imprimendos et describendos, tenore praesentium damnamus et reprobamus, ac legi ac retineri prohibemus, ipsorumque librorum et eorum cuiuslibet impressionem, descriptionem, retentionem, lectionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo per quemquam, nisi per nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, omnino interdicimus. Volentes et apostolicâ auctoritate praecipientes, ut quicumque libros praedictos, vel aliquem eorum, penes se habuerint, illos seu illum[1], statim atque praesentes litterae ad eorum notitiam pervenerint, teneantur, tradere atque consignare locorum Ordinariis, vel haereticae pravitatis inquisitoribus, qui exemplaria sibi tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Clausulae. § 2. Ceterum, ut ipsae praesentes litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare valeat, volumus pariter, et auctoritate praedictâ decernimus, ut illae ad valvas basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae apostolicae, necnon Curiae generalis in Monte Citatorio, et acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; sic vero publicatae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificate fuissent; utque earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII februarii MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 17 februarii 1710, pontif. anno X.

1 Pessime edit. Main. legit *illorum* (R. T.).

CXXXVIII.

Damnatur et prohibetur denuo liber sub titulo Considerazioni teologico-politiche, ecc.; parte prima e seconda[1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Libri titulus censura, ac novae damnationis causa.

§ 1. Nuper nos per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras, inter alios, librum quemdam italico idiomate conscriptum, et in duas partes divisum, sub titulo: *Considerazioni teologico-politiche fatte a pro degli editti di S. M. Cattolica intorno alle rendite ecclesiastiche del regno di Napoli*, damnavimus et reprobavimus, ac legi seu retineri prohibuimus, et aliàs, prout in scriptis[2]

1 Hic liber damnatus fuit constitutione praecedente sine expressione eius *secundae partis*; et const. editâ MDCCX, die 6 iunii, pontif. X, damnantur propositiones excerptae ex libro *Noveau Testament*, *etc.*

2 Potius *praescriptis* vel *praedictis* (R. T.).

nostris litteris die XVII februarii proxime praeteriti expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Damnatio et prohibitio ut in rubricâ.

§ 2. Cum autem in nostris litteris praedictis titulo eiusdem libri ex priori eius paginâ transcripto, praeter superius relata, etiam adiecta legantur haec verba *Parte prima nell' anno* 1708, atque exinde, sicut ad apostolatus nostri notitiam pervenit, a nonnullis dubitatum fuerit, num libri huiusmodi damnatio et prohibitio etiam ad secundam illius partem anno MDCCIX, ut accepimus, in lucem editam extendatur, seu potius ad primam eius partem dumtaxat anno MDCCVIII ut praefertur typis impressam restricta sit: hinc est quod nos, ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis munere, quamcumque dubitandi ansam hac in re penitus praecidere animarumque periculis paternâ charitate quantum nobis ex alto conceditur peramplius occurrere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede Apostolicâ specialiter deputatorum, qui vere, auditâ aliàs libri supradicti censurâ sibi relatâ, illum non solum quoad primam, sed etiam quoad secundam eius partem, utpote continentem propositiones falsas, temerarias, seditiosas, erroneas, Sedi praedictae iniuriosas, iurisdictionis et libertatis ecclesiasticae destructivas, atque etiam in schisma manifeste tendentes et haeresi proximas respective, damnarunt[1], et prohibendum esse censuerunt, consilio, ac etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberationie nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, librum praedictum quoad utramque eius partem ubicumque et quocumque alio idiomate seu quavis editione et versione hucusque impressum, ac manu descriptum, aut quod absit imposterum imprimendum et describendum, tenore praesentium denuo damnamus et reprobamus, ac legi seu retineri prohibemus, ipsiusque libri ac cuiuslibet eius partis impressionem, retentionem, lectionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo a quoquam, praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium obtinere valeat, omnino interdicimus. Volentes et auctoritate apostolicâ mandantes, ut, quicumque librum supradictum vel aliquam eius partem penes se habuerint, illum seu illam, statim atque praesentes litterae illis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere atque consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Clausulae.

§ 3. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus et auctoritate praedictâ decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae apostolicae, necnon Curiae generalis in Monte Citatorio, et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, itaut sic publicatae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent;

1 Pessime ed. Main. legit *damnantur* (R. T.).

ipsarum vero litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitatae constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi [1], quae haberetur ipsis praesentibus si exhibitae forent vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV martii MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 24 martii 1710, pontif. anno X.

CXXXIX.

Confirmatur decretum Congregationis Rituum de cultu immemorabili B. Luciae de Narnia monialis S. Dominici exhibito [2].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Ex iniuncto nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere, beatarum Christi ancillarum in caelis cum eo regnantium, in quibus, utpote vasculis imbecillioribus, opus dexterae Excelsi mirabilius ac illustrius apparuit, quaeque, non humanum sed divini Spiritus infusione depromptum apostolicum consilium secutae, cogitarunt quae sunt Domini ut essent sanctae corpore et spiritu, venerationem et cultum libenter in terris promovemus, sicut pia personarum non minus virtutum meritis quam sublimi cardinalatus dignitate fulgentium vota postulant, et nos ad omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiae decus, spiritualemque fidelium populorum, praesertim nostrorum et Apostolicae Sedis etiam quoad temporalia subditorum, aedificationem ac devotionem fovendam atque augendam conducibile fore in Domino arbitramur.

§ 1. Cum itaque aliàs, videlicet die XIX ianuarii MDCLIV, ad humillimas ac repetitas preces et instantiam tunc existentium magistratuum civitatum nostrarum Ferrariensis, Viterbiensis et Narniensis, necnon tunc etiam existentis magistri generalis Ordinis fratrum Praedicatorum nomine eiusdem Ordinis (factâ relatione in Congregatione tunc pariter existentium S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, coram felicis recordationis Innocentio PP. X praedecessore nostro habitâ, a bonae memoriae Baccio, dum vixit, eiusdem S. R. E. cardinali Aldobrandino nuncupato, de contentis in duobus processibus auctoritate Ordinariâ confectis per similis memoriae Franciscum Mariam, etiam dum vixit, dictae S. R. E. cardinalem Macchiavellum nuncupatum, tunc ecclesiae Ferrariensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulem; primo nimirum anno MDCXLVII super cultu, scientibus et tolerantibus Ordinariis, ab immemorabili tempore exhibito beatae Luciae de Narnia moniali Ordinis S. Dominici, quae feliciter obdormiverat in Domino die XV novembris MDXLIV, et casu excepto a decretis recolendae memoriae Urbani PP. VIII praedecessoris pariter nostri in Congregatione sanctae Inquisitionis editis, cuius vigore idem Franciscus Maria cardinalis et praesul per sententiam latam die XIX decembris eiusdem anni MDCXLVII pronunciaverat, constitisse et constare de immemorabili cultu dictae servae Dei, et propterea non fuisse nec esse contraventum decretis apostolicis supradictis; secundo autem anno MDCXLVIII super sanctitate

Confirmatio decreti ut in rubrica.

1 Edit. Main. legit *habeatur* (R. T.).

2 Confirmatum fuit simile decretum de cultu beatae Ioannae ab Innocentio XII, constit. edit. MDCXCIII, die 4 aprilis, pontif. II; et in huius Pontificis const. ed. MDCCXII, die 22 maii, pontif. XII, publicatur canonizatio S. Pii V.

vitae, virtutibus et miraculis, cum exhibitione etiam nonnullorum antiquorum documentorum super stigmatibus quae inibi dicuntur impressa in corpore praedictae beatae Luciae) decretum fuerit, signari posse commissionem introductionis huius causae eidem Congregationi cardinalium directam, ut cognosceret an rite et recte pronunciatum fuisset per supradictum Franciscum Mariam cardinalem et praesulem super casu excepto ex immemorabili; in huiusmodi vero commissionis executionem, subinde a piae memoriae Alexandro Papa VII etiam praedecessore nostro signatae, nuper, nempe die xv februarii proxime praeteriti, ad humillimas itidem preces dilecti filii nostri Iosephi tituli S. Mariae Transpontinae eiusdem S. R. E. presbyteri cardinalis Sacripantis nuncupati, etiam nomine dilectorum filiorum communitatis et hominum dictae civitatis nostrae Narniensis, patriae suae, porrectas, necnon dilecti filii Antonini Cloche magistri generalis memorati Ordinis fratrum Praedicatorum ac dilectarum in Christo filiarum monialium monasterii S. Catharinae de Senis praefatae civitatis nostrae Ferrariensis, prout etiam dilecti filii Thomae Ripoll, fratris expresse professi eiusdem Ordinis, in sacrâ theologiâ magistri, causae huiusmodi postulatoris, in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum ipsius S. R. E. cardinalium eisdem sacris ritibus praepositorum a dilecto etiam filio nostro Thoma tituli S. Clementis dictae S. R. E. presbytero cardinali Ferrario nuncupato, in locum memorati Bacci cardinalis deputato seu subrogato, propositum fuerit dubium, an sententia praedicti Francisci Mariae cardinalis et praesulis super cultu immemorabili erga praefatam beatam Luciam praestito esset confirmanda in casu et ad effectum de quo agebatur; auditisque desuper, tam in voce quam in scriptis, prius quidem quondam Ioanne Baptista Bottinio, dum vixit, fisci et Camerae nostrae apostolicae advocato, atque ad supplendas vices venerabilis fratris Prosperi archiepiscopi Myrensis promotoris fidei specialiter deputato, subinde vero dilecto filio Prospero de Lambertinis, aulae nostrae consistorialis advocato, necnon eiusdem Prosperi archiepiscopi et promotoris coadiutore, ultimodicta Congregatio cardinalium censuerit sententiam praefati Francisci Mariae cardinalis et praesulis ut praefertur latam super cultu immemorabili non esse infirmandam in casu et ad effectum de quo agebatur, si ita nobis visum fuisset: hinc est quod nos, piis atque enixis eiusdem Iosephi cardinalis supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis favorabiliter annuere cupientes, decretum ab ultimodictâ cardinalium Congregatione editum, ut praefertur, quod scilicet sententia supradicti Francisci Mariae cardinalis et praesulis super cultu immemorabili dictae beatae Luciae non sit infirmanda, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate ultimodictae Congregationis cardinalium.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, Clausulae.

quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI martii MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 26 martii 1710, pontif. anno X.

CXL.

Erigitur Congregatio Bethlemitarum sub regulâ S. Augustini in Indiis Occidentalibus in veram religionem [1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, congregationes christifidelium, pietatis et christianae charitatis operibus ad pauperum infirmorum et convalescentium subventionem et utilitatem laudabili studio incumbentium, paterno charitatis affectu prosequimur, felicique illarum statui, ac, ut personae, quae tam pium vitae institutum susceperunt, in eâ vocatione in qua vocatae sunt perseverent usque in finem, opportunis rationibus et favoribus providere studemus, sicut, omnibus mature consideratis, ad omnipotentis Dei gloriam, piorum operum incrementum, et animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Prima praedictae Congregationis erectio tam secula.

§ 1. Aliàs siquidem, nempe anno MDCLIII, postquam in civitate Guatimalae in Indiis, singulari pietate quondam Petri Betancur a S. Iosepho, viri, ob eius erga Deum amorem, ac pauperum convalescentium aegrotantiumque charitatem, aliasque eius virtutes, ut asserebatur, satis abunde clari, confraternitas Bethlemitarum nuncupata, prius Ordinarii, et deinde Sedis Apostolicae auctoritate confirmata, exordium desumpserat, ac benedicente Domino adeo excreverat, ut ad annum MDCLXXXVII undecim hospitalia cum domibus religiosis, in quibus plures religiosi nedum in aegrotantium, convalescentium, ac contagioso morbo laborantium curâ aeque pie[1] et laudabiliter se exercebant, verum etiam in puerorum eruditione sedulo incumbebant, integre erecta et fundata reperirentur, felicis recordationis Innocentius Papa XI praedecessor noster, attento tam eiusmodi spirituali rerum augmento, et ex eo quia praedictae confraternitatis viri strictius Dei servitio se mancipari cupiebant, supplicationibus dilecti filii Roderici a Cruce, qui tunc ad almam Urbem nostram, tunc suam, pro expetendâ illarum confraternitatum erectione in veram et religiosam Congregationem cum concessione generalatus pro primâ vice in eius personâ, missus fuerat, benigne inclinatus, dictam confraternitatem seu societatem confratrum Bethlemitarum pauperum convalescentium in Congregationem sub regulâ S. Augustini, sub quibusdam

1 Erecta fuit huiusmodi Congregatio ab Innocentio XI const. edit. MDCLXXXVII, die 26 martii, et die 14 iunii, ut infra; in huius Pontificis constit. edit. MDCCVII, die 28 iulii, pontif. VII, illi concessa fuere privilegia; et constit. edit. MDCCXIV, die 22 decembris, pontif. XV, agitur de gubernio huius Congregationis

1 Edit. Main. legit *pia* (R. T.).

constitutionibus auctoritate apostolicâ perpetuo erexit et instituit, ac easdem constitutiones toto illarum tenore inserto cum omnibus et singulis in eis contentis confirmavit et approbavit, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiecit, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenissent, supplevit; praeterea eamdem Congregationem sic per eum erectam, eiusque confratres et hospitalia, ecclesias et personas quascumque ab omnimodâ iurisdictione et correctione quorumcumque Ordinariorum locorum eâdem auctoritate exemit ac plenarie liberavit, ipsamque Congregationem, confratres, hospitalia, ecclesias et personas huiusmodi sub immediatâ suâ et Sedis Apostolicae protectione et subiectione, pari auctoritate suscepit; et aliàs, prout in ipsius Innocentii praedecessoris die XXVI martii dicti anni MDCLXXXVII in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur. Postmodum vero idem Innocentius praedecessor, accepto, eumdem Rodericum professionem in eâdem Congregatione iuxta praedictas constitutiones expresse emisisse, illum in primum superiorem generalem dictae novae per eum erectae Congregationis, per alias suas in eâdem formâ Brevis die XIV iunii eiusdem anni MDCLXXXVII emanatas litteras, ad sexennium a die quo idem Rodericus ad civitatem Guatimalem praedictam advenisset numerandum, cum omnibus et singulis praerogativis, praeeminentiis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis et indultis, ac honoribus et oneribus, quae eiusmodi superiori generali per easdem constitutiones ab eo confirmatas supradictas tribuebantur et prescribebantur, motu proprio et ex certâ scientiâ suâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, constituit et deputavit, prout in his posterioribus ipsius Innocentii praedecessoris litteris etiam uberius continetur.

Erectio dictae Congregationis in veram religionem.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii Michaël a Iesu Maria procurator generalis et Franciscus a S. Antonio plurium graviorum vocalium dictae Congregationis procurator in Curiâ eiusdem Congregationis nomine nobis nuper exponi fecerunt, quamvis in huiusmodi eorum religiosâ Congregatione singula, quae veros et formales decent regulares, tum respectu habitus tum ceterorum operum ad quae iuxta praedictas constitutiones tenentur, adimpleantur, ac octodecim in Congregatione huiusmodi hospitalia totis numeris absoluta de praesenti reperiantur, necnon in Limanâ et Mexicanâ pro qualibet domo religiosâ quinquaginta vel circiter, in ceteris vero quadraginta, triginta, aut viginti quinque, et singulis respective hospitalibus non minus duodenario numero religiosi collocari et assistere soleant, nihilominus ipsi exponentes ipsam eorum Congregationem in veram et formalem religionem, in qua non vota simplicia, ut de praesenti, sed expressa et solemnia, sicut in quatuor mendicantium Ordinibus, ceterisque approbatis religionibus, in posterum ab omnibus perpetuo profiteantur, itaut in posterum dictae Congregationi religionis et Ordinis, ipsis vero fratribus illud religiosi et veri regularis nomen respective conveniat, atque religio huiusmodi tam quoad hospitalia quam quoad personas et inservientes quoscumque a iurisdictione Ordinarii, necnon ut antea sub regulâ eiusdem S. Augustini compatibiliter cum eisdem constitutionibus per praedictas Innocentii praedecessoris super eius in Congregationem erectione et ipsarum

constitutionum confirmatione emanatas litteras supradictas stabilitis, prout in eisdem litteris sancitur, exempta intelligatur et esse debeat, salvâ tamen aliquâ correctione et nonnullarum earumdem constitutionum appendice, quae, ad constituendam essentialitatem verae et formalis religionis, ad prosperum ipsius gubernium et incrementum omnino necessaria esse existimantur, de novo per nos erigi, approbari et confirmari plurimum desiderent: nos, eorumdem Michaëlis et Francisci procuratorum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super hoc negotio specialiter deputatorum, qui illud mature perpenderunt, consilio, praefatam Congregationem Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus in veram religionem cum votis solemnibus, ex integro, etiam ab iis qui hactenus vota huiusmodi in eâdem Congregatione emiserunt, emittendis, ita tamen ut nova vota emittentes, prius de inefficaciâ praecedentium votorum ad constituendum eos veros religiosos certiorentur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon Congregationis et hospitalium praedictorum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 3 aprilis 1710, pontif. anno x.

CXLI.

Conceduntur indulgentiae perpetuae gestantibus scapularia parva distribui solita a clericis regularibus Theatinorum [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati nostrae commisit divina dispensatio, fideli prudentique liberalitate libenter erogamus, sicut pia religiosorum virorum in sortem Domini assumptorum vota postulant, et nos ad incitandam fovendamque fidelium pietatem necnon augendum potissimum erga gloriosissimam Virginem Dei genitricem Mariam cultum ac devotionem profuturum in Domino arbitramur.

Facultas distribuendi scapularia huiusmodi iam concessa.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Clemens X praedecessor noster clericis regularibus Congregationis Theatinorum nuncupatorum scapularia parva caerulei coloris benedicendi, illaque christifidelibus pio devotionis erga mysterium Conceptionis B. Mariae Virginis Immmaculatae affectu ea gestare cupientibus, quemadmodum in Hispaniâ iamdudum fieri consueverat, distribuendi, licentiam et facultatem, sub certis modo et formâ tunc expressis, auctoritate apostolicâ tribuit et impertitus fuit, et aliàs, prout in ipsius Clementis praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XXX ianuarii MDCLXXI expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac inserto haberi volumus, uberius continetur. Nunc autem nos, laudabilem christifidelium erga mysterium supradictum devotionem magis magisque in dies augeri et propagari cupientes, supplicationibus totius Congregationis eorumdem clericorum regularium Theatinorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, quibus scapularia benedicta huiusmodi ut praefertur in posterum distribuentur[1], die quo illa primum susceperint, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; necnon eisdem in cuiuslibet eorum mortis articulo, si etiam vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, itidem plenariam; ac ipsis pariter vere poenitentibus et confessis, ac eâdem sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictae Congregationis, vel cappellam seu oratorium, die festo eiusdem Conceptionis B. M. V. Immaculatae a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, et sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper praedictis christifidelibus, etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, ecclesiam vel cappellam seu oratorium huiusmodi in aliis eiusdem B. M. V. festis diebus, ut praefertur, visitantibus, et ibidem orantibus, quo die praefatorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas

Nunc indulgentiae conceduntur ut in rubricâ.

1 Innocentii XII constit. edit. MDCXCI, die 15 iulii, pontif. I, extat canonizatio S. Caietani Thienaei; et in huius Pontificis constit. editâ MDCCXII, die 22 maii, pontif. XII, canonizatio S. Andreae Avellini.

1 Edit. Main. legit *distribuetur* (R. T.).

de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides transumptorum.

§ 2. Volumus autem ut earumdem litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII maii MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 12 maii 1710, pontif. anno X.

CXLII.

Extenditur senarius numerus magistrorum ad duodenarium pro provinciâ Chilensi Ordinis eremitarum S. Augustini [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere, sacrarum bonarumque litterarum studia, praesertim inter christifideles divinis obsequiis sub suavi religionis iugo addictos, opportunis rationibus fovemus et promovemus, ac, ut debitus virtuti honor rependatur, libenter providemus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

Rationes pro concessione.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii fratres provinciae Chilensis in Indiis Occidentalibus, Ordinis eremitarum S. Augustini, nobis nuper exponi fecerunt, in capitulo generali dicti Ordinis anno MDCLXXXV in almâ Urbe nostrâ celebrato statutum fuerit, ut senarius magistrorum numerus in provinciis earumdem Indiarum ad duodenarium extendi et ampliari deberet, si huius Sanctae Sedis facultas desuper accederet; similis vero extensio numeri magistrorum pro Pernana, Quitensi, Mexicana et Sanctae Fidei provinciis eiusdem Ordinis in dicto capitulo generali facta a felicis recordationis Innocentio XI, Alexandro VIII et Innocentio XII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et a nobis, per quasdam eorum et nostras in simili formâ Brevis litteras die XX ianuarii MDCLXXXVIII, die XXI iulii MDCXC, et die XXVIII septembris MDCXCII, ac die XVII martii MDCCII a nobis respective expeditas, approbata et confirmata fuerit: nobis propterea exponentes praedicti, asserentes in praedictâ eorum provinciâ studia satis aucta, eamque magno religiosorum debitis ad consecutionem gradus magisterii requisitis praeditorum [1] numero refertam esse, humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Praedictae extensionis.

Extensio numeri magistrorum ut in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes,

1 Similes extensiones vide in constitutionibus infra relatis. In constit. ed. MDCCXII, 26 februarii, pontif. II, augetur numerus pro provinciâ Limanâ; et in Innocentii XIII const. ed. MDCCXXI, die 7 augusti, pontif. III, iterum extenditur numerus pro provinciâ Chilensi.

1 Male edit. Main. legit *praedictorum* (R. T.).

huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum filium Adeodatum Nuzzi priorem generalem dicti Ordinis audiverunt, consilio, ut de cetero senarius dictae provinciae Chilensis magistrorum numerus ad duodenarium (servatâ tamen in reliquis quoad promovendos ad magisterii gradum formâ per apostolicas et dicti Ordinis constitutiones nec non specialia ipsius provinciae Chilensis decreta et consuetudines praescriptâ) augeatur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus recolendae memoriae Clementis PP. VIII etiam praedecessoris nostri de senario magistrorum numero, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non provinciae Chilensis et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX maii MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 20 maii 1710, pontif. anno X.

CXLIII.

Damnatur et prohibetur liber sub titulo Entretiens sur le décret de Rome contre le Nouveau Testament, etc. [1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Refertur liber unâ cum censurâ.

§ 1. Cum, sicut accepimus, in lucem prodierit liber quidam gallico idiomate editus, cui titulus *Entretiens sur le décret de Rome contre le Nouveau Testament de Chalons, accompagné de réflexions morales, où l'on découvre le vrai motif de ce décret, on soutient les droits des évêques, et l'on justifie l'approbation de monseigneur le cardinal*

1 Damnatio libri *Le Nouveau Testament, etc.*, extat const. ed. MDCCVIII, die 13 iulii, pontif. VIII; const. ed. MDCCX, die 24 martii, pontif. X, damnatus fuit liber *Considerazioni teologico-politiche, ecc.*; et const. ed. MDCCXIII, VI idus septembris, pontif. XIII, damnantur propositiones excerptae ex dicto libro *Le Nouveau Testament, etc.*

de Noailles, archevêque de Paris, MDCCIX; venerabiles autem fratres nostri S. R. E. cardinales in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generales inquisitores a Sede Apostolicâ specialiter deputati, auditâ libri huiusmodi censurâ sibi relatâ, illum, tamquam continentem propositiones scandalosas, in praxi perniciosas, Apostolicae Sedi iniuriosas, contumeliosas, erroneas, schismaticas ac haeresi proximas, et haereticas respective, prohibendum et condemnandum esse censuerint: hinc est quod nos, pro commissâ nobis divinitus gregis dominici curâ, animarum periculis atque detrimentis, quae ex eiusdem libri lectione et usu provenire possent, pastorali sollicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, de memoratorum cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, supradictum librum, ubicumque et quocumque alio idiomate, seu quavis editione aut versione hucusque impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, tenore praesentium damnamus et reprobamus, ac legi seu retineri prohibemus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, necnon[1] omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo a quoquam, praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus. Volentes et auctoritate apostolicâ mandantes, ut quicumque librum huiusmodi penes se habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, illum, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere atque consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Illius damnatio et prohibitio.

§ 2. Ut autem eaedem praesentes litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegari possit, volumus et auctoritate praedicta decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae apostolicae, nec non Curiae generalis in Monte Citatorio, et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, itaut sic publicatae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent; ipsarum autem litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Clausulae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die VI iunii MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 6 iunii 1710, pontif. anno X.

CXLIV.

Conceditur Carmelitis Excalceatis Congregationis Italiae facultas fundandi hospitium in civitate Ulyssiponensi[1].

1 Deest *usum* aut simile (R. T.).

1 Interdictum fuit Carmelitis Discalceatis Congregationis Hispaniae aedificare coenobium in

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Preces Congregationis et causae erigendi dictum hospitium.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres Excalceati nuncupati Congregationis Italiae Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, quod ipsi hospitium in civitate Ulyssiponensi, tam pro eorum conventus Goanensis ac residentiae oppidi seu loci de Diu, quam sacrarum missionum illarum partium, ipsorum curae et directioni commissarum, manutentione, fundare et erigere intendunt, si nostra et huius Sanctae Sedis sibi super hoc licentia suffragaretur et facultas. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praedictae facultatis.

§ 2. Nos igitur, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, eisdem exponentibus hospitium praedictum in civitate Ulyssiponensi ad praemissorum effectum auctoritate nostrâ apostolicâ fundandi et instituendi facultatem et licentiam, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII augusti MDCCX, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 28 augusti 1710, pontif. anno x.

oppido de Bilbao a Clemente X, const. ed. MDCLXXIII, die 6 maii, pontif. III; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVI, die 9 februarii, pontif. II, confirmatur privilegium erigendi novas domus cum solâ licentiâ Ordinarii.

CXLV.

Confirmantur tredecim decreta Congregationis Rituum, quibus Congregationi Reformatae monachorum Cisterciensium conceditur facultas recitandi officia complurium sanctorum quibusdam ritibus et modis[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Referuntur praedicta decreta edita precibus cardinalis Gabrielii et superiorum dictae Congregationis.

§ 1. Aliàs a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, ad supplicationem tam dilecti filii nostri Ioannis

1 Const. ed. MDCCV, die 23 decembris, pontif. VI, confirmatus fuit cultus beatarum Teresiae et Sanciae monialium Ordinis Cisterciensis; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXIV, die 4 iulii, pontif. I, conceditur indulgentia plenaria in festo S. Stephani III abbatis.

Mariae S.R.E. cardinalis Gabriellii nuncupati, qui in minoribus constitutus professionem regularem in Congregatione reformatà monachorum S. Bernardi Ordinis Cisterciensis emisit, quam nonnullorum tunc existentium superiorum dictae Congregationis reformatae, emanarunt tredecim decreta, tenorum qui sequuntur, videlicet:

Primum decretum.

I. *Congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis.* — Sacra Rituum Congregatio, referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Gabriellio, ad humillimas preces patris domni Ioannis Francisci Rotae vicarii generalis Congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis, benigne indulsit monachis Congregationis praedictae S. Bernardi utriusque sexus, ut licite elevare possint officia sanctorum Roberti abbatis in Anglia, Lutgardis virginis, Hedwigis reginae Poloniae, et Thomae episcopi Cantauriensis et martyris, a ritu semiduplici ad duplicem, et officium S. Roberti abbatis institutoris Ordinis Cisterciensis a ritu duplici ad duplicem secundae classis, necnon ut libere ac licite possint celebrare sub ritu duplici nonnulla festa Sanctorum eiusdem instituti cum officiis ut infra indicantur: die II martii, S. Elredi abbatis Rievallis; die V martii, S. Petri de Castronovo martyris, cum lectionibus desumptis ex litteris ab Innocentio PP. III scriptis super eius martyrio; die XIII martii, S. Heldradi abbatis Novaliciensis; die I aprilis, S. Hugonis abbatis Bonevallis; die XVIII iunii, S. Elisabeth a Schonaugia, virginis; die XVII septembris, S. Hildegardis virginis; die VIII octobris, S. Martini abbatis Vallis Paradisi. — Die XIII augusti MDCCI.

Secundum decretum.

II. *Congregationis reformatae S. Bernardi Ordinis Cisterciensis.* — Sacra Rituum Congregatio, referente eminentissimo et reverendisssimo domino cardinali Gabriellio, ad humillimas preces patris domni Francisci a S. Benedicto visitatoris provincialis provinciae romanae Congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis, benigne indulsit monachis utriusque sexus Congregationis S. Bernardi praedicti Ordinis, ut infra octavam festivitatis S. Scholasticae virginis recitare possint lectiones proprias approbatas pro officio eiusdem S. Scholasticae recitando singulis mensibus, et ut die XXVIII novembris recitare[1] possint sub ritu duplici officium S. Columbani abbatis cum lectionibus approbatis pro Congregatione Cassinensi; item benigne concessit, ut libere et licite possint celebrare sub ritu duplici nonnulla festa sanctorum Ordinis Cisterciensis cum lectionibus ut infra indicantur: die XIV ianuarii, S. Guarini episcopi Sedunensis et confessoris; die XXVI ianuarii, S. Alberici abbatis Cistercii; die XXVII aprilis, S. Franchae virginis; die XV iulii, S. Balduini abbatis Reatini; die VIII augusti, S. Famiani confessoris; die IV decembris, S. Galgani confessoris. — Die III decembris MDCCI.

Tertium decretum.

III. *Congregationis sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis.* — Cum sacra Rituum Congregatio, referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Gabriellio, sub diebus XIII augusti et III decembris MDCCI, monachis utriusque sexus Congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensium festa et officia nonnullorum sanctorum posse celebrari et recitari benigne concesserit, ad humillimas modo preces patris domni Ioannis Francisci Rotae, vicarii generalis Congregationis praedictae, eisdem ut supra indulsit posse recitari sub ritu duplici officia S. Amadei, episcopi Lausanensis et confessoris, die XXVIII ianuarii, et S. Raymundi abbatis de Fitero, die XV martii; atque etiam omnes supradictas orationes et lectiones proprias in festis ac officiis sanctorum eiusdem instituti recitandas, diligenter revisas per eumdem eminentissimum et reverendissimum dominum cardinalem Gabriellium, approbavit et imprimi posse concessit. — Die XXI ianuarii MDCCII.

Quartum decretum.

IV. *Congregationis reformatae S. Bernardi Ordinis Cisterciensis.* — Sacra Rituum Congregatio, referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Gabriellio, ad humillimas preces patris domni Ioannis Francisci Rotae, vicarii generalis Congregationis reformatae S. Bernardi Ordinis Ci-

1 Edit. Main. legit *recitari* (R. T.).

sterciensis, benigne indulsit monachis utriusque sexus Congregationis reformatae sancti Bernardi praedicti Ordinis, ut[1] in ferià III post dominicam Passionis celebrare possint festum SS. Coronae domini nostri Iesu Christi, et recitare sub ritu duplici maiori missam et officium proprium supradictum per eumdem eminentissimum dominum cardinalem Gabriellium diligenter revisum, et utrumque imprimi posse concessit. — Die XVIII martii MDCCII.

Quinta decretum. V. *Congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis.* — Sacra Rituum Congregatio, referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Gabriellio, ad humillimas preces patris domni Henrici a S. Philippo Nerio, visitatoris provincialis provinciae romanae Congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis, benigne indulsit monachis utriusque sexus Congregationis praedicti Ordinis, ut licite possint celebrare festa et recitare sub ritu duplici maiori officia et missas harum festivitatum B. M. Virginis, videlicet Desponsationis cum S. Iosepho die XX februarii, Septem Dolorum ferià VI post dominicam Passionis, de Monte Carmelo die XVI iulii, SS. Rosarii die III octobris, Patrocinii die X novembris, et Expectationis die XVIII decembris, necnon ut libere ac licite possint celebrare festa et recitare sub ritu duplici officia et missas aliquorum sanctorum eiusdem instituti ut infra indicantur: die XXX ianuarii, S. Gerardi confessoris; die XIX februarii, S. Bonifacii episcopi et confessoris; die VIII martii, S. Gerardi abbatis et martyris; die XI martii, S. Stephani abbatis; die V aprilis, S. Iulianae virginis; die XIII aprilis, beatae Idae virginis; die I iunii, Ss. martyrum Bernardi Mariae et Gratiae; die XV iunii, S. Aleydis virginis; die VIII iulii, S. Theobaldi abbatis; die XIII octobris, S. Mauritii abbatis; die XXIV octobris, S. Bernardi episcopi et confessoris; die XXX octobris, sanctorum martyrum et aliorum sanctorum, quorum corpora et reliquiae in ecclesiis eiusdem Congregationis asservantur, et sub ritu duplici maiori; die XIV novembris, Translationis corporis S. Bernardi abbatis Claraevallensis; atque die XXVII novembris, omnium sanctorum monachorum Ordinis Cisterciensis. Item omnes suprascriptas orationes, hymnos, ℣℣., ℟℟., capitula, antiphonas et lectiones proprias in festis, officiis ac missis praefatis B. M. V. et praefatorum sanctorum, aliorumque sanctorum monachorum, iampridem in breviario monastico contentorum recitandas, diligenter revisas et relatas per eumdem eminentissimum et reverendissimum dominum cardinalem Gabriellium, approbavit et imprimi posse concessit unà cum kalendario suprascripto, quod imposterum debeat unice observari in totà praefatà Congregatione S. Bernardi, non obstantibus quibuscumque aliis decretis huius sacrae Congregationis, ante hoc emanatis in favorem praedictae Congregationis, salvis tamen remanentibus decretis spectantibus ad officia, uti superius de novo ordinata sunt, sanctorum Benedicti et Bernardi abbatum semel in hebdomadà, et S. Scholasticae virginis semel in mense extra tempus Adventus, Quadragesimae et vigiliarum recitanda. — Die I iulii MDCCII.

Sextum decretum. VI. *Ordinis Cisterciensis.* — Cum sacra Rituum Congregatio, referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Gabriellio sub die XIII augusti et III decembris MDCCI, et XXI ianuarii, XVIII martii et I iulii MDCCII, monachis utriusque sexus Congregationis reformatae S. Bernardi Ordinis Cisterciensis, festa et officia propria atque missas SS. Coronae Spineae domini nostri Iesu Christi, et beatissimae Virginis Mariae, et plurium sanctorum posse celebrari et recitari benigne concesserit, ad pias modo preces eiusdem eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis, extendit et concessit omnibus et singulis monachis utriusque sexus totius Ordinis Cisterciensis eamdem prorsus facultatem, ut supra, celebrandi omnia praedicta festa, ac recitandi memorata officia propria et missas, atque acceptandi proprium kalendarium, eodem prorsus modo, quo illa supradictae Congregationi reformatae S. Bernardi concessa fuerunt in praenarratis decretis huius sacrae Congregationis. — Die IX decembris MDCCII.

1 Particula *ut* nos addimus (R. T.).

Septimum decretum.

VII. *Ordinis Cisterciensis.* — Sacra Rituum Congregatio, referente et supplicante eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Gabriellio, benigne indulsit omnibus et singulis monachis utriusque sexus totius Ordinis Cisterciensis, ut licite possint celebrare festa et recitare sub ritu duplici officia et missas horum sanctorum summorum Pontificum et confessorum, ut infra: die XIX ianuarii, S. Agathonis; die XVIII februarii, S. Gregorii II; die XXV maii, S. Bonifacii IV; die XXVIII maii, S. Gregorii VII; die XII iunii, S. Leonis III; die XVII iulii, S. Leonis IV: atque omnes suprascriptas orationes et lectiones proprias in festis et officiis praedictorum sanctorum recitandas, diligenter revisas et relatas per eumdem eminentissimum et reverendissimum dominum cardinalem Gabriellium, approbavit et imprimi posse concessit. — Die XX ianuarii MDCCIII.

Octavum decretum.

VIII. *Ordinis Cisterciensis.* — Cum sacra Rituum Congregatio, referente et supplicante eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Gabriellio, sub die IX decembris MDCCII benigne indulserit omnibus monachis utriusque sexus totius Ordinis Cisterciensis, ut possint celebrare festa ac recitare missas et officia propria SS.[1] Coronae Spineae domini nostri Iesu Christi, et beatissimae Virginis Mariae, ac plurium sanctorum iam per varia decreta huius sacrae Congregationis concessa et impressa iuxta ritum breviarii monastici pro monachis reformatis utriusque sexus S. Bernardi eiusdem Ordinis Cisterciensis, ad pias modo preces eiusdem eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Gabriellii, concedit omnibus sanctimonialibus Ordinis Cisterciensis, quae utuntur breviario romano, ut adaptare possint praedicta officia iuxta ritum breviarii romani, eaque sic accommodata faciant typis imprimi, necnon secundum easdem festivitates valeant celebrare facere missas per capellanos ecclesiis earumdem servitio addictos cum missali romano et iuxta illius rubricas ad instar concessionum aliàs factarum sub die XXIV ianuarii MDCLXXXVIII monialibus Cisterciensibus S. Susannae de Urbe, sub die XVIII iunii MDCLXXXIX monialibus Cisterciensibus S. Ursulae Bononiae. — Die XXIII iunii MDCCIII.

Ita reperiuntur in regestris decretorum Congregationis sacrorum rituum. In quorum fidem, die XXVIII *iulii* MDCCX. — G. cardinalis CARPINEUS. — B. INGHIRAMI secretarius.

Nonum decretum.

IX. *Congregationis reformatae S. Bernardi Ordinis Cisterciensis provinciae romanae.* — Sacra Rituum Congregatio, referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Gabriellio, ad humillimas preces patris domni Henrici a S. Philippo Nerio, visitatoris provincialis provinciae romanae Congregationis reformatae S. Bernardi Ordinis Cisterciensis, benigne indulsit monachis dumtaxat provinciae romanae praedictae Congregationis reformatae S. Bernardi, ut die XIX maii possint in omnibus monasteriis et ecclesiis tantum eiusdem provinciae romanae celebrare festum S. Pudentianae virginis et recitare sub ritu duplici maiori missam et officium dictae S. Pudentianae ad relationem eiusdem eminentissimi domini cardinalis Gabriellii approbatum die VIII aprilis MDCCII ab hac sacrâ Congregatione pro monachis S. Pudentianae de Urbe. — Hac die XX ianuarii MDCCIII.

Decimum decretum.

X. *Ordinis Cisterciensis.* — Sacra Rituum Congregatio, supplicante et referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Gabriellio, approbavit officium proprium supradescriptum S. Humbelinae viduae, benigneque indulsit omnibus et singulis monachis utriusque sexus totius Ordinis Cisterciensis, ut licite possint celebrare festum et recitare sub ritu duplici die XII februarii praedictum officium proprium S. Humbelinae, illudque imprimi posse concessit, non solum secundum ritum breviarii monastici, sed etiam secundum ritum breviarii romani pro sanctimonialibus Cisterciensibus utentibus eodem breviario romano. — Die I septembris MDCCIII.

Undecimum decretum.

XI. *Ordinis Cisterciensis.* — Cum sacra Rituum Congregatio, referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Gabriellio, sub diebus I iulii et IX decembris MDCCII,

1 Male edit. Main. legit *sanctorum* (R. T.).

omnibus monachis utriusque sexus totius Ordinis Cisterciensis concesserit novum kalendarium proprium ordinatum et adauctum compluribus officiis propriis pro dierum diversitate ab hac sacrâ Congregatione iam approbatis, ad pias modo preces et relationem ipsius eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Gabriellii, eadem sacra Congregatio pro omnibus monachis utriusque sexus totius Ordinis Cisterciensis dumtaxat approbavit et imprimi posse concessit suprascripta elogia publice in choro recitanda in lectione martyrologii romani iuxta rubricas eiusdem martyrologii. — Hac die XXIV novembris MDCCIII.

Duodecimum decretum.

XII. *Ordinis Cisterciensium.* — Sacra Rituum Congregatio, referente et supplicante eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Gabriellio, benigne indulsit omnibus et singulis monachis utriusque sexus totius Ordinis Cisterciensis, ut quotannis die XIV ianuarii licite possint et valeant celebrare festum et recitare sub ritu duplici secundae classis officium et missam de SS. Nomine Iesu aliàs approbata et pluries concessa ab hac sacrâ Congregatione, translato ad diem XIV februarii festo et officio S. Guarini episcopi et confessoris. — Hac die XV februarii MDCCX.

Decimumtertium decretum.

XIII. *Ordinis Cisterciensis.* — Cum sacra Rituum Congregatio, referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Gabriellio, sub die XVIII martii MDCCII monachis reformatis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis festum et officium proprium SS. Coronae Spineae domini nostri Iesu Christi in feriâ III post dominicam Passionis posse celebrari ac recitari sub ritu duplici maiori benigne concesserit, eamque gratiam ad omnes monachos Cistercienses utriusque sexus die IX decembris MDCCII extenderit, ad pias modo preces eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Gabriellii pro toto Ordine Cisterciensi utriusque sexus porrectas, eadem sacra Congregatio transfert ad feriam VI ante dominicam Passionis officium SS. Coronae Spineae sub eodem ritu duplici maiori. — Die XXI iunii MDCCX.

Ita reperiuntur in regestris decretorum Congregationis sacrorum rituum. In quorum fidem, die XXVIII *iulii* MDCCX. — I. Ita cardinalis CARPINEUS. — B. INGHIRAMI sacrorum rituum Congregationis secretarius.

Confirmatio decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut praedictus Ioannes Maria cardinalis nuper exposuit, ipse decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, specialem ipsi Ioanni Mariae cardinali gratiam facere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tredecim decreta praeinserta, et eorum quodlibet, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis reformatae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad

verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV septembris MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 25 septembris 1710, pontif anno X.

CXLVI.

Confirmatur decretum capituli provinciae romanae Congregationis Italiae fratrum Carmelitarum Discalceatorum de pecuniis investiendis[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Species facti. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii prior provincialis et definitores provinciales provinciae romanae fratrum Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Italiae Ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, quod in capitulo provinciali dictae provinciae die XXII aprilis anni proxime praeteriti celebrato decretum fuit, ut in posterum conventus provinciae huiusmodi pecunias, ad ipsos quomodolibet spectantes, personis particularibus ad censum tradere nequeant, sed illas in tot locis montium Camerae nostrae apostolicae non vacabilium, sive censibus cum locis piis et communitatibus investire, aut in emptionem bonorum stabilium fructiferorum convertere et erogare teneantur, et aliàs, prout uberius continetur in decreto definitorii provincialis memoratae provinciae desuper emanato, tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum de pecuniis investiendis in locis montium, sive cum communitatibus vel in terris fructiferis, cum quadam exceptione.

Ex actis capituli provincialis fratrum Carmelitarum Discalceatorum Ordinis B.M.V. de Monte Carmelo provinciae romanae S. Mariae celebrati Caprarolae in nostro conventu S. Mariae in S. Silvestro in sess. vespertinâ, fer. II, die XXII mensis aprilis MDCC. Cum ex creatione censuum cum personis particularibus saepe deperdantur aut periculum subeant capitalia et eorum fructus, indeque plures quotidie lites debeant excitari, propositum fuit, an sit ordinandum ne in posterum conventus possint tradere ad censum personis particularibus pecunias quomodolibet ad ipsos spectantes, sed teneantur reinvestire illas in locis montium vel cum locis piis aut communitatibus aut in emptione terrarum frugiferarum; et hoc non intelligatur si capitale non ascendat ad scuta centum, tunc enim recurratur ad definitorium provinciale, quod re mature examinatâ decernat quid faciendum in casibus particularibus; sub poenâ suspensionis per sex menses prioribus contrafacientibus; quod si haec poena locum habere non possit, sint privati voce activâ et passivâ per idem tempus: responsum est affirmative per secreta suffragia cum omnibus. — Item propositum fuit, pro maiori firmitate supradictae ordinationis, an, servatis servandis, sit recurrendum ad sanctum dominum nostrum supplicando pro confirmatione in formâ Brevis: responsum est affirmative cum viginti octo ex viginti novem. — Fr. MATTHAEUS a S. Maria, provincialis, etc. — Fr. EUSEBIUS a Sanctis, capituli secretarius, etc.

1 Innocentii XII const. ed. MDCXCII, die 22 novembris, pontif. II, confirmata fuere quaedam decreta pro pace inter utramque Congregationem; et Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVIII, die 22 iunii, pontif. V, mandatur donatis, ut exerceant humilitatis opera.

Preces prioris et definitorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, capitulum provinciale praedictum confirmationem decreti huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, ab hac Sanctâ Sede impetrari mandaverit: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio relati decreti.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum filium modernum praepositum generalem dictae Congregationis super praemissis audiverunt, consilio, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis et conventuum et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 26 septembris 1710, pontif. anno X.

CXLVII.

Extinguitur lis inter monachos Cisterciences Congregationis Hispaniae, atque praescribitur nova forma eam gubernandi[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sacrosanti apostolatus officium superni dispositione consilii nobis, nullo licet

1 Const. ed. MDCCIV, die 20 februarii, pontif. IV, est de praedicatoribus vocalibus; constit. edita MDCCXX, die 29 maii, pontif. XX, agitur de praedicatoribus et lectoribus; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVIII, die 20 decembris, pontif. V, stabilitur tripartita circa distributionem abbatiarum.

meritorum nostrorum suffragio, impositum[1] salubriter exequi, adiuvante Domino, iugiter satagentes, exorta inter religiosos viros, quos vota sua Altissimo in sanctitate et iustitiâ paceque fraternâ reddere decet, animorum dissidia, opportunis rationibus dirimere, illisque, ne rursus quandocumque excitari valeant, ansam mature praecidere studemus, sicut, prudenti deliberatione praeviâ, ad omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem arbitramur in Domino expedire.

Quae hucusque in causa gesta fuerant enarrat.

§ I. Dudum siquidem, cum per tunc in humanis agentem Dionysium Mantilla monachorum Congregationis sancti Bernardi Hispaniae Ordinis Cisterciensis, exortis gravibus controversiis inter monachos eiusdem Congregationis, recursus ad felicis recordationis Clementem PP. IX praedecessorem nostrum habitus fuisset, ipse Clemens praedecessor causam controversiarum huiusmodi ad quamdam Congregationem tunc existentium S. R. E. cardinalium et Romanae Curiae praelatorum super reformatione dicti Ordinis specialiter deputatam remisit. Cui cum idem Dionysius quaedam gravamina per quosdam monachos Manchenos et Alcarenos, novos Castellanos nuncupatos, monachis aliarum nationum illata exposuisset, dicta Congregatio particularis tunc existenti episcopo Vallisoletano commisit ut capitulo generali dictae Congregationis tunc proxime celebrando praesideret, et partes dissidentes concordare, ortasque differentias extinguere satageret. Ipse vero episcopus, commissionem huiusmodi executus, capitulo generali huiusmodi interfuit. Sed, cum pro reconciliandis partibus et discordiis tollendis sedulam operam navasset, nihil ad effectum perducere valuit, ex eo quia nulla discordantium pars suis praetensionibus cedere voluit; et sic absoluto capitulo praefatus episcopus, re infectâ, discedere coactus fuit. Porro transacto anno a capituli huiusmodi celebratione, tunc pariter existentes generalis reformator et sex definitores quamdam transactionem seu concordiam formaverunt, eamque quondam Hyacintho de Albengozar, monacho dictae eorum Congregationis, tunc in Romanâ Curiâ pro eâdem Congregatione procuratore generali, ut illius confirmationem a Sede Apostolicâ obtinere curaret, transmiserunt. Cumque subinde praefata concordia per quasdam eiusdem Clementis praedecessoris litteras, die XIV octobris MDCLXIX in simili formâ Brevis expeditas, confirmata fuisset, recolendae memoriae Clemens PP. X, itidem praedecessor noster, circa praefatas Clementis IX praedecessoris litteras, per alias binas suas die XIV februarii et die XXIV decembris MDCLXXI in eâdem formâ Brevis expeditas litteras, diversas edidit declarationes et ordinationes super aequalitate et[1] abbatiis aliisque officiis inter monachos ex locis citra et ultra montes Castellam Veterem a Novâ separantes sitis respective oriundos servandâ, nonnullaque statuit de abbatibus immediate non reeligendis, illorumque electionibus non amplius per monachos conventuales, sed in definitorio per generalem reformatorem et definitores et sex electores certâ formâ eligendis, praeterquam in casu mortis, renunciationis vel privationis; et aliàs, prout in praefatis utriusque Clementis praedecessorum litteris, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, uberius continetur. Sed quia memorata transactio seu concordia ad producendam pacem et quietem in praefatâ Con-

1 Male edit. Main. legit *impositorum* (R. T.).

1 Potius lege *in* pro *et* (R. T.).

gregatione monachorum nedum sufficiens recognita fuerat, imo potius experientiâ compertum extiterat, ex eâ discordias, contentiones et persecutiones in dictâ Congregatione emanasse; ideoque dilecti filii monachi regni Gallaeciae et de Campos atque terrarum regno Legionis finitimarum, desiderantes ut zizania fructus bonorum operum suffocantia tandem eradicarentur, et pax atque mutua charitas suae religioni restitueretur, dilectos pariter filios Paulum Freyria et Dionysium Ximenes, monachos expresse professos eiusdem Congregationis, in eorum procuratores constituerunt, illosque ad Romanam Curiam, ut opportunum eiusmodi malis remedium a Sede Apostolicâ obtinerent, miserunt. Cumque iidem Paulus et Dionysius procuratores anno MDCC recolendae memoriae Innocentio Papa XII praedecessori pariter nostro supplicem libellum super praemissis porrexissent, idem Innocentius praedecessor eorum causam Congregationi tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis episcorum et regularium praepositae commisit. Ipsa vero cardinalium Congregatio die XX aprilis ultimo dicti anni, cognito supradictarum litterarum impedimento, rescripsit ut ad nos pro aperitione oris recurrerent. Nos autem, ut in negotio hiusmodi, quod grave satis videbatur, debitâ maturitate procederemus, dilecto filio nostro Francisco S. R. E. cardinali Acquavivae nuncupato, tunc in Hispaniarum regnis nostro et Apostolicae Sedis nuncio, scripsimus ut super in dicto libello expositis suam nobis transmitteret relationem. Ipse vero Franciscus cardinalis, tunc nuncius, auditis partibus et earum procuratoribus in oppido Matriti existentibus, praesertim dilecto filio Christophoro Ossorio, exgenerali, praememoratorum Pauli et Dionysii procuratore[1], ex unâ, et dilecto etiam filio Angelo Ramirez, procuratore generali dictae Congregationis, ex alterâ partibus, die XXIII aprilis MDCCII relationem suam super statu religionis, unà cum punctis seu articulis coram ipso inter dictas partes concordatis, ad nos transmisit, ex quibus satis apparebat exposita ab eisdem Paulo et Dionysio procuratoribus maximum habere fundamentum. Unde subinde, nempe die XXVIII novembris huius anni, praefatâ causâ in signaturâ nostrâ gratiae coram nobis habitâ propositâ, et contradicente, pro parte monachorum Castellaenovae, Rivogiae, Asturianorum et Montanearum Burgensium, dilecto pariter filio Ioanne Guerrero monacho eiusdem Congregationis, qui per mandata procurae per eum exhibita ad praefatam Curiam ab illis eorum procurator missus fuerat, de eiusdem signaturae voto rescripsimus pro aperitione oris arbitrio eiusdem Congregationis cardinalium. Cumque ista cardinalium Congregatio in suis decretis super dicto arbitrio emanatis variasset, commisimus eidem Congregationi cardinalium, ut, quoad aperitionem oris, cum voto auditorii palatii apostolici, suffragantibus omnibus eiusdem auditorii capellanis nostris et auditoribus, procederet. Qui, rationibus a dictis Paulo et Dionysio adductis moti, die XIX novembris MDCCIII suum votum unà cum decisione pro aperitione oris atque arbitrio publicarunt. Et subinde, nempe die XXIII septembris MDCCIV, eâdem causâ in eâdem signaturâ gratiae coram nobis habitâ denuo propositâ, commisimus eidem Congregationi cardinalium, ut ipsa, etiam quoad nullitatem, validitatem vel invaliditatem bipartitae stabilitae per transactionem seu concordiam a praefatis generali et definito-

1 Edit. Main. legit *procuratorum* (R. T.).

ribus generalibus confectam et in praedictis Clementis IX praedecessoris litteris insertam, cum voto eorumdem auditorum, suffragantibus pariter omnibus, similiter procederet. Dicti vero capellani et auditores, die XII ianuarii MDCCV, demonstrantes pluribus rationibus dictam bipartitam seu concordiam imo transactionem esse nullam, iniustam, inaequalem, et enormiter laesivam, die IV februarii eiusdem anni aliam decisionem et votum, in quo litteras compulsoriales, a praedicto Ioanne monachorum Castellaenovae eisque adhaerentium procuratore petitas, negarunt, ediderunt. Postmodum autem, cum dicta bipartita nulla et iniusta declarata fuisset, memorati Paulus et Dionysius procuratores in eâdem signaturâ gratiae die XXII septembris MDCCV coram nobis pariter habitâ, institerunt ut committeremus eidem Congregationi cardinalium, quatenus ipsa pro novo temperamento stabiliendo cum voto eorumdem auditorum et capellanorum nostrorum procederet. Votum tamen praedictae signaturae fuit ut praefata causa Congregationi particulari a nobis deputandae committeretur. Propositâ autem praedictâ causâ die IV februarii MDCCVII in Congregatione nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium per nos specialiter deputatâ, non sine scissurâ votorum rescriptum fuit: nobis supplicandum esse pro expeditione aliarum litterarum apostolicarum in simili formâ Brevis, cum sanatione nullitatum bipartitae, aliorumque defectuum, si qui essent, reducendo vota capitularia ad aequalitatem, etiam mediante subrogatione proximiorum in defectum graduatorum. Verum, quia defectus sanandi detecti et publicati in decisionibus memoratorum auditorum capellanorum nostrorum enormem laesionem et iniustitiam, quorum sanatio, praecipue post tam longam litem, rationi et aequitati parum consona videbatur, ostendebant: idcirco praedicti Paulus et Dionysius procuratores super dictâ resolutione Congregationis particularis a nobis iterum audiri impetrarunt. Eadem tamen particularis cardinalium Congregatio die XXVI iunii dicti anni MDCCVII respondit: *in decisis iuxta modum*. Modus autem fuit, ut bipartita etiam quoad tres praesidentias servaretur; quodque in tribus proximis capitulis, ex illâ medietate ad monachos nationis de Puertos *a ca* nuncupatae spectante monachis Campesinis, conferrentur septem abbatiae, ex quibus quatuor essent matrices, Gallaecis autem sex, ex quibus tres pariter essent matrices, et ulterius inter ipsos quolibet triennio una praesidentia alternaretur; quodque officia capitularia, necnon voces capitulares tres ex quatuor partibus dictae medietatis conferrentur dictis monachis Gallaecis et Campesinis, factâ inter eos aequali distributione, et datâ dictis monachis Campesinis praelatione in casu numeri inaequalis; eâ tamen adiectâ lege ut in quolibet capitulo tam abbatiae quam officia huiusmodi variarentur; reliquae vero abbatiae, praesidentiae, officia capitularia et voces capitulares inter monachos reliquarum omnium nationum de Puertos *a ca* nuncupatarum distribuerentur; ita tamen ut quoad abbatias monachi Asturiani, Rioxani et Montanenses sex tantum haberent; officium vero generalatus in secundo proximo capitulo monacho Gallaeco vel Campesino conferretur. Porro, cum haec resolutio, quae aliqualiter laesionem temperat, eisdem monachis Campesinis et Gallaecis gravamen minime tollat nec auferat, imo potius praedominium factionis adversae confirmet, iidem Paulus

et Dionysius procuratores, contradicente ex adverso eodem Ioanne praefatorum monachorum Castellaenovae, Rivogiae, Asturiae et Montanearum procuratore, denuo reclamarunt. Unde propositâ iterum causâ in eâdem signaturâ gratiae die XIV maii MDCCIX coram nobis itidem habitâ, ponente dilecto pariter filio magistro Annibale Albano in utrâque signaturâ nostrâ referendario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, porrecta fuit commissio pro avocatione ad nos dictae causae a dictâ Congregatione particulari cardinalium. Factâque propterea, tam super meritis causae, quam super ultimo posteriori decreto eiusdem Congregationis particularis cardinalium edito, maturâ consideratione, decretum huiusmodi ultimo loco emanatum praefatis monachis Gallaecis et Campesinis laesivum et ad sedandas factiones pacemque in eorum religione stabiliendam insufficiens iudicatum fuit, ac proinde emanavit ab eâdem signaturâ rescriptum pro avocatione eiusdem causae ad nos, et quod daretur resolutio in Camerâ.

Avocatur lis, ac praescribitur nova forma bipartitae pro recto regimine.

§ 2. Hinc est quod nos, tranquillitati dictae Congregationis monachorum in praemissis, quantum cum Domino possumus, benigne consulere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eamdem causam, ac lites et controversias quascumque, inter partes antedictas quomodolibet, et in quacumque instantiâ, tam in sacro palatii apostolici auditorio, quam in alio quovis tribunali, et coram quocumque iudice pendentes, quarum omnium et singularum statum et merita, nominaque et cognomina ac qualitates iudicum et colligantium, et alia quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exactissime specificatis haberi volumus, in statu et terminis in quibus de praesenti reperiuntur, a praefatis et aliis quibusvis tribunalibus et iudicibus ad nos harum serie avocamus, illasque omnes et singulas supprimimus, periminus, extinguimus et abolemus, ac perpetuum desuper utrique parti silentium imponimus osque occludimus. Praeterea earumdem tenore praesentium statuimus et ordinamus:

Divisio provinciarum, et novae regulae alternationis statuuntur.

I. Quod in quatuor primis proximis capitulis Congregatio Cisterciensium Hispaniae, quae consistit in quadraginta duobus monasteriis, nempe decem et septem in provinciâ de Campos et terris adiacentibus regni Legionis, tredecim in regno Gallaeciae, sex in Castellanovâ, et praecise in regno Toleti, tribus in Asturiis, et duobus in provinciâ Rioxae, et uno in Montaneis Burgensibus, in duas partes dividatur; unam nempe faciant Gallaeci et oriundi ex povinciâ de Campos et dictis terris adiacentibus regni Legionis; alteram vero oriundi ex Castellanovâ, Asturiis, Rivogiâ et Montaneis Burgensibus: — II. Quod inter monachos Gallaecos, ex unâ, et Campesinos et terris adiacentibus regni Legionis, ex alterâ partibus, fiat subdivisio in duas partes, animadverso quod censeatur et reputetur oriundus ex praedictis terris ita divisis et subdivisis ille qui in aliquâ ex illis natus est tempore quo eius parentes aut aliquis ex illis domicilium permanens in praedictis terris habebat: — III. Quod omnia officia capitularia, quorum electiones celebrantur quolibet triennio, tam intra quam extra capitulum generale, distribuantur aequaliter inter monachos oriundos ex terris ut supra divisis, itaut tot officia capitularia habeant religiosi oriundi ex regno Gallaeciae et terris provinciae de

Campos et adiacentibus regni Legionis, alternando inter has duas partes sic divisas officium dispar, quatenus adsit, subdividendo pariter medietatem praefatorum officiorum tangentem monachos Gallaecos et Campesinos in duas partes aequales, quarum una in omnibus et singulo triennio conferatur religiosis oriundis ex Gallaeciâ, et altera religiosis oriundis ex provinciâ de Campos et terris adiacentibus, alternando inter has duas partes monachorum sic subdivisas officium dispar: — IV. Quod officia capitularia quae eliguntur in singulo capitulo generali, et sunt sexdecim, nempe sex definitores, quatuor procuratores generales, duo visitatores generales, duo suppletores visitatorum, unus promotor fiscalis, et unus secretarius capituli, dividantur in duas partes omnino aequales, in quarum unâ ponantur tres definitores, duo procuratores, unus visitator generalis, unus suppletor et secretarius capituli, et inter has duas partes divisas alternetur secretarius capituli et promotor fiscalis; ex his vero duabus partibus unam habeant monachi ex Castellanovâ, Asturiis, Rioxâ et Montaneis de Burgos, aliam habeant monachi ex Gallaeciâ et Campos ac terris convicinis regni Legionis, alternando inter duas dictas partes generalatum de triennio in triennium; quod officium conferatur in primo proximo capitulo generali monacho Gallaeco vel Campesino, sicque de triennio in triennium alternetur: — V. Quod haec pars tangens monachos ex Gallaeciâ et Campos cum terris convicinis regni Legionis subdividatur inter Gallaecos ex unâ et Campesinos et circumvicinos regni Legionis ex aliâ partibus; ita tamen ut ex unâ parte ponantur duo definitores, unus procurator generalis, et secretarius capituli, vel promotor fiscalis, ad formam alternativae primae divisionis; ex aliâ unus definitor, unus procurator generalis, unus visitator generalis, et unus suppletor, alternando has partes subdivisas inter has nationes quolibet capitulo; et sic officium generalis reformatoris, itaut quando generalis reformator debeat eligi ex regno Gallaeciae et provinciis de Campos, pro unâ vice eligatur oriundus ex regno Gallaeciae, et pro alterâ ex provinciis de Campos et terris circumvicinis regni Legionis: — VI. Quod triginta octo abbatiae, quae sunt in religione (exclusâ Palatiolensi, cuius abbas semper est generalis reformator) distinguantur in tres classes, quarum prima sit collegiorum, quae sunt sex; secunda sit abbatiarum, quae nuncupantur matrices seu monasteria, in quibus recipiuntur educanturque novitii, et sunt viginti; tertia monasteriorum, in quibus non educantur novitii, et sunt duodecim; quae omnia per suas classes, ut supra, dividantur in duas partes omnino equales, quarum prima contineat tria collegia, decem monasteria matricia, et sex monasteria non matricia: — VII. Quod praedictae triginta octo abbatiae ex unâquaque ex classibus designatis dividantur pro aequali, et una pars, nempe decem et novem conferantur monachis oriundis ex Castellanovâ, Asturiis, Rioxâ et Montaneis; alia vero monachis oriundis ex Gallaeciâ, Campos et terris circumvicinis eiusdem regni Legionis: — VIII. Quod decem et novem ex predictis abbatiis conferendis dictis monachis Gallaecis, Campesinis et terris circumvicinis memorati regni Legionis subdividantur in duas partes aequales, ponendo in unâquaque tot abbatias cuiuscumque classis pro qualibet parte; et una pars sic subdivisa conferatur Gallaecis, altera vero Campesinis et oriundis ex terris circumvicinis supradicti regni Legionis, impar vero monasterium inter ipsos alternetur;

— IX. Quod ex tribus praesidentiis una conferatur singulo triennio Castellanis novis, Asturianis, Rivogianis et Montanensibus; altera Gallaecis, Campesinis et circumvicinis eiusdem regni Legionis; tertia vero alteri ex praedictis duabus partibus, quae generalem non habet in triennio, conferatur; illa vero tangens Campesinos et Gallaecos inter ipsos alternetur: — X. Quod ex duobus praedicatoribus generalibus cum voto perpetuo in capitulo, unus ex monachis oriundis ex Castellanovâ, Asturiis, Rioxa et Montaneis, alius autem ex Gallaeciâ, Campos et terris circumvicinis dicti regni Legionis eligatur; ita tamen ut, si unâ vice fuerit electus monachus oriundus ex Gallaeciâ, aliâ vice monachus oriundus ex Campos et terris circumvicinis supradicti regni Legionis eligatur: — XI. Quod duodecim magistri iubilati antiquiores, et quatuor praedicatores iubilati antiquiores, qui habent vocem perpetuam in capitulo generali, dividantur in duas partes aequales, scilicet sex magistri et duo praedicatores pro qualibet parte; et unam partem habeant monachi oriundi ex Castellanovâ, Asturii, Rioxa et Montaneis; aliam vero partem habeant monachi oriundi ex Gallaeciâ, Campos et terris circumvicinis eiusdem regni Legionis; haec vero secunda medietas subdividatur aequaliter inter Gallaecos et Campesinos, nempe tres magistri iubilati et unus praedicator iubilatus pro Gallaeciâ, et alii tres magistri et unus praedicator pro Campos et terris circumvicinis praedicti regni Legionis; eâ tamen conditione, quod, si aliqua ex supradictis partibus divisis et subdivisis non habeat magistrum iubilatum vel praedicatorem iubilatum per lecturam seu praedicationem duodecim annorum, habeat facultatem subrogandi proximiorem in exercitio lecturae vel praedicationis: — XII. Quoad monachos eligendos ad cathedras universitatum, capitulum et generalis reformator provide attendant ut eligantur monachi ex omni natione iuxta divisionem et subdivisionem, ut etiam inter ipsos post iubilationem et assequutionem cathedrarum praefixa aequalitas servetur: — XIII. Quod si intra triennium, factâ iam electione in capitulo generali, quacumque ex causâ generalatum vacare contingat, quamcumque abbatiam, seu quodcumque officium ex supradictis, in locum sic vacantem promoveri debeat et subrogari ab iis ad quos spectat monachus oriundus ex illâ parte ut supra divisâ et subdivisâ, ex qua oriundus erat ille, ob cuius mortem, promotionem, renunciationem aut privationem officium vacare contigerit; qui sic subrogatus exercere valeat munus suum dumtaxat ad tempus quod supererat decedenti, renuncianti, privato vel promoto.

Volumus autem quod in reliquis omnibus, praesentibus nostris ordinationibus non repugnantibus, serventur constitutiones Ordinis, decreta sacrarum congregationum, et constitutiones apostolicae, utque hic modus observandi bipartitam inseratur inter constitutiones iuratas dictae Congregationis monachorum, et unâ cum illis legatur temporibus legi solitis in monasteriis dictae Congregationis et in omnibus capitulis generalibus, ac iuretur ab omnibus capitularibus observantia omnium praedictorum antequam procedatur ad electiones; quod si forte aliquis iurare et observare renuerit, eiiciatur extra capitulum, voceque activâ et passivâ pro eâdem vice careat, sicque lis extincta remaneat.

Praeterea mandamus ut hae provisiones nostrae in quatuor capitulis generalibus proximis servari debeant; iisque completis, perseverent, si dissentiones cessaverint; sin minus, ad nos seu Ro-

manum Pontificem pro tempore existentem recursus pro novâ provisione fieri debeat.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nominantur executores. § 4. Quocirca venerabili fratri episcopo Astoricensi, vel, eo absente seu impedito, venerabili etiam fratri episcopo Calaguritano per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel per alium, seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse habentium seu alicuius eorum fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in eisdem praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet praesentium litterarum et in eis contentorum huiusmodi commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittens illos desuper quomodolibet indebite molestari, perturbari et inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus, quoad ea, quae praesentibus sunt contraria praefatis utriusque Clementis praedecessorum litteris, aliisque omnibus et singulis praemissis, et, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, aliisque nostris et Cancellariae apostolicae regulis, necnon recolendae memoriae Bonifacii PP. VIII, praedecessoris pariter nostri, de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis et monasteriorum ac Ordinis huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 6. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

rem, sub annulo Piscatoris, die III octobris MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 3 octobris 1710, pontif. anno X.

CXLVIII.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis Congregationis Alexianorum in festo S. Alexii.

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Iniunctae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio postulat ut caelestium munerum thesauros dispensationi nostrae a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris Sanctorum in caelis cum Christo regnantium venerationem, excitandamque et confovendam erga illos fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum.

Concessio dictae indulgentiae.

§ 1. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum fratrum Congregationis Alexianorum, seu Cellitarum, nunc sub regulâ S. Augustini, nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque conventuum dictae Congregationis Alexianorum, seu Cellitarum, tam hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, die festo S. Alexii confessoris, sub cuius invocatione eadem Congregatio instituta fuit, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi annis singulis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae.

§ 2. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV octobris MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 4 octobris 1710, pontif. anno X.

CXLIX.

Declaratur nullum edictum ducis Sabaudiae super deputatione iudicis pro iustitiâ administrandâ, et oeconomi pro colligendis fructibus in abbatiâ S. Benigni in Fructuariâ suo rectore orbatâ [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Species facti.

§ 1. Accepimus nuper porrectas fuisse ab officiali patrimoniali generali nuncupato dilecti filii nobilis viri Victorii Amedei Sabaudiae ducis et Pedemontis principis quasdam preces eidem Victorio Amedeo duci, tenoris qui sequitur, videlicet:

Litterae patrimonialis duci Sabaudiae porrectae referuntur.

Altezza reale. Sendosi resa vacante per la morte seguita dell'abate di S. Tommaso il 1° agosto scorso l'abazia di S. Benigno di

1 Const. edit. MDCCVII, die 17 maii, pont. VII, declarata fuere nulla decreta aliaque gesta in ditione ducis Sabaudiae; et const. sequenti declaratur nulla deputatio vicarii in loco de Saorgio, aliisque locis duci Sabaudiae subiectis.

indubitata nomina e regio personato di V. A. R., la di cui iurisdizione e redditi consistono particolarmente al temporale sopra le quattro terre di S. Benigno, Montanaro, Feletto e Lombardore; ha il suo patrimoniale, d'ordine della sua regia Camera de' Conti, per la ragione di protezione da V. A. R. dovuta a detta abazia, e ad effetto di far conservare li frutti e redditi vacanti a beneficio di essa e del successore, che deve esser nominato da V. A. R., fatto procedere, conforme al solito delle altre abazie e chiese vacanti di nomina regia, alla riduzione d'essa, frutti e redditi della medema, sotto l'economia ossia amministrazione del detto suo patrimoniale, con deputazione non solo d'economo nella persona di Giuseppe Antonio Roggerino per la percezione e conservazione de' frutti e redditi, ma ancora d'un giudice rogato nella persona dell'avvocato Battaglione, ad effetto che venga dal medemo a nome di detta abazia esercitata la giurisdizione temporale, e resa quella giustizia alli sudditi d'essa e luoghi suddetti nel concernente il temporale, che venivagli amministrata e resa dai giudici in esse quattro terre *pro tempore* deputati dagli abati, con ordine e comando esercire con tutta integrità e disinteressamento, e nella forma e stile che esercitavasi in vita degli abati dai giudici suddetti, come del tutto ne appare per atti, lettere e legittime provisioni ottenute dalla regia Camera suddetta. Occorre presentemente aver per inteso, che sotto nome di monsignor arcivescovo di Seleucia, in qualità di tesoriere generale di Sua Santità e della Camera Apostolica, e collettore de' spogli e diritti delle abazie e beneficî vacanti in Italia, siasi ultimamente preteso publicarsi in detta abazia asserte lettere, ordine o manifesto del medemo, che si dice dato in Roma li 16 agosto scorso, per cui detto monsignore tesoriere abbia preteso dichiarare nulli gli atti di riduzione fattasi d'ordine d'essa Camera de' Conti di V. A. R., e successivamente la deputazione dell'economo Roggerino, con inibire a chicchessia d'ingerirsi sotto qualsivoglia pretesto nella cura o amministrazione o economia de' beni, luoghi, rendite e giurisdizione dell'abazia suddetta, senza espressa facoltà e permissione sua e dell'abate Barbarossa, che dice esser suo delegato, con comando di pagare e rispondere detti frutti e redditi nelle mani di esso abate Barbarossa, et a' sudditi d'esse quattro terre di obbedire solamente alla Sede Apostolica ed alla Santità di nostro Signore, et a' giudici e ministri constituiti da sè, come collettore generale suddetto, o pure dal detto abate Barbarossa suo delegato, durante la vacanza, senza riconoscere altro superiore, nè ricevere, nè obbedire agli ordini d'altri giudici o d'altri magistrati di qualsivoglia sorte, sotto le pene ed altri comandi ivi espressi, e meglio come risulta dalla qui giunta copia del manifesto e lettere suddette. Dopo del che l'istesso abate Barbarossa per altro suo particolar ordine delli 6 corrente settembre, che pure ha preteso far pubblicare in detta abazia, e di cui si rimette la qui giunta copia, notificando la suddetta delegazione ed autorità che dice conferitagli da monsignor tesoriere, non solo notifica, dichiara e comanda come sopra, ma passando più oltre, supponendo fatti d'autorità ordinaria e delegata dall'avvocato Pochettini alcuni atti di riduzione d'essa abazia, deputazione d'economo, giudici ed altri ufficiali, ha preteso confermare in economo il prete Don Passora, in giudice e luogotenente il notaro Marco Aurelio Carlevaris, per i luoghi di S. Benigno, Montanaro e Feletto, ed in suo vice-luogotenente e vice-segretario il notaro Rega, come pure in luogotenente e segretario nel luogo di Lombardore il notaro Giuseppe Maurizio Roggeri, ed in fiscale il denominato Saudimo. Che però non dovendo persuadersi il patrimoniale di V. A. R. possa esser mente di monsignor tesoriere, come non è di suo potere, l'esercitare ed estendere l'autorità sua di collettore generale sopra l'abazia suddetta, quale per più ragioni non deve cadere sotto la riduzione e ragione di vacanti, e particolarmente per essere d'indubitata nomina e patronato regio, e dovendo anzi credere essere evidentemente surretti-

zie le suddette lettere e provvisione, sendosi taciuta particolarmente la qualità tanto esenziale, che questa abazia sia di patronato regio, come altresì constandogli conseguentemente esser nulle ed insussistenti le susseguite provvisioni dell'abate Barbarossa, e tanto la suddetta del 6 settembre che ogni altra, e molto più attentati tutti gli atti di deputazione d'economo, giudice o luogotenente, segretario fiscale, ed altri ufficiali, dall'avvocato Pochettini senza nessuna autorità e con accidente [1] perturbazione dei diritti del suo regio patronato: implorando pertanto il benigno effetto della real protezione da V. A. R. dovuta alla detta abazia e sudditi di essa, particolarmente durante la vacanza della medema, per la conservazione dei redditi e frutti vacanti di essa, tanto a favore del successore che dell'abazia, senza che siano contro ogni diritto del regio patronato e ragioni della medesima altrove divertiti e trasportati, e che l'amministrazione ancora della giurisdizione temporale, come de' più cospicui frutti e redditi dell'abazia, stia oppresso [2], e venga esercitata da persone d'ogni integrità e disinteressamento: supplica pertanto umilmente V.A.R. degnarsi dichiarare non aver potuto nè potere le suddette provvisioni di monsignor tesoriere ed abate Barbarossa ed avvocato Pochettini, come surrettizie, nulle, invalide, ingiuste ed attentate respettivamente, sortire alcun effetto, nè recare verun pregiudizio alle ragioni di detta abazia e del suo regio patronato, e per maggiore e dovuta naturale difesa d'un diritto tanto giustamente spettante alla sua Corona, fare positivo e contrario precetto a tutti li sudditi ed abitanti in essa abazia e terre alla medesima nel temporale sottoposte, di non dover (pendente la vacanza della medesima) riconoscere altro economo, che il già deputato d'ordine della sua regia Camera de' Conti, Roggerino, con obligo e comando a tutti li massari, fittuarî, enfiteuti, reddituarî, ed in qualunque maniera e per qualunque titolo debitori verso detta abazia, di pagare e rispondere d'essi in avvenire, dal giorno della morte dell'abate di S. Tommaso, e durante la vacanza, in altre mani, che dal prenominato economo, o altri che venissero dal suo patrimoniale nominati e deputati, come altresì di non ubbidire ad altri giudici nel temporale, che al già detto avvocato Battaglione o suoi luogotenenti, o altri che verranno come sopra dalla regia Camera o suo patrimoniale deputati, ed inibire ai suddetti nullamente deputati dall'avvocato Pochettini e confermati come sopra dall'abate Barbarossa, o eziandio da monsignor tesoriere suddetto, o che potessero ancora in avvenire essere da' medemi, o chiunque altri eletti o deputati, d'ingerirsi in qualunque maniera, per sè o per altri, direttamente o indirettamente, nell'esercizio di detta giurisdizione temporale, amministrazione della giustizia, percezione de' redditi, e qualunque altra economica o temporale amministrazione di qualsisia officio ed esercizio in detta abazia e terre a quella soggette, anzi di dovere, pendente la vacanza come sopra, obbedire intieramente, nel concernente detta amministrazione, alli suddetti dalla di lei regia Camera e suo patrimoniale deputati e deputandi in avvenire, sotto pena non solo della nullità d'ogni atto in contrario, ma d'altre maggiori arbitrarie alla sua regia Camera, secondo la contingenza de' casi; con dichiarar la publicazione delle presenti per voce di grida ed affissione di copia nei modi e luoghi soliti, e che alla copia stampata dallo stampatore di V. A. R., Valetta, si debba dar tanta fede come al proprio originale valer. Il che, ecc. — Feccia di Cossato, auditore patrimoniale generale.

Subinde vero super precibus praedictis prodiisse sub nomine eiusdem Victorii Amedei ducis praeceptum, sive edictum, tenoris sequentis, videlicet:

Refertur etiam edictum ipsius ducis Sabaudiae.

Vittorio Amedeo II, per grazia di Dio duca di Savoia, principe di Piemonte, re di Cipro, ecc. Veduta nella Camera nostra dei Conti l'allegata supplica sottoscritta dal consigliere di stato, mastro auditore patrimoniale nostro, generale Feccia di Cossato, ed

1 Forsan *evidente* (R. T.).

2 Sic legit edit. Main. (R. T.).

il tenore del tutto ben considerato, per le presenti, col parere e partecipazione di detta Camera, dichiariamo, non aver potuto nè potere le provvisioni di monsignor tesoriere ed abate Barbarossa, ed avvocato Pochettini, come surrettizie, nulle, invalide, ingiuste ed attentate rispettivamente, sortire alcun effetto, nè recare verun pregiudizio alle ragioni della nostra abazia e del regio nostro patronato; e per maggior e dovuta naturale difesa di un diritto tanto giustamente spettante alla nostra Corona, facciamo positivo e contrario precetto a tutti li sudditi ed abitanti in essa abazia e terre alla medesima nel temporale sottoposte, di non dover, pendente la vacanza della medesima, riconoscere altro economo che il già deputato d'ordine di detta nostra Camera de' Conti, Roggerino, con obbligo e comando a tutti li massari, fittuari, entiteuti, redditurì, ed in qualunque maniera e per qualunque titolo debitori verso detta abazia, di pagare e rispondere d'essi in avvenire, dal giorno della morte dell'abate di S. Tommaso, e durante la vacanza, in altre mani che del prenominato economo, o altri che venissero dal nostro patrimoniale nominati e deputati, come altresì di non obbedire ad altri giudici nel temporale, che all'avvocato Battaglione o suoi luogotenenti, o altri che verranno, come sopra, dalla predetta nostra Camera o patrimoniale deputati; inibendo alli nominati nella suddetta supplica, nullamente deputati dall'avvocato Pochettini e confermati dall'abate Barbarossa, o eziandio da monsignor tesoriere suddetto (o che potessero ancora in avvenire essere da'medesimi o chiunque altri eletti o deputati), di ingerirsi in qualunque maniera, per sè o per altri, direttamente o indirettamente, nell'esercizio di detta giurisdizione temporale, amministrazione della giustizia, percezione de'redditi, e qualunque altra economia o temporale amministrazione di qualsivoglia officio ed esercizio in detta abazia e terre a quella soggette, anzi di dovere, pendente la vacanza come sopra, obbedire intieramente, nel concernente detta amministrazione, alli suddetti dalla suddetta nostra Camera e patrimoniale nostro deputati e deputandi in avvenire, sotto pena non solo della nullità di ogni atto in contrario, ma d'altre maggiori arbitrarie all'istessa nostra regia Camera, secondo la contingenza de' casi; dichiarando la pubblicazione delle presenti per voce di grida e affissione di copia nei modi e luoghi soliti valida, e che alla copia stampata dello stampatore nostro Valetta si debba dare tanta fede come a proprio originale, che tal è nostra mente. Dato in Torino, li 15 settembre 1710, per S. A. R. a relazione di detta Camera. - In Torino, per Giovanni Battista Valetta, stampatore di S. A. R., 1710.

Ostenditur praedictum edictum esse nullum, utpote laesivum iurium Apostolicae Sedis.

§ 2. Cum autem fructus, redditus et proventus monasterii seu abbatiae in Fructuaria nuncupatà[1], nullius, seu Hyporegiensis, vel alterius dioecesis, de qua[2] in praecepto seu edicto praeinserto fit mentio, tempore illius vacationis seu cessationis commendae ad nos et Cameram nostram Apostolicam spectare et pertinere dignoscantur[3], et in vacationibus seu cessationibus commendae monasterii huiusmodi, quae retroactis temporibus contigerunt, a tunc existentibus nunciis apostolicis, aliisque huius S. Sedis officialibus et ministris in ditione praedicti Victorii Amedei ducis pro tempore residentibus, recollecti et pro eâdem Camerà custoditi fuerint, ac interea officiales et iudices pro iustitià administrandà vassallis et subditis, in oppidis, castris et locis eidem abbatiae eiusque pro tempore existenti abbati commendatario etiam in temporalibus subiectis, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris seu nunciis, aut aliis ministris apostolicis praefatis constitui ac deputari consueverint, ipsaque oppida, castra et loca sub alto et supremo dominio ac superioritate nostrà

1 Edit. Main. legit *nuncupatur* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *deque* pro *de qua* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *dignoscuntur* (R. T.).

et pro tempore existentis Romani Pontificis ac S. R. E. privative quoad alios quoscumque fuerint et sint, ac censeri debeant, adeoque vassalli, universitates et homines eorumdem oppidorum, castrorum et locorum soli nostrae et dictae Sedis superioritati fuerint et sint vere subiecti, ac propterea, nec dicto Victorio Amedeo duci, tempore vacationis seu cessationis commendae monasterii praedicti, iudices constituere, aut alios iurisdictionales actus exercere, et multo minus fructus bonorum ad dictum monasterium seu abbatiam spectantium sub quocumque praetextu colligere seu custodire, aut oeconomos deputare, et sic res ad ecclesias spectantes perturbare licuerit nec liceat in praeiudicium Sedis et Camerae praedictarum, ideoque praecepta, inhibitiones, ordinationes, aliaque omnia et singula demandata, contenta et enunciata in praeinserto praecepto seu edicto quovis modo laesiva ecclesiasticae iurisdictionis et libertatis ac iurium Camerae et Sedis praedictarum nullius prorsus sint roboris et momenti, nec deceat illa absque nostrâ et eiusdem Sedis animadversione, impugnatione et revocatione praetermitti:

Declaratio nullitatis ut in rubricâ.

§ 3. Hinc est quod nos, qui in sublimi iustitiae solio a Domino constituti universarum terrarum orbis ecclesiarum gerimus curam, quique illarum et Sedis praedictae iurium supremi assertores sumus, ne pastorali officio nostro hac in re quoquo modo deesse videamur, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine paribus, praeceptum seu edictum praeinsertum, necnon mandata, inhibitiones, praecepta, aliaque omnia et singula in eo contenta et enunciata, tum Camerae et Sedis praedictarum, tum etiam monasterii seu abbatiae S. Benigni huiusmodi iuribus quovis modo praeiudicialia, ac praesertim deputationem oeconomi seu aliorum officialium pro reducendis, colligendis et custodiendis illius fructibus, necnon constitutionem iudicis seu iudicum pro iustitiâ in temporalibus administrandâ in praedictis oppidis, castris seu locis, sicut praemittitur facta, cum omnibus et singulis inde secutis et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita, invalida, iniusta, erronea, ac de facto praesumpta et attentata, nulliusque momenti et efficaciae fuisse et esse, neque per illa, tamquam inania, frivola et inefficacia, ullum vel minimum praeiudicium nostris et Sedis ac Camerae paaedictarum necnon dicti monasterii seu abbatiae iuribus quibuscumque illatum fuisse vel esse, neque inferri potuisse, nec ullo unquam tempore posse, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec ea a quopiam observari posse vel potuisse, nec ex illis cuiquam aliquod ius vel actionem aut titulum, etiam coloratum, aut possidendi, seu quasi possidendi, vel praescribendi causam acquisitam, vel acquisitum fuisse vel esse, aut quandocumque acquiri vel competere posse, neque illa ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde[1] ac si nunquam emanassent nec facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium statuimus, decernimus et declaramus. Et nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, revocationes oeconomi et iudicis, omniumque in praemissis, seu eorum occasione, gestorum a Camerâ computorum nuncupatâ dicti Victorii Amedei ducis, seu illius officialibus, per venerabilem fratrem Ioannem archiepiscopum Seleuciae thesaurarium nostrum generalem vel Sedis praedictae officiales factas approbantes,

1 Edit. Main. legit *proinde* (R. T.).

ac, quatenus opus sit, confirmantes, deputationem oeconomi et iudicis praedictorum et alia quaecumque a Camerâ praedictâ computorum, ac eisdem oeconomo et iudice, seu aliis ministris ducalibus, quoad exercitium iurisdictionis in vassallos et subditos, ac reductionem seu recollectionem fructuum monasterii seu abbatiae huiusmodi in praeiudicium Sedis et Camerae Apostolicarum praedictarum hactenus attentata, vel forsan in futurum attentanda, motu, scientiâ, deliberatione ac potestatis plenitudine similibus, harum serie reprobamus, annullamus, cassamus et abolemus, viribusque et effectu prorsus vacuamus, et pro reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus ac omnino vacuis, semper et perpetuo haberi volumus et mandamus; itaut, illis minime obstantibus, supremum dominium et superioritas in vassallos et subditos, oppidaque, castra seu loca eiusdem monasterii seu abbatiae, ad nos et Sedem praedictam solummodo spectet et pertineat, prout revera spectat et pertinet, iusque deputandi iudicem pro administratione iustitiae in iisdem oppidis, castris seu locis, et colligendi fructus ac redditus eiusdem monasterii seu abbatiae, quotiescumque illius vacatio seu cessatio commendae contigerit, ad Sedem et Cameram Apostolicas praedictas, non autem ad dictum ducem, pari modo spectet et pertineat, quemadmodum revera spectat et pertinet. Proptereaque subcollectores, commissarios et ministros pro recolligendis fructibus praedictis, necnon iudices pro administratione iustitiae a nostris et dictae Sedis officialibus, postquam monasterii seu abbatiae huiusmodi vacatio seu cessatio commendae contigit, deputatos, et in praedicto praecepto seu edicto nominatos, quatenus opus sit, et ad maiorem cautelam, harum serie approbamus et confirmamus, eisdemque iudicibus tam hactenus deputatis, quam in futurum forsan pro administratione iustitiae per nos et dictae Sedis et officiales praedictos deputandis, ab omnibus et singulis vassallis et subditis dicti monasterii seu abbatiae obtemperari, debitamque obedientiam praestari, ac subcollectoribus seu commissariis itidem per eosdem nostros et eiusdem Sedis officiales deputatis, aut in posterum forsan deputandis, fructus, redditus et proventus quoscumque, tam hactenus decursos, quam ipsius monasterii seu abbatiae vacatione durante seu commendâ cessante decurrendos, realiter tradi et consignari volumus, praecipimus et mandamus. Praeterea iisdem vassallis ac subditis, necnon omnibus et singulis colonis, conductoribus, massariis et aliis quibuscumque fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi debitoribus districte interdicimus et prohibemus, ne cuicumque personae seu personis a praedictâ Camerâ computorum dicti Victorii Amedei ducis vel aliis eius officialibus hucusque deputatae seu deputatis, et in praedicto praecepto seu edicto expressis, seu aliis forsan in futurum deputandis pro administratione iustitiae seu perceptione et custodiâ fructuum, reddituum et proventuum praedictorum, ullâ ratione aut quocumque quaesito colore vel causâ pareant vel obtemperent, vel iis respective ullam praedictorum fructuum, reddituum et proventuum portionem etiam minimam, aut pretium inde retractum vel retrahendum, quoquomodo tradant et assignent; quod si secus fecerint, censuras et poenas a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis adversus talia perpetrantes inflictas se noverint incursuros. Quin etiam iudici

et oeconomo praedictis et aliis quibuscumque e dictâ Camerâ computorum vel etiam ab ipso Victorio Amedeo duce aut eius officialibus hactenus deputatis vel forsan in posterum deputandis penitus ac omnino interdicimus et prohibemus, ne quibusvis iurisdictionalibus actibus, quoad monasterium seu abbatiam huiusmodi eiusque vassallos et subditos, ullatenus se immiscere, fructus, redditus et proventus, eiusdem monasterii seu abbatiae vacatione durante seu commendâ cessante, exigere, aut aliquod impedimentum iudicibus et subcollectoribus seu commissariis per praesentes nostras et dictae Sedis officiales deputatis aut in posterum forsan deputandis, quominus eorum officio in praemissis libere fungi possint, per se vel alios inferre, nec quidquam aliud circa praemissa facere audeant seu praesumant in nostrum et Sedis et Camerae Apostolicae praedictarum praeiudicium, sub censuris et poenis adversus ecclesiasticae libertatis et iuridictionis apostolicae perturbatores ac usurpatores a sacris canonibus et apostolicis constitutionibus ac praesertim litteris die Coenae Domini singulis annis legi et promulgari solitis inflictis; quas ceteroquin manifesti ac explorati iuris est eos incurrisse, qui quoquomodo in praetensâ administratione iustitiae vel recollectione fructuum, reddituum, ac proventuum huiusmodi, in Sedis et Camerae Apostolicarum praedictarum praeiudicium, se ingesserunt, vel aliud quidquam in praemissis hactenus attentarunt vel attentare praesumpserunt.

Clausulae. § 4. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus et ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ ac individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, alioque quolibet etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato, inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illos aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis praedictae nuncios, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et de-

finiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon legibus imperialibus, etiam municipalibus, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, et felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri constitutione de gratiis qualecumque interesse Cancellariae Apostolicae concernentibus in eâdem Camerâ praesentandis et registrandis, itaut praesentes litterae, etiamsi in eâdem Camerâ nullo unquam tempore praesententur et registrentur, nihilominus valeant plenamque roboris firmitatem obtineant, necnon dicti monasterii seu abbatiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem monasterio seu abbatiae, eiusque commendatario et quibusvis personis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII octobris MDCCX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 27 octobris 1710, pontif. anno X.

CL.

Declaratur nulla deputatio vicarii in oppido Saorgio aliisque locis ducis Sabaudiae subiectis per episcopum Vigintimiliensem, eiusque provocatio ad dictum ducem et senatum Niciensem, nec non horum beneplacitum, mandatum et decretum, cum prohibitione exercitii vicariatus, et praecepto illius revocationis [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Hucusque illegitime gesta enarrantur.

§ 1. Cum, sicut accepimus, venerabilis frater Carolus Maria episcopus Vintimiliensis, die VIII octobris proxime praeteriti, dilectum filium praepositum Dominicum Carolum de Rubiolis in loco de Saorgio Ventimiliensis dioecesis, iurisdictioni temporali dilecti filii nobilis viri Victorii Amedei Sabaudiae ducis et Pedemontis principis subiecto, vicarium in partibus, cum facultate, non solum in dicto loco de Saorgio, sed etiam in aliis locis dictae dioecesis temporali Victorii Amedei ducis iurisdictioni huiusmodi subditis, iustitiam in omnibus causis contentiosae iurisdictionis ad forum ecclesiasticum spectanti-

1 Constitut. praec. declarata fuit nulla deputatio iudicis et oeconomi in abbatiâ S. Benigni; et const. ed. MDCCXII, die 9 iulii, pontif. XII, declaratur nullum decretum a potestate saeculari Niciensi super solutione ab ecclesiasticis faciendâ.

bus tam civilibus quam criminalibus et mixtis (itaut ab illius sententiis seu indicatis appellatio ad curiam episcopalem Vintimiliensem aut ad ipsum Carolum Mariam episcopum dari, dictorumque locorum incolae et habitatores ad dictam curiam episcopalem in primâ instantiâ, nec etiam in gradu appellationis, trahi nequeant) administrandi, necnon, quoad ea quae voluntariam iurisdictionem concernunt, dispensandi, ac alia omnia quae immediatâ dicti Caroli Mariae episcopi cognitione non indigent, neque ab ordine et charactere episcopali dependent, et consequenter primariis ad christifidelium confessiones audiendas divinique verbi praedicationem admissionibus, beneficiorum ecclesiasticorum collationibus, monitoriorum concessionibus, ac iis quae ad clericorum ordinationes spectant, et recognitionibus dispensationum matrimonialium exceptis, eidemque Carolo Mariae episcopo reservatis, faciendi et exercendi, per suas patentes litteras deputaverit et constituerit; et successive, die XVI eiusdem mensis, post apprehensam multo ante ecclesiae Ventimiliensis possessionem, supplicem libellum manu propriâ subscriptum dicto Victorio Amedeo duci, ut illius beneplacitum seu approbationem pro capiendâ locorum praedictorum possessione obtineret, porrexerit, intuituque deputationis vicarii per eum sicut praemittitur factae, in eodem supplici libello ab ipso Victorio Amedeo duce petierit ut sequestrum super fructibus et redditibus mensae episcopalis Vintimiliensis in dominio seu Statu eiusdem Victorii Amedei ducis existentibus attentate[1] et violenter appositum pro ratâ fructuum et redditum huiusmodi, a die ipsius praefectionis in episcopum dictae ecclesiae Vintimiliensis, non autem tempore quo venerabilis frater Ambrosius episcopus Lunensis Sarzanensis dictae ecclesiae Vintimiliensi, antequam ad ecclesiam Lunensem Sarzanensem, praeviâ ipsius absolutione a vinculo quo eidem ecclesiae Vintimiliensi tenebatur, a nobis auctoritate apostolicâ translatus fuisset, praerat, decursorum removeretur; ac die XVIII eiusdem mensis a dicto Victorio Amedeo duce non solum praedictum eius beneplacitum seu approbationem pro capiendâ memoratorum locorum possessione, verum etiam mandatum senatui Niciensi in oppido Oneliae residenti directum pro quocumque impedimento removendo, ac dictis fructibus et redditibus pro ratâ praedictâ libere relaxandis obtinuerit, necnon in executionem mandati huiusmodi per suum procuratorem apud dictum senatum Niciensem institerit pro sequestri remotione ac fructuum et redditum liberâ relaxatione huiusmodi; ac denique die X novembris etiam proxime praeteriti rescriptum seu decretum desuper ad sui favorem a praesidente et iudicibus ultimarum appellationum nuncupatis in eodem oppido Oneliae residentibus, propter praedictam tamen deputationem vicarii, illiusque intuitu et ratione, reportaverit; et aliàs, prout in litteris deputationis, supplici libello, rescripto, mandato et decreto praedictis, quorum tenores non approbandi sed penitus et omnino reprobandi animo praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius respective continetur: porro dicta vicarii deputatio cum praenarratâ facultate contra expressam mentem et intentionem nostram, et postquam dicto Carolo Mariae episcopo tum indebitam[1] praedicti Victorii Amedei ducis vicarium genera-

1 Male edit. Main. legit *attentare* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *indebitum* (R. T.).

lem vel alium officialem, qui in dictis locis omnem iurisdictionem contentiosam absque recursu seu appellatione ad ipsummet Carolum Mariam episcopum et privative quoad illum dictamque eius curiam episcopalem etiam in prima instantiâ exercere posset, deposcentis praetensionem, tum nostram praetensioni huiusmodi oppositionem significaveramus, facta fuerit, ac per eam dicta loca a dioecesi Vintimiliensi fere separata, et a iurisdictione praedicti Caroli Mariae episcopi, non sine notabili rectae administrationis iustitiae, conservationis disciplinae ecclesiasticae, et divini cultus praeiudicio, quasi independentia remaneant, ac tam eadem vicarii deputatio et supplices libelli et recursus per dictum Carolum Mariam episcopum ad laicalem potestatem facti, quam rescripta, mandata seu decreta praedicta a Victorio Amedeo duce et senatu Niciensi respective emanata, ut praefertur, sacrorum canonum et constitutionum apostolicarum dispositioni adversentur, ac libertatem, iurisdictionem et immunitatem ecclesiasticam manifeste ledant, magnumque dictae ecclesiae Vintimiliensis et Apostolicae Sedis iuribus praeiudicium afferant:

Declaratio nullitatis ut in rubrica.

§ 2. Hinc est quod nos, qui libertatis ac iurisdictionis, aliorumque iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, ecclesiae praedictae Vintimiliensis dictaeque Sedis iurium huiusmodi indemnitati providere, ac tam gravibus et scandalosis illorum laesionibus, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium et singulorum in praemissis tam a Carolo Maria episcopo, quam a Victorio Amedeo duce et senatu Niciensi, aliisque supradictis, per se vel alios quoscumque quomodolibet actorum et gestorum seriem, causas et occasiones, aliave quaelibet, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene itidem et sufficienter expressis ac exactissime et accuratissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, deputationem praedicti dominici Caroli de Robiolis in vicarium cum facultate praenarratâ a memorato Carolo Maria episcopo factam, ac supplices libellos ac recursus per eum ad laicalem potestatem habitos, necnon rescripta, mandata seu decreta desuper a laicali potestate huiusmodi edita, ut praefertur, aliaque omnia et singula tam a Carolo Maria episcopo et Dominico Carolo, quam a Victorio Amedeo duce et senatu Niciensi praedictis, seu eorum respective iussu, mandato vel nomine ab aliis quibuscumque, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, in praemissis et circa ea quomodocumque et qualitercumque acta, facta, gesta, mandata, decreta, ordinata vel dispensata, ac forsan in futurum (quod Deus avertat) agenda, facienda, gerenda, mandanda, decernenda et ordinanda, cum omnibus et singulis inde quovis modo secutis et quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, invalida et inania, nulliusque roboris et momenti vel efficaciae esse, et ab initio fuisse, ac perpetuo fore, tenore praesentium declaramus et decernimus, illaque damnamus et reprobamus. Ac, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, quatenus de facto processerunt, revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu, itaut nullum unquam praeiudicium etiam minimum libertati, iurisdictioni et immunitati ecclesiasticae aut ecclesiae Vin-

timiliensis et Sedis Apostolicae iuribus praedictis inferre vel aliàs nocere, seu intulisse vel nocuisse quoquomodo dici, censeri, praetendi vel intelligi possint, penitus et omnino vacuamus, in omnibus et per omnia, perinde ac si nunquam facta fuissent nec evenissent, neque unquam fierent nec evenirent. Quocirca dicto Dominico Carolo, in virtute sanctae obedientiae, ac sub suspensionis et excommunicationis maioris et privationis dignitatum et beneficiorum ecclesiasticorum per eum obtentorum perpetuaeque inhabilitatis ad illa et alia similia vel dissimilia quaecumque in posterum quomodolibet obtinenda ipso facto absque aliâ declaratione incurendis poenis, districte prohibemus et interdicimus, ne, irritae et invalidae deputationis praedictae vigore, praetensum vicariatum huiusmodi, aut ullam iurisdictionum potestatem vel auctoritatem ecclesiasticam in locis praedictis exercere, ullumque actum iurisdictionalem facere audeat quovis modo seu praesumat; praedicto vero Carolo Mariae episcopo, sub poenâ suspensionis ab exercitio pontificalium et interdicti ab ingressu ecclesiae, praecipimus et mandamus, ut per[1] publicum edictum eamdem irritam et invalidam vicarii deputationem, concessamque illi ut praefertur facultatem, statim et incunctanter omnino revocet, ac, in locum vicarii huiusmodi, alium vicarium foraneum, cum facultatibus similibus vicariis foraneis concedi solitis, cum quibus eiusmodi vicarius foraneus in locis dominii temporalis dicti Victorii Amedei ducis aliàs ab episcopis Vintimiliensibus eius praedecessoribus deputatus fuit, deputet.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, et aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu impugnari, infringi, invalidari, retractari, ad terminos iuris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis praedictae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et

1 Pessime ed. M. leg. *super* pro *ut per* (R. T.).

functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon praedictae ecclesiae Vintimiliensis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, etiam quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus, et quomodolibet qualificatis, ac ecclesiis et locis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac plenissime et amplissime derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III ianuarii MDCCXI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 3 ianuarii 1711, pontif. anno XI.

CLI.

Restituitur magno magistro et Congregationi quinque fratrum militum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani ius super regimine trium navium bellicarum [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Describitur erectio dictae congregationis, et ius ei concessum.

§ 1. Aliàs pro parte dilecti filii moderni magni magistri hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani nobis exposito, quod ipse, ad christiani nominis hostes et pyratas, qui in illius dedecus et christifidelium detrimentum longe validioribus quam antea navigiis maria continuo in-

1 Erecta fuit dicta Congregatio et ius concessum const. edit. MDCCI, die 15 aprilis, pontif. I; const. edit. MDCCVI, die 22 martii, pontif. VI, concessa fuit facultas faciendi celebrari missam in navibus; et ab Innocentio XIII confirmatur Breve Pii V super concessione privilegiorum.

festabant, facilius propulsandos, de consilii completi eiusdem hospitalis consensu, quatuor novas naves bellicas, unam quidem suis propriis, alias vero tres dicti hospitalis sumptibus, construere et manutenere deliberaverat, ac pro bono ipsarum navium regimine idem magnus magister eiusque consilium praedictum particularem quinque fratrum militum eiusdem hospitalis ab ipso magno magistro nominandorum et a praedicto consilio approbandorum, quorum unus dignitate magnae crucis insignitus esse deberet, congregationem deputandam esse decreverant: nos, supplicationibus dicti magni magistri nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, aliam congregationem eorumdem quinque fratrum militum sic deputandam, ex tunc, prout postquam sic deputata fuisset, ac praenarratum magni magistri et consilii praedictorum decretum, auctoritate apostolicâ confirmavimus et approbavimus; congregationi autem sic deputandae praedictas tres naves bellicas privative quoad omnes alios (itaut ipsa congregatio praedicto magno magistro tantum subiecta esset, et absque eo quod alia quaecumque congregatio in conventu dicti hospitalis existens, aut alia quaelibet persona, officialis vel minister eiusdem hospitalis, sub quovis titulo, aut alicuius praeeminentiae vel praerogativae etiam linguarum ipsius hospitalis praetextu, sive quaecumque de causâ, illi ullo modo intervenirent, aut quorumcumque per eam circa ipsarum trium navium regimen et gubernium disponendorum et gerendorum participes fierent) regendi et omnino gubernandi plenam et liberam facultatem eâdem auctoritate tribuimus et impertiti fuimus; et aliâs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die xv aprilis MDCCI expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et de verbo ad verbum inserto haberi volumus, plenius continetur.

Causae restituendi praedictum ius adversus non usum, et preces magni magistri.

§ 2. Cum autem, sicut dictus magnus magister denuo nobis exponi fecit, licet dictae tres naves bellicae per memoratam congregationem ipsi magno magistro tantum subiectam privative quoad omnes alios, iuxta facultatem illi a nobis sicut praemittitur attributam, regi et omnino gabernari deberent, ipse nihilominus ob quamdam urbanitatem consilium dicti hospitalis super rebus maioris momenti dictas naves bellicas concernentibus, inter quas nominatio maiorum officialium habetur, semper consuluerit, ac desuper cum illius approbatione deliberaverit, progressu vero temporis experientiâ compertum fuerit, eam urbanitatem proponendi in consilio nominationem officialium, a dicto magno magistro observatam, non solum bono regimini dictarum navium non conducere, sed illud potius perturbare, non sine praeiudicio auctoritatis ipsius magni magistri et meritorum fratrum militum nominatorum: nobis propterea dictus magnus magister (qui, ut asserit, non solum dicto hospitali navem bellicam praedictam, quam suis propriis sumptibus construxit et manutenet, quantum ad lucrum attinet, cessit, et portiones praedictarum hactenus captarum ipsum tangentes libere donavit, verum etiam omnibus dignitatis admirati[1] iuribus, ipsi occasione praedarum per armata particularium personarum navigia reportatarum competentibus, in commodum eiusdem hospitalis pariter cessit) humiliter supplicari fecit ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Vide Du-Change sub voce *Ammir* (R. T.).

Restitutio relati iuris.

§ 3. Nos igitur, ipsum magnum magistrum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, particularem quinque fratrum militum congregationem sicut praemittitur deputandam, seu iam forsan deputatam, eumdemque magnum magistrum, cui illa, sicut etiam praemittitur, subiecta esse debet, adversus praemissa ac non usum praenarratae facultatis privative regendi et omnino gubernandi praedictas tres naves bellicas, in integrum et pristinum ac illud in quo antea quovis modo erat ius utendi facultate huiusmodi, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, restituimus, reponimus et plenarie reintegramus.

Clausulae

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, necnon consilium praedictum, ac quaevis tribunalia eiusdem hospitalis, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in litteris praedictis concessimus, non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo eiusdem magni magistri munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII ianuarii MDCCXI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 17 ianuarii 1711, pontif. anno XI.

CLII.

Confirmatur decretum cardinalis de Tournon commissarii et visitatoris generalis in Sinarum aliisque Indiarum Orientalium regnis super exercitio missionum et acceptatione praefecturarum, cum illius extensione ad sequentia tempora [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Epitome dicti decreti, quo omnibus vetitum fuit missiones ingredi vel abinde discedere atque praefecturas assumere, absque licentia commissarii generalis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, aliàs, nempe anno MDCCVIII, dilectus filius noster Carolus Thomas S. R. E. cardinalis Maillard de Tournon nuncupatus, tamquam noster et Apostolicae Sedis commissarius et visitator generalis in Sinarum et aliis Indiarum Occidentalium regnis cum potestate etiam nostri et eiusdem Sedis de latere legati a nobis deputatus, ut varios abusus, quos in apostolicae au-

1 Const. edit. MDCCVII, die 1 ianuarii, pontif. VII, declaratum fuit nullum edictum archiepiscopi Goanensis contra iurisdictionem commissarii generalis; et const. sequenti declarantur nulla gesta ab episcopo Macaonensi aliisque adversus eumdem commissarium.

etoritatis contemptu in illarum partium missionibus irrepsisse cognoverat, emendaret, per suum edictum seu decretum in civitate Machaonensi editum districte prohibuerit, ne ullus missionarius, sive saecularis sive regularis, cuiuscumque Ordinis, absque ipsius Caroli Thomae cardinalis commissarii et visitatoris generalis licentiâ, missiones Sinicas ingredi, vel, eâ non obtenta, missionarii munus in illis obire, aut etiam, eâ minime quaesitâ sive non obtentâ, ab illis discedere auderet, sub poenâ suspensionis a divinis per contrafacientes eo ipso incurrendâ; simulque sub eâdem poenâ interdixerit ne ullus, sive saecularis sive regularis, absque eiusdem Caroli Thomae cardinalis commissarii et visitatoris generalis consensu, superioratus cuiuscumque officium in alios sui gremii vel Ordinis missionarios in Sinis assumere seu exercere praesumeret; et aliàs, prout uberius continetur in eodem edicto seu decreto tenoris sequentis, videlicet:

Decretum praedictum anno MDCCVIII cuius exordium petitur a necessitate servandi ordinem hierarchicum, quem missionarii perturbabant.

Carolus Thomas Maillard de Tournon, Dei et sanctae Apostolicae Sedis gratiâ patriarcha Antiochenus, sanctissimi domini nostri, domini Clementis divinâ providentiâ Papae XI praelatus domesticus, eiusque pontificio solio assistens, necnon sanctae Romanae universalis Inquisitionis contra haereticam pravitatem consultor, ac in Indiis Occidentalibus et Sinarum imperio finitimisque regnis et insulis commissarius et visitator apostolicus generalis, cum facultate legati de latere, etc., omnibus et singulis missionariis, tam saecularibus quam cuiuscumque Ordinis regularibus, et eorum superioribus in hac Sinensi missione, salutem in Domino, etc.

Quasi castrorum acies ordinata nobis exhibetur Ecclesia ab Eo, qui rerum omnium est ordo perfectus et immutabilis absque vicissitudinis obumbratione, ut, quemadmodum milites huius saeculi sub tribunis, praefectis et ducibus bella gerunt, ita et praepositis suis discant parere qui sub Iesu Christi vexillo militare profitentur. Et quidem, cum Christi membra simus, debemus, iuxta apostolicam traditionem, capiti ordine hierarchico adhaerere secundum operationem in mensuram cuiuscumque membri, atque in praelatis Christi vocem audire et imaginem venerari, docentibus nos sacris paginis obedire praepositis, etiam dyscolis, et Deo potius obedientiam offerre quam victimam. Quod si ordo ubique apprime convenit, hic est maxime necessarius, ubi sanctitatem christianae religionis in rectâ illius ministrorum disciplinâ decet praefulgere, ex quorum officio et exemplo sanctitatis gloria stare videtur, et bonus odor notitiae[1] Dei manifestatur. Quis enim honor Evangelii, si lapides sanctuarii in capite omnium platearum sint dispersi? Disperguntur namque cum sacerdotes et perfectionis[2] institutionis viros in Ecclesiae aedificationem compositos a solido divini aedificii fundamento per inobedientiam dissolutos, et petrae, a qua excisi sunt, immemores conspicimus, cum, abiectis regiminis iuribus, praepositos suos palam insiliunt, qui eorum deberent apparere ornamentum, et cum, insalutato pastore, dominici gregis curam inordinate usurpare praesumunt, non attendentes cui dictum sit a Domino *Pasce oves meas*, neque miseram reformidantes conditionem non intrantium ad ovile per ostium. Cum itaque scandala ista sub oculis nostris, et in positivum apostolicae, qua fungimur, auctoritatis contemptum in has missiones nuper irrepserint, et, quod dolendum magis est, per quosdam religiosos strictiori voti vinculo Sanctae Sedi obedientiae obstrictos, lugere cogimur cum Propheta aurum obscuratum et mutatum colorem optimum, qui sane, iuxta divum Gregorium commutatur, cum eorum, qui degere religiose credebantur, aestimatio ante acta minuitur. Ne autem omnino inanis sit luctus noster, pro viribus commissae nobis, licet immeritis, a sanctissimo domino nostro domino Clemente PP. XI et a Sanctâ Sede potestatis, abusibus huiusmodi obviam ire volentes, decernimus et statuimus, ut qui-

1 Edit. Main. legit *notitia* (R. T.).

2 Forsan *perfectioris* (R. T.).

cumque missionarius aut presbyter, sive saecularis sive regularis, cuiuscumque Ordinis, etiam Societatis Iesu, desiderio propagandae fidei ad has Sinenses oras appulsus vel appulsurus, missiones ingredi non requisitâ prius nostrâ licentiâ (quae in scriptis dabitur), vel, eâ non obtentâ, missionarii munus obire, vel, eâ etiam irrequisitâ aut non obtentâ, hinc recedere praesumpserit, sit ipso facto suspensus a divinis. Non obstantibus quibuscumque indultis et privilegiis apostolicis, etiam Societatis Iesu, quae ad hunc effectum, quatenus opus sit, ex speciali, quae nobis est data a Sanctâ Sede, facultate suspendimus et suspensa declaramus. Cum illis vero, qui inordinato hoc modo ingredi in missiones ausi sunt, benigne indulgentes, quadrimestre a publicatione praesentium concedimus ad moram purgandam; quo tempore elapso, nisi facti poenitentes veniam cum licentiâ a nobis humiliter impetraverint, sint etiam ipso facto a divinis suspensi. Et quoniam in his non videntur innoxii eorum superiores, qui regiminis habenas, nobis nequidem monitis, clam suscipientes, pernicioso exemplo, et interdum etiam consilio, subditos suos in foveam inobedientiae ducunt, contra quos Dominus per Prophetam queri videtur, dicens: *Oves meae, quae conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur;* conculcata siquidem pastorum pedibus oves pascuntur, cum subiecti ea, quae aspiciunt, opera pravitatis imitantur; iis igitur aliisque de causis, praecipimus, et in virtute sanctae obedientiae mandamus, ut nullus, sive saecularis sive regularis, etiam Societatis Iesu, nobis inconsultis, et non obtento prius nostro consensu, superioratus cuiuscumque officium in alios sui gremii vel Ordinis missionarios in Sinis assumere seu exercere praesumat. Quod si aliquis, visitatoris, vice-visitatoris, provincialis, vice-provincialis, commissarii aut vicarii provincialis titulo forsan nominandus, sive superior quicumque contrafaciet, praeter suspensionem a divinis ipso facto incurrendam, nobis et Sanctae Sedi reservatam, ex nunc pro tunc irritamus et annullamus quaecumque acta et praecepta ab eo facta et facienda, atque illa irrita et nulla declaramus, subditosque ab illius obedientiâ in utroque foro absolvimus et liberamus. Et ita ex commissâ nobis apostolicâ auctoritate etiam legati de latere decernimus, statuimus et ab omnibus servari mandamus. Æquum enim est, ut qui dominicae vineae operariis praeest, et vices gerit universalis in terris Patrisfamiliâs, illos agnoscat, et sub quibusvis praepositis evangelicae culturae dent operam, non ignoret. Datum Machai, ex palatio nostrae solitae habitationis, die III iulii, anno Domini MDCCVII, pontificatus autem sanctissimi domini nostri domini Clementis divinâ providentiâ PP. XI anno VIII. — C. THOMAS patriarcha Antiochenus et visitator apostolicus. — SABINUS MARIANUS auditor. *Loco † sigilli.* ANDREAS CANDELA sacrae visitationis apostolicae cancellarius.

Confirmatio relati decreti, et ipsius extensio ad successores commissarii generalis.

§ 2. Nos, edictum seu decretum huiusmodi rectae ac felici dictarum missionum directioni in praesentibus potissimum rerum circumstantiis summopere conducibile esse considerantes, ac proinde inviolabili illius firmitati, robori et efficaciae, debitaeque executioni, ex commissi nobis caelitus pastoralis officii debito, providere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium tam in universâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede praedictâ specialiter deputatorum, quam aliorum ex Congregatione Propagandae Fidei negotiis praepositâ super rebus Indiarum Orientalium specialiter itidem deputatorum, quos insimul coram nobis super rebus huiusmodi congregatos pluries audivimus, consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, edictum seu decretum praeinsertum, cum omnibus et singulis in eo contentis et expressis, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis et

irrefragabilis apostolicae firmitatis vim, robur et praesidium adiungimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Praeterea, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, omnia et singula, quae in edicto seu decreto praedicto, super licentiâ dicti Caroli Thomae cardinalis commissarii et visitatoris generalis ab iis, qui missiones Sinicas supradictas ingredi, sive in eis missionarii munus exercere volunt, requirendâ et obtinendâ, sicut praemittitur, statuta et sancita fuerunt, earumdem tenore praesentium ita extendimus ac respective declaramus, ut non modo quoad ipsum Carolum Thomam cardinalem commissarium et visitatorem generalem quousque in illis partibus permanserit, sed etiam quoad alios, qui ei munere commissarii et visitatoris generalis huiusmodi pro tempore succedent, locum et effectum, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, habere debeant; dicta vero licentia, sive a praedicto Carolo Thoma cardinali aliove commissario et visitatore generali earumdem partium, sive a personis per eos opportune subdelegandis, ut praefertur, danda, non aliàs concedenda sit, nisi praestito prius per eos, quibus concedetur, iuramentum de exacte observando decreto super ritibus seu caeremoniis sinicis die xxv septembris anni proxime elapsi a nobis promulgato; quovis contrafaciendi, etiam praetensae et a nobis improbatae conditionalitatis decreti huiusmodi, aliove quaesito colore seu praetextu, penitus reiecto atque sublato.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, etiam cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, seu aliâ speciali et individuâ mentione et expressione digni, in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ qualibet quantumvis iustâ, iuridicâ, legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et formali ac substantiali et incogitato inexcogitabilique defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S.R.E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam,

quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, quarumvis ecclesiarum, ordinum, congregationum, societatum, etiam Iesu, institutorum, provinciarum, conventuum, collegiorum, monasteriorum, et locorum piorum quorumcumque, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ecclesiis, ordinibus, congregationibus, societatibus, etiam Iesu, institutis, provinciis, conventibus, collegiis, monasteriis et locis piis, quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, seu ad quarumcumque personarum, etiam regum et principum, seu aliàs quacumque mundanâ vel ecclesiasticâ potestate fulgentium, instantiam, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, et quantiscumque vicibus confirmatis, innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV martii MDCCXI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 15 martii 1711, pontif. anno XI.

CLIII.

Declarantur nulla gesta ab episcopo Macaonensi, eius vicario, aliisque, adversus commissarium et visitatorem generalem apostolicum, cum eorumdem damnatione et censurarum inflictarum confirmatione [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Iniquae gesta ab episcopo Macaonensi eiusque vicario contra commissarium et visitatorem apostolicum enarrantur.

§ 1. Ad apostolatus nostri notitiam non sine gravissimâ animi nostri molestiâ pervenit, quod venerabilis frater Ioannes de Cazal episcopus Macaonensis, tametsi aliàs, nempe statim ac ad illius manus devenerant quaedam nostrae in simili formâ Brevis litterae, quibus ei significaveramus, nos in illas partes allegasse dilectum filium nostrum Carolum Thomam S. R. E. cardinalem de Tournon, tunc patriarcham Antiochenum, eique munus nostri et Apostolicae Sedis commissarii ac visitatoris genera-

1 Const. praecedenti confirmatum fuit decretum commissarii generalis de missionibus et praefecturis; et const. edit. MDCCXX, die 5 ianuarii, pontif. XX, declaratur nulla sententia ab officiali archiepiscopi Ebredunensis lata super censuris a vicario capitulari Niciensi promulgatis.

lis in Sinarum et aliis Indiarum Orientalium regnis, cum potestate etiam nostri et eiusdem Sedis de latere legati, demandasse, ipse Ioannes episcopus debitâ reverentiâ atque obedientiâ, ut par erat, eiusdem Caroli Thomae cardinalis, tunc patriarchae, ac commissarii et visitatoris generalis, iurisdictionem absque ullâ morâ agnovisset, quinimo id[1] ipsum per suum edictum publice affixum ac promulgatum toto litterarum nostrarum praedictarum tenore inserto palam declarasset, nihilominus postea tam acriter atque impudenter ipsius Caroli Thomae cardinalis tunc patriarchae ac commissarii et visitatoris generalis auctoritatem, potestatem ac dignitatem, adeoque etiam nostra et dictae Sedis iura impetere ausus fuit, ut non modo per aliud suum edictum (vigore quarumdam assertarum litterarum sibi hac in re a venerabili fratre Augustino ab Annunciatione archiepiscopo Goano scriptarum, illique forsan eiusdem Augustini archiepiscopi edicto consimilium quod dudum per alias nostras in simili formâ Brevis die IV ianuarii MDCCVII expeditas litteras nullum irritum atque invalidum declaravimus) publicatum, dicto Carolo Thomae cardinali, tunc patriarchae ac commissario et visitatori generali, cuiusvis iurisdictionis exercitium in suâ dioecesi Macaonensi interdixerit, omnemque ei a suis subditis obedientiae actum exhiberi prohibuerit, verum etiam eius nomine a quodam Laurentio Lomez, asserto illius vicario generali, adversus dilectum filium Constantinum a Spiritu Sancto priorem, aliosque tunc existentes fratres conventus N. Dominae de Gratiâ nuncupati Macaonensis Ordinis eremitarum sancti Augustini, eo quia ipsum Carolum Thomam cardinalem, tunc patriarcham ac commissarium et visitatorem generalem, honorifice excepissent, ad interdicti aliasque poenas et censuras ecclesiasticas, non minus nulliter quam iniuste deventum fuerit. Ad haec idem Ioannes episcopus eò temeritatis processit, ut, minime attendens ad petram unde excisus fuerat, quascumque censuras, a praedicto Carolo Thoma cardinali, tunc patriarcha ac commissario et visitatore generali, inflictas, pro irritis et nullis habendas esse publice declaraverit, imo etiam contra ipsum Carolum Thomam cardinalem, tunc patriarcham ac commissarium et visitatorem generalem, inverso sane poenarum per canonicas sanctiones irrogatarum usu, maioris excommunicationis sententiam promulgare non erubuerit, ita plane apostolicae iurisdictionis hostis et eversor factus, quo illius custos et vindex praecipuus esse debuisset. Praeterea adeo se immemorem ostendit venerabilis dignitatis seu characteris ac inviolabilis religionis illius iurisiurandi, quo se Deo, nobis et Ecclesiae in suscipiendo consecrationis munere se obstrinxerat, ut ministris ac officialibus laicis earumdem partium, duriora quaeque adversus dignitatem, imo etiam personam praedicti Caroli Thomae cardinalis tunc patriarchae ac commissarii et visitatoris generalis molientibus, se sociaverit, ac pene dux eorum, qui christum Domini sacrilego ac detestabili ausu multifariam vexarunt, et forte etiam adhuc vexant, fieri non formidaverit, aliaque plura adversus eiusdem Caroli Thomae cardinalis, tunc patriarchae ac commissarii et visitatoris generalis, imo potius adversus nostram et Sedis praedictae auctoritatem ac iurisdictionem attentare praesumpserit. Innotuit pariter nobis, quod, praemissis attentis, dictus Carolus Thomas cardinalis, tunc patriarcha ac commissarius et visitator gene-

Commissarius et visitator apostolicus irritat praedicta, et censuras infligit.

1 Male edit. Main. legit *ad* pro *id* (R. T.).

ralis, tametsi tunc temporis in praedictâ civitate Macaonensi non quidem a paganis sed ab officialibus ac ministris christianis, nullâ sacri characteris, nullâ praestantissimae suae dignitatis, nullâ ecclesiasticarum sanctionum, nullâ denique iuris gentium, quod apud barbaras quoque nationes sacrosanctum ac inviolabile est, habitâ ratione, multorum militum diurnâ nocturnâque custodiâ ut captivus detineretur, aliisque acerbissimis ac plane incredibilibus iniuriis et contumeliis, ipsis exhorrescentibus ethnicis, afflictus reperiretur, nihilominus, inter affectae valetudinis ac tot aliarum tribulationum, quas perferebat, incommoda, crescens quotidie magis in charitate Christi, invictoque animo illius causam agens, postquam praecipuos eiusmodi sacrilegorum excessuum adversus eius personam ac dignitatem commissorum auctores, ac verae iniquitatis filios, canonicae severitatis mucrone percusserat, illosque, affixis publice contra eos schedulis, maioris excommunicationis poenam incurrisse pronunciaverat, inter alia, atque ut sua, quinimo nostra, et eiusdem Sedis iura fortiter tueretur, imperterrito animo devenit[1], omnia et singula per curiam episcopalem Macaonensem contra ipsum eiusque iurisdictionem gesta, ut praefertur, utpote impedientia exercitium muneris sibi a nobis commissi, necnon ecclesiasticae libertatis et apostolicae auctoritatis summopere laesiva, circumscripsit, annullavit, revocavit, ac uti nulliter, attentate, temere et audaciter facta declaravit; sententiam insuper asserti interdicti in fratres et ecclesiam praedicti conventus Ordinis eremitarum sancti Augustini sicut praemittitur latam, necnon quascumque citationes, mandata, edicta, ac scripturas, iurisdictionem apostolicam quomodolibet laedentes, aut illi quoquo modo contrarias, revocari, aboleri, deleri, ac pro nulliter factis, nulliusque roboris ac momenti haberi et habendas esse mandavit; ipsum vero Ioannem episcopum propter praemissa censuras omnes sacris canonibus et apostolicis constitutionibus ac praesertim litteris die Coenae Domini singulis annis legi et promulgari solitis contra similia perpetrantes inflictas damnabiliter incurrisse, illumque pro excommunicato et a fidelium consortio segregato et vitando haberi et habendum esse, similiter declaravit. Post haec, cum accepisset in eâdem civitate Macaonensi non semel adversus pontificiae potestatis iura et ecclesiasticam libertatem convenisse in unum, atque in tenebrarum consilia, non modo ministros et officiales laicos sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, et habentes fiduciam in umbrâ Ægypti, sed etiam eos, qui ceteris lucis exempla praebere, atque, utpote de altari viventes, vel religioso strictioris vitae et obedientiae instituto addicti, apostolicam auctoritatem praecipue excolere debuissent, turpiter conspirasse, omnia et singula in eiusmodi conventibus seu potius conciliabulis decreta et statuta, quae Sedis Apostolicae praedictae et ecclesiasticae immunitatis iura quovis modo laedere poterant, uti nulla, irrita et invalida, nulliusque roboris et momenti pariter habenda esse decrevit, omnesque et singulos cuiusvis status et conditionis, sive laicos sive ecclesiasticos, tam saeculares quam regulares, cuiuscumque ordinis vel instituti, qui conventibus seu conciliabulis huiusmodi interfuerant, ibique aut suadendo, aut consulendo, aut subscribendo, aut mandando, aut aliàs quomodolibet, directe vel indirecte, decretis et statutis praedictis consenserant, censuras et poenas

1 An recta sit lectio iudicet lector scius (B.T.).

ecclesiasticas contra haec perpetrantes in apostolicis constitutionibus ac potissimum litteris die Coenae Domini legi solitis supradictis contentas incurrisse, illosque propterea pro excommunicatis et a fidelium gremio segregatis et vitandis haberi et habendos esse, denunciavit. Novissime demum e remotissimis illis regionibus nobis significatum fuit, illatas eidem Carolo Thomae cardinali, commissario et vicario generali, eiusque dignitati multiplices ac pene inauditas vexationes, etiam postquam illuc innotuerat, eum, eximiis suis ita exigentibus meritis, ad sublimem cardinalatus honorem a nobis evectum fuisse, minime cessasse; prae ceteris vero supradictum Laurentium Gomez assertum vicarium generalem Macaonensem in alium prorupisse gravissimum excessum.

Multiplices adhuc vexationes illatae commissario,

Cum enim dictus Carolus Thomas cardinalis, ob iustas et rationabiles causas ab eo expressas, dilectos filios presbyteros regulares Societatis Iesu in dictâ civitate Macaonensi existentes, illorumque ecclesiam, collegium ac seminarium ecclesiastico interdicto supposuisset, idem Laurentius non modo interdictum huiusmodi irritum ac nullum temere declaravit, verum etiam, suo ad id promulgato monitorio seu edicto, omnibus et singulis episcopatus Macaonensis subditis, cuiuscumque tandem gradus, conditionis et praeeminentiae existerent, ne cum dilecto filio Petro de Amaral, fratre expresse professo Ordinis Praedicatorum, qui, pro debitâ eidem Carolo Thomae cardinali semper et constanter praestitâ obedientiâ, aerumnas plurimas magno fortique animo sustinuit, aliisque fratribus conventus Machaonensis dicti Ordinis, imo nec cum aliis quibuscumque, sive laicis sive ecclesiasticis, tam saecularibus quam regularibus, cuiuscumque Ordinis seu instituti, dicto Carolo Thomae cardinali obedientiam exhibentibus, consortium ullum seu commercium haberent, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes eo ipso incurrendâ, districte prohibuit et interdixit. Quibus permotus, aliisque pluribus supradicti Laurentii reatibus attentis, idem Carolus Thomas cardinalis ipsum Laurentium excommunicatum publice declaravit, et tamquam putridum membrum a christifidelium consortio abscissum pronunciavit; subinde vero praedictum Ioannem episcopum, non modo eiusdem Laurentii sui asserti vicarii generalis gesta temere ac perperam repugnantem [1], sed etiam secundum duritiem suam et impoenitens cor thesaurizantem sibi iram in die irae, ac peccatum super peccatum adiicere non dubitantem, mense septembris anni MDCCIX, dilecto filio promotori fiscali suae apostolicae visitationis instante, ad comparendum infra annum in almâ Urbe nostrâ coram nobis, ac se defendendum et purgandum de excessibus in praeiudicium Ecclesiae atque Apostolicae Sedis praedictae, et contra proprium iuramentum episcopale commissis, necnon ad dicendum causam, quare contra ipsum ad depositionis aliasque graviores poenas arbitrio nostro irrogandas [2] procedi non deberet, citari ac moneri iussit et mandavit.

Qui ob iustas causas interdicto supposuerat presbyteros Societatis Iesu illorumque ecclesiam

Novae censurarum declarationes a commissario apostolico promulgatae.

§ 2. Cum autem ea omnia, quae adversus praedictum Carolum Thomam cardinalem, sicut praemittitur, decreta, gesta atque attentata fuerunt, quaeque profecto nonnisi summo omnium christifidelium horrore ac moerore audiri possunt, intolerabilem prorsus ecclesiasticae immunitatis Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutae debitaeque huic

Enormitas omnium attentatorum praedictorum ex parte curiae Macaonensis.

1 Videtur legendum *gestis ... non repugnantem;* aut *gesta ... non reprobantem;* aut *gesta ... approbantem* (R. T.).

2 Perperam ed. Main. legit *irrigandas* (R.T.).

S. Sedi obedientiae violationem imo potius eversionem importent, adeoque Romanum Pontificem in supremâ dictae Sedis speculâ cum potestatis plenitudine ab Altissimo collocatum, ad quem in primis pertinent damna et offensae quae Christo Domino inferuntur, in tantâ et tam gravi divini nominis atque humani iuris perturbatione otiosum ac desidem[1] esse minime patiantur: hinc est quod nos, qui, ex commissi nobis caelitus pastoralis officii debito, quorumcumque eidem Apostolicae Sedi sanctaeque Dei Ecclesiae competentium iurium, necnon quarumvis ecclesiasticarum personarum, praesertim non minus insignium meritorum, quam sublimis in eâdem Ecclesiâ gradûs splendore fulgentium, libertatis ac dignitatis assertores in terris ac vindices a Domino constituti sumus, tametsi dictus Carolus Thomas cardinalis, quantum sibi inter illas in quibus versabatur et forsan adhuc etiam versatur angustias permissum fuit, ea omnia, quae ad ipsius munus pertinebant, quaeque proinde firma semper et salva esse volumus, strenue ac fideliter, ut praefertur, implere non praetermiserit, nihilominus pontificii etiam iudicii nostri accessione ecclesiasticae iurisdictionis indemnitati uberius consulere, nostraque et dictae Sedis iura sarta tecta atque illibata, quantum nobis ex alto conceditur, enixius tueri et conservare cupientes, necnon omnium et singulorum in praemissis, seu eorum occasione, tam ab eisdem Ioanne episcopo ac Laurentio Gomez eius asserto vicario generali, quam a praedictis officialibus et ministris, aliisve quibuscumque personis, sive ecclesiasticis sive laicis, quomodolibet actorum et gestorum seriem, causas et circumstantias, etiam aggravantes, necnon officialium, ministrorum, aliorumque praedictorum qualitates, dignitates, nomina et cognomina, aliave quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac exactissime et accuratissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedicta omnia et singula decreta, monitoria, ordinationes, litteras, censuras, declarationes, resolutiones, interdicta, mandata et edicta, ac alia quaelibet, tam a Ioanne episcopo et Laurentio Gomez eius asserto vicario generali, quam ab officialibus et ministris supradictis, aliisque quibusvis personis, tam saecularibus, sive ecclesiasticis sive laicis, cuiuscumque tandem status, gradus, conditionis et dignitatis fuerint, quam cuiusvis ordinis, congregationis, instituti et societatis, etiam Iesu, regularibus, in praemissis, sive eorum occasione, adversus personam seu dignitatem supradicti Caroli Thomae cardinalis commissarii et visitatoris generalis, seu aliàs in praeiudicium libertatis, immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae atque auctoritatis apostolicae respective quovis modo edita, promulgata, scripta, lata, acta, facta, gesta et perpetrata, cum omnibus et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita, invalida, iniqua, iniusta, damnata, reprobata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque roboris vel momenti et efficaciae esse, et ab initio fuisse, et perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec a quopiam observari posse vel potuisse, neque illa ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac

Declaratio nullitatis ut in rubrica, cum damnatione et censurarum confirmatione, severiorumque poenarum comminatione.

1 Male edit. Main. pro *desidem* legit *deinde* (R. T.).

si nunquam emanassent nec facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi volumus et mandamus. Firmas praeterea ac salvas esse similiter volumus atque decernimus quascumque censuras et poenas ecclesiasticas, sive a iure, sive a praedicto Carolo Thoma cardinali latas et promulgatas, quas praedicti et alii quilibet, qui praemissa perpetrarunt, necnon adhaerentes, fautores et defensores eorum, sive qui illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestiterunt, propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt; a quibus, post condignam Ecclesiae praestitam satisfactionem, nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, vel etiam ab ipso Carolo Thoma et cardinali, aliove commissario et visitatore generali dictarum partium similiter pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari valeant. Facultate insuper non solum nobis et eidem Sanctae Sedi, sed etiam ipsi Carolo Thomae cardinali, seu pro tempore existenti commissario et visitatori generali praedicto, expresse reservatâ (quatenus illi minime redierint ad cor, sed, in suâ contumaciâ persistentes, censuras et poenas ecclesiasticas huiusmodi, animo, quod absit, sustinuerint indurato) ad alia canonica et severiora remedia quandocumque procedendi.

§ 3. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quicumque in praemissis, seu eorum aliquo, ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet, etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet, etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quos- Clausulae.

cumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos et eiusdem Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiae Macaonensis et quorumcumque ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis ecclesiae Macaonensi, ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, etiam Iesu, praedictis, illorumque respective praesulibus, superioribus et personis, aliisve quibuslibet, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam imperiali, regali, aliâve qualibet mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate fulgentium, instantiam, aut earum contemplationem, seu aliâs quomodolibet, in genere vel in specie, etiam consistorialiter, in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur ac insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV martii MDCCXI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 15 martii 1711, pontif. anno XI.

CLIV.

Confirmatur decretum Congregationis particularis, quo interdicitur omni-

bus confessariis in Urbe absolutio a quibusdam censuris et casibus[1].

Deputatio dictae Congregationis ab hoc Pontifice facta.

Quoniam sanctissimus dominus noster Clemens XI, pro pastorali in commissum sibi gregem zelo et pro ecclesiasticae disciplinae rectâ ratione conservandâ, deputavit Congregationem particularem eminentissimorum dominorum S. R. E. cardinalium S. Clementis Paulutii, maioris poenitentiarii, et Fabroni, necnon reverendissimi patris Corradini Sanctitatis Suae auditoris, mei infrascripti sacrae Congregationis Concilii et huius deputatae secretarii, ac reverendissimi patris Damasceni consultoris sancti Officii et Altari consultoris theologi sacrae Poenitentiariae: eadem Congregatio, considerata reformatione facultatum officii sacrae Poenitentiariae a felicis recordationis Innocentio XII in eius constitutione editâ III septembris MDCXCII, censuit, si Sanctissimo placuerit, praecipiendum esse omnibus et quibuscumque presbyteris tam saecularibus quam regularibus in Urbe ad confessiones audiendas deputatis, ne in posterum, etiam in foro conscientiae, absolvant, extra mortis periculum, quoscumque poenitentes, tam incolas Urbis, quam ad eam confluentes, ab infrascriptis casibus, nempe a casu publico violatae clausurae monialium ad malum seu inhonestum finem, a presbytericidio publico, et a casu publico violatae immunitatis ecclesiasticae, in terminis constitutionis Gregorii XIV incipientis[2] *Cum aliàs nonnulli*, et etiam a casu occulto dictae violationis immunitatis si fuerit secuta auctoritate publicâ, idque omnino servari ab omnibus et quibuscumque confessariis in Urbe degentibus cuiuscumque religionis, instituti, etiam Societatis Iesu, ac congregationis, quacumque speciali notâ explicandis, prout explicati latius fuere in decreto sacrae Congregationis episcoporum et regularium die IX mensis ianuarii MDCII sub felicis recordationis Clemente VIII, ac illius confirmatoriis et innovatoriis sub felicis recordationis Paulo V die VII ianuarii MDCXVII, et Urbano VIII die XVII novembris MDCXXVIII editis; ac sub praesenti prohibitione comprehendi etiam poenitentiarios basilicarum Urbis, et ab omnibus confessariis praedictis eam observari, sub iisdem poenis et censuris eo ipso et absque aliâ declaratione incurrendis quae continentur in praefatis decretis. Noverintque poenitentes absolutionem, si quam in posterum obtinuerint a praefatis casibus in praesenti decreto expressis, esse nullam, nulliusque roboris et momenti, eaque omnia observari. Non obstantibus quibuscumque privilegiis absolvendi a praedictis casibus, sub quibuscumque tenoribus, tam ante, quam post dicta decreta, tam particularibus personis, quam ratione religionis, societatis vel instituti obtentis, et iuxta latam derogationis formam in iisdem decretis contentam, quae in praesenti repetita censeatur; et non obstantibus omnibus, quae idem Clemens VIII, Paulus V et Urbanus VIII voluerunt non obstare; rursus declarando, prout declaratum fuit in praefatis decretis, quod circa alios casus sanctae Sedi Apostolicae reservatos non expressos in praesenti decreto (exceptis illis quae continentur in Bullâ die Coenae Domini legi consuetâ) ita intelligatur praeser-

1 Reformata fuit facultas S. Poenitentiariae ab Innocentio XII const. ed. MDCXCII, die 3 septembris; et de praesenti re vide Pauli V const. ed. MDCXVII, die 17 ianuarii, ac Urbani VIII const. ed. MDCXXVIII, die 17 novembris; in Innocentii XII const. ed. MDCC, die 19 aprilis, pontif. IX, declaratur facultas confessarii in Bullâ Cruciatae.

2 Edit. Main. legit *incipientes* (R. T.).

vata facultas absolvendi confessariis privilegiatis in Urbe degentibus, quatenus tamen eam habeant ex legitimis privilegiis non revocatis et in usu existentibus, ac iuxta eorum tenorem tantum exequendis. Aliis vero in Urbe confessariis privilegia non habentibus nihil de novo, sicuti per praefata decreta, ita per praesentes, censeatur concessum.

Factâ per me infrascriptum hac die XIII mensis maii MDCCXI relatione praedictae resolutionis sanctissimo domino nostro, Sanctitas Sua eam, omniaque et singula in eâ contenta, cum omnibus clausulis derogatoriis benigne probavit, ac inviolabiliter in posterum servari praecepit ab omnibus ut supra expressis, praesensque decretum in formâ solitâ publicari iussit atque mandavit.

VINCENTIUS PETRA sacrae Congregationis Concilii et dictae deputatae secretarius.

Dat. die 13 maii 1711, pontif. anno XI.

CLV.

Conceduntur religioni Bethlehemitarum privilegia Ordinum Mendicantium et Congregationis Ministrantium Infirmis[1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Iniuncti nobis caelitus pastoralis officii ratio postulat, ut, paternam sacrarum religionum et congregationum christianae charitatis et hospitalitatis operibus ex professo laudabiliter incumbentium curam gerentes, pium illarum exercitium et institutum, quo, labores expeditius suscipiendo, illud alacrius continuent et ferventius exequantur, liberalibus gratiarum et privilegiorum muneribus confoveamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Michaël de Iesu Maria, Congregationis fratrum Bethlehemitarum nuncupatorum in hospitalibus pauperum convalescentium in Indiis Occidentalibus se exercentium iam in Romanâ Curiâ procurator, nobis nuper exponi fecit, fratres dictae Congregationis, nuper a nobis per quasdam nostras desuper in simili formâ Brevis die III aprilis anni proxime praeteriti expeditas litteras in veram religionem erectae, tria substantialia vota in illâ ad instar ceterorum Ordinum et institutorum a Sede Apostolicâ confirmatorum de praesenti emittant, aliaque multiplicia atque insignia pietatis et christianae charitatis opera erga pauperes et convalescentes in eorum hospitalibus degentes, non sine spirituali animarum beneficio, exercuerint, et in dies exercere non desinant; ut autem illa semper impensius et indefessi obeant et continuent, ipse Michaël plurimum cupiat, gratias et privilegia Ordinum Mendicantium et Congregationis clericorum regularium Ministrantium Infirmis, quae aliâs recolendae memoriae Urbanus PP. VIII, praedecessor pariter noster, Ordini, tunc Congregationi, nuncupatorum fratrum S. Ioannis Dei communicavit et concessit, nosque subinde, nempe die XXV iunii MDCCI, per quasdam nostras in simili itidem formâ Brevis desuper expeditas litteras, ad Congregationem Charitatis sub titulo sancti Hippolyti martyris in Indiis sub certis modo et formâ tunc expressis extendimus, praedictae Congregationi fratrum Bethlehemitarum, illiusque fratribus et locis, a nobis pariter communicari et concedi: Preces et motiva.

§ 2. Nos, eamdem Congregationem fratrum Bethlehemitarum et pia illius in- Concessio privilegiorum, ut in rubrica.

[1] Vide infra allegata § 1. In constit. edit. MDCCXIV, die 22 decembris, pontif. XV, agitur de huius religionis gubernio.

stituta confovere et promovere, ac proinde dictum Michaëlem et dilectos filios fratres Congregationis huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus eiusdem Michaëlis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, omnia et singula privilegia, praerogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes, conservatorias, immunitates et exemptiones, libertates, ceterasque gratias, praeeminentias, et indulta cuiusque generis existentia, spiritualia et temporalia, qualiacumque illa sint (dummodo tamen sint in usu, et non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis, et apostolicis constitutionibus et ordinationibus, vel memoratis regularibus dictae Congregationis Bethlehemitarum institutis non adversentur), praedictis Ordinibus Mendicantium, et Congregationi clericorum regularium Ministrantium Infirmis, eorumque conventibus, domibus et aliis locis regularibus, ac Ordinum et Congregationis huiusmodi generalibus, praesidentibus, et quibusvis aliis superioribus, praelatis et capitulis, etiam generalibus, provincialibus, seu intermediis, eorumque definitoribus, prioribus, novitiis, fratribus, conversis, donatis, et quibusvis eorum regularibus personis, tam in Urbe quam etiam in quibuscumque mundi partibus existentibus, et illorum intuitu, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, aut alios auctoritatem habentes, concessa sunt et conceduntur[1], ac quibus de iure, usu, vel consuetudine, privilegio, seu concessione apostolicâ, in genere vel in specie, ac tam coniunctim quam divisim, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt in futurum, ad praefatam Congregationem Bethlehemitarum et singula illius hospitalia, domos et alia loca regularia, illorumque superiores, praelatos et quascumque regulares personas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo extendimus, illaque eis communicamus et denuo concedimus, ac suffragari volumus. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio executorum.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumque, necnon dilecto filio causarum curiae Camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et

1 Potius lege *concedentur* (R. T.).

mandamus, quatenus quilibet eorum, per se, vel per alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte generalis et fratrum dictae Congregationis Bethlehemitarum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem plenum earum effectum sortiri et obtinere, illosque omnes, quos concernunt, pacifice frui et gaudere; non permittentes quemquam desuper contra illarum tenorem sub quovis praetextu et causâ etiam defectu intentionis nostrae per quoscumque quomodolibet indebite molestari; quinimo, quidquid in contrarium attentari vel fieri continget, omnino semper in pristinum reponi; contradictores quoslibet et rebelles, etiam per quascumque de quibus eis videbitur censuras et poenas ecclesiasticas et alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione posposità, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii PP. VIII, etiam praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dictis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinum et Congregationis clericorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo et formâ, derogari valeat, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii MDCCXI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 24 iulii 1711, pontif. anno XI.

CLVI.

Declarantur nulla decreta aliaque gesta a magno consilio Varsaviae super solutione onerum ab ecclesiasticis faciendâ, eorumque subiectione saeculari iudicio [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Decreta gestaque praedicta enarrantur.

§ 1. Ad apostolatus nostri notitiam non sine gravi animi nostri molestiâ pervenit, quod, praeter multa gravamina et praeiudicia a laicali potestate personis ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus regni Poloniae pluribus ab hinc annis illata, in magno consilio dicti regni nuper, nempe anno proxime praeterito, in oppido Varsaviae Posnaniensis dioecesis habito, edita fuerunt nonnulla decreta ac ordinationes seu constitutiones, quibus non modo bona ecclesiastica solutioni plurium onerum et gabellarum, pro exercitu tam aestivo quam hiberno tempore alendo, ac stipendiis militarium copiarum, quas in praesentibus eiusdem regni motibus et perturbationibus retineri oportet, solvendis impositorum, obnoxia redduntur, cum expressâ declaratione quod nulla cuiquam hac in re exemptio suffragetur, itaut ecclesiarum, locorum piorum et quarumcumque personarum ecclesiastirum tam saecularium quam regularium aeque et non secus ac laicorum bona onerum et gabellarum solutioni huiusmodi subiaceant, verum etiam personae ipsae ecclesiasticae, quas machinationis seu aliorum delictorum contra leges et auctoritatem reipublicae commissorum reas esse constiterit, generalis confoederationis Sandominiae iudicio, necnon laicali cuiuscumque provinciae foro (factâ duntaxat quoad personales seu corporales poenas exceptione) subiiciuntur, et aliàs, prout in decretis et ordinationibus seu constitutionibus supradictis plenius dicitur contineri; successive vero, in executionem dictorum decretorum et ordinationum, taxa praefatorum onerum, impositionum et gabellarum laicali auctoritate praescripta fuit, illorumque exactio fieri coepit, absque ullo praevio apostolico beneplacito, quod de iure requirebatur, et pro quo aliàs obtinendo in gravioribus et maioribus belli contra Turcas necessitatibus, imo etiam in casibus alicuius spontanei subsidii ab ecclesiasticis in supplementum virium seu facultatum laicorum oblati, humiles preces pro parte ipsorummet Poloniae regum ab illius exactione interim, donec beneplacitum huiusmodi obtentum fuisset, prout iuris erat, abstinentium, huic Sanctae Sedi porrectae fuerant.

Declaratio nullitatis praedictorum cum eorumdem damnatione et revocatione.

§ 2. Cum autem decreta et ordinationes seu constitutiones huiusmodi, aliaque praemissa, sacris canonibus et constitutionibus apostolicis, necnon conciliorum generalium decretis (quae laicali potestate, ne ullum onus, gravamen seu pedagium, aut quodcumque subsidium, etiam oblatum et concordatum a personis ecclesiasticis absque dicto beneplacito apostolico exigere, ipsasque personas ecclesiasticas ad laicorum tribunalium iudicium trahere, illisque eas subiicere audeant seu praesumant sub gravissimis poenis prohibent) manifeste adversentur, adeoque per ea libertas, iurisdictio et immunitas ecclesiastica summopere laesa remanserit: hinc est quod nos, qui iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti

1 Const. ed. MDCCIX, die 5 octobris, pontif. IX, declarata fuere nulla edicta a potestate saeculari in regno Neapolis super sequestro fructuum ecclesiasticorum absentium; et in Benedicti XIII, const. ed. MDCCXXVIII, die 25 septembris, pont. V, declaratur nulla lex per ordines regni Poloniae lata.

sumus, omniumque ecclesiarum et christifidelium curam et sollicitudinem divinâ dispositione gerimus, tam gravibus et scandalosis saecularis potestatis abusibus ac animarum periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, necnon omnium et singulorum in praemissis, seu circa praemissa, tam a dicto magno consilio Varsaviae, quam ab aliis quibuscumque quomodolibet actorum et gestorum seriem, causas et occasiones, aliaque quaelibet, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac exactissime et accuratissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, supradicta decreta, ordinationes et constitutiones in consilio Varsaviae edita, necnon taxam onerum impositorum et gabellarum ab ecclesiasticis etiam solvendorum praescriptam[1], illorumque exactionem deinde subsecutam, ut praefertur, aliaque omnia et singula a dicto consilio aliisque quibusvis personis, etiam specificâ et individuâ mentione dignis, in praemissis, seu eorum occasione, in praeiudicium libertatis, immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae, per abusum saecularis potestatis quandocumque et qualitercumque acta, gesta mandata, decreta et ordinata forsan, et forsan in futurum (quod Deus avertat) agenda, facienda, gerenda, mandanda, decernenda et ordinanda, cum omnibus et singulis inde quovis modo secutis et quomodocumque secuturis, penitus et omnino nulla, invalida, inania, irrita, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, et de facto praesumpta, nulliusque roboris et momenti et efficaciae esse et ab initio fuisse ac perpetuo fore, tenore praesentium decernimus et declaramus, illasque[1] damnamus et reprobamus. Ac nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, quatenus de facto processerunt, revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu (ita ut nullum unquam praeiudicium etiam minimum libertati, iurisdictioni et immunitati ecclesiasticae inferre vel intulisse dici, censeri, praetendi vel intelligi quoquo modo possint) penitus et omnino vacuamus in omnibus et per omnia perinde ac si nunquam facta fuissent nec evenissent, neque unquam fierent nec evenirent.

1 Edit. Main. legit *praescripta* (R. T.).

1 Aptius lege *illaque* (R. T.).

Praecipitur omnibus, sub certis poenis et censuris, ne memorata executioni mandent, vel mandari permittant sub quocumque praetextu.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus dicti regni archiepiscopis et episcopis, sub poenâ suspensionis ab exercitio pontificalium et interdicti ab ingressu ecclesiae, praecipimus et mandamus, ne decreta, ordinationes et constitutiones huiusmodi executioni mandari, necnon dictam taxam laicali auctoritate absque nostro et dictae Sedis consensu et beneplacito factam exigi, multoque minus ullam personam ecclesiasticam sive saecularem sive regularem ad forum laicale trahi, et ab eo vel a quocumque alio quam ecclesiastico tribunali iudicari et puniri permittant; omnibus vero et singulis aliis eiusdem regni personis ecclesiasticis, tam saecularibus quam regularibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub suspensionis et excommunicationis maioris, et privationis dignitatum, officiorum, munerum et beneficiorum ecclesiasticorum per eos obtentorum, perpetuaeque inhabilitatis ad illa et alia similia vel dissimilia quaecumque in posterum quomodolibet obtinenda, ipso facto absque aliâ declaratione incurrendis poenis, districte prohibemus et interdicimus, ne, praedi-

ctorum decretorum, ordinationum, constitutionum et taxae vigore, quidquam etiam minimum, quovis modo, etiam subsidii vel subventionis titulo, aut vexationum et molestiarum sibi illatarum vel inferendarum redemptionis praetextu, solvere aut solvi facere, vel ad solutionem alicuius ex praedictis oneribus, impositionibus et gabellis, nisi illa prius nostrâ et dictae Sedis auctoritate approbata et confirmata fuerint, concurrere, multoque minus dictae generalis confoederationis Sandominae aut cuiusvis alterius laicalis tribunalis dicti regni foro sese subiicere audeant quovis modo seu praesumant.

Censurae, in quas incideruntviolatores iuris Ecclesiae, Romano Pontifici reservantur.

§ 4. Ceterum (cum notorii et exploorati iuris sit, eos omnes, qui supradicta decreta, ordinationes et constitutiones ediderunt et promulgaverunt, ac dictam taxam formaverunt, praedictaque onera, impositiones et gabellas exigi fecerunt vel procuraverunt, ac dictas personas ecclesiasticas ad forum laicale traxerunt vel trahere tentaverunt, haecque vel eorum aliqua executioni mandaverunt, vel ut mandarentur ordinaverunt, necnon illorum fautores, adhaerentes, consultores et defensores, atque illa vel in eorum sequelam et executionem gesta approbantes, quocumque tandem gradu seu dignitate quantumcumque sublimi praefulgeant, censuras omnes et poenas ecclesiasticas, a sacris canonibus, generalium conciliorum decretis, et apostolicis constitutionibus, ac praesertim litteris die Coenae Domini singulis annis legi et promulgari solitis inflictas, damnabiliter eo ipso incurrisse) notum similiter omnibus esse volumus illos[1] a censuris et poenis huiusmodi, etiam postquam dicta decreta, ordinationes et constitutiones aliaque praemissa revocaverint, ac aliàs debitam et condignam Ecclesiae satisfactionem praestiterint, nonnisi a nobis vel Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constitutos, imo nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestitâ, atque cum reincidentiâ eo ipso quo convaluerint, absolvi et liberari posse.

Clausulae.

§ 5. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, et aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili individuamque mentionem requirente defectu impugnari, infringi, invalidari, retractari, ad terminos iuris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suos-

1 Edit. Main. legit *illis* (R. T.).

que plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis praedictae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, etiam quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus, et quomodolibet qualificatis ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac plenissime et amplissime derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCCXI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 28 iulii 1711, pontif. anno XI.

CLVII.

Declarantur nullae preces primariae, Romano imperio vacante, a vicariis imperialibus expeditae[1].

1 Constit. edit. MDCCVII, pontif. VII, nulla declarata fuit concordia super hibernis stationibus cum militibus Germanis; item constit. edit. MDCCXI, die 28 iulii, pontif. XI, declarata fuere nulla gesta a magno consilio Varsaviae super solutione onerum ab ecclesiasticis faciendâ; et constit. edit. MDCCXII, die 9 iulii, prontif. XII, declaratur nullum edictum comitatus Niciensis super eâdem re editum.

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Referuntur preces huiusmodi pro collatione beneficiorum ecclesiasticorum.

§ 1. Cum, sicut accepimus, in praesenti sacri Romani Imperii interregno, vicariorum seu provisorum imperialium nuncupatorum nomine, necnon assertorum iurium illis competentium obtentu, preces quaedam, quas primarias vocant, quamplurium collegiatarum et forsan etiam cathedralium ac metropolitanarum ecclesiarum praesulibus, capitulis et canonicis, aliisque diversorum beneficiorum ecclesiasticorum, tam secularium quam regularium, in variis eiusdem S. R. I. ac potissimum Germaniae Inferioris partibus consistentium collatoribus seu collatricibus directae, pro canonicatibus et praebendis ecclesiarum huiusmodi, ceterisve beneficiis praefatis, nonnisi certis personis, vigore earumdem precum commendatis, per eos ad quos pertinet conferendis, concessae, expeditae ac praesentatae, et forsan etiam aliquae effectum suum sortitae fuerint; explorati vero iuris sit nemini fas esse absque huius Sanctae Sedis indulto quempiam ad canonicatus et praebendas aliaque beneficia huiusmodi sic commendatis conferenda compellere, satisque insuper omnibus notum sit quam enixis dudum et pluries tam a nobis, sive per diversas nostras in simili formâ Brevis litteras, sive aliàs, quam a nostris et eiusdem Sedis nunciis iussu nostro iteratis ordinationibus et decretis, illasmet similes primarias preces, quae a clarae memoriae Iosepho, dum viveret, Romanorum rege in imperatorem electo, porrectae seu expeditae fuerunt, utpote apostolicae auctoritatis munimine destitutas, nullatenus admittendas, sed penitus et omnino reiiciendas ac repellendas fuisse et esse mandaverimus et declaraverimus:

Declaratio nullitatis precum

§ 2. Hinc est quod nos, qui iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, ac proinde tam gravem laicalis potestatis abusum dissimulare non possumus, libertatem, immunitatem ac iurisdictionem ecclesiasticam, quantum nobis ex alto conceditur, sartam tectamque atque illibatam tueri et conservare cupientes, ac omnium et singulorum, quae in praemissis seu eorum occasione quovis modo acta et gesta fuerunt, tenores et datas ac circumstantias quascumque, personarum vero, a quibus illa vel eorum aliquod respective emanarunt, qualitates, dignitates, nomina et cognomina, et alia quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas primarias preces supradictas praetextu eiusmodi S. R. I. assertorum vicarialium iurium, pro quorumvis canonicatuum et praebendarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, sive regularium cuiusvis Ordinis seu instituti collatione, quibusvis canonicatuum et praebendarum aliorumque beneficiorum huiusmodi collatoribus seu collatricibus ad favorem quarumvis personarum hactenus quomodolibet porrectas et praesentatas, ac (quod absit) in posterum porrigendas et praesentandas, cum omnibus et singulis inde secutis et quandocumque secuturis, penitus et omnino illicitas, nullas, irritas et invalidas, viribusque et effectu vacuas, et de facto attentatas, nulliusque roboris et momenti fuisse, esse et fore, nec ullatenus attendi debuisse nec debere; sed illas, perinde ac si nunquam factae fuissent vel emanassent, neque unquam fierent vel emanarent, pro non extantibus et non

cum abolitione provisionum illarum vigore factarum.

factis semper habendas esse; collationes insuper et provisiones, aliasve quaslibet dispositiones canonicatuum et praebendarum, aliorumque beneficiorum praefatorum, in vim precum huiusmodi hactenus quovis modo forsan factas, et quas in futurum quomodolibet fieri contigerit, pari modo nullas, invalidas, inanes et irritas, nulliusque roboris et momenti fuisse, esse et fore, nec ullum etiam coloratum, illis, in quorum favorem factae fuerunt, aut in posterum fient, possidendi aut retinendi titulum praebuisse aut praebituras esse, neque provisos de canonicatibus et praebendis aliisque beneficiis huiusmodi fructus, redditus et proventus illorum suos fecisse aut quandocumque facturos esse, sed ad illorum restitutionem omnino teneri et obligatos existere et fore, tenore praesentium statuimus, decernimus et declaramus.

Clausulae. § 3. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis praedictae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, personis quibuslibet, etiam quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus, et aliàs quomodolibet qualificatis, ac specialem expres-

sionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III octobris MDCCXI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 3 octobris 1711, pontif. anno XI.

CLVIII.

Confirmantur statuta academiae pictorum, sculptorum et architectorum Bononiae institutae et Clementinae *nomine insignitae*[1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidentes, ac publicae utilitatis curam gerentes, illa, quae pro excitandis promovendisque laudabilium artium studiis provide constituta atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a nobis petitur[2], libenter constabilimus. Exordium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii reformatores status libertatis civitatis Bononiensi, quod ipsi in eâdem civitate, quae antehac eximiis et celebribus pictoribus floruit et adhuc de praesenti floret, academiam pictorum, sculptorum et architectorum sub auspiciis nostris erigi, ac pro felici illius directione atque gubernio nonnulla statuta confici ac in unum volumen redigi curarunt, tenoris qui sequitur, videlicet: Statuta praedicta referuntur.

Quantunque in altri tempi, ravvisato per indecoroso alla professione della pittura lo stare mescolata fra le arti meccaniche di questa città, fosse con l'autorità maggiore dell'eminentissimo legato e dell'illustrissimo senato di Bologna quella, a distinzione dell'altre università, qualificata col nome specioso di *Compagnia di Pittori*, e stabilita con regole e leggi onestissime e prudentissime compilate ed approvate in un piccolo vo- Proemio.

1 Const. ed. MDCCII, die 28 iunii, pontif. II, confirmatae fuere additiones ad statuta universitatis fabrorum ferrariorum de Urbe; et const. ed. MDCCXV, die 12 iunii, pontif. XV, confirmantur statuta academiae scientiarum in civitate Bononiensi.

2 Edit. Main. legit *petitum* (R. T.).

lume sino dall'anno MDCII, XX aprile, sotto nome di *Statuti dei Pittori:* perchè nendimeno gli stimoli della virtù non lasciano mai in pace gli animi generosi nella sfera del mediocre o mezzano intendimento, concitandoli sempre a carriere più vigorose, ed a più elevati avanzamenti; così mercè delle fatiche virtuose di tanti scrittori si riconoscono a' nostri secoli arricchite le arti liberali di tante nobili notizie, di cui l'antichità visse lungo tempo digiuna, e ne sospirò l'acquisto. Fra queste non fuori di proposito, al parere del Tiraquello *De nobilitate,* cap. XXXIV, num. II, può ascriversi la professione nobilissima della pittura, come consistente più nell'opra dell'ingegno e nella nobiltà dell'idee, che forma l'intelletto, che nella fatica della mano e nel materiale dei colori; di modo che non hanno sdegnato gl'imperatori nel corpo delle leggi civili con publiche sanzioni privilegiando li pittori più eccellenti da pesi personali, parificarli agl'istessi protomedici della casa augustale, come ci mostra il testo nella legge *Archiatros, Cod. de metatis et epidem.*, lib. XII; impulsi che hanno promosso gli spiriti di più virtuosi professori della pittura, della scultura, e del disegno a supplicare l'illustrissimo senato d'assistenza all'erezione d'una nobile academia da intitolarsi *Del disegno*, ad imitazione delle tante providamente erette e gloriosamente avanzate in altre città primarie dell'Italia e dell'Europa, e particolarmente nella patria universale di Roma, ove non isdegna la Santità coronata vedere questa nobilissima virtù accompagnata ogni anno da gloriosi trionfi in Campidoglio, intesi sempre a quei nobilissimi vantaggi degli animi inclinati alla virtù che sogliono partorirsi dalle accademie, ben dimostrati dal padre Andrea Mendo, *De iure academico, lib.* I, *quaest.* X, *ad quaest.* VIII, ed in parte accennati dal segretario di Milano Francesco Sadarini, *vesp.* XI, *num.* XVII et *seqq.* Ha riconosciuto con somma contentezza l'illustrissimo senato questi spiriti generosi nei proprî cittadini, e volentieri, per eccitamento maggiore a così pregiabile virtù, e per il decoroso mantenimento di sì riguardevole università, è concorso, e con l'opera, e con gli assegnamenti bursali, a tanto lodevole instituzione, umiliando, massime in questa parte ancora, i proprî voleri agli alti[1] sentimenti della Santità regnante di nostro Signore Clemente XI, prencipe supremo, che si degna intitolare questa virtuosa adunanza col gloriosissimo nome proprio di *Accademia Clementina*, e di qualificarla della sua clementissima approvazione. Quale, per più perenne durabilità, e per più felice incamminamento a gloria del Signore Iddio, e della beata Protettrice infrascritta, sotto li felicissimi auspicî della Santa Sede, e dell'eminentissimo cardinale legato, diretta dal governo e protezione dell'illustrissimo senato, si è creduto doversi regolare colli seguenti capitoli, quali come statuti formali d'essa accademia si sono prefissi e stabiliti e respettivamente accettati col contento ed autorità dell'eminentissimo e reverendissimo signor cardinale legato e del senato suddetto.

Protettori dell'accademia.

I. E prima, perchè ciò, che non ha per principio il Cielo, non può dirsi nè saldo, nè durabile in terra, si elegge ed invoca per protettrice ed avvocata di questa accademia del disegno una concittadina pittrice, la beata Catarina de Vigri, il cui glorioso deposito si adora in questa città, siccome per protettore in terra, secondo la richiesta fatta nel memoriale posto da' promotori di questa accademia, sarà l'illustrissimo senato medemo, alla giudicatura di cui nella persona dell'illustrissimo signor confaloniere *pro tempore* dovrà sempre restare commessa la suddetta accademia, come una delle università secolari di questa città.

Dell'aggregazione dei signori accademici.

II. Dovrà l'accademia esser composta di pittori e scultori eccellenti, siano pittori di figura, d'architettura, di prospettiva, di fiori, di frutti, di animali, di marine e simili, ed intagliatori insigni in rame o in legno da imprimersi; di bravi disegnatori, massime di fortificazioni, e d'altre cose riguardanti l'architettura militare; di fonditori di statue o artiglierie; tutti però qualificati di nome per qualche lodevole loro operazione:

1 Edit. Main. legit *altri* (R. T.).

il di cui numero sarà di quaranta soggetti, da scegliersi fra tutti li moderni concorrenti; e tutti così scelti, da approvarsi dall' illustrissimo reggimento; quali saranno sempre in reale constitutivo dell'accademia predetta senza veruna implicanza, che uno stesso professore possa stare aggregato tanto al consiglio dell'antica compagnia de' pittori, quanto alla moderna accademia predetta, e possa esercitarsi ed avere officî nell' uno e nell'altra, anche nel tempo stesso; non vietandosi però l'aggregarsi a quest'accademia, oltre il numero de' suddetti quaranta, altri soggetti qualificati o per nobiltà di nascita, o per virtù eccellente in simile professione, e tanto esteri quanto cittadini, sì dell'uno come dell'altro sesso; che però non siano soggetti ovvero obbedienti antecedentemente al consiglio di detta compagnia dei pittori, e non esercitino mercenariamente tale professione in questa città; e mancando uno del detto numero delli quaranta, dovrà il principe dell' accademia prescegliere (con voto degli accademici favorevoli almeno per li due terzi nel consiglio o compagnia de'pittori) tre soggetti, che a'signori accademici pareranno più qualificati e meglio addattati a riempire il loco del mancato ed al grado dell'accademia; e quelli, così eletti, presentare all'illustrissimo signor confaloniere, perchè dal reggimento col consueto scrutinio ne resti aggregato uno a riempire il loco del defunto accademico, se alcuno de' suddetti tre sarà conosciuto abile; e non approvandosi dal senato alcuno delli suddetti tre, dovrà detto signor principe, nel modo come sopra descritto, prescegliere altri, e quelli nello modo stesso presentare perchè uno di loro resti approvato come sopra; e quando nemmeno in questa seconda prescelta non riconoscesse il senato alcuno capace o abile a riempire detto loco, resterà in arbitrio del senato il prescegliere egli uno di tutta l' università de' pittori, restando per altro all'arbitrio dei signori accademici legittimamente congregati l' aggregazione de' soggetti a titolo di nobiltà o dell' eccellenza della professione, con le condizioni però che non esercitino mercenariamente in questa città, come sopra, e purchè l'aggregazione segua per li due terzi almeno de' loro voti favorevoli; e quando mai succedendo il caso di simili vacanze non si trovassero nel consiglio dei pittori soggetti abili e capaci di subentrare nel loco accademico vacato, perchè tutti quelli del consiglio, come di minor numero, in quel tempo fossero aggregati all' accademia; nel caso e casi suddetti, possano li signori accademici fare le predescritte due preelezioni di soggetti anche fuori del consiglio, purchè abbiano le qualità necessarie d'entrare in detto consiglio, quantunque non vi fossero entrati; e trovandosi anche professori eccellenti che fossero forastieri, ovvero nati di padre forastiero, e così incapaci d'entrare in detto consiglio, possano li signori accademici per tali soggetti addimandare l'abilitazione e dispensa del senato, e poscia così dispensati prescegliérli e presentarli, come se fossero del consiglio, e nelle forme sopra espresse.

Quadro da farsi da' nuovi aggregati.

III. E perchè apparisca sempre, anche nei tempi avvenire, lodevole l'elezione dell'aggregato accademico a confronto della di lui virtù ed eccellenza, dovrà l'accademico detto[1] ed approvato come sopra, fare un quadro di pittura istorico d' invenzione a dettame del signor principe dell'accademia, da conservarsi nelle stanze publiche dell' illustrissimo reggimento a memoria perenne della virtù di esso accademico, restando però, oltre il titolo d'onore, riconosciuta la di lui fatica col regalo di scudi trenta di paoli[2], da cavarsi dalle rendite della dogana medesima, quando però non sia ricercato dall' illustrissimo reggimento, e non altrimente.

Degli officî dei signori accademici.

IV. Da questo corpo de' quaranta accademici dovrà reggersi e governarsi l'accademia, mediante però gl' infrascritti loro capi e rispettivamente ministri da eleggersi ogni anno da tutti o dalla maggior parte de' signori accademici legittimamente convocati il giorno di . . . ., cioè da un principe, da un vice-principe o da otto direttori, da un depositario e da due provveditori. Quali ele-

1 Forsan *eletto* (R. T.).

2 Forsan deest *dieci* (R. T.).

zioni dovranno farsi ne' modi che singolarmente si esprimono ne' capitoli particolari di ciascheduno de' suddetti officî; oltre poi le cariche sopra esposte, si eleggeranno ancora nel numero degl' istessi signori accademici altri officî subordinati, cioè due custodi dell'accademia e delle robe a quella spettanti, due sotto-provveditori, ed un cancelliero, e di più, fuori delli signori accademici, si eleggeranno due bidelli che servano l'accademia.

Residenza dell'accademia.

v. Si conosce necessario primariamente e di prima necessità stabilire il loco della residenza di questa accademia, abile e capace per farvi la publica scuola del nudo, con altra stanza separata per la scuola.... ed altri professori indipendenti dal disegno del nudo; quale residenza appropriata al bisogno si conosce dover essere almeno di una sala e di due stanze separate, con la comodità del foco in una di esse. E questa residenza intende provvederla per propria munificenza ed a spese proprie l'illustrissimo senato, o in uno de' fondi proprî se potrà trovarsi proporzionato e capace, ovvero in altro fondo da lui comprato o condotto quanto prima sarà possibile, abile e capace, arbitrio *boni viri*, per tutte le sopraddette ed infrascritte operazioni, e per le congregazioni de' signori accademici. E perchè frattanto non resti meno per minimo tempo differito esercizio così virtuoso, la generosità dell' eccellentissimo signor generale conte Luigi Ferdinando Marsilli, provido mecenate a tutte le virtù, si compiace condurre e somministrare a proprie spese la residenza suddetta per sino al giorno 8 maggio dell'anno venturo 1710, acciò frattanto possa più agiatamente provvedersene una stabile ferma dal suddetto illustrissimo senato.

Del nome e impresa di questa accademia.

vi. Non isdegnando la Santità regnante di nostro signore Clemente XI, che questa adunanza di virtuosi resti perpetuamente insignita e inauspicata del di lui gloriosissimo nome, promotore degli avanzamenti della virtù, massime ne' suoi divotissimi sudditi, dovrassi perpetuamente nominare *Accademia Clementina*, e sarà quanto all' impresa, corpo e motto della medesima in libertà di ciascheduno de' signori accademici, secondo la varietà de' loro insegni[1], il proporla; con che però, quella che sarà stimata più degna e più propria dal giudicio e dalla maggior quantità de' voti favorevoli di tutti li signori accademici, s' intenda approvata ed accettata da tutti, e dovrà essere esposta nel più cospicuo luogo di tale residenza, da non potersi mai nè rimuovere nè mutare senza un nuovo perito[2], da ottenersi con pienezza di tutti li voti.

Qualità necessarie dei signori accademici aggregandi.

vii. Dovrà ciascheduno aggregandosi a quest' accademia essere vero e buon cattolico romano, di buona vita e fama, maggiore di anni ventiquattro, pittore, o scolare, o professore d'alcuna delle scienze e facoltà sopra espresse, o buon disegnatore, cognito in riguardo all'abilità per qualche sua riguardevole o almeno lodevole operazione nella sua professione; e nel rimanente dovrà aggregarsi ne' modi e forme espresse nel capitolo II.

Obblighi degli aggregati.

viii. Dovranno tutti li signori accademici, e ciascheduno di loro, tanto in questa prima fondazione ascritti ed aggregati, quanto li successori aggregandi, nei casi di vacanza d'alcuno del numero de' quaranta, immediatamente, rispetto a' primi, dopo che saranno approvati li presenti capitoli per partito dell' illustrissimo reggimento ottenuto davanti l'eminentissimo signor cardinal legato, e rispetto a quelli che si aggregheranno nei casi di vacanze, il primo giorno che dopo la loro admissione sarà convocata detta accademia, fare solenne promissione in presenza del principe e degli accademici congregati di osservare ed adempire puntualmente quanto si prescrive ne' presenti capitoli e sia ingiunto a tutti gli accademici per il buon servigio, onorificenza e mantenimento dell' accademia; e di questo si farà un piccolo rogito dall' infrascritto notaro segretario, e si registrerà nel campione degli accademici, dove quel tale sarà descritto dal cancelliere; quale promissione ed obbligazione dovrà essere del seguente o simile tenore:

1 Videtur legendum *ingegni* (R. T.).
2 Forsan *partito* (R. T.).

« Il signor N. N. eletto prescelto in accademico ed approvato dall'illustrissimo reggimento, spontaneamente, ecc., promette e s'obbliga anche sotto vincolo di fede immacolata a tutti detti signori accademici congregati, e per tutti al signor N. N. medemo principe presente, ecc., ed a' loro successori, d'essere sempre obbediente a' signori superiori *pro tempore* d'essa accademia nelle cose a quella spettanti, osservatore de' statuti e capitoli della medesima, tanto fatti quanto forse legittimamente da farsi, vero amatore ed osservatore della pace e dell'onore di tale congresso, non litigioso, nè disturbatore de' signori accademici, o d'alcuno di loro, e d'intervenire sempre alle adunanze di quella, quando non sia legittimamente impedito, ed occorrendo dar voti, d'esser sempre lontano dall'interesse e dalla parzialità, regolato solo dalla propria coscienza, e che non rivelerà ad altri, che non sia dell'accademia, se non d'ordine di essa, le cose trattate per il di lei buon governo, onore ed utile delle adunanze e congregazioni de' signori accademici ».

Dell'elezione del principe.

IX. Dovranno porsi in una borsa i nomi e cognomi di tutti li signori accademici, quale sarà conservata nell'armario della residenza, come si dirà; quale imborsazione per la prima volta dovrà farsi subito dopo l'approvazione de' prescritti capitoli da farsi, come sopra, per partito del senato, e nei tempi successivi dovrà rinnovarsi, quando sarà finita, e sempre farsi in piena congregazione a tale effetto radunata. Ed il giorno di S. Petronio, protettore principale di questa città, ogni anno dovrassi da detta borsa, mediante il notaro segretario di essa accademia, estrarsi un bollettino contenente il nome e cognome d'uno de' signori imborsati, quale dovrà essere il principe, ed assumere tal carica per un anno allora da decorrere, dovendo durare tale imborsazione finchè tutti gl' imborsati saranno estratti; convenendo però li signori accademici che tal regola non s' osservi in questo primo principe, quale, per la venerazione che ciascheduno di loro professa al merito grande, all'eccellenza della virtù e dell'età avanzata del signor Carlo Cignani, concittadino e pittore celeberrimo, a pieni voti lo eleggono, intendono e vogliono che sia il loro primo principe in questa accademia, da durare per un anno dopo la di lui accettazione di tale officio, come sopra. Ed occorrendo estrarsi uno de' signori accademici che fosse assente da questa città, per starci per quell'anno o maggior parte di quello, dovrà rimborsarsi ed estrarsene un altro; ed occorrendo la morte d'alcuno, per cui dovesse surrogarsi in di lui luogo nuovo accademico nei modi e forme sopra espressi, se il defunto nell' imborsazione corrente avrà avuto l'officio di principe, non dovrà il surrogato ponersi in detta borsa a nuova imborsazione; ma se il defunto non fosse stato mai estratto vivente a tale carica, dovrà da tale borsa levarsi il di lui nome e bollettino, e ponersi il nome e bollettino del surrogato, acciò egli ancora resti capace di detto officio; e se morisse il principe nel tempo di detto officio, potrà compirlo l'accademico che sarà aggregato nel di lui luogo, e frattanto supplirà alle di lui incombenze il vice-principe.

Facoltà ed incombenze del principe.

X. Avrà il principe facoltà d'eleggere e nominare il vice-principe, quale in di lui assenza porterà le veci, le facoltà e l'autorità di esso principe. Il principe solo, ed in di lui assenza il vice-principe, avrà l'arbitrio di convocare la congregazione per trattare e risolvere tutte le cose che per bocca propria o del cancelliere da lui informato saranno proposte ed esposte, di modo che non dovrassi mai adunare congresso alcuno per trattare tali interessi senza la di lui presenza, ovvero del vice-principe in di lui assenza dalla città, come sopra, ovvero per di lui ordine da darsi in scritto e conservarsi presso il cancelliere. Avrà il principe la facoltà di fare insieme col depositario le riscossioni de' quartieri assegnati, e di tutte le altre rendite che col tempo potesse avere l'accademia, e di farle ritenere al medesimo depositario, e non mai ad altra persona; come ancora di trarre gli ordini sempre in iscritto al detto depositario per il pagamento di tutte le spese

necessarie che occorreranno per l'esercizio e mantenimento di essa accademia di tempo in tempo; quali ordini dovranno essere scritti di mano del cancelliere, e sottoscritti da esso principe e dalli due provveditori maggiori; e se nel fine dell'officio sopravanzasse a dette spese necessarie qualche reliquato dell'annuo assegnamento, dovrà detto reliquato conservarsi nella cassa del depositario per supplire a spese ordinarie o estraordinarie che potessero accadere agli anni venturi, o per erogarsi in altra cosa necessaria ovvero utile all'accademia, da approvarsi per li due terzi de' voti di tutti li signori accademici, sotto però l'assenso e beneplacito dell'illustrissimo signore confaloniero ed assunti di milizia.

Della facoltà ed elezione del vice principe.

XI. Sarà il vice-principe uno de' signori accademici eletto ad arbitrio dell'istesso principe per sostenere le di lui veci, ove egli non potesse assistere all'incombenze dell'accademia, o per assenza dalla città, o per qualche suo importante affare, o per altro legittimo impedimento, ne' quali casi avrà esso vice-principe tutta la facoltà che avrebbe il principe se fosse presente, e la di lui carica sarà parimente annuale, come quella del principe.

Dei direttori e del loro officio.

XII. Gli otto direttori, l'ufficio de' quali sarà parimenti annuale, dovranno eleggersi per partito posto fra tutti gli accademici da ottenersi per due terzi de' voti, nominati che saranno dal principe, avvertendo, che, nel tempo de' scrutinî, li nominati devono stare fuori della congregazione per maggior libertà de' voti. Quattro dunque di questi dovranno esser pittori o scultori di figure, e gli altri quattro pittori e disegnatori d'architettura, di prospettiva, o professori di alcun'altra delle scienze sopra espresse, e le incombenze de' primi saranno di ponere in attitudine il modello una settimana per ciascheduno, e l'assistere per quella settimana alla correzione de' disegni de' giovani che studiano; per lo che fare sarà necessario che il direttore di quella settimana, quando possa, intervenga personalmente ogni sera nell'accademia per dare stimolo agli studenti, e contenere li giovani nel dovuto rispetto e saviezza. Sarà ufficio degli ultimi il dare le regole della prospettiva, dell' architettura, massime militare, quale architettura dovranno insegnare li professori di quella a titolo onorifico solamente, come così per loro cortesia dichiarano voler fare; come anco le regole e li disegni della pittura de' paesi, degli animali, o di altri simili membri della pittura a quei giovani che li vorranno apprendere, e dovranno stare in una stanza separata e disgiunta da quella della scuola del nudo, di modo che una di dette stanze non possa disturbare o distraere dalle applicazioni l'altra, e come meglio si potranno adattare li comodi della residenza.

Del depositario e suo officio.

XIII. Il depositario dovrà proporsi o per elezione, o per conferma, quando sia conosciuto idoneo dal prencipe, e dovrà restare approvato per partito secreto degli accademici, da ottenersi per li due terzi almeno dei voti, con che però sia uomo di sana ragione, e non figlio di famiglia, e dia sicurezze idonee da approvarsi come sopra. Dovrà il depositario, durante il di lui officio (quale durazione o remozione sempre dipenderà dal partito come sopra di tutta l'accademia), dovrà, diciamo, ricevere e custodire onoratamente in deposito formale e regolare tutti li denari spettanti all' accademia, che gli proveniranno tanto dall'assegnamento sopraddetto, quanto da qualsivoglia altra causa, e non pagarne nè rilasciarne mai meno minima quantità ad alcuna persona, se non con li mandati scritti dal cancelliere, e come sopra firmati dal prencipe e da due provveditori maggiori *pro tempore*: e tutte le altre cariche saranno annuali, fuorchè questa del depositario, e quella del cancelliere, che saranno arbitrarie dell'accademia, e durabili, secondo sarà loro onoratezza e abilità e puntualità.

Dei provveditori e loro incombenze.

XIV. Li due provveditori verranno eletti dal principe a proprio arbitrio, e la loro incombenza sarà di provvedere l'accademia del modello, e di tutte l'altre cose necessarie per la scuola per li tempi e ne' modi saranno lor prefissi dal principe; e per loro sollievo avranno due sotto-provveditori da

essi eletti fra gli accademici per essere da loro aiutati in tutto quello che avranno di bisogno per servizio di essa accademia; e dovranno sempre dopo il principe sottoscrivere li mandati da dirigersi al depositario, come sopra.

Dei sottoprovveditori.

XV. Saranno li due sotto-provveditori eletti dalli provveditori maggiori, come sopra, e dovranno assistere alli medemi, o supplire in loro assenza o adempimento[1] in quelle cose che verranno loro imposte o indicate dal principe, o dai detti provveditori maggiori, e potranno essere di loro sollievo e di benefizio all'accademia.

Del segretario e cancelliere.

XVI. Dovrà il cancelliere essere eletto nel numero de' signori accademici per partito di tutta l' accademia ottenuto per due terzi de' voti, e con altro simile partito solamente potrà rimoversi o licenziarsi: e la di lui incombenza sarà di scrivere nelle congregazioni degli accademici tutto quello occorrerà terminarsi per il servigio e governo di detta accademia, secondo gli ordini della medema, e secondo li comandi del prencipe, e dovrà diligentemente custodire nel loco che gli sarà prescritto dall' accademia le lettere ed altre scritture della cancelleria che gli saranno consegnate, come anche le polizze stampate per invitare le congregazioni; quali non potrà mai consegnare alli bidelli, se non per ordine scritto dal principe o dal vice-principe in di lui assenza, come sopra.

Del notaro dell'accademia.

XVII. Si conosce necessario, che l'accademia sia provvista d'un notaro, concittadino di buona vita e fama, pratico della sua professione, la di cui incombenza sarà di fare le matricole degli accademici e le scritture ad essa attinenti, come ancora d'assistere alle congregazioni quando si faranno, se egli vi sia chiamato, e possa intervenirvi, e di registrare li partiti in un libro per tale effetto ritenuto in detta accademia. Sarà questi eletto per partito ottenuto per due terzi, come sopra, ed amovibile per altro partito simile, siccome sarà in di lui arbitrio altresì il rinunciare tal impiego, ma sempre però nel fine dell'anno, quando termina l'officio del principe, rassegnando e consegnando tutto che avrà in mano, spettante a detta accademia, al principe nuovamente eletto.

Dei custodi e loro officio.

XVIII. Li due custodi saranno eletti da quel maestro a cui toccherà per quella settimana il ponere in attitudine il modello, e questo impiego sarà ebdomadale, e dovranno assumerlo la prima sera che quel maestro interverrà ad assistere all' accademia: e sarà ben fatto che tale impiego cada sopra due di quei giovani che più frequentano lo studio di essa accademia. Il loro officio sarà di ben custodire in buon ordine tutte le cose necessarie ed occorrenti per l'esercizio di quella settimana per le funzioni d'ambedue le scuole suddette, di comandare alli bidelli, e di compire a tutte le cose che saranno convenienti per il buon ordine e decenza di dette scuole e delle operazioni da farsi in quelle.

Dei bidelli e loro officio.

XIX. Li bidelli dovranno essere bolognesi eletti dall'accademia, ed il loro officio sarà di portare le polizze per radunare le congregazioni, quando saranno loro consegnate dal cancelliere. Dovranno tenere in forma pulita e decente le stanze dell' accademia, aprirle e chiuderle alle ore debite, tenendo cura delle robe che in dette stanze si ritroveranno e saranno commesse alla loro fede, di approntare i lumi ed il fuoco nei tempi ed ore che saranno loro prescritte dal principe o dal maestro assistente di quella settimana.

Dei libri, scritture ed altre cose preziose spettanti all'accademia e loro conservazione.

XX. Si custodiranno i libri, le scritture ed altre cose simili, come disegni, carte stampate e simili spettanti all'accademia, in una delle stanze di detta residenza, insieme con l' inventario, in un armario chiuso a due chiavi, una delle quali dovrà sempre conservarsi presso il principe, e l' altra presso il cancelliere; nel quale armario ancora dovrassi conservare e custodire la borsa per l'estrazione de' principi, come sopra.

Delle feste.

XXI. Quantunque non si dovesse dubitare, che fra gli uomini civili e morigerati, quali devono presumersi tutti gli accademici, come applicati allo studio ed incamminati alla gloria della virtù, possa trovarsi alcuno che

1 Forsan *impedimento* (R. T.).

si scordi de' proprî doveri nella morigeratezza e nel rispetto con tutti, nè meno manchevole nell'osservanza di quelle leggi che avrà promesso osservare con formale obbligazione nel di lui ingresso, come sopra nel capitolo VII; per l'abbondanza nondimeno di cautela, si statuisce, che se alcuno de' signori accademici, scordato delle sue obbligazioni predette, mancasse di rispetto al principe dell'accademia, e per interesse [1] dell'accademia, o ingiuriasse il medesimo, ovvero altri colleghi nelle congregazioni, perda *ipso facto* il suo officio, se ne avrà, e sia privo di voce attiva e passiva nell'accademia medesima, nè più possa essere reintegrato, se non per partito legittimo ottenuto per li due terzi de' voti. Che perciò si vieta a ciascheduno de' signori accademici l'entrare con l'arme nelle congregazioni, dovendo quelle prima depositare, avendole, e consegnare al custode della residenza, per togliere ogni occasione di sconcerto, e mantenere in tutti quella modestia che deve essere inseparabile dalle persone virtuose e civili. Quelli poi che mancassero volontariamente alle proprie incombenze nelle cariche che avranno a giudizio dell'accademia, restino privi *ipso facto* di detti officî, senza mai più essere capaci, se non per reintegrazione da ottenersi per partito, come sopra. E perchè la virtù non ha mai sodi principî, quando non sia unita con la legge di Dio e con la morale, perciò si vieta, tanto a ciascheduno de' signori accademici, quanto a ciascheduno de' scolari e de' giovani che interverranno a detta accademia, il valersi della medesima e de' studî che in essa devono farsi, per dipingere o disegnare oscenità, come [2] lascive, o caricature ingiuriose ad alcuna persona, o altre simili, vietate dalla buona moralità: sotto pena, in caso di contravvenzione, rispetto ai primi, di perdere il loro loco nell'accademia, da non reintegrarsi se non nel modo sopraddetto; e rispetto agli ultimi, d'essere perpetuamente esclusi dall'ingresso ed uso della medesima accademia; e questo, oltre le pene imposte dalla legge civile e canonica che si lasciano all'arbitrio de' signori superiori.

Dei premi onorifici.

XXII. E perchè l'emulazione virtuosa suole dare gli stimoli maggiori agli avanzamenti de' studî fra la gioventù, si statuisce perciò, che, finito il corso dell'accademia, ogni anno il signor principe deve proponere a tutti li studenti delle predette professioni un'operazione di disegno d'invenzione, tanto alli professori di figuristi, quanto un altro simile alli professori d'architettura, d'animali, di fiori, di frutti, o di paesi, come più a lui piacerà, ed in quella specie d'essa professione che egli sceglierà, prescrivendo il termine congruo a tutti li suddetti giovani studenti, tanto di figuristi quanto degli altri suddetti, ad avere perfezionata ciascheduno detta operazione, e dato saggio del proprio valore: e queste operazioni presentate che saranno tutte al detto signor principe da ciascheduno de' giovani, tanto dell'una quanto dell'altra professione, debbano tenersi secrete e ben custodite nell'armario della residenza, finchè dal medesimo principe e da due de' signori maestri accademici, uno cioè di figuristi e l'altro di quella professione che sarà stato proposto al disegno, tutti cavati a sorte, saranno le operazioni di ciascheduno de' giovani state ben vedute, considerate, e sarà stato dai detti signori, principe ed estratti risoluto quale di detti giovani disgiuntamente in dette operazioni sia prevalso a tutti gli altri nell'eccellenza dell'operato: ed a quelli due che saranno stati conosciuti e giudicati li migliori, uno in detta scuola del nudo, e l'altro in detta scuola d'architettura o scultura o d'altri membri sopra espressi, sia consegnato a titolo d'onore una medaglia d'oro, di valore e peso di quattro scudi d'oro romani, per ciascheduno, quali medaglie dovranno per quest'effetto a spese dell'assegnamento suddetto farsi gettare, o imprimere, o fondere con l'impressione da una parte di essa beata protettrice, e dall'altra dell'impresa suddetta dell'accademia, da farsi come sopra.

Delli legati e donazioni, o altri acquisti dell'accademia.

XXIII. E perchè a così fausti principî si sperano con l'aiuto del signor Iddio avanzamenti maggiori dall'amore de' virtuosi e

1 Vide quid et quomodo legendum (R. T.).

2 Videtur legendum *cose* pro *come* (R. T.).

dalla generosità de' concittadini, e massime de' professori di questa nobil virtù onde in progresso di tempo potranno provenire a questo congresso donazioni, legati, tanto pecuniari quanto di specie, e massime di statue, di carte o disegni speciosi, o d'altri simili, da conservarsi per ammaestramento, uso ed esercizio de' signori accademici, e della gioventù studente; perciò si ordina e si statuisce che tali legati o donazioni debbano regolarsi secondo quello sarà stato prescritto dai testatori o dai donanti; e quando non avessero tali donazioni o legati annessa alcuna legge particolare, se saranno legati di specie simili, questi debbano conservarsi in una delle stanze della residenza anche chiuse in armari o scansie, come sarà meglio giudicato dal principe ed officiali di quel tempo; se saranno capitali fruttiferi, questi debbano ritenersi sempre investiti, e le loro rendite conservarsi presso il depositario colle leggi e nelli modi e forme di sopra espressi; e se saranno annui redditi, questi pure dovranno colare nella cassa di esso depositario, nelle forme predette, da erogarsi sempre negli usi ed avanzamenti e nelle funzioni di essa accademia, e sempre col partito segreto di tutti li signori accademici legittimamente congregati.

Facoltà dell'accademia.

XXIV. Essendo ricercata l'accademia, come composta di scelti ed intelligentissimi maestri, da qualsivoglia persona a dare o fare giudizio sopra alcun'opera o di pittura o di scultura, o d'altra operazione appartenente al disegno, dovrà cadere tale officio nella persona del principe *pro tempore* e di tre altri accademici professori dell'opera che sarà proposta, da estraersi a sorte dal numero di quelli che saranno in città; e ciò purchè non si trattasse di perizia o controversia giudiciale, essendo che queste spettano e devono spettare all'antico consiglio de' pittori e al capo di quello.

Dell'arme dell'accademia.

XXV. Si statuisce inoltre, che sopra la residenza dell'accademia non si possano mai alzare altre arme che quelle de' Sommi Pontefici, de' signori superiori della città, e del senato medemo.

Esenzioni dell'accademia.

XXVI. E perchè finalmente non pare decente che li soggetti, che di tempo in tempo resteranno aggregati all'accademia, come più qualificati ed eccellenti in questa virtù, debbano soggiacere al pagamento dell'obbedienza verso il consiglio, a cui non soggiace lo stesso consiglio, nè ad altra gravezza, che per li statuti antichi dovesse soggiacere tale professione, per dovere massime li signori accademici soffrire molti incommodi e fatiche nell'operare in detta accademia, e nell'insegnare a' giovani, tanto principianti quanto provetti, a titolo solo d'onore, e per vantaggio ed avanzamento della professione nella patria: perciò s'ordina e statuisce, che niuno di essi signori accademici dopo il giorno della propria aggregazione debba soggiacere a pagamento veruno, nè sotto titolo d'obbedienza, nè d'altro, verso detto consiglio dell'antica compagnia de' pittori, dovendo gli accademici restare solo affetti alle predestinate proprie incombenze ed obligazioni verso la loro accademia, non ostante gli statuti vecchi e recenziori di detta compagnia de' pittori. Questo però si intenda, purchè li signori accademici almeno dentro il termine di un anno da decorrere diano principio alle loro funzioni accademiche, giusta la forma de' precedenti capitoli, e quelle proseguiscano ai debiti tempi, e purchè non tralascino mai per un anno intero l'esercizio delle medesime; altrimenti facendo, il presente capitolo s'intenda abrogato, e non possa loro suffragare in modo veruno.

Mutazioni da farsi al regolamento.

XXVII. Contuttochè ne' predescritti capitoli si siano divisate le cose più sostanziali alla fondazione e mantenimento di quest'accademia, ed altresì siano state ravvisate le cose contigibili che ponno aver bisogno di provvedimento, e tutto si sia accomodato nel miglior modo possibile; perchè nondimeno non possono mai prevedersi tutte le contingenze che ponno accadere, particolarmente per la mutazione de' tempi e de' costumi, e così non può trovarsi temperamento adattabile per regola di tutte le cose, perciò si statuisce che sia riservato, tanto all'illustrissimo reggimento per partito da ottenersi davanti l'eminentissimo signor

cardinale legato, quanto anche ai signori accademici *pro tempore*, col consenso, autorità ed approvazione dell'illustrissimo senato, per partito da ottenersi avanti l'eminentissimo signor cardinale legato, come sopra, il levare, diminuire o riformare qualunque de' sopraddetti capitoli, o cose in essi contenute, in tutto o in parte, secondo le contingenze ed il bisogno per il felice avanzamento e conservazione di essa accademia, ed anco l'aggiungere, formarne ed accrescere de' nuovi tante volte quante volte occorrerà e sarà stimato necessario ovvero opportuno, col consenso però sempre ed approvazione, come sopra, e non altrimenti.

Consensus reformatorum Status Libertatis pro fundanda academia.

Die XXIX *octobris* MDCCIX. *Congregatis illustrissimis dominis reformatoribus Status Libertatis civitatis Bononiae in Camerâ eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis legati in numero triginta, in eius praesentiâ, et de ipsius consensu et voluntate, inter ipsos infrascriptum partitum positum et legitime obtentum fuit, videlicet:*

Decernitur, supplicandum esse summum Pontificem pro statutorum confirmatione.

Patres conscripti per suffragia vigintinovem affirmativa, tum ex auctoritate, tum ex senatus obsecundatione, specialem hac in civitate Academiam instituere, qua, sicuti ex praeclariorum artium splendore civitas ipsa alias inter excellentiâ quadam distinguitur, ita quoque invalescentibus magis picturae studiis, per quae maxime ex perfectissimis et magistris et operibus ab anteactis usque ad haec tempora saeculis eximia eidem pervenit laus, in dies magis per gloriae et admirationis incrementa ad sui praestantiam augeatur. Eâ lege, ut eidem sic institutae Academiae, iuxta capitula a dominis magistratibus et picturae artis praefectis efformata, viri illi tantummodo adscribantur, qui vere ex primis, seu picturae, seu statuariae, sive etiam ad militaria et tam tormenta quam munimenta extruenda respective, et respective fundenda, et seu ad ichnographica et tetragonica quaecumque lineamenta instructi, maiori sibi comparatâ incumbunt laude. Capitulis praedictis in senatu iam lectis praesentis senatusconsulti vigore ex eâdem auctoritate approbatis, iuxta ea quae praedicti domini magistratibus et picturae arti praefecti[1] senatui exposuere. Facultate iisdem dominis praefectis insuper factâ, ut, supplici mediante libello, sanctissimum dominum nostrum Clementem XI humillime obtestentur, ut, sicuti ex veneratissimis Sanctitatis Suae et nomine et patrocinio praedicta sicut supra instituta academia talia sibi auspicatissima sortitur initia, ita pariter ex apostolicâ in formâ Brevis capitulorum praedictorum comprobatione ad ipsius perennitatem pro maiori semper et virtutis et famae amplitudine in consultissimam spem erigatur. Contrariis haud obstantibus quibuscumque. Ita est. — IACOBUS ANTONIUS DE BERGAMORIIS illustrissimi senatus Bononiae secretarius. *Loco † sigilli.*

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes statuta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri plurimum desiderent: nos, specialem exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula statuta praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras et statuta praeinserta semper firma, valida et efficacia existere et

1 Forsan legendum *praedicti domini magistratus et picturae artis praefecti* (R. T.).

fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit atentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae civitatis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII octobris MDCCXI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 18 octobris 1711, pontif. anno XI.

CLIX.

Declarantur nulla decreta, aliaque gesta a saeculari potestate in Hispaniis libertati, immunitati et iurisdictioni ecclesiasticae praeiudicialia[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Exponuntur gesta in regnis Hispaniarum adversus dignitatem ac iurisdictionem S. Sedis.

§ 1. Aliàs ad apostolatus nostri notitiam delatis iis, quae non ita pridem in regnis Hispaniarum, non minus adversus sanctiora quaevis Ecclesiae iura et libertates, quam adversus nostram et Apostolicae Sedis dignitatem ac iurisdictionem per saeculi potestatem, non sine maximo totius christiani orbis scandalo, perpetrata fuerant; potissimum vero per nos accepto, quod, expulso ab eisdem regnis venerabili fratre Antonio Felice archiepiscopo Damasceno, nostro et dictae Sedis nuncio, simulque inde eiectis omnibus illius curiae officialibus, ac proinde abolito prorsus pontificio tribunali, occupatisque tabulariis ad illud pertinentibus, venerabiles fratres archiepiscopi et episcopi praedictorum regnorum ad causas, quae eis minime competebant, cognoscendas, aliaque iura ad eamdem Sedem ac illius nuncium pro tempore existentem unice spectantia exercenda, regii nominis auctoritate seu potius abusu, iniuste non minus quam nulliter excitati fuerant; quocumque fidelibus illarum partium cum hac Romanâ Curiâ, ubi nos universae Ecclesiae regimini, nullis licet meritis nostris, praesidemus, vetito commercio, omnique eorum ad illam pro gratiâ sive iustitiâ obtinendâ recursu ita penitus in-

1 Innocentii XI const. ed. MDCLXXVIII, die 28 novembris, pontif. III, declarata fuere nulla gesta a consilio Castellae contra nuncium apostolicum; et in huius Pontificis const. ed MDCCXVII, die 12 ianuarii, pontif. XVII, conceditur nuncio apostolico facultas absolvendi violatores iurium ecclesiasticorum.

terdicto, ut illis etiam, qui eâ de causâ ex Hispaniis huc advenerant, sub comminatione regiae indignationis iussum fuerit quatenus a coeptis desisterent, atque ad propria sine ullâ morâ reverterentur, nec sane minori ausu, inter alia multa utrique clero earundem partium perperam iniuncta, regularibus universis vetitum fuerat ne superioribus generalibus suorum Ordinum in hac almâ Urbe commorantibus, non secus ac si apud hostes degerent, ullum cultum, ullamve obedientiam, qua eis ceteroqui solemnis voti religione obstricti reperiebantur, exhibere praesumerent; ac demum ad nos allato, quod, ad conflandam maiorem regio nomini invidiam, inter cetera antehac ibi inaudita, acerbissimum pontificiae nostrae auctoritati inflictum fuerat vulnus novis litterarum apostolicarum executioni interiectis impedimentis, quibus illae contra fas omne laicorum hominum censurae subiicebantur, aliaque plura, quae longum nimis esset referre, in maximum ecclesiasticae potestatis contemptum et iniuriam patrari contigerat, perinde ac si inclytae Hispaniorum nationi, ob cultum pietatis ac singularem in Romanos Pontifices devotionem per omnes aetates summopere commendatae, ignotum esset gravissimis per sacros canones irrogatis poenis ac censuris illos irretiri, qui Arcam Dei prophanâ manu sic attingere sacraque Ecclesiae iura contererè non exhorrent: nos, praemissa omnia in moerore et amaritudine cordis nostri serio considerantes, tum paternis litteris, quas lacrymis potius, quam atramento conscripsimus, tum aliis adhibitis mediis, arguimus, obsecravimus, increpavimus, instantes opportune, importune, iuxta Apostoli monitum, in omni patentiâ et doctrinâ, ut praenarrati excessus, debitâ actorum rescissione congruâque tantorum gravaminum reparatione, sarcirentur; charitati interea nostrae diuturniore longanimitate indulgentes, ut, qui illa admiserant, in eam a qua tam longe aberraverant, iustitiae viam, agnitâ tandem veritatis luce, redirent.

Declaratio nullitatis praedictorum decretorum aliorumque gestorum, cum eorumdem damnatione, et censurarum firmitate.

§ 2. Cum autem, sicut non sine ingenti animi nostri molestiâ nuper accepimus, pravis illorum praevalentibus consillis qui ad tutelam et amplificationem regiae dignitatis pertinere arbitrantur ecclesiasticam auctoritatem modis omnibus impetere, quaecumque nos hac in re, charitate suadente, et quasi anteactorum obliti, hucusque peregimus, parandae optatae tranquillitati adeo non profuerint, ut, iis penitus neglectis, nova potius in dies gravamina prioribus adiecta fuisse audiverimus; cuiusmodi profecto sunt decreta illa, quibus saecularem potestatem eò devenisse percepimus, ut non modo ad vacantes in dictis partibus ecclesiarum fructus, iuxta veterem ac immemorabilem consuetudinem, necnon notissimam tot apostolicarum constitutionum dispositionem, ad Cameram nostram apostolicam spectantes, manus apposuerint (contemptis prorsus ecclesiasticis censuris, tam generatim per Concilium Tridentinum, sess. XXII, de reformat., cap. XI, adversus cuiusvis ecclesiae bonorum, rerum, iurium, fructuum ac redditnum occupatores latis, quam speciatim per easdem apostolicas ac praesertim felicis recordationis Pauli III, Iulii III et Pii V ac Gregorii XIII Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum super ecclesiarum in Hispaniis vacantium fructibus illorumque administratione editas constitutiones adversus illarum transgressores inflictis), verum etiam novam quamdam ab Hispanis in apostolicarum litterarum expeditione servandam formam, et hanc quidem pontificiae iurisdictionis summopere

laesivam, ac illius libertatis, qua fidelibus omnibus in suis potissimum spiritualibus necessitatibus, ad hanc Sanctam Sedem, unde catholicae religionis oracula in universum orbem diffunduntur, recurrere fas est, penitus eversivam, praescribere non erubuerit: hinc est quod nos, ne in tam apertâ apostolicae auctoritatis atque ecclesiasticae immunitatis oppugnatione torpescere videamur, disertaeque turpiter Dei causae rei efficiamur (tametsi notorii et explorati iuris sit, ea omnia, quae in praeiudicium Ecclesiae eiusque iurium, praesertim a laicis, quovis modo attentantur, nullius prorsus esse roboris et momenti, quinimo recolendae memoriae Urbanus PP. VIII itidem praedecessor noster, dictae Apostolicae Sedis Romanaeque et aliorum inferiorum ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum iura quaecumque a praeiudicialibus huiusmodi per quamdam suam constitutionem die v iunii MDCXLI editam amplissime praeservaverit, ac nos ipsi plura ex praemissis, quae tunc nobis innotuerant, quaeque in quibusdam litteris ante duos annos episcopis, ecclesiis, universitatibus ac clero regulari Hispaniarum a saeculari potestate conscriptis continebantur, nulla, irrita invalida, damnata et reprobata fuisse et esse per alias nostras in simili formâ Brevis litteras die II octobris MDCCIX expeditas, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac inserto haberi volumus, declaraverimus) nunc tamen Ecclesiae et dictae Sedis iurium indemnitati peramplius consulere, necnon animarum periculis, quantum nobis ex alto conceditur, uberius occurrere cupientes, ac omnium et singulorum, quae in praemissis, seu eorum occasione, quovis modo decreta, ordinata, acta et gesta fuerunt, seriem, causas et circumstantias, etiam aggravantes, aliave quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula decreta, ordinationes, litteras, intimationes, mandata, edicta et alia quaelibet in praemissis, seu eorum occasione, in praeiudicium libertatis, immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae atque auctoritatis apostolicae respective quovis modo emanata, edita, acta, gesta et perpetrata, cum omnibus et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita, invalida, iniusta, damnata, reprobata, inania, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque roboris et momenti vel efficaciae esse, et ab initio fuisse, et perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri; imo nec ea a quopiam observari posse vel potuisse, nec ex illis cuiquam aliquod ius vel actionem aut titulum, etiam coloratum, aut possidendi vel praescribendi causam acquisitam vel acquisitum fuisse vel esse, aut quandocumque acquiri vel competere posse, neque illa ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent nec facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium denuo declaramus. Et nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie damnamus et reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac

pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis, semper haberi volumus et mandamus, et contra illa deque eorum nullitate coram Deo protestamur. Firmas praeterea ac salvas esse similiter volumus atque decernimus quascumque censuras et poenas ecclesiasticas, quas ii omnes, qui praemissa perpetrarunt, mandarunt vel rata habuerunt, seu in eis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestiterunt, cuiuscumque praeeminentiae et dignitatis fuerint, propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt, a quibus, post condignam Ecclesiae praestitam satisfactionem, nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari valeant. Facultate insuper nobis et eidem Sanctae Sedi expresse reservatâ, quatenus illi minime redierint ad cor, ad alia canonica et severiora remedia quandocumque procedendi. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati et alii quicumque in praemissis seu eorum aliquo[1] ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliâs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiata causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quamtumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et eiusdem Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis

Contrariorum derogatio.

1 Edit. Main. legit *aliquod* (R. T.).

firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibuscumque personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum etiam imperiali, regali, aliâve qualibet mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate fulgentium instantiam, vel earum contemplatione, seu aliàs quomodolibet, in genere vel in specie, etiam consistorialiter, in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII octobris MDCCXI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 27 octobris 1711, pontif. anno XI.

CLX.

Reducuntur studia et gradus in Ordine fratrum Carmelitarum ad formam quorumdam decretorum capituli generalis [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Expositio causae.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Thomas Sanchez, prior generalis Ordinis fratrum beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, quod, licet per constitutiones dicti Ordinis antiquae observantiae nuncupatas, parte I, cap. XVII et XVIII, certa forma tam circa studia quam circa qualitates in studentibus ad gradus scholasticos promovendis requisitas, incipiendo ab officio cursoratus nuncupato usque ad magisterium, observanda praescribatur, eaque in omnibus praedicti Ordinis provinciis (exceptis illis Hispaniarum et Portugalliae, quae circa praemissa statutis particularibus utuntur) non sine magno scientiarum emolumento ab immemorabili tempore usque ad annum MDCLXXX servata fuerit, nihi-

1 Praecedens forma studiorum extat Innocentii XII const. edit. MDCXCII, die 11 octobris, pontif. II; in huius Pontificis const. ed. MDCCIV, die 27 martii, pontif. IV, concessa fuere quaedam privilegia lectoribus in collegio ecclesiastico de Urbe; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXIV, die 22 maii, pontif. I, erigitur collegium studiorum Neapoli.

lominus in capitulo generali eiusdem Ordinis, quod dicto anno MDCLXXX celebratum fuit, eidem formae nonnulli articuli ad praxim minime adducibiles adiuncti fuerunt. Verum paulo postea, nempe die XXVIII septembris MDCLXXXII, iidem articuli, ad evitanda incommoda quae ex eorum observantiâ oriri posse praevidebantur, per quondam Angelum Monsignani, tunc existentem priorem generalem dicti Ordinis, ex vivae vocis oraculo a felicis recordationis Innocentio Papa XI praedecessore nostro habito, ad superiorum provinciarum Italiae eiusdem Ordinis instantiam, suspensi fuerunt quousque in tunc proxime futuro capitulo generali, quod subinde, nempe anno MDCLXXXVI, celebratum fuit, an iidem articuli penitus abrogandi seu corrigendi forent discuteretur, ac interim, id quod super praemissis per dictas constitutiones sancitum reperiebatur exacte observari debere, decretum fuit. Porro praedictis articulis in capitulo generali huiusmodi examinatis, eorumque difficillimo usu recognito, totum negotium arbitrio et prudentiae quondam Pauli a S. Ignatio, in ultimo dicto capitulo generali in priorem generalem electo, remissum fuit. Ipse vero Paulus prior generalis nil aliud circa studia et gradus huiusmodi quam formam per dictas constitutiones praescriptam durante suo generalatus officio observavit. Subinde autem, cum in alio capitulo generali ipsius Ordinis anno MDCXCII celebrato, ad praedicti Ordinis regimen quondam Ioannes Feyxoo de Villalobos assumptus fuisset, ipse zelo ductus, sperans se eam formam, quae circa eadem studia in dictis Hispaniarum provinciis servatur, ad omnes alias suae religionis et signanter Italiae provincias extendere posse, diversa decreta praxi quidem earumdem provinciarum Hispaniae consona, sed formae a supradictis constitutionibus praescriptae penitus adversantia, promulgavit, illaque [1], per quasdam subinde recolendae memoriae Innocentii Papae XII etiam praedecessori nostri die XI octobris eiusdem anni MDCXCII in simili formâ Brevis desuper expeditas litteras toto illarum tenore inserto confirmata, executioni demandare curavit. Verum, cum id non modo difficile sed fere impossibile tam ipse Ioannes prior generalis quam eius successores experti fuerint, ob paupertatem et angustias earumdem provinciarum Italiae, collegiorum in praedictis decretis designatorum numerum ferre minime valentium, prout octodecim annorum experientia comprobavit; exindeque multa mala et incommoda memoratis Italiae provinciis obvenerint, non sine magno studiorum, quae fere penitus collapsa sunt, detrimento, cum maior inibi lectorum quam studentium et studiorum numerus reperiatur; eâque de causâ quamplurimi contra earumdem constitutionum formam gradibus insigniti fuerint: novissime in capitulo generali Ordinis supradicti anno MDCCIV celebrato iisdem decretis, per dictum Ioannem priorem generalem, ut praefertur, confectis, mature perpensis, eorumque praxi fere impossibili recognitâ, edita fuerunt nova alia decreta in omnibus et per omnia antiquae formae per memoratas constitutiones stabilitae consona, cum solo additamento duorum salubrium decretorum in aliis capitulis generalibus eiusdem Ordinis annis MDCXLV et MDCLX celebratis confectorum, tenoris sequentis, videlicet: Decreta referuntur.

EX CAPITULO GENERALI MDCCIV.

Carmelitis olim maioribus nostris in eremitis ac solitudine latentibus unicum porro erat necessarium, Deo nimirum vacare per De studiis et studentibus.

[1] Edit. Main. legit *illasque* (R. T.).

continua contemplationis exercitia. Verum, ex quo ad publicum Ecclesiae famulatum, agrique dominici culturam, summorum Pontificum auctoritate, translati sumus, nostri iam instituti ratio postulat, ut cum theologiâ mysticâ, quae sane pars est Carmelitarum optima, litterarum scientiarumque studia non impigre coniungamus. Quare statuimus in primis, quod in universo Ordine nostro sint studia generalia quadraginta quatuor, videlicet: Romae, Parisiis, Tolosae, Paduae, Papiae, Neapolis, Florentiae, Senis, Pisis, Taurini, Cremonae, Ravennae, Cataniae, Drepani, Messanae, Panormi, Barchinonae, Salmanticae, Compluti, Ilerdae, Conimbricae, Toleti, Vallisoleti, Valentiae, Oschae, Granatae, Hispali, Ossunae, Cordubae, Coloniae, Moguntiae, Lovanii, Avenione, Perpiniani, Burdegalae, Andegavi, Licii, Cracoviae, Viennae, S. Mariae de Vita, Duacii, Vilnae, Capuae ac Bononiae, in quibus omnibus sint continui regentes et lectores artium et theologiae, cum studentibus idoneis.

Qui ad ea mitti possint vel debent, et a quibus subministrari expensae.

Item ordinamus, quod quaelibet provincia possit mittere studentes ad quodlibet studium generale, de licentiâ tamen et assensu prioris generalis; declarantes quod si in provinciis, ubi propter observantiam vitae communis conventualitas est abrogata, in conventu aliquo essent plures fratres idonei ad studia, provincia talis ex communi aerario provinciae teneatur solitam subventionem pro suis necessitatibus supplendis assignare omnibus et singulis sic missis; in aliis vero provinciis, ubi nondum viget vita communis, sed conventualitas adhuc in usu est, solita subventio studentium fiat a conventibus, quorum sunt filii, et talis provisio assignetur cuique, quamdiu actualiter studentes erunt. Decernentes insuper quod quilibet conventus Ordinis habens facultatem nutriendi octo fratres, teneatur manutenere unum religiosum suae provinciae in studio, et ei solitam subventionem dare, sub poenâ privationis officii priori et rebellionis fratribus dicti conventus huic statuto se opponentibus infligendâ; unde consequenter statuimus, quod si contingat plures esse studentes filios unius conventus, cui facultates non suppetunt omnibus solitam subventionem dare, provincialis seu generalis eos distribuat et assignet aliis conventibus eiusdem provinciae, qui vel non habent alumnos studentes, vel si habent, non in eo numero, quo possunt in studio sustentare. Studentes vero, ad studia generalia intra vel extra suam provinciam missi, nullo modo promoveantur, nec «quidem in formâ simplici cursoratus, sine prioris generalis licentiâ, et servatis [1] iis quae inferius determinabuntur; quod intelligendum est de Italiae provinciis; quinimo nec provincialis neminem possit promovere ad studia, nisi cum licentiâ patris generalis, et habitis patentibus eiusdem.

Qualitates mittendorum ad studia.

Ad haec studia nullus mittatur dyscolus, vel de inhonestâ conversatione suspectus, aut qui crimen perpatravit, vel scandalum fecerit, etiamsi ab Ordine non recesserit; similiter qui ab Ordine apostatavit: sed solum illi, quos virtutis et honestatis amantes prior provincialis patri Ordinis praesentandos esse iudicaverit, habitis etiam super hoc testimonialibus litteris a conventu, in quo per sex ultimos menses ante studium vixerint, et post debitos annos in seminario vel professorio a professione comptetos, nisi aliquando iustâ de causâ a definitorio de mansione in conventu continuâ per sex menses dispensarentur, quae causae similiter ad reverendissimum generalem transcribantur; idque intelligendum volumus de omnibus studentibus, sive intra sive extra provinciam ad studium mittantur, sub poenâ depositionis provinciali ab officio, et definitoribus sub poenâ inhabilitationis ab actu definiendi in posterum. Et si ex quacumque provinciâ tales rixosi, dyscoli, et aliis supra nominatis vitiis affecti, ad lectoratus, baccalaureatus, imo et magisterii gradus fuerint promoti, aut in studio, ad quod tales sunt missi, tales fuerint reperti, ipso facto sint privati perpetuò omni studio et gradu.

Studentes reverti non possint ad provincias sine licentia.

Item ordinamus quod nulli studentes a quibuscumque studiis generalibus redeant ad suas provincias sine prioris generalis, et

1 Edit. Main. legit *servata* (R. T.).

ultra montes saltem sine provincialis assensu, neque prior studii generalis habeat potestatem talibus licentiam dandi ad eorum instantiam, sub poenâ depositionis ab officio.

Nec ad gradus promoveri.

Item firmiter statuimus quod nullus frater praesumat gradum licentiae ac lauream doctoralem in aliquâ universitate suscipere absque expressâ licentiâ reverendissimi patris generalis specialiter concessâ, sub poenâ excommunicationis latae sententiae et privationis gradus et honorum in perpetuum, aliisque poenis in bullis Martini V et Eugenii contentis.

Praefinitio temporis pro lectionibus.

Item ordinamus quod lectiones in logicâ, philosophiâ et theologiâ initium sumant a festo Nativitatis beatae Virginis Mariae usque ad dominicam Sexagesimae, et a die Cinerum denuo resumantur usque ad diem ultimam mensis iunii, neque intermittantur lectiones nisi deputati ad legendum aliquâ fuerint in firmitate correpti, cuius rei curam specialem patris provincialis habebit in suis visitationibus. Studentes regulariter non feriabuntur a scholis, nisi semel per diem in unaquâque hebdomadâ, ubi nullum festum occurrit.

Forma servanda in collatione graduum.

Gradus extra provincias Hispaniae (pro quibus infra specialis erit dicendi locus) hoc modo et non aliter a reverendissimo patre generali concedi poterunt, sub poenâ nullitatis.

Examen et relatio facienda de doctrinâ et moribus studentium.

Primo nullus gradus, qualiscumque is demum sit, conferetur aut conferri poterit a reverendissimo patre Ordinis, nisi praevio examine et approbatione de sufficientiâ doctrinae ad singulos gradus respective requisitae, sicuti de vitâ et moribus graduandorum, a prioribus conventuum studiorum faciendâ cum totâ communitate per suffragia secreta, necnon praesentatione definitorii provincialis propriae provinciae tantum, si in eâ permanserint, imo etiam alienae, si per annum in illâ commorati fuerint. Decernentes quod priores et lectores sive regentes studiorum tenebuntur mittere ad capitula provincialia et congregationes annuas definitorum exactam relationem sub iureiurando faciendam de sufficientiâ doctrinae et moribus singulorum studentium, et reverendi admodum patres provinciales in suis visitationibus omnes et singulos studentes seriò examinabunt unà cum sociis suis respective et regentibus; in quo examine, relatione et praesentatione conscientias singulorum, quorum interest, sub iureiurando adstrictos et gravatos esse volumus in diem Domini; super quibus nec reverendissimus pater Ordinis dispensare poterit; quod nominatim intelligi volumus etiam de conventu Transpontinae.

Collatio cursoratus et aliorum graduum.

Secundo, gradus singuli hoc modo et non aliter conferri poterunt: nempe cursoratus (tametsi is gradum non constituat), profecto[1] cursu per integrum triennium totius philosophiae, inclusâ metaphysicâ et ethicâ, non conferatur, nisi praemisso supradicto examine, praemissis etiam solemniter quatuor lectionibus coram toto conventu, primâ de physico auditu, secundâ de caelo vel generatione, tertiâ de animâ, et quartâ de metaphysicâ, et ultimò habitis etiam prius disputationibus publicis super universâ philosophiâ. Lectoratum autem nonnisi purificatis sequentibus conditionibus conferri volumus, videlicet: primo, ut hoc gradu insigniendus, sit sacerdos; secundo, ut quatuor annis integris studuerit theologiae cum profectu; tertio, ut intra quatuor annos praedictos habeat disputationes publicas de universâ theologiâ. Baccalaureatus conferatur, ubi post lectoratum per duos integros annos legerit philosophiam vel theologiam, vel, per biennium in studiis permanendo, duas publicas disputationes ex primâ parte et primâ secundae habuerit. Gradus denique magisterii, ubi post baccalaureatum per duos alios annos vel legerint philosophiam seu theologiam, vel habuerint in eodem biennio duas publicas disputationes ex secundâ secundae et ex tertiâ parte, in studiis pariter permanendo, dummodo in etate triginta annorum sint constituti, et Romam accedant ut examinentur et approbentur; servatis tamen circa hoc in provinciis Poloniae legibus municipalibus earumdem. Patentes vero aliter vel alio modo concessae nullae sint, et censeantur tamquam si nunquam concessae fuissent, eo quod super praemis-

1 Aptius lege *perfecto* (R. T.).

sis reverendissimus pater nullam habeat dispensandi facultatem.

Cursoratus proprie non est gradus, et ordo professionis inter cursores servandus.

Sciant autem cursores, ut supra insinuatum est, se non esse graduatos, et inter se tenere debent locum suae professionis; imo si quis ex inferioribus studentibus prius fuisset professus, in choro, refectorio et processionibus locum suae professionis obtinebit; quamquam, in his quae pertinent ad studium, cursores in cunctis debeant illos praecedere.

Regulae communes lectorum tam artium quam theologiae.

Regulae autem lectorum tam artium quam theologiae sequentes erunt: Primo, quotidie legant praeter consuetos dies vacationis et festos; secundo, quotidie explicent totum id quod eo die in scriptis dictant; tertio, quotidie conferentiam vel disputationem rite habeant cum studentibus; quarto, singulis mensibus habeant conclusiones menstruas coram toto conventu vel patribus gravioribus; quinto, semel in anno habeantur conclusiones impressae publicae, ad quas exteri arguentes invitabuntur; sexto, probationes supradictorum praesentabuntur capitulis provincialibus vel congregationibus annuis, a quibus, si tamquam legitimae approbatae fuerint, expleto tempore praefatae lecturae, vel permanentiae in studio cum conditionibus superius assignatis, poterunt lectores et baccalaurei a toto definitorio capituli vel congregationis annuae praesentari reverendissimo patri pro eorum promotione, cum expresso eiusdem definitorii testimonio de vitâ et moribus eorumdem.

Lectores theologiae studeant tum gravitati, tum brevitati, tum maxime perspicuitati; non obiter aut leviter attingant difficultates scholasticas, neque vero tam in conquaerendis doctorum auctoritatibus immorentur, quam in solidis rationibus seriò examinandis; quod spectat ad divum Thomam, illius doctrinam amplectantur cum interpretatione doctorum Ordinis nostri: insuper seriò monentur regentes et iuniores nostri, ut, iuxta antiquiores Ordinis constitutiones, diligenter studeant doctorum nostri Ordinis determinationes sustinere, sententias sequi et allegare, praesertim Ioannis Bachonii *doctoris resoluti* nuncupati; lectores vero philosophiae studeant Aristoteli adhaerere, quantum fides catholica patitur.

Eorumdem privilegia et commoda.

Lectores sive artium sive theologiae, quamdiu deputabuntur ad docendum, erunt exempti ab officio chori iuxta decreta Clementis VIII *Pro ref. regul.*, die XXV iunii MDXCIX; diebus tamen solemnioribus et dominicis maiori missae et vesperis interesse tenebuntur, et sabbatis completorio; non concionabuntur, nisi diebus festis, et in eodem loco in quo est conventus ipsorum, vel in convicinis. Ceterum curabit omnino diligenter superior maximâ cum charitate lectoribus administrari victum, vestitum, aliaque necessaria; quamdiu vero lectores actualiter docebunt, sub se studentes voce et loco praecedant.

Studentes quomodo se gerere debeant erga lectores in schola et extra.

Lectoribus studentes aliique omnes honorem ubique deferant, et eam in scholis modestiam servent quae decet viros religiosos; si quis secundo monitus ab immodestiâ et loquacitate in scholâ non abstinuerit, gravi poenae subiaceat; at vero post tertiam vicem expellatur a priore et lectore, donec generalis moneatur. Item si quis irreverenter se gesserit erga lectores, panem et aquam in terrâ comedat, et nisi ter monitus se se corrigat, per provincialem de consilio prioris et regentis expellatur a studiis, donec moneatur reverendissimus pater generalis.

Audito signo lectionis, modeste cum silentio scholam adire festinabunt, statim etiam post lectiones in suas cellas se recipiant, sub poenâ gravi assuetis contrafacere et otiose vagari; verborum contentiones, vociferationem, gestusque immodestos summopere devitent, etiam inter disputandum; quicumque vero frater offenderit verbo, statim moneatur ab illo, qui est inter ipsos praefectus aut professione maior, sub poenâ gravi si quis arroganter resistat.

Modus ab iis servandus in exercitio studiorum.

Fratres studio deputati, nec concionibus, nec aliis studiis, quam ei cui sunt addicti, se se applicent ex professo, sub poenâ gravi assuetis. Omnes et singuli non solum lectiones excipiant, sed etiam functiones omnes scholasticas obeant suis vicibus; quod si negligentes in his aliqui reperiantur, et

tertio moniti non se corrigant, a studio removeantur. In quotidianis autem disputationibus, postquam a studentibus aliquid de scriptis repetitum fuerit, duo argumentabuntur; arguent autem primo loco studentes eiusdem classis, deinde replicare poterunt studentes superioris classis. Quod si qui ultra triennium manserint in studiis inutiliter et sine aliquo profectu, ordinamus quod revocentur a studio, et remittantur ad alios conventus, ne frustra ulterius locum occupent aliorum.

De litteris humanioribus, et admissione saecularium.

Ad litteras humaniores addiscendas fratres nostri nunquam mittantur extra conventum, sed singulis annis nominentur qui iuniores eruditionem doceant. Item scholae nostrae nullis pateant saecularibus ad lectiones excipiendas vel audiendas, sub poenâ gravi; si tamen id necessarium videbitur in aliquâ provinciâ, dispensabit reverendissimus consentiente capitulo provinciali.

De laicis, confessariis et concionatoribus.

Ad conventus studiorum tot assignabuntur laici ut ad officia communia sufficiant, quibus proinde studentes ordinarie non applicabuntur. Item in illis confessarii et concionatores esse debent ordinarii. Nolumus enim actu studentes operibus eiusdem[1] vacare, nisi pro rarâ et urgente necessitate, vel pro brevi exercitatione quae studia non impediat. Omnes tamen et singuli studentes tam ad publicas quam ad privatas processiones ire teneantur sub poenâ gravi.

De pietatis operibus.

Item omnes non sacerdotes semel in hebdomadâ sacram Eucharistiam sumere teneantur; singulis quoque annis petant, et illis concedatur per aliquot dies in cellulis suis solitudini, silentio et pietati vacare ferventius.

Nemo instituatur in gradibus ex gratiâ vel saltu.

Nullus in posterum instituatur magister, praesentatus, baccalaureus vel lector, qui dicatur de gratiâ graduatus, neque ex saltu, etiamsi per aliquot annos in studiis se exercuerit; super quo nec poterit dispensare reverendissimus.

Exprimuntur officia, quae magistri in theologiâ consequi possunt.

Item ordinamus quod magistri in theologiâ, ultra regentias, lecturas, praedicationes, prioratus, tam locales quam provinciales et generales, seu provinciarum visitatores, et procurationem Ordinis, aut societates reverendissimi patris generalis seu provincialis, non possint habere alia officia in Ordine; neque audeant, sub poenâ privationis dignitatis et gradus ipso facto, suscipere procuratorias, sacristias, vel huiusmodi officia ad simplices fratres attinentes immediate, nisi fortasse in aliquo conventu, ex dispensatione solius reverendissimi patris generalis, expediret ex magistris aliquem pro conventus beneficio de praedictis aliquid exercere, quod non fiat nisi in casu rarissimo.

Prohibitio typis edendi libros, nisi praeviâ licentia.

Nullus libros imprimere praesumat, nisi ad hoc licentiam et approbationem obtineat per priorem generalem, aut per capitulum generale, sub poenâ privationis gradus, vocis et loci; volumus autem ut talis approbatio a reverendissimo patre Ordinis non detur, nisi prius liber ille imprimendus a duobus magistris in theologiâ, vel theologiam actualiter docentibus, aut qui illam per aliquot annos docuerint, ad id specialiter deputandis, revisus et approbatus fuerit.

Lectio casuum conscientiae bis faciendâ in hebdomadâ.

In omnibus conventibus incumbet praecipue superiori obligatio curandi ut bis in hebdomadâ fiat lectio casuum conscientiae, non tamen scripta dictando, sed[1] auctorem selectum praelegendo et explicando, dubia proponendo et dissolvendo; huicque lectioni teneantur interesse omnes sacerdotes etiam graduati legitime non impediti, nisi a provinciali dispensationem obtinuerint.

Confirmatio praedictorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tollendis multiplicibus confusionibus hactenus invectis, stabiliendaeque eiusdem Ordinis eiusque studiorum et graduum salubri directioni maxime expediat, ut praeinserta decreta, abrogatis aliis per memoratum Ioannem priorem generalem, sicut praemittitur, editis, apostolicae confirmationis nostrae praesidio muniantur: nobis propterea praedictus Petrus Thomas prior generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsum Petrum

1 Potius lege *eiusmodi* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *seu* pro *sed* (R. T.).

Thomam priorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, studia et gradus dicti Ordinis ad formam decretorum capituli generalis eiusdem Ordinis anno MDCCIV celebrati, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, reducimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Exordium. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praedictis Innocentii XII praedecessoris nostri litteris, aliisque praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictorum Ordinis et provinciarum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die X novembris MDCCXI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 10 novembris 1711, pontif. anno XI.

CLXI.

Declaratur, actibus et functionibus a S. Sede peragi solitis post electionem regis Romanorum in futurum imperatorem, eam non approbari, antequam ab ipso electo confirmatio petatur et impetretur [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Actus qui praecesserunt. § 1. Acceptis nuperrime a carissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum catholico necnon Hungariae et Bohemiae

1 Const. ed. MDCCXI, die 3 octobris, pontif. XI, nullae declaratae fuere preces primariae a vicariis imperialibus expeditae; const. ed. MDCCXIII (1714) die 10 (et 29?) martii, pontif. XIV, extant preces primariae pro rege Romanorum in futurum imperatorem.

rege illustri litteris, quibus nobis significat se in conventu electorali Francofurti ad Maenum habito in regem Romanorum futurum imperatorem die XII octobris proxime praeteriti electum fuisse, quemadmodum illico diem crastinam indiximus, qua in pontificiâ nostrâ capellâ, benedicente Domino, sacrosanctum missae sacrificium in nostrâ et venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium praesentiâ pro gratiis omnipotenti Deo de eiusdem electione agendis de more celebrandum erit, ita aliae etiam functiones praemissorum occasione per Romanos Pontifices praedecessores nostros, seu eorum iussu, vel aliàs quovis modo peragi consuetae, similiter a nobis seu iussu nostro, vel aliàs quovis modo peragendae erunt, seu forsan etiam aliquae iam peractae fuerunt. Praeterea supradictis et aliis eiusdem Caroli electi litteris ad nos datis, ac in posterum dandis, respondere intendimus, etiam illum regem Romanorum in imperatorem electum appellando.

Declaratio ut in rubricâ.

§ 1. Verumtamen, ne ex praedictis et quibuscumque aliis actibus et functionibus, tam nostris quam quorumcumque nostrorum et Sedis Apostolicae officialium ac ministrorum, etiam speciali notâ dignorum, etiam nunciorum apostolicorum, ac quorumcumque S. R. E. cardinalium, etiam de latere legatorum, tam publicis quam privatis, quandocumque faciendis, seu forsan etiam factis, ac inde secutis et secuturis quibuscumque, possit unquam praetendi nos electionem praedictam approbasse et confirmasse, etiamsi talis praetensio minime subsistat, cum apostolica confirmatio huiusmodi, tam de iure quam de more, nonnisi primo coram nobis exhibitis electionis et aliorum ad id requisitorum instrumentis, et praeviâ maturâ causae cognitione in nostro consistorio secreto et sub Bullâ consistoriali concedi et expediri consueverit, nihilominus, omnem in praemissis ambigendi materiam praecidere, mentemque et intentionem nostram palam facere volentes, omniumque et singulorum praemissorum ac quorumcumque aliorum actuum et functionum hactenus et deinceps quandocumque, ubicumque, quomodocumque a nobis vel aliis quibuscumque, cuiuscumque qualitatis, dignitatis, etiam ecclesiasticae, status, gradus et conditionis, etiam individuâ expressione dignae, extiterint, et pro tempore existant, etiam de mandato nostro, et aliàs quovis modo, tam cum eodem Carolo electo, quam cum ipsius Caroli electi oratore et oratoribus ac ministris, etiam in Romanâ Curiâ factorum et faciendorum, et inde sequutorum et sequuturorum, aliorumque hîc forsan exprimendorum et inserendorum, etiam particulari mentione dignorum, tenores, circumstantias et quaslibet singularitates, etiam maiores et veriores, praesentibus pro plene expressis et insertis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praesentium serie attestamur, declaramus, et decernimus nostrae mentis, intentionis et voluntatis incommutabilis semper fuisse et esse, ac deinceps fore, per omnes et singulos actus, functiones, receptiones, recognitiones et tractatus quoscumque verbo, scriptis, etiam per litteras apostolicas sub plumbo ac in formâ Brevis sub annulo Piscatoris et missivas, ac facto, a nobis, et respective a dilecto filio nostro Fabritio tituli Ss. Ioannis et Pauli S. R. E. presbytero cardinali Paulutio nuncupato, secretario nostro Status, necnon dilecto etiam filio nostro Iosepho Renato S. Georgii in Velabro eiusdem S. R. E. diacono car-

dinali Imperiali itidem nuncupato, ad praedictum Carolum electum nostro et dictae Sedis de latere legato, et a quovis alio ipsius S. R. E. cardinali etiam de latere pariter legato, ac similiter a nunciis apostolicis, etiam apud eumdem Carolum electum nunc et pro tempore nomine nostro et eiusdem Sedis residentibus, et a quibuscumque aliis nostris et Sedis praedictae officialibus et ministris ubicumque residentibus, etiam individuâ mentione dignis, etiam de mandato nostro, quandocumque, ubicumque et quomodocumque factos et factas, et pro tempore faciendos et faciendas, ac inde secuta et secutura quaecumque, atque pluribus vicibus iteratos et iterata, ac effectum sortitos, sortitas et sortita quoscumque et qualiacumque sint et pro tempore fuerint, etiam cum oratore et oratoribus nunc et in perpetuum etiam apud nos Sanctamque Sedem praedictam nomine eiusdem Caroli etiam uti Romanorum imperatoris electi pro tempore residenti et residentibus, ac cum quibuscumque aliis ipsius Caroli electi officialibus, ministris, procuratoribus et plenipotentiariis, quavis occasione et causâ, etiam ratione foederis universalis, ac defensionis et propagationis fidei catholicae, et quavis aliâ etiam particulari expressione dignâ, hactenus et pro tempore facta, tractata et gesta, faciendaque, tractanda et gerenda, necnon per quascumque denominationes, inscriptiones, appellationes, nuncupationes et narrativas in favorem praedicti Caroli in regem Romanorum futurum imperatorem electi, per quoscumque, etiam nomine nostro et Apostolicae Sedis, ac etiam per nos quomodolibet factas et pro tempore faciendas, illum etiam regem Romanorum in imperatorem electum appellando, ac etiam per quamcumque oratoris et oratorum, sive ablegati et ablegatorum, ad nos et Sedem Apostolicam ab eodem Carolo electo destinati et destinatorum, missique et mittendorum, receptionem et admissionem ad audientiam nostram et ad osculum pedum nostrorum cum quibuscumque apparatibus, caeremoniis, circumstantiis, praerogativis, antelationibus, etiam publicis, etiam extraordinariis et insolitis quomodolibet expresse vel tacite hactenus concessis et datis, concedendisque, et in posterum dandis, etiam tamquam oratori et oratoribus sive ablegato et ablegatis Romani imperatoris electi, non intellexisse, nec voluisse, minusque in posterum intelligere nec velle praedictam eius electionem approbare nec confirmare; quinimo nostrae mentis et voluntatis fuisse et deinceps fore, ut, iuxta consuetum, confirmatio apostolica huiusmodi per praedictum Carolum electum petatur, et per litteras apostolicas consistoriales a nobis et S. R. E. cardinalibus subscriptas expediri impetretur, et interim nedum omnem approbationem et confirmationem, sed etiam cuiuscumque approbationis et confirmationis expresse et tacite concessionem, et quemcumque eius effectum suspendimus, suspensamque et suspensum fuisse et esse ac deinceps fore declaramus, ac pro suspensis haberi volumus et decernimus. Praesentesque litteras de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse quomodolibet habentes et habere praetendentes, cuiuscumque status, gradus, qualitatis, dignitatis et conditionis existant et extiterint, ad id vocati, citati et auditi non fuerint, notari, impugnari, infringi, seu redargui nullatenus posse, neque sub quibus-

cumque revocationibus, suspensionibus, moderationibus, derogationibus et quibuscumque aliis contrariis dispositionibus generalibus, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros faciendis comprehendi, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, quavis auctoritate et potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, similiter decernimus.

Clausulae. § 3. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus quibuscumque, tam apostolicis quam imperialibus ac Cancellariae Apostolicae regulis, etiam individuam derogationem requirentibus; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum inserta mentio habenda foret, tenores huiusmodi, etiam maiores et veriores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, ad effectum omnium et singulorum praemissorum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII decembris MDCCXI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 18 decembris 1711, pontif. anno XII.

CLXII.

Confirmatur generale interdictum dioecesi Lyciensi, eiusque observantia mandatur sub certis poenis [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Interdictum, cui episcopus Lyciensis, a saeculari potestate eiectus, civitatem et dioecesim supposuerat, a quibusdam ecclesiasticis contemnitur

§ 1. Cum, sicut ad apostolatus nostri notitiam pervenit, in civitate et dioecesi Lyciensi (quas nuper venerabilis frater Fabritius episcopus Lyciensis, non solum a suâ ecclesiâ Lyciensi, verum etiam a toto regno Neapolis, per intolerabilem laicalis potestatis abusum, violenter eiectus in actu eiusmodi suae eiectionis, iuxta sacrorum canonum praescriptum, ecclesiastico interdicto supposuit) nonnullae personae ecclesiasticae saeculares et forsan etiam regulares reperiantur, quae temerario ausu, sive variis ab Ordinariorum auctoritate exemptionis, ac immediate huic S. Sedi subiectionis, necnon apostolicorum earum ordinibus vel institutis concessorum privilegiorum praetextibus, sive etiam eâ ratione, quod earum ecclesiae, conventus et monasteria sub praetensâ protectione regiâ, aut de praetenso regio iurepatronatus esse dignoscantur, se ad dicti generalis interdicti observantiam minime teneri, ac missas et alia divina officia celebrare, necnon sanctissimum Eucharistiae sacramentum administrare, fidelium defunctorum cadavera ecclesiasticae sepulturae tradere, aliosque actus prohibitos, cum gravi fidelium scandalo publicoque auctoritatis ecclesiasticae contemptu, exercere posse praesumunt:

Confirmatio interdicti, et mandatum illud observandi.

§ 2. Hinc est quod nos, sacrorum canonum praefatorum et Concilii Tri-

1 Const. ed. MDCCXI, die 15 martii, pontif XI, confirmatae fuere censurae inflictae a commissario generali in Smis; et const. ed. MDCCXIV, die 6 novembris, pontif. XIV, confirmatur interdictum in civitatibus Catanensi et Agrigentinâ.

dentini dispositioni inhaerentes, ac generale interdictum, cui praefatus Fabritius episcopus civitatem et dioecesim supradictas, sicut praemittitur, subiecit, pro valido et iusto habentes, illudque ad maiorem cautelam, ac quatenus opus sit, approbantes et confirmantes, eique civitatem et dioecesim praefatas de novo subiicientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas personas ecclesiasticas, tam saeculares, cuiusvis tandem gradus, praeeminentiae, ac dignitatis fuerint, quam cuiusvis ordinis, congregationis, instituti et societatis, etiam Iesu, regulares, ad exactam eiusdem interdicti observantiam omnino teneri et obligatas existere ac fore, itaut in quibusvis ecclesiis, locis piis, oratoriis, etiam privatis ac capellis domesticis, etiam in fortalitiis regiis civitatis et dioecesis praedictarum existentibus, quocumque privilegio, exemptione et indulto, etiam praetensae protectionis regiae, seu praetensi iurispatronatus regii, tametsi pluries ac quantiscumque vicibus ab hac Sanctâ Sede approbati, suffultis, nec missae, nec alia divina officia celebrari, neque sanctissimum Eucharistiae sacramentum praedictum administrari, minusque fidelium defunctorum cadavera sepeliri, aliave tempore interdicti prohibita exerceri, nisi temporibus, casibus et modis per supradictos sacros canones permissis, ullo modo valeant, tenore praesentium statuimus, decernimus et ordinamus; adeoque privilegia, exemptiones, indulta, protectiones et iurispatronatus huiusmodi, etiamsi ceteroqui de iure subsisterent, nemini ad effectum se eximendi ab observantiâ praefati generalis interdicti ullatenus suffragari posse, harum serie declaramus.

Declaratio censurarum et com. § 3. Praeterea omnes et singulos, quantumvis exemptos et quovis modo privilegiatos, qui statuto, decreto et ordinationi nostris huiusmodi, sub quovis quaesito colore, ratione aut praetextu hactenus quomodolibet contravenerunt seu contravenient in futurum, etiamsi capellanorum regiorum honore seu alio quovis titulo, munere aut dignitate praefulgeant, eo ipso et absque aliâ declaratione in censuras et poenas ecclesiasticas per praefatos sacros canones et constitutiones apostolicas desuper inflictas et impositas incidisse, illisque innodatos fuisse et esse ac fore, nec ab eis a quoquam, nisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras et poenas eo ipso quo convuluerint), absolvi et liberari posse, earumdem tenore praesentium similiter statuimus et declaramus. Facultatem insuper contra transgressores ecclesiasticos, si quidem saeculares fuerint, ad beneficiorum ecclesiasticorum per eos obtentorum privationis aliaque in posterum obtinendi inabilitationis; si vero regulares, ad officiorum quorumcumque, ac vocis activae et passivae privationis, aliasque poenas canonicas procedendi, nobis et Apostolicae Sedi specialiter et expresse reservantes. Ac decernentes pariter, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quan-

minali aliarum poenarum

Clausulae.

tumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno ac substantiali ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae praedictae cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, ac quorumvis monasteriorum, conventuum, ecclesiarum et locorum piorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, etiam Iesu, ac monasteriis, conventibus, ecclesiis et locis piis praedictis, illorumque respective superioribus et personis quibuslibet, in genere vel in specie, praesertim quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, ac aliâs sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, seu ad quarumcumque personarum, etiam imperiali, regali, aliâve mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate fulgentium, instantiam, aut earum contemplatione, seu aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis ac pluries iteratis, quantiscumque vicibus confirmatis, innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem impor-

tantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac plenissime et amplissime derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum tramsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV decembris MDCCXI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 24 decembris 1711, pontif. anno XII.

CLXIII.

Confirmatur concessio collegii et ecclesiae B. M. in Montibus de Urbe facta presbyteris congregationis Piorum Operariorum, cum exemptione ab Ordinariis et elargitione privilegiorum [1].

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a dignitate B. Virginis Mariae.

Salvatoris nostri vices [2], licet immeriti, gerentes, ea praecipue curare debemus in terris, quae idem dominus noster Iesus Christus curat in caelis. Cum itaque ipse, magnum et ineffabile redemptionis nostrae mysterium impleturus, ex omni creaturâ Mariam Virginem purissimam atque sanctissimam sibi genitricem praeelegerit, unâque cum uberrimâ foecunditate virginitatis florem illibatum perpetuo servaverit, et, Spiritu Sancto eam obumbrante, tanta praefulserit in eâ sanctarum pulchritudinis et virtutum maiestas, ut sol et luna totaque natura eam mirantes obstupuerint, ac infernus quoque contremuerit; ipsa quidem, diu expectata patribus, tandem veniens gratiarum luminibus ornata nos salutiferâ foecunditate suâ liberavit a captivitate, et serpentis caput triumphali pede calcans, amicta sole, lunam habens sub pedibus, victrix duodecim coronâ stellarum ab aeterno Rege eius filio coronari, ac super angelorum choros regina caeli et terrae constitui promeruit. Dum tanta meritorum insignia, quibus ipsa Virgo Dei genitrix gloriosa, sedibus illata sydereis, quasi stella refulget matutina, piae considerationis acie perscrutamur, dignum, quin potius reputamus debitum, ut, sicuti Redemptor noster et Deus ipsam sacratissimam Virginem sublimavit in caelis, honorari procuremus in terris; et in ecclesiis suo nomine et celebri miraculorum copiâ ac splendore illustribus assiduò nostra nos pulsat sollicitudo, ut per ministrantium vitae integritatem morumque puritatem, quantum in humanis viribus est, par ille sibi religionis exhibeatur in mundo cultus, qui ab angelis eorum reginae ministrantibus exhibetur in caelo. Inter huiusmodi ecclesias in almâ Urbe nostrâ existentes, illam clarescere conspicimus S. Mariae in Montibus nuncupatam, in qua eius sacratissima imago olim ex humili loco divinitus detecta venerabiliter

cuius ecclesiarum cultus promoveri debet.

Praecipua ecclesia B. V. in Urbe recensetur illa in Montibus.

1 Constit. edit. MDCCX, die 9 ianuarii, pontificatus X, concessa fuit facultas excipiendi confessiones sine Ordinarii licentiâ; et Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVI, die 3 iunii, pontif. II, interdicitur omnibus sibi assumere nomen *Piorum Operariorum*.

2 Constitutionem istam emendamus quantum possumus, at ad emendatissimam formam reducere minime speramus (R. T.).

asservatur, assiduàque fidelium religione ac miraculorum copiâ effulget in dies, et sub cuius auspiciis felix illa alitur iuventus, quae a genitorum infidelitatis tenebris eruta, novo orthodoxae fidei nostrae adolescit lumini. Nos igitur pervigil studium venerabilis fratris nostri Fulvii S. R. E. cardinalis Astalli nuncupati, moderni ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus illiusque domus protectoris, qui laudabilem insfrascriptorum presbyterorum vigilantiam ad ecclesiae domusque praefatarum regimen conduxit, commendantes in Domino, ut[1] cultus ecclesiae et iuventus ipsa per piam proborum virorum instructionem et efficax christianae pietatis quod presbyteri ipsi de se perhibent exemplum, ecclesiae religionisque cultui uberiores ad divini nominis eiusdem beatae Mariae Virginis gloriam afferant fructus, ad ea libenter apostolicae potestatis effundimus plenitudinem, ad quae nobis potissimum ex alto potestatem ipsam commissam fuisse arbitramur.

Refertur, a Paulo III erectum fuisse pro indaeis convertendis hospitale S. Ioannis in Mercatello, cum archiconfraternitate clericorum saecularium.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs (et postquam[2] felicis recordationis Paulus Papa III praedecessor noster[3], ad omnipotentis Dei totiusque curiae caelestis laudem et gloriam, et orthodoxae fidei augmentum, unam domum seu unum hospitale ad ecclesiam S. Ioannis in Mercatello nuncupati regionis Campitelli de Urbe pro hebraeis seu iudaeis, qui divinitus inspirati, tenebrosâ patrum suorum caecitate abiectâ, ad veri luminis agnitionem se convertebant, et salutari baptismatis lavacro abluti, depositâ in eo immundâ veteris perfidiae leprâ, aeternae renascebantur saluti, et in domo seu hospitali huiusmodi, pro illius bonis administrandis, admittendisque et regendis hebraeis seu iudaeis pro tempore et[1] convertendis praedictis, unam archiconfraternitatem clericorum saecularium, quae archiconfraternitas per unum ex illius confratribus clericis per eos tantum de triennio in triennium eligendum, et rectorem, seu etiam quolibet mense[2], praepositum nuncupandum, ac duodecim clericos seu presbyteros saeculares exemplaris vitae et religionis zelatores, quos rector seu praepositus praedictus pro tempore existens duxisset eligendos, regeretur et gubernaretur, cum hoc tamen quod de numero eorumdem clericorum seu presbyterorum confratrum huiusmodi nullus praelatus seu alicuius Ordinis professor existeret, ipsique rectori seu praeposito praedicto pro tempore existenti omnimodam et plenariam obedientiam et reverentiam, uti eorum superiori, praestare, illumque in curâ et administratione domus seu hospitalis huiusmodi coadiuvare, ac duodecim clerici seu presbyteri, ut praefertur, eligendi praedicti, ut circa praemissa liberius attendere possent, nulli alteri confraternitati seu societati aggregari seu ad illam admitti valerent, ipsique ac praepositus praedictus, per confratres praedictos clericos tantum, de triennio in triennium ex eorum gremio, ut praefertur, eligendus, eorumque officium per triennium et non ultra durare respective, perpetuo erexerat et instituerat, ac insuper, ut ipsi confratres illorumque rectores, administratores, gubernatores, oeconomi, aliaeque personae ab indebitis molestiis relevarentur, unum ex sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, quem ipsi duxissent ad id eligendum, in eorum protectorem et iudicem, cui,

1 Syntaxis deinceps non satis cohaeret (R. T.).
2 Parenth. producitur usque ad p. 470 *b* (R. T.).
3 Confer tom. VI, pag. 354 et seq. (R. T.).

1 Particula *et* redundat (R. T.).
2 Comma istud praeter rem essa videntur, vel leg. *quolibet nomine*, aut *quomodolibet* (R. T.).

Narratur erectio collegii pro institutione adolescentum neophytorum a Gregorio XIII factâ.

et nulli alii, subiecti essent, et constituerat et deputaverat; et deinde eiusdem recordationis Gregorius Papa XIII, etiam praedecessor noster, provide[1] fidei christianae propagationi et incremento incumbens, ac aeternae saluti piaeque eruditioni illorum puerorum et adolescentium, qui ex iudaeorum, turcarum et maurorum, aliorumque mahumetanorum genere procreati ad Iesu Christi fidem pro tempore convertebantur, paterne prospicere et providere volens, ut ex eis prodirent operarii ad Evangelii opus idonei, qui in ipsâ Urbe aliisque Italiae locis, atque adeo in universis terrarum orbis partibus, in quibus iudaei aliique infideles degunt, christianae fidei mysteria, etiam propriâ illorum linguâ sive hebraeâ sive arabicâ, explicare, docere et praedicare possent et valerent, ad eiusdem omnipotentis Dei gloriam, sanctaeque fidei nostrae exaltationem, in eâdem Urbe, et in loco eiusdem Urbis ad id tunc eligendo, unum collegium ecclesiasticum adolescentium neophytorum nuncupandum, quod pro duabus ex iis qui a iudaismo, pro reliquâ vero tertiâ partibus ex illis qui a mahometismo recedentes, sive turcae sive mauri, sive alterius cuiusvis infidelis nationis, christianam fidem recens amplexi forent, vel saltem, eis non existentibus, ipsis[2] ex parentibus neophytis procreati fuissent, constaret, etiam perpetuo erexerat et instituerat, volueratque quod idem collegium, illiusque rectores, oeconomi, magistri, praeceptores atque scholares in eo pro tempore existentes, et eorum domestici, officiales et ministri similiter pro tempore existentes, dictique collegii ac illorum bona mobilia et immobilia cuiuscumque qualitatis et quantitatis in praedictâ Urbe et extra illam ac aliàs ubilibet locorum consistentia, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentis senatoris, conservatorum, reformatorum dictae Urbis, necnon rectoris studii generalis, vicarii Urbis, et cuiusvis Ordinarii locorum, et aliorum quorumcumque iudicum et officialium, in ipsâ Urbe vel aliàs ubilibet locorum constitutorum, exempta forent, ac collegio illiusque scholaribus, rectoribus et oeconomis praedictis, ut quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus et indultis, quibus studium generale dictae Urbis, illiusque rector, et doctores in eo etiam actu legentes, quovis modo utebantur, potiebantur et gaudebant, etiam uti, potiri et gaudere potuissent quomodolibet in futurum, ad eorum instar et pari modo uti, frui, potiri et gaudere valerent in omnibus et per omnia concesserat et indulserat, illaque eis communicaverat, ac propterea rectoribus ac superioribus dicti collegii, cum assistentiâ tamen eorumdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium eiusdem collegii protectorum, qui pro tempore fuissent, seu alicuius eorum, vel de ipsorum consilio et expresso consensu, illos, quos in dicto collegio et alibi per debitum tempus studuisse ac litterarum scientiâ et moribus idoneos esse reperiissent, ad baccalaureatus, licentiaturae, doctoratusque et magisterii gradus, servatâ formâ concilii Viennensis, iuxta universitatis eiusdem Urbis consuetudinem, seu aliàs, promovendi, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi, quodque sic promoti facultates in quibus studuissent legere et interpretari ac de iis disputare, ac quoscumque gradui[1] seu gradibus huiusmodi

1 Confer tom. VIII, pag. 188 et seq. (R. T.).

2 Vox *ipsis* delenda vel leg. *qui* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *gradus* (R. T.).

convenientes actus exercere, ac omnibus et singulis gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii in praedictâ dictae Urbis seu aliis universitatibus et alibi iuxta illius et aliarum universitatum huiusmodi constitutiones et mores ad gradus praedictos promoti de iure vel consuetudine utebantur, potiebantur et gaudebant, ac[1] uti, potiri et gaudere possent et deberent, perinde ac si gradus praedictos in ipsâ eiusdem Urbis universitate iuxta consuetudines et mores praedictos suscepissent, concedendi et indulgendi, liberam apostolicâ auctoritate dederat facultatem et potestatem, ac propterea, ut ipsius collegii conservationi bonorumque regimini, tam in his quae ad institutionem et disciplinam, quam quae ad victum, vestitum, aliaque huiusmodi necessaria pertinebant, opportunius consuleretur, tres ex eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus eiusdem collegii protectores constituerat et deputaverat, quorum consilio et ope omnia et singula praemissa, et alia quaecumque ad eosdem in collegio admittendos scholares retinendosque admissos[2] spectantia, agerentur, statuerentur et ordinarentur, tribuens eisdem et pro tempore existentibus protectoribus huiusmodi plenam et liberam facultatem et auctoritatem, pro salubri directione et conservatione dicti collegii illiusque bonorum et rerum ac iurium tam temporalium quam spiritualium, oeconomos, advocatos, procuratores aliosque ministros et officiales in eo deputandi amovendique, et eorum loco alios subrogandi, ordinationesque et statuta, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis non adversantia, faciendi et edendi, eaque, cum visum foret, revocandi, immutandi, corrigendi, aliaque de novo condendi, quae, postquam facta, edita, revocata, immutata et correcta fuissent, perinde haberi voluit, ac si auctoritate apostolicâ approbata et confirmata fuissent, illaque ab omnibus rectoribus, magistris, scholaribus, aliisque personis in collegio praedicto pro tempore servientibus et ministrantibus, inviolabiliter observari, ac iuxta eorumdem statutorum dispositionem a quibusvis iudicibus, sublatâ eis quavis aliâ aliter iudicandi facultate, iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigisset attentari, irritum decreverat et inane; ac subinde[1] anno Domini MDLXXX, propter varia miracula et signa, quae, ut pie credebatur, miserator et misericors Dominus tunc operari et edere dignabatur meritis beatissimae Mariae Virginis caeli reginae, matris misericordiae, perpetuae humani generis adiutricis, et apud ipsum Deum pro devoto populo advocatae, apud illius imaginem tunc proxime detectam in parietinâ unius foenilis intra limites parochialis ecclesiae Ss. Sergii et Bacchi regionis Montium de eâdem Urbe, quamplures infirmi diversis languoribus gravati et aliae miserabiles personae atque adeo christifidelium multitudo, devotionis causâ et impetrandi ipsius beatae Mariae Virginis intercessione spiritualium gratiarum munera ad ipsam imaginem certatim confluentes, plures eleemosynas et oblationes quotidie conferebant, idem Gregorius praedecessor, tantae devotionis fervore cummendato, illorum spirituali consolationi consulere, ac simul piae eleemosynarum et

Archiconfraternitati praedictae ab eodem Gregorio concessa fuit imago B. M. V. intra limites parochiae Ss. Sergii et Bacchi, eique factae collationes, cum conditione tamen construendi capellam in eo loco.

1 Coniunct. *ac* detenda (R. T.).

2 In loco paralt. legitur *retinendosve ac dimittendos* (R. T.).

1 Pro seq. parte narrativae deest bulla Gregorii XIII (R. T.).

oblationum ipsarum dispensationi pie providere volens, imaginem praedictam, necnon omnia et singulas eleemosynas, oblationes, redditus, proventus, res, bona et legata apud eam et pro eâ eâtenus tunc donata, legata, relicta et facta, ac in posterum donanda, leganda, relinquenda et facienda, eidem archiconfraternitati perpetuo donaverat, concesserat et elargitus fuerat, ita quod liceret bonae memoriae Guillelmo tituli S. Laurentii in Pane et Perna, tunc dum existeret praedictae sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Sirleto nuncupato, ac etiam tunc dum existeret eiusdem archiconfraternitatis protectori, necnon eiusdem archiconfraternitatis tunc existentibus administratoribus, in loco imaginis huiusmodi unam capellam construere, ac, postquam illa constructa et consecrata fuisset, in eâ missas et divina officia per presbyterum seu presbyteros idoneum seu idoneos, ad eorum nutum ponendum et amovendum, seu ponendos et amovendos, a vicario tamen dictae Urbis pro tempore existente approbandum seu approbandos, celebrari, et aliàs illi in divinis deserviri facere, ipsamque capellam, et eius res et bona, per se, vel alios ab eis pro tempore deputatos, regere et gubernare, illorumque fructus, redditus et proventus, necnon dictas eleemosynas et oblationes percipere, exigere et levare, ac in capellae et archiconfraternitatis huiusmodi aliosque pios usus eis benevisos convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ, statuens capellam ipsam, postquam illa erecta fuisset, ut praefertur, nullo unquam tempore in titulum perpetui beneficii ecclesiastici erigi, aut tamquam beneficium ecclesiasticum, vel aliàs, a Sede Apostolicâ, vel illius legatis, aut quibusvis aliis per quoscumque impetrari, neque eius eleemosynas, oblationes, legata, res et bona per alios quam protectores, administratores et deputatos praefatos regi, gubernari et administrari posse, et quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigisset attentari, irritum quoque decreverat et inane; et aliàs, prout in eorumdem Pauli et Gregorii praedecessorum litteris apostolicis, cuique[1] respective exemptis, plenius continetur) recolendae memoriae Urbano Papae VIII, similiter praedecessori nostro, pro parte[2] bonae memoriae Antonii tituli S. Honuphrii tunc dum viveret eiusdem S. R. E. presbyteri cardinalis Barberini nuncupati, ac domus, seu hospitalis, necnon collegii praefatorum et ecclesiae B. Mariae nuncupatae apud eumdem Urbanum praedecessorem et Sedem Apostolicam protectoris tunc existentis, exposito quod ipse Antonius cardinalis et tunc existentes praelatus et deputati Congregationis ad gubernium domus seu hospitalis ac collegii et ecclesiae B. Mariae praefatorum canonice institutae per eumdem Antonium cardinalem et protectorem electi, tunc provide considerantes, quod, pro maiori ipsius ecclesiae B. Mariae in Montibus (cuius bona et redditus per praelatum et deputatos huiusmodi pro tempore existentes ex concessione apostolicâ regi et administrari atque in eiusdem ecclesiae B. Mariae in Montibus necnon domus seu hospitalis et collegii praefatorum usus et necessitates, ministrorum quoque necessariorum manutentionem converti consueverunt) decore et ornamento, divini cultus in eâdem ecclesiâ B. Mariae in Montibus augumento, ac domus seu hospitalis et col-

Praedicta hospitale et collegium ab Urbano VIII translata fuere ad vicinas domos ecclesiae B. Mariae in Montibus ob plures causas effectu postea comprobatas.

1 Comma istud mendosum esse videtur (R.T.).

2 Etiam sequentis narrativae bullam Urbani VIII reperire non potui (R. T.).

legii praefatorum faciliore commoditate[1] et prosperiore gubernio, regimine[2] et administratione ac directione, expediens foret collegium (quod tunc in S. Eustachii, ac domum seu hospitale huiusmodi, quae seu quod etiam tunc in praefatâ Campitelli regione praedictae Urbis respective, atque a praefatâ ecclesiâ eiusdem B. Mariae in Montibus non parum distantia sita erant) ad unum locum eidem ecclesiae B. Mariae in Montibus contiguum seu vicinum transferre (nam, mediante translatione huiusmodi, expensis in diversorum ministrorum, pro illorum ad invicem ut praefertur separatorum gubernio necessariorum, manutentione fieri solitis opportune consultum foret, ac eidem ecclesiae praefatae B. Mariae in Montibus festivis diebus per eiusdem collegii alumnos divinis officiis in choro praefatae ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus personaliter assistentes erectae[3] non mediocri ipsius ecclesiae B. Mariae in Montibus decore divinique cultus incremento ac spirituali christifidelium ad illam devotionis causâ passim confluentium consolatione deserviretur; idem Urbanus praedecessor, praemissis et aliis rationalibus causis adductus, motu simili et ex suâ merâ liberalitate domum seu hospitale ac collegium huiusmodi ad alias praefatae ecclesiae B. Mariae in Montibus huiusmodi vicinas domos, cum omnibus et singulis eorum respective bonis, redditibus, iuribus, rebus et pertinentiis, ac quibuscumque privilegiis, indultis, exemptionibus, indulgentiis, et aliis gratiis spiritualibus et temporalibus, eis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos quomodolibet concessis, ac quibus illa de iure, usu, privilegio, consuetudine, aut aliàs quomodolibet, tunc utebantur, fruebantur, potiebantur et gaudebant (collegium videlicet ad aedes praefatae ecclesiae B. Mariae in Montibus huiusmodi ad effectum praemissum tunc acquirendas, postquam tamen illae ad debitam collegii formam redactae fuissent, ac domum seu hospitale huiusmodi ad alias ad id aptas, seu, quatenus opus esset, opportune aptandas, dictaeque ecclesiae B. Mariae in Montibus huiusmodi vicinas aedes) apostolicâ auctoritate transtulerit, et aliàs, prout in eiusdem Urbani praedecessoris litteris apostolicis desuper expeditis etiam plenius continetur; et domus, seu hospitale, ac collegium praedicta, per translationem huiusmodi ut praefertur factam, suam usque nunc senserint et sentiant utilitatem, ac felicius dirigantur et salubrius gubernentur, necnon praedicta ecclesia eiusdem B. Mariae in Montibus (quae in suis annuis redditibus sacrâ suppellectili satis congrue ditata reperitur, cuique in divinis per unum presbyterum rectorem et nonnullos alios presbyteros capellanos respective nuncupatos, aliosque ministros ecclesiasticos, a[1] pro tempore existentibus unius ex praedictae S. R. E. cardinalibus domus seu hospitalis ac collegii huiusmodi dictaeque ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus apud Romanum Pontificem pro tempore existentem et Sedem eamdem protectoris, ac aliàs iuxta praedictarum eiusdem Gregorii praedecessoris litterarum formam, amovibiles, hactenus deserviri consuevit) et[2] divinus in eâ cultus, per musicam, divinorum officiorum decantationem, ac personalem alumnorum praedictorum in choro diebus praedictis assistentiam, suum usque

1 Edit. Main. legit *commoditati* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *regimini* (R. T.).
3 Pro *erectae* legerem *cum* (R. T.).

1 Comma istud corrigat lector scius (R. T.).
2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

nunc obtinuerit et obtineat decus: nihilominus, cupientes nos, qui sub clementissimis eiusdem beatae Mariae Virginis adiutricis nostrae auspiciis onerosas pastoralis quo fungimur officii nostri curas suscepimus, religionem, quam semper erga ipsam Dei genitricem animo inclusam gessimus, externo quoque testimonio aperire, ac in alumnis ipsis illam inseri, per piam morum educationem, fidem, per quam dulciores ac uberiores proveniant aeternitati[1] fructus[2]:

Nunc a cardinali Astallio protectore introducti fuere presbyteri Pii Operarii ad dictum collegium et ecclesiam B. M. in Montibus, bonorumque usus ipsis concessus, sub quibusdam conditionibus.

§ 2. Quapropter, pervigil Fulvii cardinalis praedicti sollicitudo, nostris inhaerens desideriis, nobis nuper exponi fecit, quod ipse (provide considerans, quod Congregatio dilectorum filiorum presbyterorum saecularium in communi viventium Piorum Operariorum nuncupatorum in Urbe praedictâ introducta, iuxta illorum laudabile institutum, eâ qua decet sedulitate in vineâ Domini laborans, non solum per Urbem praedictam, verum etiam per vicina quoque eidem Urbi loca divini luminis lucem effundit, ac, orationi et ministerio verbi se instanter exhibens, illos affert dignos aeternae salutis fructus, qui ad divini nominis gloriam et ecclesiarum cultum propagandum uberes dignoscuntur) nonnullos ex Congregatione praefatâ presbyteros ad dictam ecclesiam praedictae B. Mariae in Montibus in divinis inserviendum, necnon collegii praedicti alumnos regendos, illorumque mores pie erudiendos introduxerit; et, postquam usu compererat quantum divinus cultus in praedictâ ecclesiâ B. Mariae in Montibus, quantumque collegium praedictum in illius alumnorum morum educatione intra exiguum temporis spatium sumpserit augmenti, in maioritate temporis maiorum circa praemissa effulgente securitate bonorum, praedictae ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus ac collegii huiusmodi (quoad eiusdem collegii alumnorum morum correctionem et directionem) illorumque aedium ac sacristiae utensilium, mobilium ac sacrarum supellectilium usus eidem Congregationi illiusque praeposito generali et presbyteris sub infrascriptis conditionibus:

Ut possint construere et ampliare collegium et ecclesiam praeviâ licentia protectoris.

I. Primo videlicet quod dictus Fulvius cardinalis et protector eidem Congregationi illiusque presbyteris, apud dictam ecclesiam B. Mariae in Montibus et in collegio praedicto, ut praefertur, illorumque aedibus residentibus et commorantibus, plenam et liberam facultatem propriis Congregationis ac presbyterorum praedictorum sumptibus praedictam ecclesiam eiusdem B. Mariae in Montibus ac collegium huiusmodi aedificandi, ornandi, illaque ampliandi concedere, cum hoc tamen quod Congregatio ac presbyteri praedicti, antequam aedificatio, ornatus et ampliatio per eos fiant, aedificationis, ornatus et ampliationis per eos faciendorum huiusmodi formam protectori nunc et pro tempore existenti praebere, illumque desuper informare, et ab eo licentiam desuper in scriptis reportare, debeant et teneantur.

In casus discessus presbyterorum impensae cedant ecclesiae et collegio.

II. Quod, Congregatione illiusque presbyteris praedictis ab ecclesiâ eiusdem B. Mariae in Montibus et collegio praedictis discedentibus illaque deserentibus, quidquid a Congregatione et presbyteris praedictis pro aedificatione, ornatu et ampliatione praedictis ab eis usque tunc pro tempore factis impensum fuerit, ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus et collegio praedictis libere cedere debeant et teneantur.

Expensae aedificiorum spectare debeant ad dictos presbyteros, exceptis resarcitionibus.

III. Quod, post concessionem et dationem infrascriptas, omnes et singulae expensae, quae tam veterum aedificiorum ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus et collegii praedictorum, quam de novo a Congregatione et presbyteris praedictis in posterum, ut praefertur, faciendorum (non tamen resarcitionum collegii praedicti aedificiorum nunc existentium, ac omnium et singularum

1 Potius legerem *aeternitatis* (R. T.).

2 Syntaxis inabsoluta manet (R. T.).

viarum silicibus structarum et structendarum, tam ad ecclesiam eiusdem B. Mariae in Montibus, quam ad collegium praedictum spectantium manutentioni resarcitionique pro tempore necessariae fuerint) ad Congregationem illiusque presbyteros spectent et pertineant.

Administratio bonorum temporalium reservetur eminentissimo protectori.

IV. Quod Congregatio illiusque presbyteri praedicti in administratione omnium et singulorum bonorum temporalium ad dictam ecclesiam B. Mariae in Montibus et collegium praedictum nunc et pro tempore quomodolibet spectantium, nullo unquam tempore se intromittere seu intromitti praetendere possint; sed administratio praedicta ad nunc et pro tempore existentem ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus ac collegii praedictorum protectorem, pleno iure, ac iuxta litterarum apostolicarum desuper editarum dispositionem, spectet et pertineat.

Numerus saltem sex presbyterorum pro servitio ecclesiae et collegii existat

V. Quod Congregatio illiusque presbyteri praedicti inibi semper et quandocumque saltem sex eiusdem Congregationis presbyteros (qui ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus iuxta illius laudabilem consuetudinem in divinis deservire, et in eâ sacramentales christifidelium confessiones audire, verbum Dei enunciare, necnon collegio praedictis illiusque collegialium et alumnorum directioni incumbere debeant) manutenere similiter debeant et teneantur.

Eadem obligatio praestandi congruam substentationem licetis presbiteris, sicut antea servetur.

VI. Quod ecclesia eiusdem B. Mariae in Montibus ac collegium praedicta, pro congruâ eorumdem presbyterorum, Congregationi illiusque presbyteris praedictis quidquid pro manutentione omnium et singulorum presbyterorum, sacristiae, confessariorum, rectoris, praefecti collegii praedicti, aliorumque ministrorum ecclesiasticorum ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus et collegii praedictorum servitiis antea incumbentium annuatim praestabat, annuatim praestare; ita tamen quod per viam computi diligenter perpenso, ad quidquid manutentio praedicta annuatim ascendebat, id totum etiam annuatim de mense in mensem, pro ratâ illius parte, eidem Congregationi illiusque presbyteris pro supportandis perpetuo omnibus et singulis oneribus praedictis nunc et pro tempore existens protector praedictus persolvi facere respective debeat et teneatur.

Assignentur redditus pro manutentione alumnorum, musicorum et ministrorum ecclesiae, ac supportatione aliorum onerum.

VII. Quod idem servandum sit tam in alumnorum praedictorum in dicto collegio pro tempore degentium, quam musicorum aliorumque ministrorum eidem ecclesiae praedictae B. Mariae Virginis in Montibus inserventium salariis, necnon sacristiae ac cuiuscumque alterius oneris ipsius ecclesiae B. Mariae in Montibus huiusmodi cultum servitiumque concernentium supportatione, nempe, quod, facto prius computo omnium et singularum expensarum, quae, de uno ad alterum annum, annuis manutentioni alumnorum etiam quoad illorum victum, vestitum, ac utensilium et mobilium usum, musicorum salario, sacristiae aliorumque dictorum onerum supportationi praedictis necessariae fuerint, id totum, ad quod omnes et singulae expensae praedictae annuatim ascendere compertae fuerint, et ad summae huiusmodi rationem tantum, Congregationi illiusque presbyteris praedictis, absque eo quod ipsi aliquid ultra ullo unquam tempore pro praemissis omnibus et singulis supportandis praetendere possint, quin sub expressâ eorum obligatione de praemissis omnibus et singulis oneribus praedictis perpetuo exacteque supportandis, similiter et ut praefertur earumdem expensarum rata pars de mense in mensem annuatim persolvi debeat.

Admissio et dimissio alumnorum ac electio magistri musicae spectent ad protectorem.

VIII. Quod alumnorum admissio ad collegium, illorumque stabilimentum iuxta apostolicarum constitutionum desuper editarum tenorem et formam, et eorumdem alumnorum dimissio, necnon musicae magistri electio illiusque amotio, ad modernum et pro tempore existentem protectorem praedictum libere spectet et pertineat.

Ad quem etiam ius visitandi et corrigendi pertineat, ut supra.

IX. Quod cardinalis modernus et pro tempore existens protector praedictus omnimodam auctoritatem ac plenam et liberam facultatem ecclesiam eiusdem B. Mariae in Montibus necnon collegium praedicta et alumnos in collegio huiusmodi existentes visitandi, et alumnos praedictos corrigendi, prout eiusdem Fulvii cardinalis ac protectoris praedecessores in vim constitutionum praedictarum obtinuerunt, obtineat.

Deputatio rectoris ex Congregatione dictorum presbyterorum fieri debeat, et protector illum amovere possit.

x. Quod futurus et pro tempore existens ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus et collegii praedictorum rector unus ex eiusdem Congregationis presbyteris ab eiusdem Congregationis legitimis superioribus huiusmodi regimini deputandus esse debeat, et qui videlicet ut praefertur deputatus fuerit, et antequam in huiusmodi regimine se immisceat, coram cardinali tunc et pro tempore existente protectore praedicto se praesentare debeat; et si postquam presbyter rector, ut praefertur, deputatus huiusmodi regimen susceperit, per cardinalem, ac nunc et pro tempore existentem protectorem praedictum, uti minus idoneus ad regimen huiusmodi exequendum compertus fuerit, cardinalis ac nunc et pro tempore existens protector praedictus illum, praevio nuncio per epistolam superioribus praedictis, qui alterum ex eiusdem Congregationis presbyteris praedictis magis idoneum subrogare omnino debeant, amoveri facere libere et licite possit et valeat.

Itidem sacrista et concionator, aliique deputentur a superioribus Congregationis, sint tamen subiecti protectori, a quo amoveri possint.

xi. Quod futurorum ac pro tempore existentium rectoris praedicti ac presbyterorum eiusdem Congregationis ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus ac collegii praedictorum regimini, sacristiae et concionibus tempore quadragesimali pro tempore existentium deputatio ad eiusdem Congregationis superiores praedictos (cum hoc tamen quod rector ac presbyteri praedicti, ad regimen et omnia praedicta exequenda ut praefertur deputandi, in his quae eorum regimen et munia eiusmodi respiciunt, omnimodae iurisdictioni et superioritati cardinalis nunc et pro tempore existentis protectoris praedicti subiecti sint et esse debeant, et si cardinalis nunc et pro tempore existens protector praedictus quos seu quem ex presbyteris, ut praefertur, deputatis praedictis, uti minus idoneum seu idoneos ad regimen et omnia huiusmodi aut illorum aliquod exequenda compererit, illum seu illos a superioribus praedictis, praevio nuncio praedicto, amoveri, aliosque seu alium in eorum seu eius locum subrogari facere possit et valeat) spectet et pertineat. Et insuper, antequam ille ex presbyteris praedictis, qui ad munus concionatoris in ecclesiâ eiusdem B. Mariae in Montibus tempore quadragesimali praedicto explendum deputatus fuerit, munus huiusmodi explere incipiat, benedictionem a cardinali nunc et pro tempore existente protectore praedicto sumere debeat et teneatur. Et (quia presbyteri Congregationis praedictae in multis locorum Ordinariis, presbyteri vero, qui servitiis ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus et collegii praedictorum pro tempore usque nunc institerunt, omnimodae superioritati cardinalis protectoris nunc et pro tempore existentis praedicti respective subiecti esse dignoscuntur et consueverunt) quod in posterum eiusdem Congregationis presbyteri deputati praedicti eiusdem cardinalis nunc et pro tempore existentis protectoris praedicti superioritati, prout presbyteri ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus et collegii praedictorum servitiis insistentes, de cetero esse debeant et censeantur.

Fieri debeat inventarium, ac aestimari omnia suppellectilia pretiosa et mobilia ecclesiae et collegii antequam ea consignentur dictis presbyteris.

xii. Quod omnium et singulorum sacrorum supellectilium, argenteorum, aliorumque pretiosorum, quae in ecclesiâ eiusdem B. Mariae in Montibus illiusque sacristiâ, necnon omnium et singulorum mobilium et utensilium, quae in collegio praedicto respective reperiuntur, inventarium fieri, illaque, praeviâ illorum aestimatione per peritum de communi Congregationis illiusque presbyterorum ac Fulvii cardinalis et protectoris praedictorum consensu faciendâ, Congregationi illiusque presbyteris praedictis consignari, ac Congregatio illusque presbyteri de omnibus et singulis supellectilibus, rebus argenteis pretiosisque, necnon utensilibus ac mobilibus quietare, illaque, pro quorum existentiâ et sufficienti probatione aestimatio ac inventarium praedicta stent, manutenere, et, quoties ad id requisiti fuerint, etiam per viam subrogationis illorum quae consumpta fuerint, exhibere debeant et teneantur.

Modus solutionis faciendae pro manutentione ministrorum is sit qui antea fuit.

xiii. Quod totum id quod Congregationi illiusque presbyteris praedictis pro alumnorum ecclesiae illiusque sacristiae praedictorum manutentione annuatim ac menstruatim, ut praefertur, persolvi conventum fuit,

id totum eo modo Congregationi illiusque presbyteris praedictis, quo ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus et collegii praedictorum oeconomo, sacristiae, praefecto, rectori, capellanis, ac musicis usque nunc persolutum fuit, persolvi debeat; nempe id quod menstruatim in numeratâ pecuniâ oeconomo, sacristiae, praefecto, rectori, capellanis ac musicis praedictis persolvi consueverat, Congregationi eiusque presbyteris praedictis menstruatim in eâdem pecuniâ, reliquum vero iuxta commodum, per quod annuatim persolvi consuevit, persolvi debeat.

Satisfactio celebrationis missarum eventitiarum spectet ad presbyteros ati et eleemosynae.

XIV. Quod Congregationi illiusque presbyteris praedictis eleemosynas, quas christifidelium ad praedictam ecclesiam eiusdem B. Mariae in Montibus devotionis causâ confluentium voluntas pro celebrandis inibi missis de die in diem elargitur, quolibet mense inquirendi, dictasque missas eventitias nuncupatas celebrandi seu celebrari faciendi onus incumbat; et, attento quod in praedictâ ecclesiâ eiusdem B. Mariae in Montibus inter missarum celebrationes quaestuari quaestusque huiusmodi in usus et utilitatem ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus et collegii praedictorum converti consueverunt, hinc quaestus praedicti (qui considerato per viam calculi eorum valore ad rationem scutorum trium monetae etiam quolibet mense ascendere solent) Congregationi illiusque presbyteris praedictis (cum hoc tamen quod ex qualibet ex menstruis praestationibus, in pecuniâ numeratâ Congregationi, illiusque presbyteris, ut praefertur, faciendis, praedicta scuta tria ratione quaestuum praedictorum detrahi debeant) libere cedant.

Haereditates et legata ad eos pertineant, in quorum beneficium erogata fuerint.

XV. Quod omnia et singula pia legata aut relicta ac haereditates facta et collata, aut facienda vel conferenda presbyteris praedictae Congregationis praefatae ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus, aut in eâ commorantibus, ad effectum illorum institutum exercendi, aut missiones explendi, aut eos, qui ad exercitia spiritualia apud eosdem presbyteros exequenda se conferunt, recipiendi, aut se alendi, aut fabricandi, aut possidendi aliquem se recreandi causâ locum, ad Congregationem illiusque presbyteros praefatos spectent et pertineant; et cum hoc tamen, quod, si Congregatio illiusque presbyteri praedicti legata, relicta et haereditates praedicta, a Congregatione illiusque presbyteris praedictis in ampliandis collegii aedificii ac ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus aedibus erogata fuerint, in eorumdem presbyterorum ab illinc recessu, collegio ac eiusdem B. Mariae in Montibus ecclesiae praedictis libere remaneant: quo vero ad pia legata, relicta et haereditates collegio ac eiusdem B. Mariae in Montibus ecclesiae illiusque sacristiae praedictis facta et facienda, aut collata vel conferenda, ad collegium eiusdem B. Mariae in Montibus, ecclesiam illiusque sacristiam praedictas spectent et pertineant; eâ tamen declaratione adiectâ, quod omnia et singula relicta et haereditates usque nunc facta et collata, etiamsi nondum devoluta nec purificata, sed in posterum devolvenda et purificanda, ad collegium et ecclesiam eiusdem B. Mariae in Montibus praedicta similiter semper spectent et pertineant; ac denique quoad relicta, quae eisdem presbyteris Piis Operariis in genere in collegio et eiusdem B. Mariae in Montibus ecclesiâ praedictis commorantibus in posterum fieri contigerit, ad illos spectare et pertinere debebunt, ad quos, ut infra, spectare et pertinere declarabitur.

Congregatio presbyterorum obliget se ad observantiam praedictorum omnium.

XVI. Ac demum, quod Congregatio illiusque universi presbyteri praefati ad praemissorum omnium et singulorum omnium statutorum observationem et implementum, necnon perpetuam supellectilium, argentorum, utensilium ac mobilium praedictorum conservationem solemniter et expresse se obligare debeant et teneantur.

Et aliàs, prout in instrumento publico desuper inter Fulvium cardinalem et protectorem ac dilectum etiam filium Dominicum de Longobardis presbyterum dictae Congregationis eiusdemque Congregationis procuratorem generalem stipulato, et per acta dilecti etiam filii Francisci Nicolai Orsini curiae Capitolii

notarii sub die XXXI octobris proxime elapsi rogato, plenius continetur, sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, perpetuo concesserit et assignaverit:

Confirmatio relatae concessionis et instrumenti.

§ 3. Nos, qui ad ea, per quae[1] congregationum aliorumque piorum locorum quomodolibet praesertim in Urbe nostrâ praedictâ studio piorum operum vacantium prosperiori statui[2] cum divini cultus augmento ac speciali fidelium consolationi[3] facta dignoscuntur, ut in eorum firmitate perpetuâque persistant tranquillitate, nostras apostolicae potestatis manus extendimus adiutrices; propterea que[4] sicut ex fide dignis relationibus intelleximus, concessio et assignatio praedictae non modicum cultui erga ipsam beatissimam Virginem incrementi, aedificationique alumnorum praedictorum allatura[5] sint utilitatis, provide circa concessionem assignationemque huiusmodi per dictum Fulvium cardinalem et protectorem, ut praefertur, disposita, eiusque pium propositum ac devotam vigilantiam laudantes in Domino, necnon eiusdem Congregationis presbyteros, illorumque singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad eorumdem presbyterorum seu alicuius alterius instantiam, sed ex certâ scientiâ merâque liberalitate nostris, et de apostolicae potestatis plenitudine, concessionem et assignationem huiusmodi, ac, prout illas concernit, instrumentum desuper confectum, praedictâ apostolicâ auctoritate perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et solemnitatum defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, in eisdem supplemus.

Exemptio ab Ordinariis, ac elargitio privilegiorum et indulgentiarum.

§ 4. Et ut concessio et assignatio huiusmodi, ac omnia et singula praemissa semper firma et valida persistant, et de illorum validitate et firmitate nullo unquam tempore haesitari contingat, ac quatenus opus sit, ecclesiae[1] eiusdem B. Mariae in Montibus, quae minime collativa existit, illiusque sacristiae ac collegii praedictorum, illorumque aedium, suppellectilium, utensilium et mobilium usus praedictos, ad effectum praemissorum tantum, ac cum omnibus et singulis conditionibus, pactis et obligationibus in dicto instrumento contentis et expressis, et non aliàs, Congregationi illiusque presbyteris praedictis (ita quod liceat eis corporalem, realem et actualem possessionem, quoad usus praedictos tantum, per se, vel alium, seu alios, eorum et[2] praedictae Congregationis nomine, propriâ auctoritate apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, apostolicâ auctoritate perpetuo concedimus et assignamus; illosque servitio ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus et collegii praedictorum pro tempore addictos a locorum Ordinariis, in illis in quibus ipsi Ordinariis praedictis subesse dignoscuntur, dictâ apostolicâ auctoritate eximimus et liberamus, et exemptos et liberatos et[3] omnimodae superioritati iurisdictionique cardinalis nunc et pro tempore existentis protectoris praedicti subiicimus, illique subiectos esse et fore volu-

1 Forsan *quae pro* (R. T.).
2 Cohaerenter lege *statu* (R. T.).
3 Cohaerenter lege *consolatione* (R. T.).
4 Videtur legendum *propterea, cum*, (R. T.).
5 Potius lege *allaturae* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *ecclesia* (R. T.).
2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
3 Coniunct. *et* delenda (R. T.).

mus; ac eiusdem Congregationis presbyteris praedictis eidem ecclesiae B. Mariae in Montibus et collegio praedicto pro tempore inservientibus, ut omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, facultatibus, indultis, exemptionibus, indulgentiis ac privilegiis, quibus presbyteri aliique ministri ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus et collegio praedictis antea pro tempore inservientes, de iure, usu, consuetudine, privilegio et concessione apostolicâ, aut aliàs quomodolibet utebantur, fruebantur, potiebantur et gaudebant, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, eâdem auctoritate concedimus et indulgemus. Ac insuper legata pia et res a piis benefactoribus presbyteris Piis Operariis praedictis in ecclesiâ eiusdem B. Mariae in Montibus huiusmodi degentibus vel commorantibus, vel presbyteris Piis Operariis eiusdem ecclesiae B. Mariae in Montibus, vel ipsi ecclesiae B. Mariae in Montibus, relinquenda et relinquendas, ad ecclesiam ipsam praedictae B. Mariae in Montibus, nisi ex verbis vel coniecturis, circumstantiis, aut verisimili testatorum mente appareat vel apparere possit, testatores eosdem presbyteros principaliter contemplatos fuisse, aut eorum contemplatione principaliter motos fuisse ad relinquendum, spectare et pertinere debere, apostolicâ auctoritate praedictâ declaramus.

Declaratio circa legata aliaque relicta.

§ 5. Decernentes, Congregationem illiusque superiores et presbyteros ac[1] pro tempore existentem protectorem praedictos ad omnia et singula in praedicto instrumento concessionis huiusmodi contenta, illorumque observantiam et executionem, obligatos fore et esse; necnon illa omnia et singula ab omnibus, ad quos nunc quomodolibet spectat et spectare poterit in futurum, perpetuo firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri debere; praesentes quoque, etiam ex eo quod quicumque interesse habentes vel habere praetendentes praemissis non consenserint, atque ad ea vocati non fuerint, vel causae, propter quas illa fiant aut facta sint, verificatae et iustificatae non fuerint, vel aliàs ex quocumque capite, quantumvis iuridico et legitimo, de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, annullari, invalidari, aut in ius vel controversiam vocari, seu ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris vel facti aut gratiae remedium impetrari aut concedi nullatenus unquam posse; sed illas semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, nec[1] sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per eosdem Congregationem, illius superiores ac presbyteros, necnon cardinalem nunc et pro tempore existentem protectorem quandocumque eligendâ concessas esse et fore, sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, de latere legatos, vicelegatos, seu quosvis alios, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et definiendi formâ, ubique et in quacumque instantiâ iudicari et definiri debere; irritum-

Clausulae, cum mandato observandi instrumentum.

1 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *necnon* (R. T.).

que et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputantur. § 6. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Portuensi et Praenestino episcopis, nunc et pro tempore existentibus, per easdem praesentes motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Congregationis ac pro tempore existentium illius presbyterorum necnon cardinalis nunc et pro tempore existentis praedictorum, seu alicuius eorum, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praesentes et in eis contenta quaecumque ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ac singulos, quos ipse praesentes concernunt, illis pacifice frui et gaudere; non permittentes ipsos, vel eorum quempiam, desuper quomodolibet molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias, aliaque opportuna remedia iuris et facti, appellatione postpositâ, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Derogatio contrariorum. Non obstantibus Pauli, Gregorii et Urbani praedictorum, necnon Pauli II, quatenus opus sit, praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, necnon nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, necnon ecclesiae eiusdem B. Mariae in Montibus ac collegii praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superiobus, administratoribus, deputatis aliisque personis sub quibuscumque tenoribus et formis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, ac latissime et plenissime, motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis. § 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, confirmationis, approbationis, roboris adiectionis, defectuum suppletionis, ac novae concessionis et assignationis, indulti, declarationis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCCXII, IV nonas ianuarii, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 2 ianuarii 1712, pontif. anno XII.

CLXIV.

Conceditur extensio numeri duodenarii magistrorum ad octodenarium pro provinciâ Limanâ Ordinis eremita-

rum sancti Augustini in Indiis Occidentalibus[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Describitur praestantia quatuor domorum pro studiis provinciae.

§ 1. Exponi nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Limanae Ordinis eremitarum sancti Augustini in Indiis Occidentalibus, quod dicta provincia quatuor domus studiorum non parum conspicuas et decoras habet, et in primâ quidem B. Mariae Virginis de Gratiâ nuncupatâ continuo adsunt quatuor lectores, duo nempe theologiae speculativae, alter theologiae moralis, et alius philosophiae; in secundâ vero, quae est collegium S. Idelphonsi, universitatis pontificiae praerogativâ maximisque privilegiis gaudens, octoginta circiter unâ cum lectoribus studentes, ac tres lectores theologiae speculativae, quorum primus matutinus, alter nonae, et alius vesperarum respective nuncupantur, necnon unus lector theologiae moralis, et alii duo philosophiae, unus regens et unus magister studiorum, qui semper est lector theologiae; ac in tertiâ, quae est Cuscensis, quinquaginta circiter studentes, duo lectores theologiae speculativae, alter theologiae moralis, et alius philosophiae, ac unus regens; in quartâ denique domorum huiusmodi, quae est Chuquisaquensis seu Platensis, quadrigentis leucis a civitate Limanâ distans, triginta circiter unâ etiam cum lectoribus studentes, quorum lectorum duo sunt theologiae speculativae, alter theologiae moralis, et alius philosophiae, respective reperiuntur: ac insuper in eâdem provinciâ quadraginta duo lectores iubilati numerantur, quorum decem vel duodecim in magno conventu Limano dicti Ordinis commorantur, ubi continuo pariter adsunt viginti doctores seu magistri in sacrâ theologiâ, qui doctoratus seu magisterii lauream in regiâ Limanâ studii generalis universitate adepti fuerunt, ibique a dictâ provinciâ, ad effectum ut succedente alicuius in dictâ universitate cathedrae vacatione ad illius consecutionem unâ cum aliis sive regularibus sive saecularibus ibidem ad eumdem effectum commorantibus concurrere valeant, manutenentur; ac plerumque Ordo praedictus tres aut quatuor cathedras in eâdem universitate habere solet.

Concessio numeri magistrorum ad sex alios.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicta provincia pro tot religiosis studiis doctrinaeque deditis nullum aliud habeat quod virtuti rependat praemium quam duodecim magisteria de numero, nec ullus dictorum religiosorum ad magisterii huiusmodi gradum, nisi per obitum alicuius illum obtinentis vacaverit, promoveri possit; ac proinde ipsi exponentes, quo religiosis praedictis novi ad studia et virtutes stimuli addantur, duodenarium provinciae praedictae magistrorum numerum ad vigintiquatuor a nobis augeri plurimum desiderent: nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum

1 Const. ed. MDCCX, die 20 maii, pontif. X, auctus fuit numerus magistrorum in provinciâ Chiliensi; et const. ed. MDCCXX, die 20 octobris, pontif. XX, augetur numerus eorumdem in provinciâ Peruvianâ.

nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui super praemissis dilectum filium procuratorem generalem dicti Ordinis audiverunt et votum capituli generalis eiusdem Ordinis novissime in almâ Urbe nostrâ celebrato viderunt, consilio, ut de cetero duodenarius dictae provinciae magistrorum numerus ad alios sex magistros augeatur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrariis praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI februarii MDCCXII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 26 februarii 1712, pontif. anno XII.

CLXV.

Declarantur nullae pactiones a capitulo ecclesiae Hildesiensis cum acatholico principe initae, religioni, ecclesiae ipsique capitulo praeiudiciales[1].

Dilectis filiis capitulo et canonicis cathedralis ecclesiae Hildesiensis,

Clemens Papa XI.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Moeror Pontificis de illis pactionibus.

§ 1. Ubi primum, vel ipso rumore publico nunciante, nobis innotuerant pactiones illae, seu, ut vocant, recessus, quibus vos diebus XI iulii ac XVI novembris anni praeteriti, tametsi invitos, ut credimus, et reluctantes, ac nonnisi angustiarum, quae tunc vobis illatae fuerant, sensu, maiorumque, quas timebatis, metu compulsos, subscripsisse accepimus, acerbo sane ac pene inexplicabili dolore correpti fuimus, animo recolentes gra-

1 Const. ed. MDCCVII, die 27 iulii, pontif. VII, nulla declarata fuit concordia inita cûm militibus germanis in ducatu Parmae; et const. ed. MDCCXVIII die 10 decembris, pontif. XIX, declaratur nullus tractatus pacificationis inter abbatem S. Galli et magistrum Bernensem et Tugurinum.

vissima damna, quae, per huiusmodi pactiones, non tam istius ecclesiae, quam catholicae religionis rationibus irrogata fuisse perpendimus. Cumulum deinde addiderunt moerori nostro quae novissime ad manus nostras pervenerunt ipsarum pactionum seu recessuum exempla, quibus non modo plura capita Westphalicae pacis, dudum ab hac Sanctâ Sede damnata, perperam instaurari et approbari vidimus, sed et alia multa, non minus orthodoxae fidei, divino cultui, atque animarum saluti adversantia, quam canonicis sanctionibus necnon ecclesiae vestrae Hildesiensis, ac illius episcopi, capituli et canonicorum aliarumve ecclesiarum et locorum piorum eorumque personarum iuribus prorsus repugnantia, statui ac firmari[1] cognovimus, quae, ut pudori vestro consulamus, singillatim referre praetermittimus. Et sane nunquam adduci potuissemus ut crederemus, pietatem vestram câtenus labefactandam fuisse ut ad tam asperas vestroque nomini iniuriosas conditiones accipiendas descenderetis; cum praesertim nos iteratis in simili formâ Brevis ad vos opportune datis litteris ad aequissimam causam alacri strenuoque animo tuendam pro muneris nostri debito maiorem in modum vos adhortati essemus, ac diligenter in primis admonuissemus, ut probe nostis, ne cuiuscumque denunciatione periculi aut privati commodi ratione vos abripi sineretis ad ullas ineundas pactiones, quae catholicae rei forent detrimento, conscriptisque[2] insuper (statim ac audivimus ab acatholico principe militares copias ad occupandam civitatem Hildesiensem atque arcem Peinensem immissas fuisse) non tam ad clarae memoriae Iosephum dum viveret Romanorum regem in imperatorem electum, eoque subinde defuncto, ad carissimam in Christo filiam nostram Magdalenam Theresiam Hungariae et Bohemiae reginam illustrem in Romanorum imperatricem electam viduam, quam ad omnes fere Germaniae antistites et catholicos principes aliis litteris nostris, eos quamefficacissime excitavissemus ac obtestati essemus, quemadmodum vobis itidem satis perspectum est, ut coniunctis studiis periclitanti Hildesiensi ecclesiae celerem opem ferrent, eiusque indemnitati et tranquillitati consultum vellent. Quocirca sperare posse videbamur ab eiusmodi officiis haud leve rebus vestris adiumentum atque praesidium comparandum fuisse, ubi vos longiori patientiâ solidiorique animi fortitudine illatis vobis vexationibus ac molestiis restitissetis. Desideravimus proinde hac in re eam sacerdotali pectore plane dignam constantiam, quam vestrarum aerumnarum initio tam egregie profitebamini. Et quamvis facile persuasum habeamus, durâ ac extremâ necessitate graviorumque malorum formidine, quemadmodum scripsistis et aliunde quoque rescivimus, vos ad eiusmodi pactiones firmandas inductos fuisse; id nihilominus ea, quae gessistis, non excusat, tum quia plenior omnino fiducia in Eo reponenda vobis erat, in quo qui sperant non confunduntur ab expectatione suâ, et cuius dextera invenitur super omnes qui illum oderunt; tum etiam quia ubi Deus, propter inscrutabilia iudicia eius, vos calamitatibus ac aerumnis, in quibus positi eratis, diutius conflictari permisisset, ecclesiasticae tamen professionis et divini ministerii, cui addicti[1] estis, ratio flagitabat, ut quaecumque subiretis pericula ac omnia etiam extrema mala perferretis potius quam religionis et Ecclesiae causam desereretis.

1 Male edit. Main. legit *firmitati* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *conscriptasque* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *addictis* (R. T.).

id unum scilicet timendum vobis erat, ne apud Deum hominesque redargui iure possetis loco atque honori vestro defuisse.

Declaratio nullitatis pactionum aliorumque, cum eorumdem damnatione.

§ 2. Ceterum, etsi pactiones praefatas ipso iure inanes ac irritas existere palam constet, notoriique insuper iuris sit quascumque conventiones de rebus ecclesiasticis absque Apostolicae Sedis auctoritate initas nullius prorsus esse roboris et momenti; adeoque minime vereamur quin probe agituri sitis vos ad illarum observantiam nequaquam obstringi, quin etiam eas observare, reclamante conscientiâ, nullo tempore posse, nec debere: nihilominus aequum non modo et congruum, sed et necessarium esse ducimus ut praemissis apostolici quoque iudicii pondus accedat, tum ut nunquam dubitari contingat ipsas pactiones orthodoxae religioni et Ecclesiae iuribus tam infensas, simulque orbi universo tam notas, dissimulari a nobis atque silentio praeteriri potuisse, tum etiam ut vos alacrius atque solidius de iis ita deinceps censere valeatis, tamquam si nullatenus initae fuissent. Hinc est quod nos, catholicae fidei conservationi et propagationi, nec non praefatae ecclesiae Hildesiensis, ac illius praesulis, capituli et canonicorum, aliarumve ecclesiarum et locorum piorum, ac illarum personarum quarumcumque indemnitati, ex commissi nobis divinitus pastoralis officii debito, providere cupientes, ac instrumentorum seu scripturarum super pactionibus seu recessibus huiusmodi confectorum seu confectactarum, omniumque et singulorum inibi contentorum, et aliorum quorumcumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem de necessitate requirentium, tenores et datas etiam veriores, ceteraque quaelibet etiam speciali mentione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis et exactissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praenarratas pactiones et alia quaelibet in instrumentis seu scripturis huiusmodi contenta, quae catholicae fidei, divino cultui, animarum saluti, cathedrali Hildesiensi illiusque mensae episcopali et capitulari, aliisve ecclesiis et locis piis, illarumque respective episcopo, capitulo et canonicis, rectoribus et aliis personis, membris, rebus, bonis, redditibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, praerogativis et iuribus quibuscumque quomodolibet officiunt, sive praeiudicium etiam minimum afferunt, aut inferre seu intulisse vel aliàs nocere seu[1] nocuisse quoquomodo dici, censeri, praetendi vel intelligi possent, cum omnibus et singulis inde secutis et quandocumque secuturis, ipso iure nulla, irrita, invalida, iniqua, iniusta, damnata, reprobata, inania, viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab ipso initio fuisse et esse ac perpetuo fore, nec vos sive alium quempiam ad illorum seu cuiuslibet eorum, etiamsi pluries ratificata ac iuramento vallata sint, observantiam teneri; imo nec illa ullatenus observare posse aut debere; neque ex illis cuiquam aliquod ius vel actionem aut titulum etiam coloratum, vel possidendi ac praescribendi causam acquisitum[2] fuisse nec esse, minusque ullo tempore acquiri et competere posse, neque illa ullum statum facere vel fecisse; sed, perinde ac si nunquam emanassent nec facta fuissent, pro non extantibus et non actis perpetuo haberi debere, tenore praesentium decernimus

1 Edit. Main. legit *se* pro *seu* (R. T.).
2 Adde vel *acquisitam* (R. T.).

et declaramus. Et nihilominus, ad uberiorem cautelam, et quatenus opus sit, pactiones praedictas, aliaque praemissa, ut praefertur, praeiudicialia, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, damnamus, reprobamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac, quatenus itidem opus sit, cathedralem Hildesiensem, ac illius mensas, aliasque ecclesias et loca pia praefata, ac illorum respective personas quascumque adversus illa in integrum et pristinum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specificâ et individuâ mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, legibus quoque, etiam imperialibus et municipalibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis, quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis locis, personis, etiam quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus, et aliàs quomodolibet qualificatis ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis,

aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fidei quaesitor apud Novocomenses et deinde Bergomates renunciatur. § 5. Cum autem plurima in hoc viro admirabilia fuerint, praecipue singulare studium conservandae verae et catholicae religionis et adversus eorum fraudes et insidias, qui illam ullâ ex parte labefactare conarentur, implacabile odium semper eluxit. Quare apud Novocomenses primum, deinde apud Bergomates fidei quaesitor renunciatus, illis, qui ab Ecclesiâ descivissent, perpetuum bellum indixit; tum, ut errantes ipsos in viam salutis revocaret, tum ut ceteros ab erroris contagione servaret illaesos.

Munus sibi commissum, periculis omnibus contemptis, impavidus exequitur. § 6. Ergo cum ei munus in eos publice inquirendi mandatum fuisset, non ille potentum inimicitias, non pericula, non vitae ac capitis dimicationes, dum illos modis omnibus persequeretur, sibi fugiendas putavit, sed potius ultro ac cupide appetiit, servatoque a Deo mirabiliter, non animum martyrio dicendum, sed martyrium animo defuisse. Erat tunc temporis suo viduata pastore Curiensis ecclesia apud Rhetios, cui canonicus quidam, etsi suspectae fidei, ob suffragiorum numerum forte praeficiendus erat. Mittitur propterea huiusce causae cognitor beatus Pius; eâque ad iuris normam probe confectâ, haereseos criminis reus canonicus ille declaratus est. Pius vero rem hanc totam ita forti animo gessit, ut nunquam Ordinis sui indumenta etiam per breve tempus exuere voluerit, quamquam eum omnes alieno vestitu incedere hortarentur, ne oculos haereticorum offenderet, qui capitale odium adversus dominicanos fratres profitebantur. Negavit id se facturum Pius, sancte testatus se quamlibentissime, si ita Deo visum fuisset, sacrâ illâ veste indutum mortem oppetiturum.

Bergomensem civitatem ab haereticis purgat. § 7. Pari sane constantiâ Bergomensem civitatem ab haereticorum peste diligenter purgavit; ubi invicto animo adversus Medolacum falsae doctrinae propagatorem acerrime institit, quamvis magnâ amicorum ac consanguineorum copiâ suffultum, a quibus subinde graves excitatae sunt turbae.

Illinsque episcopum deponit. § 8. Id quod praestitit etiam adversus eiusdem civitatis episcopum, cuius profecto praepotens auctoritas eo devenerat insaniae ut quosdam nefarios homines immitteret, qui integerrimum fidei ministrum vi dolove captum maximis cruciatibus perimerent. Verum uterque tandem iure ac merito haereseos damnatus haereticorum poenas luit. Medolacus enim carceri apud Venetos man-

cipatus extremum diem miserrime clausit, episcopus vero e Sede episcopali deiectus dignitatem amisit.

Supremus inquisitor, episcopus, et S. R. E. cardinalis efficitur.

§ 9. Demum cum in hoc arduo munere strenue fideliterque laborasset, supremae Romanae Inquisitionis commissarius a felicis recordationis Paulo Papa IV praedecessore nostro declaratus fuit; inde ad episcopale Nepesinae ecclesiae regimen assumptus; ac subinde anno MDLVII in sacrum S. R. E. cardinalium ordinem cooptatus, eique supremi ac perpetui Inquisitoris provincia demandata fuit, factâ omnibus episcopis ac delegatis iussione ut in rebus ad sanctum Officium pertinentibus ipsum veluti superiorem agnoscerent.

Episcopus Monregalensis renunciatur.

§ 10. Hanc vero amplissimam dignitatem, quae nemini unquam nec antea nec postea collata fuit, recolendae memoriae Pius Papa IV, etiam praedecessor noster, qui memorato Paulo praedecessori in pontificatu successerat, cardinali Alexandrino (hoc nomine beatus Pius inter purpuratos patres nuncupabatur) nedum confirmavit, verum etiam illum, novis in dies fulgentem meritis, a Nepesino episcopatu ad ampliorem regendam ecclesiam Montis Regalis in Subalpinis transtulit.

In dignitate virtutes.

§ 11. Divinâ itaque providentiâ ad maiora vocatus, sacraeque purpurae ornamento cohonestatus, ita modestiam, humilitatem, ceterasque virtutes omnes excoluit, ut illae, novo lumine illustratae et adauctae, magis magisque suspiciendae intuentium oculis apparuerint. Paucis enim in famulatu probisque in primis adscitis, paternâ illos charitate complexus, more religiosorum secum vitam agere, Deoque inservire, verbo docuit et exemplo.

In arduis eius consilium praepollet.

§ 12. Coactâ eâ tempestate apud Tridentum oecumenicâ synodo, cum ardua ibi religionis disciplinaeque ecclesiasticae negotia tractarentur, illaque Romae maturo examini in conventu doctissimorum virorum subiicerentur, magni apud omnes ponderis, summoque in pretio fuit cardinalis Alexandrini calculus, qui, posthabitis saeculi rationibus, nihilque sapiens terrenae affectionis, apostolicâ plane libertate sententiam dicere semper visus fuit, quamquam simultates et odia saepius eâ de re subiturus.

Summus Pontifex eligitur.

§ 13. Interea, praefato Pio IV praedecessore rebus humanis exempto, summo omnium patrum consensu cardinalis Alexandrinus die VII ianuarii anni MDLXVI pontifex maximus renunciatur, assumptoque Pii V nomine, Ecclesiae universalis gubernacula, post fusas Deo ferventissimas preces, non minori populorum gaudio quam expectatione suscepit. Nec profecto communem opinionem fefellit; nam vix supremo fastigio admotus, nil antiquius habuit quam clementiae ac beneficentiae testimonia et singularia edere documenta, nedum erga illos qui vel minimum commodi ipsi contulerant, verum etiam in eos qui de se male meriti fuerant, ut perfectissimam imitaretur charitatem Patris nostri qui in caelis est.

Eius vitae severitas.

§ 14. Inter tot tantasque apostolici ministerii curas nunquam a piissimo Pontifice, quamquam effoetâ aetate et corpore admodum imbecillo, intermissa ieiunia, carnis macerationes, orationum precationumque frequentia, interdiu nunquam posthabita, de nocte vero saepius adaucta quoties pro re catholicâ quidquam magni momenti decernendum accideret. Nihil enim de pristinâ religiosae vitae severitate remiserat, demptisque principatus insigniis et externo dignitatis splendore, in mentis recessu privatus agebat; imo, quamquam adhuc in terrâ positus, versabatur in caelo;

cumque inter mortales degeret, iam tamen civis erat Sanctorum et domesticus Dei.

Consanguineis non indulget.

§ 15. Hinc consanguineos suos non titulis, non divitiis, non honorum gradibus insignitos ac donatos voluit; sed Michaëlem Bonellum, suum ex sorore pronepotem, nonnisi post exactum in dominicanâ familiâ tyrocinium sacrarumque litterarum peritiam adeptam, totius sacri collegii non approbatione tantum, sed enixis etiam precibus accedentibus, inter S. R. E. cardinales assumpsit.

In familiares nonnisi probatissimos assumit.

§ 16. Nemini item in aulâ pontificiâ locum dari passus est, nisi cui probatae vitae ratio illum comparasset, adeout Pontificis familia, ad exemplum Domini sui instituta atque composita, nullâ re magis quam modestiâ singulari et praecipuâ quadam animi morumque integritate a ceteris discerneretur.

Dignitates pro merito elargitur.

§ 17. Nulli apud ipsum ad Ecclesiae dignitates aditus patuit, nisi cui merita prudenti indicio expensa ad illas obtinendas viam stravissent, viresque ad easdem probe exercendas abunde suppeditassent.

Zelus, fortitudo, bonitas.

§ 18. Flagrans in eo propagandae religionis catholicae desiderium, indefessus pro instaurandâ ecclesiasticâ disciplinâ labor, incredibilis ac quasi perpetua in extirpandis erroribus vigilantia, pro tuendis Ecclesiae iuribus ferreum pectus, in castigandis corrupti saeculi moribus malorumque hominum licentiâ et temeritate duriores renovatae leges, atque excitata iudiciorum severitas. Contra vero pronâ ac semper inexaustâ beneficentiâ curavit subditorum commoda, quorum querelas supplicesque recursus non modico valetudinis suae dispendio, datâ cuilibet adeundi fandique copiâ, prolatâque audiendi patientiâ, a mane usque ad vesperas pene quotidie excipiebat.

Haereticos et haereseos convertit.

§ 19. Talis demum ac tantus in eo effulsit splendor virtutum, ut ab eius sanctitatis radiis illustrati et nobilis quidam Anglus et Ollicae dux, hebraeique nonnulli, ad admirabile Evangelii orthodoxaeque fidei lumen libenter accesserint. Quos inter Elias quidam archisynagogus divitiis famâque celebris, unâ cum filiis, Vaticano in templo solemni ritu Pii Pontificis manu sacri baptismatis beneficium accepit.

Sanctissimas edit leges.

§ 20. Qua integritate, qua iustitiâ, qua aequitate Sanctae huius Sedis regimen totiusque catholicae Ecclesiae procurationem Pius gesserit, editae ab eo sanctiones, inter alia Romanorum Pontificum decreta typis vulgatae, probe testantur.

Quanta pro religione fecerit.

§ 21. Quanta protinus ipse fecerit, ut in Galliâ, Belgio, Germaniâ, Scotiâ, Angliâ Poloniâque sartatecta catholica religio conservaretur ac propagaretur, ex luculentis scriptorum monumentis, ac publicis omnique fide dignis historicis colligi potest, adeout pene miraculo proxima sit ingens illa vis pecuniarum, qua omnibus fere orbis christiani partibus inopiâ pressis, aut religionis causâ laborantibus, sine ullâ cunctatione subvenit.

Hugonottos in Galliâ reprimit.

§ 22. Cum Galliam omnem haeresis Calviniana, Hugonottorum appellata, susque deque verteret, atque huius rei causâ nonnulla inibi orthodoxae religioni parum consentanea in publicum emissa essent decreta, tam forti animo apud regem christianissimum institit Pius, ut illa penitus e publicis tabulis deleta fuerint atque abrogata. Tum consilio, pecuniâ, commeatu ac militibus in Galliam, duce comite Sfortia S. Florae domino, opportune transmissis, ita catholicorum partes adiuvit, ut, inflictâ haereticorum copiis insigni plagâ, regnum regi, regno religionem, verum Deo cultum restituerit.

Item haereseos in Belgio compescuit.

§ 23. Neque minores in Belgio turbas ad labefactandam religionem excitaverant heterodoxi, quibus ne statim cursum retardaret Hispaniarum rex, curatis tunc solummodo politicis rebus, ac dilato in aliud tempus religionis negotio, auctores erant aulicorum consiliariorum quamplurimi. At Pius Pontifex evertit tam perniciosa consilia, collatâque tempestive pecuniâ, ac nonnullis inter Italos bellicosis viris, ut Belgium pro fide pugnaturi pergerent, persuasis, in causâ fuit, ut quamplurimae, Albano duce belli summam dirigente, de haereticis victoriae fuerint reportatae, exuviaeque et vexilla perduellium e parietibus Lateranensis basilicae celebris facti monumenta pependerint.

Liberum haereseos exercitium in Austria cohibet.

§ 24. Prope erat ut Caesar, necessitate compulsus, in Austriae archiducatu haereticis Augustanae, ut vocant, confessionis liberum suae haereseos exercitium permitteret, nisi Pius Pontifex, misso in Germaniam cardinali Commendono, pericula orthodoxae religionis, quae iam imminebant, opportune avertisset.

Item in Polonia.

§ 25. Similiter, cum apud Polonos publicis edictis mulctati fuissent antitrinitarii aliique haeretici, verum dictae Confessionis Augustanae Calvinianaeque haereseos professoribus in eodem regno degere esset permissum, Pius apud regem effecit ut ille solemnem ac iure iurando firmatam sponsionem ederet, qua sese in religione catholicâ ad mortem usque perseveraturum, ac nunquam passurum vel minimum imminui immutarique Romanae Fidei dogma[1] avitosque ritus (quidquid contra niterentur haeretici) sancte promitteret. Plurimas e scriptis Michaëlis Baii excerptas propositiones, e quibus, tamquam errorum fonte, ianseniana labes orta in haec usque tempora derivavit, ac, licet a pluribus Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, imo etiam a nobis, saepius confixa atque proscripta, adhuc tamen latenti propagine reviviscere, virusque contagii effundere non desinit, provido et Ecclesiae salutari consilio editâ sanctione in ipsâ origine damnavit.

Baii propositiones proscribit.

§ 26. Haerebat squallore carcerum, haereticorum dolis, odioque implacabili Elisabethae, praetensae reginae Angliae, mancipata claraе memoriae Maria Stuarda regina Scotorum, religiosissima femina, resque catholica in illo regno lacerata et undique collisa animum sanctissimi Pontificis paternae charitatis stimulis exagitabant. Quare, afflicto illo rerum statu explorato, Mariae reginae constantiam amantissimis sanctoque zelo refertis epistolis fovere non desiit ac excitare, ut a puritate fidei, quam a parentibus hauserat, et eatenus illibatam servaverat, nullis se conditionibus divelli pateretur, menteque recoleret longe potiora esse aeterna caeli praemia, quam caduca haec et inania terrenae dominationis bona. Eodem vero tempore catholicos Germaniae principes adhortatus est, ut, traductis in Scotiam opportunis auxiliis, periclitantem fidem ac religionem validissime tuerentur. At ubi, per summum scelus, Mariae reginae supradictae carnificis manu caput abscissum, omnesque Anglici regni episcopos a sede suâ violenter depulsos cognovit, atrocitate rei commotus, impiam Elisabetham, flagitiorum servam, uti haereticam et haereticorum fautricem, horribili anathemate ferire nil cunctatus, a iuramento fidelitatis proceres subditos et populos dicti regni perpetuo absolvit, illamque omni et quocumque eiusdem regni praetenso iure, dominio, dignitate ac privilegio privatam pontificiâ auctoritate declaravit.

Mariam Stuardam in fide confirmat, Elisabetham regno privatam declarat.

1 Forsan *dogmata* (R. T.).

Insignem contra Turcam victoriam armis et precibus reportat.

§ 27. Verum, quos labores suscepe-
rit, quot quantosque sumptus ac curas
impenderit pro christianâ repubblicâ
servandâ, propulsandoque a fidelium
cervicibus hoste immanissimo ac poten-
tissimo, nemo est, qui ignoret; cum sci-
licet, navali praelio commisso, praecla-
ram illam et post hominum memoriam
insignem maximamque victoriam, Chri-
sto duce, quem in vexillo imperatoriae
triremis elevari iusserat, reportavit. Ex-
pugnatâ siquidem superiori anno Nico-
siâ, regnoque Cypri florentissimo (dolen-
tes recordamur, et acerbitate iacturae
adhuc ingemiscimus) in ditionem reda-
cto, secundis rebus elatus turcarum ty-
rannus Selimus, odioque in christianum
nomen ac insatiabili avaritiâ inflamma-
tus, classem instructissimam comparave-
rat, qua Cretam, Corcyram, Zacynthum,
orasque omnes maritimas incendiis, ra-
pinis, miserorumque captivitate foede
populabatur, ipsamque Italiam et almam
hanc Urbem superbâ spe devorabat.
Nemo erat tunc temporis, qui, expensis
nefarii hostis viribus et effraenatâ illius
regnandi cupiditate, opprobria, ignomi-
nias, servitutem, vitaeque extrema non
expavesceret. Quisque, religiosissima
templa arasque sanctissimas complexus,
pro liberis, pro coniugibus, pro fortunis,
proque dulci huius lucis usurâ lacrymans
deprecabatur. At vero in tantâ rerum
perturbatione, ac inveteratâ apud omnes
opinione, ferocissimum hostem christia-
norum armis superari non posse, invi-
cta Pii constantia, inito cum christianis
principibus sacro foedere, ac classe co-
piosissimâ instructâ, praeliatus est bella
Domini, et in spiritu vehementi naves
Tharsis penitus contrivit atque delevit.
Nec tantae victoriae nuncium optatum-
que rumorem diu expectavit sanctissi-
mus Pontifex; defixis quippe oculis in
imagine Redemptoris nostri e cruce
pendentis, cum, anxiis precibus, et voce
fletus sui solito uberioris, divinam mi-
sericordiam exoraret ne gentibus effe-
ratis haereditatem suam diripiendam
relinqueret, sed in brachio excelso po-
pulum suum salvum faceret, in excessu
mentis superno lumine illustratus vi-
dere meruit christianae classis prosperos
eventus illo ipso die, ac eâdem horâ
qua feliciter ad Chinadas insulas pugna-
tum fuit.

Selimus tu carum tyrannus.

Extremo morbo laborat.

§ 28. Sed et alia et fortasse maiora
ad religionis incrementum cogitantem
Pium, Deo sic disponente, communis
necessitas praevenit; cuius in occursum
humilem, constantem patientemque ani-
mum praeseferens piissimus senex, ex-
tremâ vi morbi correptus, acerbissimos
dolores tam fortiter toleravit, ut solum
ad Iesu Christi crucifixi imaginem dul-
citer suspirans, haec saepius ingeminare
verba auditus fuerit: *Domine, auge do-
lorem, sed et auge patientiam.* Mortem
autem sibi ab ipso morbi principio cer-
tam atque exploratam ita non exhorruit,
ut de eâ sine ullâ prorsus aut vultus
aut animi perturbatione coram familia-
ribus suis loqueretur, eamque a se in
lucro poni, anteactae vitae fiduciâ, plane
demonstraret. Ceterum, quod ex illo
morbo sibi peremdum fore divinâ re-
velatione praescivisset, duas apertas at-
que illustres eius rei significationes de-
dit; unam scilicet, quod cardinalem Ale-
xandrinum, pridie Parasceves, hoc est
vigesimo nono ante ipsius obitum die,
sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigen-
tem, et usitatâ verborum formulâ uten-
tem, iussit subsistere, et ita verba
concipere, ut in iis tantum fit qui san-
ctissimum illud sacramentum pro viatico
accipiunt, supremum iter et viam uni-
versae carnis ingressuri; alteram vero,
quod, cum aliquâ morbi remissione de-
pulsum ab eo mortis periculum constans

opinio esset, septem praecipua Urbis templa invisere voluit, eiusque itineris, quamquam viribus infirmâ valetudine deiectis, magnam partem pedibus confecit; aperte profitens velle se eorum reliquias postremo videre, quorum animas non multo post visurum esse speraret in caelo. Denique vi morbi invalescente, statim ac novissimam appropinquare horam praesensit, sacrum christianorum principum foedus cardinali Alexandrino ferventissime commendavit; deinde psalmos davidicos sibi praelegendos poposcit, lectori mandans illos altâ voce pronunciare, interpositâ sibi singulis versiculis morâ, ut ipse divina eloquia per aures admissa dulci contemplationis affectu sensim degustaret, sitientemque spiritum irroraret nectare suavissimo.

Animam reddit Creatori.

§ 29. Tandem, cum historia Passionis domini nostri Iesu Christi ex evangelio legeretur, manibus in modum crucis expansis, nullo motu, strepituve edito, suaviter efflavit animam, eamque reddidit Creatori.

Ipsius fama sanctitatis.

§ 30. Maxima, eo defuncto, statim percrebuit fama illius sanctitatis, cuius nempe desiderium publicamque iacturam ipsa etiam muta elementa, terrae fremitu, fulminibus amniumque exundatione, testata fuerunt. Quare non Romani populi solum, verum etiam plurimorum e vicinis regionibus hominum concursus ad visendum illius cadaver factus est, adeo ut maiorem custodum militumque numerum adhibere opus fuerit, ne populi fervor, qui beati cadaveris vestes iam violenter sciderat, carnes etiam in frusta distractas secum asportaret.

Illius canonizationis causa introducta.

§ 31. Agi coeptum de Pio inter Sanctos referendo anno MDCXXI: cuius rei gratiâ, instructis variis tam ordinariâ quam apostolicâ auctoritate processibus, fuit, ut mos erat illius temporis, tribus antiquioribus Romanae Rotae iudicibus eosdem examinandi demandata facultas, qui, lato de hac re iudicio, et documentorum auctoritatem probarunt, et virtutum praestantiam heroicum gradum attigisse, necnon miracula, supra communem naturae usum, fuisse patrata dixerunt. Horum iudicio sacrorum rituum Congregationi examen superinductum, in quo pariter iuridica actorum validitas, atque in gradu heroico comprobatae virtutes, simulque duo, quae subsecuta fuerant, miracula plene comprobata.

Duo probata miracula.

§ 32. Quorum fuit primum, ab igne penitus illaesas remansisse huius beati Pontificis duas imagines, ex papyro unam, alteram ex telâ confectâ, in privato oratorio, seu sacello, Antonii Cordubae et Cardonae ducis Sessae e pariete pendentes, licet ignis ita vehementer per totam aedem grassatus fuisset, ut etiam argentea simulacra flammarum vi liquefacta fuerint, lapideumque altare in formam cocti pumicis transierit, ac universa illius aediculae sacra suppellex (dictis dumtaxat duabus imaginibus, eâque strati altaris praedicti parte, in quam altera earumdem imaginum ceciderat, exceptis) in favillam et in cinerem redacta fuerit.

§ 33. Alterum fuit Tiburtiae Florentinae Auximanae mulieris septuagenariae repentina sanatio. Haec siquidem acutâ malignâque febri correpta, aliisque congestis morbis oppressa, itaut medicorum iudicio intra trium horarum spatium iam moritura crederetur, ubi Pii indusium aegro corpori devote adplicuit, nullâ interpositâ morâ, sana et incolumis e lectulo surrexit, vitamque ad multos annos feliciter protraxit.

Pontificio decreto confirmantur.

§ 34. Fuerunt pontificio decreto firmata, tum quae ad virtutes, tum quae ad miracula pertinebant, supradictae Congregationis iudicia; remisso in aliud

tempus reliquorum miraculorum, quae a causae postulatoribus proponebantur, examine.

Novus processus instituitur.

§ 35. Interea, cum piae memoriae Urbanus Papa VIII pariter praedecessor noster super huiusmodi causis quaedam nova decreta edidisset, novum condere processum super non cultu, ac quasdam a Pio exaratas epistolas exhibere necesse fuit. Quibus omnibus impletis, constitit de observantiâ eorumdem decretorum, prout etiam nihil in praedictis epistolis contineri quod pietatem tanti Pontificis non redoleret. Quamobrem instauratum fuit examen miraculorum, nedum aliàs relictorum, imo et ipso Pio vivente patratorum, sed etiam eorum quae postmodum intermedio tempore asserebantur contigisse. Horum duo praecipue in memoratâ Congregatione coram similis memoriae Clemente Papa X etiam praedecessore nostro habitâ omnium calculis admissa et ab eodem Clemente praedecessore approbata fuerunt.

Alia duo miracula comprobata.

§ 36. Primum fuit divina illa B. Pio immissa cognitio, qua ipse eodem prorsus die eâdemque horâ, quibus navalis, quam supra innuimus, victoria a christianis reportata fuerat, clarissime illam rescivit, atque iis, qui secum aderant, patefecit; qui, cum mensem, diem, horamque adnotassent, ubi postea certus de victoriâ nuncius advenit, illam, uti Pius ipsis praedixerat, evenisse apertissime cognoverunt.

§ 37. Alterum fuit mira quaedam ac perampla triticeae farinae multiplicatio, quae contigit in monasterio monialium S. Dominici apud Pratum in Etruria.

Beatorum catalogo adscribitur.

§ 38. His itaque duobus miraculis, sicut praemittitur, admissis, cum subinde eadem Congregatio, ipso Clemente praedecessore approbante, censuisset, servum Dei Pium V beatorum catalogo adscribi posse, necnon officium ac missam in eius honorem concedi, idem Clemens praedecessor anno MDCLXXII Pium V praedictum Beati nomine nuncupari, eius corpus et reliquias venerationi fidelium exponi, et aliquibus in locis de eo officium recitari, missamque de Confessore Pontifice iuxta rubricas breviarii et missalis romani celebrari posse indulsit.

Novi post beatificationem processus.

§ 39. Porro, reassumptâ denuo causâ, expeditisque remissorialibus ac compulsorialibus litteris, ut, quae post venerationem eidem beato Pio, sicut praemittitur, indultam supervenerant, rite probarentur, novi processus efformati fuerunt. Quorum diligenter perpensâ et deinde admissâ validitate ab eâdem sacrorum rituum Congregatione, illius sententiam approbavimus.

Duo superventa miracula.

§ 40. Firmatâ actorum validitate, suum subiit examen eorumdem relevantia; adeoque duo de novo superventa miracula in ipsâ Congregatione coram nobis habitâ diligenter expensa, et ab eâ approbata fuerunt.

§ 41. Primum fuit de Margarita Massia decenni puellâ paralysi diuturnâ in coxis et cruribus laborante, statim et incontinenti pristinae sanitati restitutâ.

§ 42. Alterum de instantaneâ emissione foetus materno in utero a pluribus diebus iam mortui, absque ullo Isabellae Ricciae genitricis parientis dolore editi, cum ipsius genitricis praeservatione ab evidenti mortis periculo.

Quae a Pontifice approbantur.

§ 43. Auditis tamen desuper tam cardinalium quam consultorum praefatae Congregationis suffragiis, nihil tunc fuit a nobis definitum, ut in re tanti momenti divinum prius de more imploraremus auxilium. Quod cum a nobis peractum fuisset, nos pariter duo haec postrema miracula approbavimus.

Decretum de canonizatione.

§ 44. Deinde, habitâ iterum coram nobis generali congregatione supradictâ,

fuit in deliberatione positum, an tuto ad solemnem canonizationem B. Pii deveniri posset. Licet autem omnes unanimi consensu affirmative respondissent, adhuc tamen, antequam in tam arduo negocio quidquam decerneremus, denuo superni luminis adiutorium expetendum esse censuimus. Ac postmodum, dictae Congregationis secretario nec non coadiutore promotoris fidei accitis, die IV augusti MDCCX sancto Dominico fundatori Ordinis Praedicatorum sacrâ, beatum Pium V, non tam ad novum ac praeclarum decus praefati Ordinis de Catholicâ Ecclesiâ optime meriti, quam ad maiorem ipsius Apostolicae Sedis honorem et gloriam canonizandum et inter Sanctos referendum esse decrevimus.

Unanime cardinalium votum in consistorio secreto.

§ 45. Reliquum erat ut accurata praemissorum omnium relatio universo S.R.E. cardinalium collegio de more fieret. Quod cum recte fideliterque praestitisset tunc in humanis agens bonae memoriae Ioannes Maria eiusdem S. R. E. cardinalis Gabriellius nuncupatus, pro venerabili fratre nostro Gaspare episcopo Sabinensi dictae S. R. E. cardinali Carpineo nuncupato, praefatae Congregationis praefecto, tunc aegrotante, totius summâ processus in consistorio nostro secreto, die XX aprilis proxime praeteriti habito, plene relatâ, reliqui omnes cardinales, qui tunc aderant, unanimi voce dixerunt sibi placere quod nos ad solemnem beati Pii canonizationem deveniremus.

Consistorium publicum, et Pontificis hortatio.

§ 46. Quocirca sequenti publico consistorio, in quo dilectus filius Marcellinus Corius, aulae nostrae consistorialis advocatus, pro eâdem canonizatione luculenter peroravit, ac nomine totius Ordinis Praedicatorum, ut ad eam procederemus, humiliter supplicavit, nos, attentâ rei gravitate, cardinales, patriarchas, archiepiscopos et episcopos ibidem praesentes omni animi contentione hortati sumus ut orationibus, ieiuniis et eleemosynis sedulo incumberent, quo divina voluntas clarius nobis elucesceret.

In consistorio semipublico dies canonizationis indicitur.

§ 27. Deinde in semipublico consistorio, vocatis non solum cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis praedictis, sed etiam nostris et Sedis Apostolicae notariis, protonotariis nuncupatis, ac palatii nostri apostolici causarum auditoribus de more praesentibus, plura a nobis de eximiâ beati Pii V sanctitate ac miraculis commemorata fuerunt. Cumque omnes concorditer ad eius canonizationem deveniendum esse suffragiis suis aperte censuissent, nos, unanimi eorum consensu audito, aperuimus os nostrum in benedictionibus, ac Dei nutum et voluntatem secuti, iustum et debitum esse censentes, ut, quos Deus honorat in caelis, nos venerationis officio laudemus et glorificemus in terris, diem celebrandae canonizationis indiximus, cunctos adhortati ut in orationibus, ieiuniis et eleemosynis perseverantes Spiritus Sancti gratiam nostrae humilitati in tam alto negocio impetrare studerent.

Canonizationis solemnitas.

§ 48. Demum, peractis omnibus quae ex sanctorum Patrum auctoritate, canonicis sanctionibus, S. R. E. antiquâ consuetudine, ac novorum decretorum praescripto agenda et observanda erant, hodie, hoc est festo SS. Trinitatis, in sacrosanctâ B. Petri apostolorum principis basilicâ, in qua solemni ritu cum cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis supradictis, necnon dilectis filiis Romanae Curiae praelatis et officialibus et familiaribus nostris, clero saeculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ mane convenimus, post repetitas a dilecto filio nostro Annibale S. R. E. diacono cardinali Albano nun-

cupato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, per Marcellinum advocatum praedictis[1] instantias illas quae dudum Sedi Apostolicae a catholicis regibus et principibus pro canonizatione huiusmodi porrectae fuerant, nobisque a praefato Ordine fratrum Praedicatorum assidue porrigebantur, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces decantatas, ac Spiritus Sancti gratiam humiliter imploratam, ad honorem eiusdem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, maturâ deliberatione praehabitâ, et divinâ ope saepius imploratâ, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Urbe existentium consilio, beatum Pium V sanctum esse decrevimus et definivimus, ac Sanctorum catalogo adscripsimus, prout tenore praesentium similiter decernimus, definimus et adscribimus, statuentes ab Ecclesiâ universali illius memoriam quolibet anno, die v maii, inter sanctos confessores pontifices piâ devotione recoli debere.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Indulgentiae concessae.

§ 49. Parique auctoritate omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis dictâ die v maii ad sepulchrum, in quo eius corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus in formâ Ecclesiae consuetâ.

1 Vox *praedictis* praeter rem esse videtur, vel legendum *praedictum*, nisi plurale referatur ad duos praenominatos auctores (R. T.).

Gratiarum actio.

§ 50. His peractis, Deum Patrem ingenitum regemque gloriae Christum dominum, Patris Filium unigenitum, ac sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum, laudibus et confessionibus venerari[1], sacroque hymno *Te Deum* magnâ cum animi nostri exultatione decantato, Patri misericordiarum, et Deo totius consolationis gratias agere non cessavimus, quod sanctissimum hunc praedecessorem nostrum in conspectu omnium gentium honorificaverit, eumque nobis dederit in hac tribulationum nostrarum nocte tamquam solem fulgentem in templo suo, ut qui in diebus suis placuit Deo et inventus est iustus, in tempore iracundiae fieret reconciliatio. Missam deinde ad altare S. Petri apostoli eiusdem basilicae solemniter de more celebravimus, omnibusque christifidelibus ibidem praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessimus.

Clausulae.

§ 51. Ceterum, quia difficile foret praesentes ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si exhibitae essent vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 52. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis, decretis, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, concessionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac eorumdem beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

1 Videtur legendum *venerati* pro *venerari* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXII, XI kalendas iunii, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 21 maii 1712, pontif. anno XII.

✠ EGO CLEMENS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

†
†
†
†
†
†
† G. cardinalis Marescottus.
† F. tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis Astallius.
†
†
†
†
†
†
†
† Ioseph tituli S. Mariae Transpontinae presbyter cardinalis Sacripantes.
†
† F. tituli Ss. Ioannis et Pauli presbyter cardinalis Paulutius, maior poenitentiarius.
†
†
†
†
†
† Laurentius tituli S. Susannae presbyter cardinalis Corsinus.
†
† Franciscus tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis de Acquaviva.
†
†
† Philippus tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Gualterius.
† F. tituli S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis Vallemanus.
†
†
†
†
† C. A. tituli S. Augustini presbyter cardinalis Fabronus.
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
† Ioannes Babptista e Societate Iesu presbyter cardinalis Pthòlomeus.
†
†
† B. S. Mariae in Viâ Latâ diaconus cardinalis Pamphilius.
† Petrus S. Laurentii in Damaso diaconus cardinalis Ottobonus.
†
† F. R. diaconus S. Georgii in Velabro cardinalis Imperialis.
† Franciscus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Barberinus.
† L. S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis de Alteriis.

† C. S. Mariae de Scala diaconus cardinalis Columna.

†

† Annibal S. Eustachii diaconus cardinalis Albanus.

CLXX.

Promulgatur canonizatio S. Andreae Avellini Congregationis Theatinorum cum indulgentiâ in eius festo et octavâ[1].

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Nunquam profecto, divinâ favente bonitate, contigit, excitatis ab implacabili humani generis hoste procellis dirisque tempestatibus, ita mare tumescere ac infremere, ut apostolici Piscatoris cymba, in altum iactata, vel scopulis misere allidat, vel in profundum naufragii demergatur; quinimo, magis magisque saevientibus fluctibus, ac ingruente aquilonis turbine, exoriri non raro solet amicum fidus, suoque lumine offusis undequaque tenebris dissipatis, tutum iter placidumque super instabili elemento, despumante furores suos, aperire ac sternere. Hac sane ducti fiduciâ, quam nobis divina oracula fecerunt, tot calamitates et acerba vulnera, christianae reipublicae difficillimis hisce temporibus illata, alacri erectoque animo ferebamus, sperantes a Deo misericordiarum totiusque consolationis ut Ecclesiam suam sponsam intactam et immaculatam praesenti auxilio fovere ac erigere dignaretur, illud iugiter divinum interque amaros lacrymarum imbres nobiscum recolentes promissum *Portae inferi non praevalebunt*. Affulsit tandem expectatum optatumque e caelo iubar, nobisque, licet immerentibus, supernâ tamen dispensatione, Catholicae Ecclesiae gubernaculo praepositis, certam firmissimamque in Domino spem excitavit, omnes saeculi fluctus et tenebrarum potestates aspectus sui tanquillitate facile sedaturum. Etenim ex altâ militantis Ecclesiae speculâ sublimique fidei et religionis arce ad aeternam illam beatamque patriam caelestis Hierusalem, quo corporeus non fertur intuitus, effuso translati desiderio, amictum, prae ceteris, splendoribus, et triumphalibus laetitiae coronis circumdatum, egregium insignemque miraculis virum, ex inclytâ clericorum regularium Theatinorum nuncupatâ congregatione Andream Avellinum stupore afflati conspeximus, quem sicuti, dum in humanis ageret, sanctâ piâque conversatione animarum saluti et religionis incremento enixe feliciterque consuluit, ita ab illâ immortali securitatis regione nobis militantibus adfuturum hilari animo confidere incepimus.

§ 1. Hunc itaque insignem Christi confessorem non mortalibus honoribus universo christifidelium coetui colendum exponere, arasque et supplicationes eidem decernere cupientes, fusis noctu dieque precibus in ieiuniis et lacrymis orantes, intensoque cordis affectu Patrem luminum deprecantes, ut, in re tam grandis momenti et supra humanam conditionem positâ, mentem nostram caelesti suâ luce perfundere ac instituere dignaretur, tandem, infirmitati nostrae suffragantibus universae Ecclesiae orationibus, piisque operibus ad id sedulo adhibitis, visum est Spiritui

Ad illum referendum in albo Sanctorum adhibita fuere pia opera ab universâ Ecclesiâ quae gaudere debet de hac canonizatione.

1 Ab Innocentio XII, const. ed. MDCXCI, idibus iulii, pontif. I, promulgata fuit canonizatio S. Caietani Thienaei; in huius Pontificis constit. praeced. extat canonizatio S. Pii V; et const. ed. MDCCXVI, die 8 maii, pontif. XVI, beatificatio Francisci Regis Societatis Iesu.

Sancto, qui in nobis divinâ miseratione operatur et loquitur, lucernam ardentem super Ecclesiae candelabro Andream Avellinum extollere, ut illum in albo Sanctorum solemni ritu translatum christianus orbis exoret, tantisque ingruentibus calamitatibus tutelam validumque praesidium se habere apud Deum intelligat et deprecari assuescat nuncupatione votorum. Gaudemus profecto, sanctâque in Domino exultatione replemur, infirma luteaque vasa deferentibus et adversus saecularia desideria mundique procellas assiduo luctantibus optatam e caelo tandem illuxisse cynosuram, quae, lumine nunquam defuturo, securos beatae Sion portus et exemptam ab omni aerumnarum fluxaeque vitae periculis quietem in sinu aeternitatis demonstret. Gaudemus generosum Christi athletam mundo exutum, soloque Deo armatum, e castris ac tentoriis religiosae Theatinorum familiae in arenam prodiisse, bonumque certamen certasse, quem quidem, sanctitatis odorem longe lateque exalantem, probatumque heroicae virtutis documentis, gloriae coronâ donandum provida Æternae Mentis consilia nostris temporibus reservarent. Gaudemus demum, ita postulantibus meritis et miraculis quibus inclaruit, caelestes in terris sanctorum honores illi decernere, qui mirâ humilitate contempsit humanos. Audite ergo populi Israël et laudate Dominum in atrio sancto eius.

Beati nativitas, patria et puerilia.

§ 2. Andreas itaque, in sortem Domini usque ab ineunte aetate vocatus, apud Castrumnovum in regno Neapolitano, Lucanaeque provinciae oppidum, anno MDXXI, a Ioanne Avellino et Margarita Apella coniugibus, optimisque parentibus, suae mortalitatis exordium suscepit, atque inibi christianis moribus et primis grammaticae rudimentis ab eius patruo eiusdem loci archipresbytero imbutus, sublimiores scientias alibi assecuturus, paternâ e domo se abdicavit; scientiis huiusmodi assequendis, nunquam illarum initium, quod Dei timor est, in oculis habere praetermisit, tantique principii assiduo ferventique cultu universam quam pertransivit studiorum semitam illustravit, et pubescentem aetatis suae florem futuris saeculis consecravit, ac ita piissimus adolescens lubrica voluptatum irritamenta invicto pede calcavit, ut perfectae aetatis gradum praecoci virtute transcenderit; nam saepe ab impudico mulierum aestu, et praesertim ab effraenâ eius nutricis licentiâ, quae honestissimi nominis pudorem meritricio dedecore violaverat, impetitus, generosâ fugâ victor evasit.

Clericali militiae adscribitur.

§ 3. Patriae se reddens, divino spiritu ductus, clericali militiae nomen dedit, et Christi tyrunculus in eius studio non saeculi sed caeli lucra quaesivit; quippe in patriâ commorans et per vicina oppida excurrens, pueros ad christianae fidei praecepta discenda amplectendaque, et illarum regionum incolas ad pia monita exequenda, non sine ingenti animarum quaestu, coepit a saeculi somno excitare. Verum, quia legibus nondum vacaverat, eiusque parens, spe futurorum erectâ, filium a se divelli aegre minus ferebat, Andreas, materno acquiescens consilio, Neapoli iuri civili operam daturus concessit.

Iuris utriusque peritiam adeptus, se abdicat a saeculo.

§ 4. Hic itaque iuris utriusque peritiam adeptus, reliqua litterarum ornamenta novâ iurisprudentiae accessione cumulavit, et ad sacerdotalem dignitatem evectus, et in eâ constitutus, causas in foro ecclesiastico pro quibusdam personis privatis dumtaxat, iuxta sacrorum canonum praescriptum, tuendas suscepit, donec a Ioanne Marinonio, clerico praefatae Congregationis, viro probatae virtutis,

et quem ille sibi conscientiae ducem elegerat, sancte callidior factus, ab huiusmodi procuratione se avertit, et nihil doctius nihilque ditius arbitratus, quam uni Deo vacare aeternoque animarum quaestui incumbere, a lubrico cuiuscumque humanae spei fastigio descendens, divinae sapientiae quadrigam ascendit; ac, velut auriga Christi, ad perennis beatitudinis metam concitatus se convertit.

Vicarius archiepiscopi deputatus, moniales ad sanctiorem vitae formam reducit.

§ 5. Quapropter rectius iter aggressus, ita probis Neapolitanae urbis ecclesiasticis pie vivendi more antecelluit, ut ab eiusdem civitatis archiepiscopo eius vicarius ad revocandas nonnullas cuiusdam monasterii sanctimoniales, quae a recto regularis observantiae tramite aberraverant, deputatus fuerit. Ille vero, porrectis prius ferventissimis Deo precibus, exploratoque conscientiae suae moderatoris consilio, munus hoc arduum suscepit, illudque ita, Deo eius votis et laboribus annuente, feliciter absolvit, ut virgines illae, quae procul ab immortali earum[1] Sponso dormitaverant, validis Andreae clamoribus Sponsum advenientem nunciantis excussae surrexerint, ornatisque novo reformationis zelo lampadibus suis, quae circumfusis inobservantiae tenebris iam iam defecerant, recenti lumine pulchriores cum illo intraverint ad nuptias. Una tamen ex eis diuturno cuiusdam profani viri commercio detinebatur; sed Andreas hoc vetus et arctissimum Satanae vinculum forti brachio conterere aggressus est, facto utrique interdicto, viro scilicet, ne ad monasterium, moniali vero ne ad crates, eum alloquendi gratiâ, accederent. Tantus hominis illius nequam exarsit in hominem Dei furor, ut sicarios, qui Andream, sicubi invenissent, perderent, quater immiserit. Horum primos nefarios delusit impetus non eis bene nota venerandi viri facies; secundo loci sanctitas eos deterruit, nam flexis genibus orantem in templo Andream invenerunt; tertio impium facinus aggressi, leve in eius facie vulnus inflixerunt; quarto demum, geminâ in vultu plagâ pariter illatâ, pessime habitum reliquerunt, nam alterum ex vulneribus profundius adactum, dissectâ insigniori arteriâ, aut proximam ei mortem allaturum, aut, si medicas unquam manus admisisset, maximum perpetuumque deformitatis vestigium eius in vultu relicturum existimabatur. Ipse quidem ore impavido vulnera sustinuit, et felix cruor ille, qui pro gloriâ Dei ex vulneribus, velut e gemino charitatis fonte, in aeternitatis coronam saliebat, non doloris gemitus, non vulnerantium contumeliam, sed vulnerati constantiam divinasque laudes generose murmurabat. Ut autem per levamen et auxilium in terris sibi praepararet triumphum, quem tunc proxime se assecuturum sperabat in caelis, ad coenobium S. Pauli Theatinorum dictae civitatis se protinus afferri proposuit, ut ibi a praefato Ioanne Marinonio, idem coenobium tunc gubernante, qui eum ad cursum animavit, ad coronam quoque martyrum pompâ redimitus adduceretur. Verumtamen, Deo sic disponente, ad maiora sibi differtur triumphus, et, ne vulnerum imago triumphi merita reposceret, ita convaluit, ut nullum cicatricis vestigium, nisi de proximo et diligentius intuenti, apparuerit.

Congregationem Theatinorum ingreditur.

§ 6. Decumbentis itaque Andreae virtus iuxta patrum Theatinorum virtutem posita, illorumque suavibus ac piis sermonibus inflammata, postquam percussoribus suis hilari animo ignoverat, et tunc existentem proregem, etiam adhibitâ amicorum operâ, pro reis rogaverat, quod grande huius christianae man-

1 Edit. Main. legit *eorum* (R. T.).

suetudinis exemplum erga cuiusdam eius nepotis interfectorem etiam mirifice iam antea exhibuerat, divinis succensa flammis, eorumdem patrum virtuti, quorum laudabilem vivendi rationem et suis consonam desideriis probaverat, perpetuo consors efficitur, et per mutuum utriusque virtutis consortium gemmeus ille componitur meritorum nexus, quo Andreae nomen Congregationi, et Congregatio Andreae nomini addicta perpetuum et commendabilem sibi invicem mutuantur in Domino decorem.

Tyronibus est exemplar virtutis.

§ 7. Anno igitur Domini MDLVI, aetatis suae XXXV, clericis regularibus praefatis adscriptus, sortitusque in eius regulari tyrocinio praeceptorem illum, quem in saeculo providum eius conscientiae sibi moderatorem elegerat, praefatum nempe Ioannem Marinonium (quo duce praecipua religiosae vitae praecepta celeri pede discurrens, ceteros in se erudivit, normaque eius tyrocinii immensum habuit consummatae virtutis exemplum), nihil habuit humilitate praestantius, nihilque amabilius: hac enim virtutum omnium custode in exercendis vilioribus ministeriis ita hominibus Deoque gratum, ac satis superque, iuxta laudabilia regularium instituta, probatum se exhibuit, ut iussus operam suam cuidam seni infirmo continuâ, ob morbi violentiam, phrenesi laboranti impendere, illam ab officiis contemptibilibus et nauseam moventibus minime abhorrens, sedulo summoque charitatis affectu exhibuerit. Quin, vi morbi aegrum aliquando acrius agitante, pugnis colaphisque Andreas plectebatur, at ille furentes ictus amabili prosequebatur amplexu et quo saevior dementis furor, eo ardentius Andreae charitas aestuabat, nec antea etiam per biennium post emissam professionem tantae pietatis officium dimisit, quam aeger e vitâ discesserit.

Probatione emissâ ad Urbem accedit.

§ 8. Peracto regularis probationis curriculo, gloriosis Dei militis praecinctus insigniis, Romam, superiorum permissu, loca sacra veneraturus accessit, ibique martyrum sepulchra uberibus lacrymis detergens, nova sibi procurabat incendia charitatis; adeoque pretiosae illae nostrae mortalitatis exuviae, dum fervida sentiunt amoris suspiria, laetae exultaverint in Domino, vitalique spiritu frigidi cineres propemodum afflati in amplexum sanctissimi viri exilire viderentur. Quapropter ipse[1] tantae exultationis gloriam debitâ pensans meditatione, sanctaeque aemulationis impetu permotus, spiritum vitamque suam, ni sanguine, lacrymis saltem in orthodoxae fidei obsequium ingiter adeo profundebat, ut uberes fletus prope martyrum cineres defluentes dulcem concupitae passionis dolorem avido cordi resonarent, mentemque fallerent errore gratissimo.

Neapolim regressus tyronibus praeficitur.

§ 9. Diebus quinque supra triginta in Urbe moratus, Neapolim rediit, ubi tyronum praefecturae adscitus, summum cuiuslibet religiosae rei bonum e rectâ tyronum educatione originem trahere prudenti consilio existimans, ita in id negocii sedulo incubuit, ut pia sanctarum virtutum lineamenta, quae in magistro elucebant, in novitiorum animis perfecte duxerit, eosque praesertim ad orationis studium excitavit: animarum enim cibum orationem esse asserebat, et religiosum illum, qui ab huiusmodi consuetudine se arcebat, non solidam sed hebetem verae pietatis substantiam animae suae praebere, religionisque convivio indignum esse putabat.

Eos ad perfectionem excitat.

§ 10. Quamplures extant celebres huiusmodi institutionum memoriae, quibus formati tyrones, depositâ pravi gustus titillatione, ad salubres aeternitatis escas

1 Edit. Main. legit *ipsae* (R. T.).

suam acuerunt cupiditatem. Inter hos Nicolaus Zecchius, insignis humanarum litterarum doctor legumque interpres, qui prope sexagenarius in praefatorum clericorum regularium Ordinem admissus, depositâ fori togâ, nondum totum illud mundani rumoris, qui a saeculi doctrinâ illiusque plaudente clamore exurgere animoque inhaerere solet, deposuisse videbatur. Andreas provide animadvertens quod regularis tunica, quam Nicolaus sumpserat, rerum humanarum contemptum plene non probabat, quodque habitus difformi sermoni repugnabat, perfectae humilitatis disciplinam ita Nicolao amplectendam proposuit, ut totum[1] se illius studio committens, non amplius elate sapere visus fuerit, sed de mundo viliter, de se humillime sentiens, sublimem virtutum omnium lauream, humilitate magistrâ, assequi contenderit.

Domus S. Pauli praepositus eligitur.

§ 11. Theatina familia, tanto prudentiae lumine illustrata, de abscondito tyrocinii angulo ad universae suae domus S. Pauli per eum gubernandae regimen lumen illud evexit, ut per eius virtutis operam non solum oriens, verum etiam adulta regularis aetas in praefatâ domo degens uberes afferret Altissimo fructus. Andreas itaque, praepositi munere decoratus, veluti lucerna supra candelabrum posita, suos undique effundebat radios, quibus vigilantia, oratio, sanctarum rerum sollicitudo, concordia, rituum observantia, et silentium non otiosae noctis etiam quietem operosae diei lucem sentiebant, et quos vigil praesul vigiles cernebat laborare, sui praesentiâ fovebat exempli. Pigros vero et dormitantes censurae premebat acumine.

Ministerio confessarii sedulo incumbit.

§ 12. Hoc autem charitatis iubar, quod suis domi, alienae quoque effundebat utilitati. Ad ministrandum enim poenitentiae sacramentum superiorum auctoritate designatus, non tyrocinii, non magisterii, non praefecturae sollicitudines illum unquam detinuerunt, quin confessarii munus ipsum fideliter patienterque exequeretur. Iis postmodum expeditus curis, totum se piissimo labori alacer mancipavit, et vigilantissimus aeternae animarum salutis opifex, divinique amoris propagator aspera cuncta in huiusmodi officio obeundo constanti animo sustinuit. Non personarum conditio, non incommoda, non itinerum difficultates, non hyemis rigor, non aestivi caeli fervor, non pluviae noctes, non locorum pericula, nec demum humana quaeque mundi dictamina Andreae extinguere potuerunt charitatem; imo, irruente aliquo ex impedimentis huiusmodi, magis magisque acuebantur charitatis flammae, et poenitentibus maiorem rutilabant in lucem; ac ita spirituali omnium utilitati et necessitati expositus nullum sibi tempus certum esse voluit, in quo suae quoque consuleret valetudini, nam dilapsis sibi in scrotum intestinis, dolor ipse incredibilis, quo aliquando torquebatur, non ei impedimento fuit, quin leni vultu paternoque amore ad se venientes exciperet, omnibus ad omnia factus, ut animas Christo lucrifaceret; quapropter totius civitatis Neapolitanae animarum moderator et magister nuncupari promeruit.

Votum emittit quotidie progrediendi in virtutes.

§ 13. Huic itaque intentus lucro, animas, quas caecus mundi furor perdiderat, ad caelestem revocavit lucem, quas vero Dei lumen irradiabat, ut tutiores in viam Domini dirigerent gressus, et de virtute in virtutem perfectius ascenderent, per solidam, qua praeditus erat, spirituum discretionem, certo tramite deducebat, et ut discipuli in magistro dignum semperque novum addiscerent

1 Edit. Main. legit *tutum* pro *totum* (R. T.).

christianae disciplinae rudimentum, propriae voluntati se nunquam obtemperaturum, nullamque diem sine novo perfectionis calculo se numeraturum, sacro iureiurando spopondit, ac tam grande sacramentum, ad exempli virtutem, ad discipulorum institutionem, ad laudem Deique gloriam, cui soli omnia dirigebat, constanter perfecteque adimplevit.

Mediolanum mittitur, eiusque utitur consiliis beatus Carolus Borromaeus.

§ 14. Bonus tantarum virtutum odor, qui ex Andreae operibus erumpebat, undique iam totam divi Pauli domum universamque urbem Neapolitanam, et proximas illi regiones repleverat, cum beatus Carolus Borromaeus, ecclesiae Mediolanensis tunc antistes, qui aliàs et tempore pontificatus felicis recordationis Pii IV praedecessoris nostri Romae degens usu compererat quam uberes in vineâ Domini congregatio praefatorum clericorum rectâ vivendi bonique exempli ratione fructus afferret, ut Mediolani eiusdem Congregationis domus institueretur, avide exoptavit in Domino. Quapropter praefatae Congregationis comitiis generalibus anno Domini MDLXX celebratis, ad tam pium beati Caroli votum explendum nonnulli ex clericis praefatis, inter quos Andreas vicarii tutulo insignitus, mittuntur, summâque humanitate ac veneratione excipiuntur a Mediolanensibus. Tum beatus Carolus Andreae virtutibus aequâ lance pensatis, illarumque pondere comperto, non audiendis dumtaxat confessionibus ceterisque huiusmodi piis exercitationibus Andream addixit, verum etiam in arduis quibusque amplissimae dioecesis negociis illius non semel usus fuit consilio, a cuius nitore lux illa in huiusmodi negociis oriebatur quae Dei gloriam rutilabat.

Placentiae a Paulo de Aretio plurimum adhibetur.

§ 15. Nondum maturaverat annus, quo Congregatio praefata Mediolani primam fixerat sedem, cum Andreas, aegre id nimis ferente beato Carolo, iussus Placentiam, inibi novam Congregationis praefatae domum excitaturus, petiit. Placentinae ecclesiae tunc praeerat Paulus de Aretio eiusdem Congregationis olim professus, et Andreae in tyrocinio socius, qui postea S. R. E. cardinalium coetui adscriptus et Neapolitanae ecclesiae praefectus fuit, ac tandem eâ sanctitatis famâ obiit, ut eius beatificationis causa apud Congregationem venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositam agi coeperit. Hic ergo piissimus praesul, quos olim in sui professione habuit fratres, hos in pastorali sui gregis curâ voluit coadiutores. Placentiae itaque benigne adamanterque a Paulo Andreas excipitur, pietasque pietatem amplectitur et osculatur. Quidquid autem Andreae virtus Pauli socii unita virtuti in administrandis inibi sacramentis procurandâque animarum salute peregerit, opera ipsa testantur. Unum tamen prae ceteris loquatur flagrantissimae charitatis monumentum, quo mulieres infixae in profundo libidinis coeno feliciter emersae demonstrantur. Ex harum numero duodecim, episcopo opem dante, intra septa cuiusdam domus B. Mariae Magdalenae postmodum nuncupatae, veluti intra hortum conclusum, primas poenitentiae plantas transtulit. Has ubi ingeniosus agri dominici cultor divino inseruit amori, tanta germinavit ex eis bonarum frugum ubertas, aliorumque beata palmitum propago, ut domus illa, sudore assiduo et laboriosâ agricolae sollicitudinis exculta, paradisi viretum caeli rore foecundatum ipsis angelorum oculis videretur.

Ibi clerum pristinae disciplinae restituit.

§ 16. Non absimiles laboris sui fructus collegit in reformando Placentinae dioecesis clero, quem crescentes quorumdam vitiorum et corruptorum mo-

rum vepres suffocabant. Paulus episcopus praefatus vi decretorum Concilii Tridentini perniciosos huiusmodi sentes evellere cupiens, beati Andreae operâ, opportuno satis consilio, uti statuit. Andreas ergo, dux ceteris viris huic operi pie adlaborantibus datus, opus illud difficillimum usque ad extremum perfecit, evulsisque alte defixis vitiorum radicibus, clero praefato bonae terrae nomen dedit, bonoque reformationis semine in eam deinde proiecto, multiplex exoriens fecundaque virtutum messis spem agricolae, quamvis avidam, non fefellit.

Suae Congregationis visitator constituitur.

§ 17. Interea ad propria suae Congregationis incrementa totius Insubriae provinciae visitator designatus fuit, et deinde Mediolanum, ut in novâ domo praepositi munere fungeretur, delegatus, nova exhibuit S. Carolo suae probitatis exempla. Illud equidem praecipuum, quod ex eleemosynis a liberali eiusdem S. Caroli manu quolibet mense sibi donatis, Andreas, illâ tantum portione retentâ quae ad alendam eiusdem domus familiam satis erat, reliquum, vere S. Caietani filius, remittebat donanti, qui donum a se missum pulchrâ virtutis usurâ adauctum ad se reverti mirabatur. Ad Romanam postmodum ac Neapolitanam provincias visitaturus accessit, et in eis perlustrandis maximas Ordini suo utilitates indefesso labore procuravit.

Iterum domui S. Pauli praeficitur.

§ 18. Demum, etsi ab omni praeeminentiae gradu abhorreret, invitus ad iterum praefati S. Pauli domum regendam, Deo sic disponente, expetitus fuit, ut insignis eius virtus illuc rursus elata caeleste lumen copiosius effunderet. Eâ quippe tempestate, deficiente Neapoli annonâ, populosa illa civitas seditiose ferebatur in principem. Andreas ieiunis ventribus animisque clamantibus provide occurrit; nam, quidquid frumenti in domestico horreo servabatur, pauperibus distribuit, solemnesque ad avertendam caeli iram supplicationes indixit. Quapropter illius verbo et exemplo quamplurimi ad poenitentiam revocati a seditiosorum turbâ se subtraxerunt, factaque est populo illi aestuanti tranquillitas magna.

Ipsius virtutes et prophetiae donum.

§ 19. Tot itaque meritorum radiis coram Deo elucebat, et hominibus ac praefatis duobus emanatis ab eo votis constanter incumbens, mortificationemque Iesu Christi in corpore suo circumferens, propriae semper ita obstitit voluntati, ut, divinae gratiae roboratus praesidio, novum de die in diem perfectionis gradum contenderet, et asperrimis sui corporis afflictationibus poenitentiae victimam sanctae mortificationis gladio mactatam sese offerret Deo, qui huius hostiae odoratus odorem suavitatis, quamplura charismatum dona fideli bonoque servo suo ad illustrandas eius virtutes largiri dignatus est. Emicuit inter ea divinitus collatum ac pene sibi familiare prophetiae lumen, quo quidem illustratus, futura et absentia quasi praesentia saepe vidit, occultaque humani cordis aliquando cognovit.

Anno aetatis suae octogesimum, dum sacrum agere incipit, apoplexiâ corripitur.

§ 20. Verum octavum iam supra octogesimum suae aetatis annum, qui erat nostrae reparationis MDCVIII, attingens beatus Andreas, primo mane e strato surgens, ac sacellum ingressus, et sacerdotalibus de more ornamentis indutus, ad aram missae sacrificium celebraturus accessit; ubi vero rem divinam agere coepit, ad illa verba *Introibo ad altare Dei*, ita repente apoplexiâ percussus fuit, ut nisi minister sacrificio inserviens iam iam labentem suppositâ manu sustentasset, in terram corruisset, si corruere utique poterat fortis ille senex, quem senectus Christo occupaverat servientem, et quem extrema dies Salvatoris invenerat militantem.

Sine loquelâ sed mente illaesâ permansit.

§ 21. Adfuere protinus adstantes, tum patres, hac de re moniti, supervenientes illum in aedem templo proximam adduxerunt, et sacris exuerunt vestibus; plura subinde, sed frustra, adhibita fuerunt medicamina, nam violenta morbi rabies omnem ei loquendi usum abstulerat, illaesâ tamen in totum discernendi facultate, quod per data ab eo signa plane compertum fuit, motibus nempe quibusdam, ac nutibus, ut ad aram maiorem perduceretur, ardens ostendit desiderium, ut stans coram illâ, et in eâ consumptâ Deo universâ mortificati sui corporis hostiâ, extremus, qui supererat, et morituro tunc in pectore vitae ignis tepebat, quemadmodum vivens exarserat, divino quoque moriens extingueretur amore.

Extremis sacramentis reficitur.

§ 22. Cum vero superior, an suscipiendae Eucharistiae gratiâ id expeteret, interrogasset, annuit ille iterato capitis flexu, nec a nutibus desistere et quiescere visus, nisi cum hoc de negocio se idem superior illi satisfacturum spopondisset, postquam scilicet, quod erat tunc opportunius, in cubiculum aegrotans asportatus fuisset. Eo perductus, ac lectulo stratus, medicis, qui iam advenerant, nullam salutis spem dantibus, sed intra paucas horas aegrum moriturum pronunciantibus, sanctissimo Viatico extremâque deinde Unctione munitus fuit. In tantâ vero spirituum perturbatione, singulari Dei beneficio, ita mente semper libera permansit, ut viso a longe in sacerdotis manibus divino sacramento, editis haud vulgaribus pietatis et devotionis indiciis, e lecto surgere, quantum per vires licuerat, conatus fuerit, nonnisi humi stratus Domini gloriae in sui corporis hospitium suscepturus, quibus et morbi adversarius impetus et superioris obstitere praeceptum.

Ad caelum evolat.

§ 23. Itaque susceptis Ecclesiae sacramentis, per aliquot horas aliquatenus conquiescens, tum ex religiosis viris tum ex saecularibus in eius cubiculum introeuntibus, atque ab eo benedictionem postulantibus, singulos ille penitus agnovisse indicans, singulorum vota paternae benedictionis munere dignatus est. Extremo demum ingruente agone, non semel equidem validissimum cum humani generis hoste certamen in illâ novissimâ vitae suae arenâ se initurum ipse praedixerat, propterea que omnes orationi instantes vellet, ut iis intercedentibus divinae misericordiae auxilium, quo victor evaderet, affuturum speraret. Mox ubi, qui praesentes erant, Andreae vultum quasi inductâ trepidationis ac moeroris nube obumbratum viderunt, certamen ab ipso praedictum ei adesse rati, ferventissimas pro eo preces ad Deum fundere coeperunt. Verum Andreas, conversis iterum atque iterum firmissimo intuitu oculis ad piissimam imaginem e cubiculi pariete pendentem, consuetae redditus tranquillitati, hilaris thriumphator in caelum ad capessendam boni certaminis, quod certaverat, coronam et attingendam beatam consummati cursus metam evolavit.

Fama sanctitatis ipsius diffunditur, et paulo post obitum Beatus declaratur.

§ 24. Post eius in Domino obdormitionem longe lateque diffusa est sanctitatis suae fama. Quapropter anno MDCVIII defunctus, anno vero MDCXXV a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro inter Beatos solemni ritu adscriptus fuit. Et quia nondum apostolicae prodierant constitutiones, quibus cavetur, ne huiusmodi beatificationis servorum Dei quorumcumque ac canonizationis causae, nisi post lapsum ab illorum obitu annum quinquagesimum, tractarentur, hoc solum interea permisso, ut scilicet virtutum et miraculorum probationes procurare ac conficere liceret, ne per longa temporis

huiusmodi intervalla certiora et illustriora sanctitatis monumenta penitus interciderent: idcirco nonnulli post beati Andreae decessum ordinariâ primum et deinde apostolicâ auctoritate instructi fuere processus, quorum examine, secundum consuetudinem eo tempore receptam, tribus antiquioribus tunc existentibus causarum palatii apostolici auditoribus demandato, illi actorum validitatem approbarunt, et beati Andreae virtutes heroicum attigisse gradum, et octo inter alia, partim dum viveret, partim post mortem ab ipso patrata miracula, communem operandi modum a naturâ institutum transcendisse, praeviâ discussione declararunt.

Rituum Congregatio processus et miracula approbat.

§ 25. Horum omnium relatio in praefatâ Rituum Congregatione exposita unâ cum eorumdem auditorum iudicio discussa fuit; qua discussione peractâ, eadem Rituum Congregatio et validos processus et Andreae virtutes heroicas esse censuit, admissisque inter vera et probata miracula septem instantaneis sanationibus, infrascriptum quoque pro miraculo habitum fuit.

Quorum unum hic refertur.

§ 26. Accidit aliquando ut beatus Andreas domum Camilli de Curtis, Neapolitanâ in curiâ regentis, Catharinam Caraffam morbo decumbentem visitaturus adiret, eique christianae pietatis officia more suo praestaret, quibus inde perfunctus circa tertiam noctis horam, recusato quod in promptu erat rhedae commodo, pedes ad praefatam S. Pauli domum reversurus discessit, interim copiosius, dum iret, e caelo indesinenter cadebat imber: nihilo tamen minus ne una quidem aquae guttula servi Dei sociique vestes aspersit tetigitve: imo homines duo, qui viae comites dati ut accensam praeferrent facem, ubi haec imbrium et ventorum impetu extincta fuit, Andream repentinâ luce circumfusum viderunt; quare homines ad praefatam S. Pauli domum feliciter pervenerunt. Ad haec iidem duo per longum itineris tractum, et dum Dei servo famularentur, et dum ad suas postmodum aedes redirent, continuo maximâ circumquaque imbrium copiâ decidente in nullâ aut corporis aut vestimentorum parte iniuriam, quantumvis minimam, ab aquis undique defluentibus acceperunt.

Urbanus VIII haec omnia confirmat.

§ 27. Porro quidquid a praefatâ Rituum Congregatione de validitate processuum tam de heroico virtutum gradu ac de miraculis iudicatum, idem Urbanus praedecessor confirmavit, eiusdemque Rituum Congregationis esse locum solemni servi Dei beatificationi pronunciantis decreto annuens, die x iunii praefati anni MDCXXV, Andream beatorum fastis adscripsit, et clericis regularibus Theatinis praefatis, ut in eius honorem officium et missam de communi confessorum non pontificum celebrarent anniversariâ die obitus servi Dei quotannis, concessit, ac id ipsum ceteris sacerdotibus die praefato in eorumdem clericorum regularium Theatinorum ecclesiâ celebraturis indulsit.

Neapolitanis et Capuanis patronus concedit.

§ 28. Interea Neapolitana, nonnullaeque Siciliae urbes beatum Andream in patronum ac protectorem sibi eligendum statuerunt: et quia nondum ab Apostolicâ Sede, ne ii, qui beatorum dumtaxat nomine insigniti, nec inter sanctos adhuc solemniter relati fuerunt, in urbium locorumque patronos adscriberentur, statutum fuerat: idem Urbanus praedecessor, auditâ prius hac de re praefatae Rituum Congregationis sententiâ, ut de beato Andrea tamquam de patrono ac protectore apud Neapolitanos Capuanosque missa officiumque recitarentur, benigne indulsit, patribusque Theatinis, in quorum generalibus co-

mitiis statutum extiterat ne quemquam vel minimâ a Beati cadavere distractâ portione donatum vellent, facultatem dedit ut Neapolitanis civibus partem corporis beati Andreae inter lipsana maioris ecclesiae Neapolitanae reponendam dono darent.

Causa canonizationis reassumitur.

§ 29. Post autem eiusdem Urbani praedecessoris decretorum promulgationem, factâ novae commissionis gratiâ, negocium canonizationis beati Andreae reassumptum fuit; et ad tenorem apostolicarum desuper editarum constitutionum praefatarum, huiusmodi causam excipiendam declaratum, et adauctâ in dies beati Andreae famâ sanctitatis, eius nomen unâ cum eis, quae in romano martyrologio leguntur, rite adnumeratum apostolicâ auctoritate extitit, ac patribus Theatinis permissum ut proprias de eodem beato Andrea lectiones, a praefatâ Rituum Congregatione, audito fidei promotore, approbatas, in secundo nocturno publice recitarent. Datis postea litteris remissorialibus ac compulsorialibus, ut ea, quae post beatificationem huiusmodi acciderant, probarentur, varii de novo diversis in locis conditi fuerunt processus, quorum postea discussa et probata fuit validitas, et ex octo a postulatoribus in Congregatione coram nobis habitâ propositis miraculis, tertium, quartum et sextum plene approbata fuerunt.

Miracula referuntur.

§ 30. Tertium autem fuit sanitas Iacobo Giovio in instanti restituta. Hic enim attractâ et exsiccatâ nervorum compage in dimidiâ superiori corporis parte vitale officium minime expeditum habebat.

§ 31. Quartum fuit instantanea item curatio Ioannis Baptistae Corizzi a nimis alte capiti inflicto vulnere, ne relicto quidem vel minimo cicatricis vestigio.

§ 32. Sextum denique fuit Scipionis Arlei instantanea pariter sanatio; siquidem huius graviter contusa frons, ac laxatae, quae per collum extenduntur, vertebrae, illico fuerunt pristinae integritati restitutae.

Quae a Clemente XI comprobantur.

§ 33. His itaque ordine suo peractis, nos, dilato per id temporis iudicio nostro, ut precibus ad Deum de more porrigendis in re tam gravi summe necessariis in antecessum vacaremus, postmodum die XXV maii anni MDCCIV praefata tria miracula auctoritate nostrâ apostolicâ comprobavimus.

Dies canonizationis indicitur.

§ 34. Denique, cum die XVIII novembris praefati anni MDCCIV, generali Congregatione coram nobis habitâ, propositoque dubio an tuto solemnis beati Andreae canonizatio perficienda foret, affirmativeque venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales praefatae Congregationis sacris ritibus praepositae respondissent, nos, et preces ipsi fundere statuimus, et ut a christifidelibus funderentur indiximus. Demum, vocatis dilectis filiis secretario praefatae Rituum Congregationis et fidei promotore, die XII maii anni MDCCVII, ut beatus Andreas solemni ritu Sanctorum albo adscriberetur, auctoritate nostrâ praefatâ decrevimus.

Cardinales in concistorio secreto unanimi voce assentiunt.

§ 35. Supererat ut praemissorum relationem et universam causam iidem cardinales de more accuratissime recenserent, ac pro rei gravitate recognoscerent; id quod cum recte fideliterque praestitissent, idemque omnes censuissent, ac denique dilectus filius noster Ferdinandus eiusdem S. R. E. cardinalis de Abdua pro venerabili fratre nostro Gaspare episcopo Sabinensi praefatae S. R. E. cardinali de Carpineo nuncupato, praefataeque Congregationis praefecto, qui tunc legitimo morbi impedimento detinebatur, suam et colle-

garum sententiam cum totius summâ processus retulisset in consistorio nostro secreto, reliqui cardinales qui aderant in eamdem concesserunt sententiam.

Consistorium publicum super eâdem causa.

§ 36. Nos itaque, cum in publico consistorio dilectus etiam filius Philippus Sacripantes, fisci Camerae Apostolicae et consistorialis aulae nostrae advocatus, pro eius canonizatione luculenter perorasset, ac nomine totius Ordinis clericorum regularium praefatorum, ut ad eam procedere dignaremur, humiliter supplicasset, de tantâ re venerabiles fratres nostros S.R.E. cardinales et episcopos praefatos praesentes vehementer in visceribus Christi hortati sumus, ut, orationibus instantes, in ieiuniis et eleemosynis eorum animas coram Deo nobiscum humiliantes, assiduis precibus a Patre luminum exposcerent ut ex alto super nos lucem suam et veritatem suam emittere[1], quae nos ad voluntatem et beneplacitum eius cognoscendum et perficiendum deduceret.

Consistorium semipublicum et unanimis omnium consensus.

§ 37. Igitur in semipublico consistorio, quod subinde celebratum est, vocatis non modo cardinalibus, sed patriarchis, archiepiscopis et episcopis in Curiâ Romanâ existentibus, praesentibus etiam nostris ac Sedis Apostolicae notariis, nec non causarum praefatarum auditoribus, cum plura a nobis de eximiâ sanctitate servi Dei ac miraculorum celeritate[1] commemorata fuissent, expositis etiam instantiis quae a catholicis regibus et principibus dudum in huiusmodi causae primordio Apostolicae Sedi porrectae fuerant et[2] nobis nunc a toto Ordine praefato porrigebantur, omnes concorditer ac uno ore benedicentes Deum, beatum Andream canonizandum esse, atque inter sanctos confessores adscribendum, censuerunt. Quorum omnium audito consensu, intimo cordis affectu exultavimus in Domino, qui Ecclesiam suam misericorditer respexerat; canonizationis publicavimus diem; eosdemque fratres ac filios nostros monuimus ut in orationibus et eleemosynis perseverarent, ut in tanto opere exequendo splendor Domini Dei nostri esset super nos, opusque manuum nostrarum ad eius voluntatem perficiendam dirigeret.

Canonizationis solemnitas.

§ 38. Demum, peractis omnibus quae ex sacris constitutionibus Romanaeque Ecclesiae consuetudine peragenda erant, hodie, quae fuit dies dominica SS. Trinitatis, in sacrosanctâ Principis Apostolorum basilicâ caelestis sponsae ritu ornatâ, cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus, nec non patriarchis, archiepiscopis et episcopis, Romanaeque Curiae praelatis, officialibus et familiaribus nostris, clero saeculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ convenimus; ubi, repetitis pro canonizationis decreto petitionibus nomine praefato a dilecto filio nostro Annibale tituli S. Eustachii cardinali Albano nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre nepote, per dilectum etiam filium Marcellinum Corium advocatum, decantatis sacris precibus et litaniis, ac Spiritus Sancti gratiâ humiliter imploratâ, ad honorem eiusdem sanctae et individuae Trinitatis et fidei catholicae exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Romanâ Curiâ praesentium consilio ac unanimi consensu, piae memoriae Andream Avellinum, de cuius

1 Vel *emitteret*, vel adde *dignaretur* (R. T.).
1 Forsan *celebritate* (R. T.).
2 Praeposit. *a* hinc abiicimus (R. T.).

vitae sanctitate, fidei sinceritate et miraculorum excellentiâ plene constabat et constat, Sanctum esse definivimus, ac sanctorum confessorum catalogo adscribendum decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus et describimus, illumque universos christifideles, tamquam vere Sanctum honorare et venerari mandavimus et mandamus.

Festum die x novembris cum indulgentia.

§ 39. Ac ab universali Ecclesiâ in eius honorem ecclesias et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, aedificari et consecrari, et singulis annis die x novembris, qua ad caelestem gloriam vocatus est, ab universali Ecclesiâ memoriam ipsius inter sanctos confessores non pontifices piâ devotione recoli statuimus, ac omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac singulis annis eâdem die x novembris ad sepulchrum, in quo corpus eius requiescit, visitandum accedentibus, unum annum et unam quadragenam; iis vero, qui eiusdem festi octavâ ad sepulchrum praefatum accedent, quadraginta dies de iniunctis poenitentiis misericorditer in Domino eâdem auctoritate relaxamus.

Gratiarum actio.

§ 40. Postremo gratias Deo cum exultatione animi nostri agentes, quod Sanctum suum in conspectu omnium gentium honorificaverit, ac tam insigni splendore Ecclesiam suam decoraverit, omnibus christifidelibus, qui nobis ad altare Principis Apostolorum in praefatâ basilicâ missam solemniter celebrantibus cum eiusdem sancti confessoris commemoratione interfuerunt, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessimus.

Clausulae.

§ 41. Ceterum, quia difficile foret praesentes ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si exhibitae essent vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 42. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, concessionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXII, XI kalendas iunii, pontif. nostri, anno XII.

Dat. die 22 maii 1712, pontif. anno XII.

✠ EGO CLEMENS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.



†

† Nicolaus episcopus Portuensis cardinalis Acciaiolus.

†

†

†

† Fabritius episcopus Praenestinus cardinalis Spada.

† G. tituli S. Laurentii in Lucina prior presbyter cardinalis Marescottus.

† F. tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis Astallius.
† B. tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Panciaticus.
† F. tituli S. Balbinae presbyter cardinalis Abdua.
†
†
†
†
† Fr. Thomas Maria Ordinis Praedicatorum tituli S. Clementis cardinalis Ferrarius.
† Ioseph tituli S. Mariae Transpontinae presbyter cardinalis Sacripantes.
† I. B. tituli S. Caesarei presbyter cardinalis Spinula S. R. E. camerarius.
† F. tituli Ss. Ioannis et Pauli presbyter cardinalis Paulutius, maior poenitentiarius.
†
†
† Franciscus tituli S. Eusebii presbyter cardinalis Martellus.
†
†
† Laurentius tituli S. Susannae presbyter cardinalis Corsinus.
†
† Franciscus tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis de Acquaviva.
†
†
† Philippus tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Gualterius.
† I. tituli S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis Vallemanus.
†
†
†
† I. tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio presbyter cardinalis de la Trèmouille.
† C. A. tituli S. Augustini presbyter cardinalis Fabronus.
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
† Aloysius tituli S. Marcelli presbyter cardinalis Priolus.
† Ioannes Baptista e Societate Iesu presbyter cardinalis Ptolomeus.
† Fr. F. M. tituli S. Priscae presbyter cardinalis Casinus.
†
† B. S. Mariae in Viâ Latâ diaconus cardinalis Pamphilius.
† Petrus S. Laurentii in Damaso diaconus cardinalis Ottobonus.
† Carolus S. Agathae diaconus cardinalis Bichius.
† I. R. diaconus S. Georgii in Velabro cardinalis Imperialis.
† Franciscus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Barberinus.
† L. S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis de Alteriis.
† C. S. Mariae de Scala diaconus cardinalis Columna.
† Nicolaus S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Grimaldus.
† Annibal S. Eustachii diaconus cardinalis Albanus.

CLXXI.

Declarantur nulla restitutio ecclesiasticae communioni officialium civitatis Liparensis, aliaque gesta a delegato praetensi tribunalis Siciliae adversus vicarium generalem episcopi Liparensis, eius curiae ministros, aliosque, cum eorumdem damnatione et publicatione censurarum [1].

1 Const. ed. MDCCXI, die 17 octobris, pontif. XI, declarata fuere nulla gesta in Hispaniis Ecclesiae iuribus praeiudicialia; const. ed. MDCCXII, die 3 decembris, pontif. XIV (XIII?) declaratur nullum edictum contra excommunicationem quamdam

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Factorum enarratio.

§ 1. Ad apostolatus nostri notitiam, non sine gravi animi nostri perturbatione, pervenit, quod, cum venerabilis frater Nicolaus Maria episcopus Liparensis ante aliquot menses Ioannem Baptistam, sive Baptistam Tesorerum, et Iacobum Christo, civitatis Liparensis officiales, vulgo *Catapani* nuncupatos, ex causâ violatae ab eis immunitatis ecclesiasticae, poenâ excommunicationis nobis et Apostolicae Sedi reservatae innodatos, rite ac servato iuris ordine, declarasset, saecularis potestatis regni Siciliae administri, quamvis eiusmodi negotio, quod ad eos non pertinebat, nullatenus sese ingerere debuissent, nihilominus, minime attento quod ecclesiae Liparensis antistes nobis et huic Sanctae Sedi immediate subiectus ac tot tantisque ab eâ gratiis et privilegiis insignitus reperitur, eumdem Nicolaum Mariam episcopum eiusque ministros multiplicibus gravibusque vexationibus propter praemissa afficere ac exagitare veriti non fuerunt. Quinimo, tametsi excommunicatio praedicta, tamquam ab ecclesiasticae immunitatis violatione proveniens, in earum numerum referenda esset, quarum absolutio nonnisi a Romano Pontifice pro tempore existente obtineri potest, itant nemini alteri, etiam ad cautelam, ac cum reincidentiâ, et ad effectum agendi tantum, eam concedere fas sit; attamen quoddam praetensum tribunal eiusdem regni, nullâ ad id legitimâ facultate suffultum, officialibus praedictis, sicut praemittitur, excommunicatis, absolutionis beneficium impendere ausum fuit. Quâ postmodum re ad iudicium nostrum delatâ, et a nobis Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositae commissâ, ab eâdem Congregatione, praevio diligenti ac maturo examine, decretum prodiit, quo absolutio a dicto praetenso tribunali concessa praefatis excommunicatis nulla prorsus ac irrita ex defectu iurisdictionis declarata fuit, idemque decretum, a nobis approbatum, in dictâ civitate Liparensi iussu nostro promulgatum subinde fuit, ut pro veteri Ecclesiae more iidem excommunicati, velut aquâ et igne interdicti, et tamquam putrida membra canonicae severitatis gladio abscissa ne totum corpus inficerent, ab omnibus christifidelibus vitarentur. Hinc porro secutum fuit ut quidam Vincentius Aucellus, ecclesiae S. Petri Panormi canonicus, cum notario armatâque familiâ Liparam ablegatus fuerit, ad hoc ut nedum auctores et conscios promulgationis memorati decreti diligenter inquireret ac puniret, verum etiam praedictos officiales sicut praemittitur excommunicatos christifidelium commercio sacramentorumque participationi, publicâ eiusdem Congregationis declaratione contemptâ, restitueret. Quae omnia idem Vincentius, pro regio sive antedicti praetensi tribunalis delegato se gerens, non sine maximo fidelium scandalo summâque ecclesiasticarum legum iniuriâ ac manifestâ etiam Apostolicae Sedis offensione, audacter executus fuit. Primum enim omnium, statim ac Liparam pervenit, praedictos excommunicatos secum ad ecclesiam B. Virginis Gratiarum nuncupatae palam adduxit, et sacrosanctum missae sacrificium celebrare ipsis praesentibus non exhorruit. Deinde pluribus ex saeculari et regulari clero sacerdo-

in Republicâ Ianuensi; et const. ed. MDCCXIII, die 23 decembris, pontif. XIV, nulla declarantur gesta a iudice monarchiae Siciliae contra excommunicationem et interdictum factum ab episcopo Agrigentino.

tibus ad se accitis iniunxit, ut ipsos excommunicatos ad communionem in divinis et sacramentorum participationem admitterent, gravibus, si secus fecissent, indictis poenis, quin etiam nonnullos, qui divini iudicii timore correpti iis sacramenta Ecclesiae administrare ante illud tempus merito detrectaverant, pecuniariis mulctis afficere, et ad eas repraesentandas vi compellere non erubuit. Praeterea, peccata peccatis adiicens, misso Francisco Aucello nepote suo unâ cum Laurentio Mauricello sive Morello executore ad dilectum filium Didacum Hurtado praedicti Nicolai Mariae episcopi vicarium in spiritualibus generalem, tunc maxime in episcopali palatio de rebus ad sanctum Officium pertinentibus cum consultoribus et qualificatoribus ad id deputatis agentem, pari temeritate personaliter ei praecipi ac intimari fecit, ut, sub poenâ quadrigentarum unciarum monetae siculae, usque ad novum ipsius Vincentii mandatum, domum pro carcere retineret. Cumque idem Didacus, vicarius generalis, ipsius Vincentii impetum coercere, eumque ad salubriora consilia revocare satagens, illi transmisisset iudiciale monitorium, quo tam ipse quam Franciscus eius nepos ac Laurentius praedicti causam dicere requirebantur, propter quam declarandi non essent innodati censuris, quae apostolicis constitutionibus, ac praesertim felicis recordationis Iulii Papae III quae incipit *Licet a diversis*, necnon Pii Papae V praedecessorum nostrorum, cuius initium est *Si de protegendis*, adversus impedientes inquisitores et causas sanctae Inquisitionis praescribuntur: idem Vincentius, caecâ inconsultâque abreptus irâ, eò audaciae progressus fuit, ut non modo binos sacerdotes, qui eiusmodi monitorium ipsi reddiderant, constringi vinculis ac arctissimum in carcerem detrudi mandaverit, verum insuper, assumptis secum Ioanne Baptista de Albertis notario, Nicolao Sciacca actuario, praedicto Laurentio Mauricello seu Morello et Iosepho Xhiaxia executoribus, vulgo *algoziriis* nuncupatis, necnon quinquaginta militibus stationariis, episcopale palatium, ubi supradictus Didacus vicarius generalis morabatur, bellico more circumsepserit, portam, vi adhibitâ, occupaverit, iniectisque in eumdem Didacum vicarium generalem sacrilegis manibus, tum ipsum, tum etiam dilectum filium Ildephonsum Aretium, monachum Ordinis sancti Benedicti Congregationis Cassinensis memorati Nicolai Mariae episcopi confessarium, captivos detineri praeceperit, domumque ipsius Didaci vicarii generalis, in quam ambo mox sese receperant, a praedictis stationariis militibus diu noctuque per plures dies custodiri fecerit; ad haec pari audaciâ in custodiam tradiderit notarium, actuarium, ac reliquos omnes curiae episcopalis Liparensis ministros, necnon dilectum pariter filium Franciscum Canalem, parochum cathedralis ecclesiae Liparensis, et octo alios sacerdotes, non alterius criminis reos, nisi quod praefatis officialibus, quibus sacris interdictum erat, ecclesiae sacramenta ministrare abnuissent. His vero minime contentus praefatus Vincentius dictum Didacum vicarium generalem bonis quoque exuere aggressus fuit, eiusque domesticam supellectilem a supradictis suis ministris et executoribus accurate describi fecit, ac publico in foro venalem se propositurum comminari non timuit, nisi ingens pecuniae summa re ipsâ sibi numeraretur; quam cum praedictus Didacus vicarius generalis promptam non haberet, illam, ad redimendam suam supellectilem praefatam, foenore accipere compulsus fuit. Nec tamen eâ expressâ

pecuniae summâ, totque ac tantis aliis illatis vexationibus, idem Vincentius ingenio suo adhuc satisfecisse videbatur; sed, quemadmodum novissimae illarum partium litterae nunciarunt, de praefato Didaco vicario generali et aliis aliquot sacerdotibus in custodiâ detentis Panormum traducendis cogitabat. Quid porro deinde iis evenerit, incompertum hactenus nobis est; deteriora tamen quaeque metuere nos cogit viri temeritas ac impudentia, qui tam probrosa ac indigna facinora admittere non dubitavit, ecclesiasticae immunitatis hostis et eversor factus, qui, utpote Ecclesiae ministeriis addictus, illius potius vindex ac propugnator esse debuisset.

Declaratio nullitatis supra relatorum, cum eorumdem damnatione.

§ 2. Cum autem praemissa omnia, quae ex processibus desuper confectis respective constant, ac ita notoria et publica existunt ut nullâ possint tergiversatione celari, praefatis aliisque apostolicis constitutionibus manifeste adversentur, necnon Ecclesiae libertati atque auctoritati maximum et gravissimum praeiudicium intulerint, atque adhuc inferant, ac praeterea in scandalum plurimorum tendant, animasque pretioso salvatoris et domini nostri Iesu Christi sanguine redemptas in gravissima pericula coniecerint, et deplorandis malis involvere pergant: hinc est quod nos, qui iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, libertatem, immunitatem et iurisdictionem ecclesiasticam a temerariis et perniciosis huiusmodi conatibus illaesam tueri et conservare, necnon animarum periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium et singulorum, quae in praemissis seu eorum occasione quovis modo decreta, ordinata, acta et gesta fuerunt, seriem, causas et circumstantias, etiam aggravantes, necnon tribunalium, iudicum, ministrorum, officialium et aliorum quorumcumque in praemissis quomodolibet culpabilium qualitates, dignitates, nomina et cognomina, aliave quaecumque etiam specificam et individuam mentionem ac expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et singillatim specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula decreta, praecepta, processus, sententias, ordinationes, mandata et alia quaelibet, tam a praedicto Vincentio Ancello, sive per se sive per alios, quam a quibusvis tribunalibus, iudicibus, ministris et officialibus, aliisque quibuscumque personis, etiam specificâ et individuâ mentione dignis, in praemissis, seu eorum occasione in praeiudicium ac detrimentum libertatis, immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae atque auctoritatis apostolicae respective quovis modo emanata, edita, acta, gesta et perpetrata, cum omnibus et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita, invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata ac de facto praesumpta, nulliusque roboris et momenti vel efficaciae esse, et ab initio fuisse ac perpetuo fore, neque illa ullum statum facere vel fecisse; sed, perinde ac si nunquam emanassent nec facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nul-

lis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis, semper haberi volumus et mandamus.

Publicatio incursus in censuras Sanctae Sedi reservatas.

§ 3. Praeterea, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, ex parte omnipotentis Dei, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ, eosdem Vincentium Ancellum eiusque nepotem Franciscum Ancellum, Ioannem Baptistam de Albertis notarium, Nicolaum Sciacca actuarium, Laurentium Mauricellum sive Morellum et Iosephum Xhiaxia executores, vulgo *algozirios* nuncupatos, necnon N. N. N. N. N. N. et N. stationarios milites, qui praedicto Vincentio in praemissis damnabilem operam et auxilium, ut praefertur, praestiterunt, propter eadem praemissa in maiorem excommunicationem ac in alias censuras et poenas a sacris canonibus, universalibus conciliis, necnon praedictis aliisque constitutionibus apostolicis, ac speciatim illâ quotannis in die Coenae Domini legi solitâ, contra similia perpetrantes inflictas, promulgatas et fulminatas, a quibus nonnisi a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice (praeterquam in mortis articulo, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestitâ, atque cum reincidentiâ eo ipso quo convaluerint) absolvi valeant, damnabiliter incurrisse, earumdem tenore praesentium declaramus, ipsosque et eorum quemlibet excommunicatos publicamus et denunciamus. Easdem porro censuras et poenas se incurrisse sciant nedum alii omnes, cuiuscumque tandem status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis fuerint, qui praemissa mandarunt, perpetrarunt et executi fuerunt, seu illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestiterunt, sed et illos qui in eorum sequelam et executionem gesta approbarunt et rata habuerunt, seu aliàs in eisdem praemissis quovis modo culpabiles fuerunt, seque praeterea a censuris et poenis huiusmodi nonnisi pariter a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo sub certis modo et formâ superius expressis) absolvi et liberari posse. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod tam specialiter nominati ac ceteri supradicti, quam alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantialissimo ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque iuris, factí vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quan-

Clausulae.

documque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et eiusdem Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibuscumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus ac praescriptionibus, quantumcumque longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, supradictis aliisque quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, a Sede praedictâ, ex quacumque causâ, etiam per viam contractus et remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis, etiam continentibus quod excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis et indultis huiusmodi mentionem; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XVIII iunii MDCCXII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 18 iunii 1712, pontif. anno XII.

CLXXII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de suffragio concedendo in capitulis provincialibus singulis prioribus provinciarum S. Antonini et S. Crucis fra-

trum Praedicatorum in Indiis Occidentalibus[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Ius suffragii praedictum demonstratur.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Didaci de Herrera Lobaton, fratris expresse professi Ordinis Praedicatorum, procuratoris provinciarum S. Antonini novi regni Granatensis et S. Crucis eiusdem Ordinis in Indiis Occidentalibus, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod inconcussa et inveterata praxis in dictis provinciis semper vigerat, ut, licet ab earum conventibus seu domibus exiguus, nempe duorum, trium vel quatuor religiosorum, numerus aleretur, et in aliquâ ex domibus huiusmodi unus tantum religiosus nomine prioris habitaret, eo quia aliquot ex dictis domibus pro doctrinis seu parochiis ad instructionem populorum illarum partium destinatae erant; nihilominus domorum praefatarum priores seu vicarii votum sive suffragium in eorum capitulis provincialibus semper tulerant, ac in electione proprii prioris provincialis tamquam legitimi vocales habiti fuerant, quemadmodum dicta praxis approbata et praescripta reperiebatur ad formam propriarum constitutionum a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, videlicet a felicis recordationis Clemente PP. VII praedecessore nostro vigore quarumdam suarum litterarum in simili formâ Brevis die XI iulii MDXXXIII expeditarum, ac a recolendae memoriae Paulo PP. III, itidem praedecessore nostro, vigore quarumdam suarum litterarum in simili formâ Brevis, primas quidem sub dat. X aprilis MDXL, in quibus per sequentia verba disponebatur, idest: *Et quatenus domus et loca eiusdem Ordinis duodenarium numerum fratrum non habuissent et numerum quatuor fratrum huiusmodi dumtaxat continuissent et illorum voces pro electione huiusmodi prioris provincialis iuxta earumdem constitutionum formam sufficerent*; alteras vero litteras huiusmodi sub dat. I ianuarii MDXLVI, per infrascripta verba indulgebatur: *Ut dictarum domorum vicarii, etiamsi in eis minus quam quatuor fratres extitissent, vocem in electione dicti prioris provincialis haberent*; praeterea idem colligebatur ex quibusdam aliis piae memoriae Gregorii Papae XIII, similiter praedecessoris nostri, idibus iulii MDLXXX sub plumbo signanter ad favorem memoratae provinciae S. Antonini expeditis litteris; et denique per alias recolendae pariter memoriae Alexandri Papae VII, itidem praedecessoris nostri, die VIII novembris MDCLXIV in eâdem formâ Brevis expeditas litteras statuebatur et ordinabatur ut eorumdem priorum electiones in capitulo provinciali fierent, si vero electio extra capitulum provinciale facienda esset, illa per vota sive suffragia secreta a priore provinciali unâ cum duodecim aliis religiosis antiquioribus ac in conventu principali fieret; ipsique priores postea dictum votum, sive suffragium in capitulo praefato libere ferre possent: porro, hoc minime obstante, saepe praetensum fuerat, illam electionem prioris provincialis fuisse nullam,

Et tamen adversatur quaedam Pauli V constitutio.

1 De hoc suffragio vide infra allegata § 1. In Innocentii XII constit. edit. MDCXCIX, die 9 octobris, mandata fuit observantia constitutionum de fratribus coniunctis in prioratibus pro provinciâ Peruanâ; in huius Pontificis constit. ed. MDCCXV, die 2 octobris, pontif. XV, extat abolitio alternativae in provinciâ S. Antonini; et const. ed. MDCCXIII, die 16 iunii, pontif. XIII, agitur de eodem suffragio pro Minoribus de Observantiâ in iisdem Indiis.

quae celebrari contigisset in aliquâ ex dictis provinciis cum voto sive suffragio priorum seu vicariorum domorum, seu conventuum, in quibus non alebatur saltem octo religiosorum numerus, iuxta praescriptum quarumdam litterarum similis memoriae Pauli PP. V, etiam praedecessoris nostri, die XXIII septembris MDCXI in simili formâ Brevis pariter expeditarum, per quas statuebatur ut conventus praefati, qui numerum octo religiosorum sustentare non potuissent, supprimi deberent; si vero id executioni demandari non valuisset, regulares ad alios conventus seu ad alias domos regulares transferrentur; ita ut in partibus Indiarum non reperiretur monasterium aut regularis domus, in quo seu qua minor numerus octo monachorum seu fratrum regularem vitam duceret; et aliàs, prout in supradictis Clementis, binis Pauli III, Gregorii, Pauli V et Alexandri praedecessorum praefatorum expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis et insertis haberi volumus, uberius dicebatur contineri: et in eâdem expositione subiuncto quod memorati Pauli V praedecessoris litterae aliis supradictis et prae ceteris illis eiusdem Alexandri praedecessoris litteris, quae posterius emanarunt, adversabantur (minusque[1] eiusmodi Pauli V praedecessoris litterae, quarum executio arbitrio episcoporum tunc in eisdem partibus existentium commissa fuerat, ut si ita pro divini cultus augmento et regularis disciplinae observantiâ expedire iudicassent, super quo eorum conscientia onerabatur, ab eis executioni minime demandatae reperiebantur) ac ex diuturnâ experientiâ compertum fuerat quod eaedem Pauli V praedecessoris litterae tunc producebantur, quando

Causae conservandi ius suffragii ut in rubrica.

1 Deinceps syntaxis usque ad verbum *reperiebantur* non satis cohaeret (R. T.).

praetendentes agnoscebant, se, votum ferentibus vel non ferentibus dictis prioribus, posse includi vel excludi; adeo ut hoc tantum tenderet ad perturbandas dictas provincias et ad fovendas continuas discordias inter religiosos et ad validandam vel annullandam ad proprium libitum electionem: proindeque eidem Congregationi cardinalium supplicato ut ipsa circa praemissa solitum iuxta antiquam praxim Ordinis et provinciarum praefatarum servari mandaret, nempe ut, praefatis Pauli V praedecessoris litteris minime obstantibus, domus seu conventus, in quibus tametsi numerus octo religiosorum non alceretur vel sustentaretur, in pristino eius[1] statu conservarentur, attentâ spirituali utilitate quae ex assistentiâ et fervore memoratorum religiosorum in instruendis in mysteriis fidei populis earumdem partium proveniebant, prout venerabilis frater modernus archiepiscopus S. Fidei in eisdem Indiis praefatae Congregationi cardinalium retulerat, ac insuper ut huiusmodi domorum seu conventuum priores et vicarii voce sive suffragio in electionibus priorum provincialium in posterum gaudere deberent, itaut electiones iuxta tenorem Clementis, Pauli III, Gregorii et Alexandri praedecessorum praefatorum litterarum exinde faciendae, pro validis et canonicis haberentur: emanavit ab eâdem Congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S.R.E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster supplicem hunc libellum remisit, audito patre magistro generali Ordinis, referente eminentissimo de Abdua, censuit ac decrevit servandum solitum, non

1 Aptius lege *eorum* vel *in pristino iure* (R. T).

obstante enunciato Brevi Pauli V et aliis quibuscumque. Romae, x iunii MDCCXII. — G. cardinalis CARPINEUS. — F. arch. Nicaenus secret. *Locus † sigilli.*

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Didacus nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius Didaci votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolicâ, tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iulii MDCCXII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 2 iulii 1712, pontif. anno XII.

CLXXIII.

Declarantur nulla decretum a potestate comitatus Niciensis editum et concordia ab ecclesiasticis cum syndicis terrae Villarii inita super solutione onerum laicalium, cum poenis in contravenientes[1].

1 Const. ed. MDCCXI, die 28 iulii, pontif. XI, nulla declarata fuere decreta magni consilii Varsaviae super eâdem solutione; et const. ed. MDCCXVIII, die 10 decembris, pontif. XIX, declaratur nullus tractatus pacificationis inter abbatem S. Galli et magistratum Bernensem et Tigurinum.

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Decretum concessum syndicis Villarii quo cogerent ecclesiasticos ad solutionem pro bonis a se possessis.

§ 1. Cum, sicut accepimus (habito per syndicos terrae seu loci Villarii Niciensis dioecesis ad laicalem potestatem civitatis et comitatus Niciensis recursu, ad hoc ut ecclesiastici dictae terrae ad talliarum et aliorum onerum laicalium solutionem, ratione bonorum per eos possessorum, sub poenâ, in eventu quo repugnarent, executionis militaris, obligarentur), die XXVI aprilis proxime praeteriti iidem syndici rescriptum seu decretum ab eâdem laicali potestate obtinuerint, quo praecipitur ut ecclesiastici praedicti tallias et onera laicalia huiusmodi pro ratâ non solum per ipsos acquisitorum, verum etiam suorum patrimonialium bonorum, iuxta reparationem[1] per consules universitatis dictae terrae faciendam, persolvant; et successive ipsi ecclesiastici (cum syndicos praedictos ad exactionem talliarum et onerum laicalium praefatorum pro ratâ bonorum per eosdem ecclesiasticos possessorum vigore rescripti seu decreti praedicti etiam sub minis ad eam per viam[2] procedendi omnino devenire paratos viderent), ut executionem huiusmodi omnemque aliam vim, quae sibi a laicali potestate et syndicis praedictis inferri possent, evitarent, quamdam cum eisdem syndicis conventionem inierint, per quam se ad solutionem ratae partis talliarum et onerum laicalium praedictorum eos tangentis ratione bonorum per eos possessorum, etiam patrimonialium, iisdem modo et formâ, quibus illa laici pro suis bonis persolvunt, faciendam obligarunt, eâ adiectâ conditione, ut, casu quo dicta eorum bona a talliis et oneribus huiusmodi immunia et a collectis exempta declarari, hancque declarationem a principe laico acceptari contingeret, eorumdem ecclesiasticorum obligatio huiusmodi cessaret, ipsique in posterum tallias et onera laicalia praedicta solvere minime tenerentur, id tamen, quod a dictâ universitate usque ad tempus declarationis huiusmodi exactum forsan foret, ab eâdem universitate restitui non deberet, attento quod iam nunc pro eo tempore id totum a dictis ecclesiasticis ipsi universitati dono gratuito concedebatur, prout in rescripto seu decreto ac conventione praefatis, quorum tenores, non approbandi, sed penitus et omnino reprobandi animo, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius respective continetur; praefatum vero laicalis potestatis rescriptum, seu decretum, necnon praenarrata ecclesiasticorum conventio et obligatio sacrorum canonum et constitutionum apostolicarum dispositioni manifeste adversentur, ac libertatem et immunitatem ecclesiasticam summopere laedant:

Declaratio nullitatis praedictorum omnium, cum eorumdem revocatione.

§ 2. Hinc est quod nos, qui iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, ecclesiasticam libertatem a temerariis ac perniciosis huiusmodi conatibus illaesam tueri ac conservare, necnon gravioribus, quae ei per exactionem et solutionem talliarum et onerum laicalium praedictorum forsan adhuc non incoeptam inferri possent, praeiudiciis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium et singulorum in praemissis tam ab ecclesiasticis quam a laicali potestate et syndicis aliisque supradictis per se vel alios quoscumque quomodolibet actorum et gestorum seriem, causas et occasiones, aliave quaelibet etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro

1 Forsan *repartitionem* (R. T.).
2 Forsan *vim* (R. T.).

plene et sufficienter expressis, ac exactissime et accuratissime specificatis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, tam rescriptum seu decretum a laicali potestate editum, quam conventionem a dictis ecclesiasticis cum praenarratâ obligatione initam [1], ut praefertur, cum omnibus et singulis in eis contentis ac inde secutis et quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, invalida et irrita, nulliusque roboris et momenti vel efficaciae esse et ab initio fuisse et perpetuo fore, tenore praesentium decernimus et declaramus. Et nihilominus, ad maiorem cautelam et quatenus opus sit, illa omnia et singula, quatenus de facto processerunt, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu, itaut nullum unquam praeiudicium etiam minimum dictis ecclesiasticis aut libertati et immunitati ecclesiasticae inferre vel aliàs nocere seu intulisse vel nocuisse quoquo modo dici, censeri, praetendi vel intelligi possint, penitus et omnino vacuamus, in omnibus et per omnia, perinde ac si nunquam facta fuissent, nec evenissent, neque unquam fierent vel evenirent, illaque earumdem tenore praesentium damnamus et reprobamus.

Poenae in executores decreti et concordiae.

§ 3. Quocirca dictae universitati illiusque syndicis praedictis ac officialibus et aliis ministris quibuscumque, sub censurarum et aliis per sacros canones et constitutiones apostolicas inflictis ecclesiasticis poenis, omnibus vero et singulis ecclesiasticis praedictis in virtute sanctae obedientiae, ac sub suspensionis et excommunicationis ipso facto incurrendis poenis, districte prohibemus et interdicimus, ne, irritorum et invalidorum rescripti seu decreti ac conventionis et obligationis huiusmodi vigore, dicti quidem universitas et syndici aliique officiales et ministri tallias et onera laicalia praedicta a praedictis ecclesiasticis exigere, ipsi vero ecclesiastici illa vel aliam quamcumque summam sub quovis titulo aut praetextu solvere, absque nostro et huius Sanctae Sedis beneplacito, audeant quomodolibet seu praesumant; salvis tamen ac firmis remanentibus aliis quibuscumque censuris et poenis ecclesiasticis, quas praefati, et alii omnes in praemissis, quae hactenus acta fuerunt, culpabiles, propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt; a quibus nonnisi a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente, post debitam Ecclesiae praestitam satisfactionem (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras, eo ipso quo convalescant) absolvi et liberari valeant.

Clausulae.

§ 4. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, et aliâ specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, seu interesse habentium consensûs, aliove quo-

1 Male ed. Main. legit *irritam* pro *initam* (R. T).

libet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, ad terminos iuris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio seu extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis praedictae Apostolicae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, etiam quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus, et aliàs quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie specialiter et expresse, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, derogamus, ac plenissime derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX iulii MDCCXII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 9 iulii 1712, pontif. anno XII.

CLXXIV.

Confirmatur decretum cardinalis protectoris de servandâ aequalitate coenobiorum et officiorum inter duas custodias provinciae Turonensis fratrum Capuccinorum [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Decretum de quo in rubricâ.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Timotheus de la Flêche, frater expresse professus Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quod, ad tollendas dissentiones inter dilectos filios fratres provinciae Turonensis dicti Ordinis exortas, venerabilis frater noster Nicolaus episcopus Portuensis S. R. E. cardinalis Acciaiolus nuncupatus, eiusdem Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protector, vigore facultatis sibi per rescriptum nostrum die XIV iunii MDCCIX attributae, decretum edidit tenoris qui sequitur :

Nos Nicolaus divinâ miseratione episcopus Portuensis S. R. E. cardinalis Acciaiolus, apud Sanctam Sedem Ordinis fratrum sancti Francisci Capuccinorum protector.

Cum per provincialem et custodes provinciae Turonensis Ordinis Capuccinorum in capitulo generali existentes sanctissimo domino nostro Clementi XI fuerit expositum, quod ad pacem tranquillitatemque communem totius dictae provinciae plurimum conferre possit conservandam, si in [1] ipsâ provinciâ (quae ex duabus est composita custodiis, nempe Aurelianensi et Pictaviensi), assignato utrique custodiae aequali conventuum ac etiam pari superiorum et guardianorum numero, duo definitores ex unâ, et duo ex alterâ, minister vero provincialis alternatim, modo ex unâ, modo ex alterâ custodiâ, eligeretur, qui totam provinciam gubernaret; et ipsi patres Turonenses in capitulo eorum provinciali celebrato die XVIII maii MDCCVIII in conventu Rupellensi, hoc negotio per vota secreta capitularium prius examinato, sortiti fuerint eiusdem capituli approbationem et ratihabitionem, imo ad aliqualem praxim reduxerint: cumque sanctissimus praedictum negotium examinandum demandaverit definitorio generali in capitulo generali congregato, quod, re discussâ, censuit, *si ita Sanctitati Suae placuerit, ad pacem tranquillitatemque intentam posse valide conferre*, quibus omnibus per procuratorem Ordinis eidem sanctissimo repraesentatis, placuit Sanctitati Suae sub die XIV iunii nobis super tale negotium preces expositas remittere, ut id statueremus pro nostro arbitrio et prudentiâ, quod magis in Domino expedire censeremus: idcirco nos, virtute facultatis et auctoritatis a Sanctitate Suâ nobis in hac parte specialiter attributae, dicimus et declaramus, primo non licuisse capitularibus in conventu Rupellensi congregatis ad praxim reducere prepositam in tali capitulo tam conventuum quam superiorum guardianorum designationem duorum definitorum ex unâ et duorum ex alterâ, et ministri provincialis modo ex unâ, modo ex alterâ custodiâ restrictam electionem, et alia huiusmodi : quae etsi bonâ fide (ut credere iuvat) potuerunt irrepsisse, ne tamen ex infectâ radice unquam possint in suspicionem infectionis venire et dici ceterae electiones et provisiones in dicto capitulo factae, nos, eâdem auctoritate supra nobis attributâ, quatenus opus sit, omnia sanamus et sanata declaramus, abolito tamen prius omni decreto quomodolibet per patres Turonenses

1 Innocentii XI const. ed. MDCLXXIX, die 10 februarii, pontif. III, unita fuere nonnulla coenobia custodiae Campaniae; huius Pontificis const. ed. MDCCXI, die 11 ianuarii, pontif. XI, provincia Insulensis dividitur in duas custodias; et Benedicti XIII const. ed. MDCCXXIX, die 21 februarii, pontif. V, statuitur alternativa in provinciâ Brixiensi.

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

edito libertati electionum canonicarum contrario; et eâdem auctoritate, qua supra, concedimus praefatae provinciae Turonensi, ut in capitulis provincialibus in posterum celebrandis propositam tam conventuum quam guardianorum designationem, duorum definitorum ex unâ et duorum [1] definitorum ex alterâ, necnon ministri provincialis alternatim modo ex unâ et modo ex alterâ custodiâ electionem ad praxim reducere, tamquam paci et tranquillitati communis totius provinciae plurimum profuturam, possint et valeant. Ita dicimus, declaramus, decernimus, hoc et omni, etc. Datum Romae in nostro palatio, die x iulii MDCCIX — NICOLAUS episc. Portuensis card. ACCIAIOLUS protector. — *Ita est.* Cardinalis ACCIAIOLUS protector.

Confirmatio relati decreti

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Timotheus decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae pátrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Timothei votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum pariter filium modernum procuratorem generalem dicti Ordinis super praemissis audiverunt et sententiam eiusdem Nicolai episcopi cardinalis et protectoris attenderunt, consilio, praeinsertum eius decretum, omniaque et singula in eo contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides

1 Praeposit. *Ex* hinc abiicimus (R. T.).

ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII septembris MDCCXII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 13 septembris 1712, pontif. anno XII.

CLXXV.

Revocatur constitutio dismembrationis conventus S. Luciae et hospitii de Portici a provinciâ S. Petri de Alcantara in regno Neapolitano fratrum Minorum Discalceatorum[1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Circumspecta Romani Pontificis providentia exigit, ut, quae aliàs pro reducendâ inter religiosos viros pace et tranquillitate provide prudenterque constituta et ordinata fuerint, si mutatis rerum temporumque circumstantiis regulari disciplinae et observantiae detrimentum adferre noscantur, in pristinum ac debitum statum restituat, sicut conspicit in Domino salubriter expedire.

Epitome laudatae constitutionis, qua praedicta coenobia unita fuere provinciae S. Petri Castellae.

§ 1. Aliàs siquidem (per nos accepto quod inter dilectos filios fratres Neapolitanos et Hispanos provinciae S. Petri de Alcantara in regno Neapolitano fratrum Discalceatorum Hispaniae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum plures controversiae exortae reperiebantur, fieriqne nequibat ut dicti fratres, habitatione et rerum communione coniuncti, animis et contrariis studiis non dissiderent, ac proinde expediebat eos ab invicem segregari) motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, conventum S. Luciae de Monte nuncupatum civitatis Neapolitanae, et hospitium dicti S. Petri de Alcantara loci de Portici dictae provinciae, Neapolitanae dioecesis, ab eâdem provinciâ perpetuo separavimus et dismembravimus, illaque, sic separata et dismembrata, provinciae eiusdem S. Petri de Alcantara regni Castellae fratrum Discalceatorum dicti Ordinis itidem perpetuo univimus, annexnimus et incorporavimus, volentes et ordinantes ut in illis religiosi Hispani, qui deinceps ministro provinciali secundodictae provinciae pro tempore existenti subiecti essent, habitarent et collocarentur, alii vero primodictae provinciae conventus, qui octo tunc numerabantur, religiosis Neapolitanis et Italis tantum remanerent, ac eadem primodicta provincia, octo conventibus huiusmodi constans, in futurum ministro generali seu commissario generali Italiae Ordinis praedicti, pro tempore pariter existenti, subiaceret; et aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XV septembris MDCCII expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Revocatio relatae constitutionis motu proprio facta.

§ 2. Cum autem, sicut pariter accepimus, ob praesentes bellorum motus interdictaque inter Castellae et Neapolis regna commercium et communicationem, conventus S. Luciae de Monte et hospitium S. Petri de Alcantara praedicta, ac religiosi in eis degentes, a tempore eorum separationis et dismembrationis ac unionis et incorporationis huiusmodi

1 Constitutio praedicta edita fuit MDCCII, die 15 septembris, pontif. II; in const. ed. MDCCV, die 24 aprilis, pontif. V, confirmata fuit divisio provinciae S. Antonii regni Portugalliae fratrum Reformatorum; et Innocentii XIII constit. edit. MDCCXXII, die 22 iunii, pontif. II, extat commissio nuncio Neapolis super praesenti dismembratione.

a ministris provincialibus secundodictae provinciae hactenus minime visitata fuerint[1], et valde dubitandum sit, quod, cessantibus etiam bellis, propter magnam[2] dictorum regnorum ab invicem distantiam, non raro sine debitâ visitatione et correctione, veluti acephala, remanere possint, cum non modico ecclesiasticae disciplinae et regularis observantiae detrimento: hinc est quod nos, pro commissi nobis caelitus pastoralis officii curâ, ne regularis in conventu S. Luciae et hospitio S. Petri praedictis disciplina propter praemissa excidat, sed ut semper in suo vigore conservetur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, de Congregationis nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super hoc negotio a nobis specialiter deputatae consilio, ac etiam motu, scientiâ et deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine paribus, litteras nostras praedictas tenore praesentium revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac proinde conventum S. Luciae de Monte et hospitium S. Petri de Alcantara praedicta a secundodictâ provinciâ S. Petri de Alcantara regni Castellae, motu, scientiâ, ac de potestatis plenitudine similibus, harum serie perpetuo pariter separamus et dismembramus, illaque, sic separata et dismembrata, primodictae provinciae eiusdem S. Petri de Alcantara in regno Neapolitano itidem perpetuo reunimus, reannectimus et reincorporamus, illaque in pristinum ac eum in quo, antequam praedictae nostrae litterae emanarent, quovis modo erant statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, ac tam illa quam omnes alios conventus eiusdem primodictae provinciae S. Petri de Alcantara in regno Neapolitano unico ministro provinciali, qui dilecto etiam filio commissario generali familiae cismontanae dicti Ordinis subiectus sit, subiicimus.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, adductae aut verificatae et iustificatae fuerint, aut quavis aliâ etiam quantumlibet iuridicâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis formali et substantiali individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu etiam impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quos- Clausulae.

1 Edit. Main. legit *fuerit* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *magna* (R. T.).

cumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatorum Ordinis, provinciarum, conventuum et hospitii, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam dicto Ordini eiusque superioribus et quibusvis aliis personis et locis, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII septembris MDCCXII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 23 septembris 1712, pontif. anno XII.

CLXXVI.

Declaratur nullum edictum Reipublicae Ianuensis de inefficaciâ schedularum excommunicationis latae in patrem Granellum Minorum de Observantiâ, cum decreto firmitatis earumdem [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Excommunicatio declarata fuit a cardinali archiepiscopo Ianuensi contra dictum patrem praecepto pontificio non parentem.

§ 1. Cum, sicut ad apostolatus nostri notitiam non sine gravi animi nostri molestiâ pervenit, aliàs (postquam dilectus filius noster Laurentius S. R. E. presbyter cardinalis Fliscus nuncupatus, metropolitanae ecclesiae Ianuensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesul, in executionem mandatorum nostrorum, publicas schedulas, in sui cleri ac dictae metropolitanae ecclesiae necnon frequentis populi praesentiâ, ad valvas eiusdem metropolitanae ecclesiae solemniter affigi fecerat, per quas Thomas Granellus, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum professor, eo quia praecepto nostro, quo illi dudum sub poenâ excommunicationis maioris ipso facto

1 Constit. edit. MDCCXII, die 18 iunii pontif. XII, declarata fuit nulla restitutio officialium Liparensium communioni ecclesiasticae; et constit. edit. MDCCXIII, die 23 decembris, pontif. XIV, nulla declarantur gesta per monarchiam Siciliae contra excommunicationem et interdictum latum ab episcopo Agrigentino.

incurrendâ iniunctum fuerat ut a civitate Ianuensi discederet et ad conventum SS. Annunciationis civitatis Bononiensis dicti Ordinis se conferret, elapso termino sibi ad id praefixo non paruerat, excommunicatus declarabatur) laicalis potestas, cum maximo immunitatis, libertatis et iurisdictionis ecclesiasticae contemptu, edictum quoddam promulgare ausa fuerit, per quod praetensam inefficaciam dictarum schedularum, tamquam a notariis publicis, seu per cancellarias notariorum publicorum minime subscriptarum, quaeque propterea nullius roboris esse et minime attendi debere temere asserebantur, ad publicam notitiam deducere praesumpsit; et aliàs, prout uberius continetur in praefato edicto in eàdem civitate Ianuensi nomine dilectorum filiorum nobilium virorum ducis et gubernatorum Reipublicae Ianuensis publicato tenoris qui sequitur, videlicet:

Edictum Reipublicae declarans nullam excommunicationem.

Duce e governatori della serenissima Repubblica di Genova. Essendo pervenuto a nostra notizia, che il signor cardinale Lorenzo Fiesco, sabbato mattina prossimo passato, 29 del corrente mese di ottobre, abbia attaccato o ha fatto attaccare alla porta della chiesa cattedrale di questa città una scrittura data in Genova l'istesso giorno 29 ottobre, non sottoscritta da notari publici o cancellerie di notari pubblici, nella quale si dichiara scomunicato il padre Granelli dell'Ordine de' Minori Osservanti di S. Francesco; ma perchè crediamo col fondamento delle leggi così comunali che municipali e dell'inveterata consuetudine del paese che tale informe scrittura non porti effetto alcuno, benchè minimo, tanto rispetto al contenuto in essa, quanto rispetto all'enunciativo, intenzioni e relazioni, nè possa esserne tenuto alcun conto: perciò deduciamo a notizia publica l'inefficacia, come sopra, di tale scrittura in ogni sua parte. Se ne fa perciò la presente grida, da publicarsi e affiggersi ne' luoghi soliti e consueti, acciò pervenga a notizia d'ognuno. Data nel nostro real palazzo, li 31 ottobre 1712, nella cancellaria del Magnifico. — Vincenzo Ventura, cancelliere e segretario.

Declaratio nullitatis relati decreti, cum eiusdem revocatione.

§ 2. Hinc est quod nos, pro commissi nobis caelitus pastoralis officii munere, ecclesiastica iura, quorum assertores in terris a Domino constituti sumus, a temerariis et scandalosis huiusmodi ausibus illaesa, sartaque et tecta tueri et conservare, ac animarum periculis occurrere cupientes, necnon omnium, quae, eiusdem edicti, quod non quidem approbandi, sed penitus et omnino reprobandi animo praesentibus inferendum duximus, seu in eo contentorum occasione, quovis modo acta et gesta sunt,[1] seriem, causas et circumstantias, etiam aggravantes, aliave quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, edictum praeinsertum, et quaecumque in eo contenta, cum omnibus et singulis inde secutis et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, inania, invalida, irrita, temerarie attentata, et a personis, quibus nulla censuras ecclesiasticas sive declarationes super earum incursu a potestate ecclesiasticâ promulgatas inefficaces decernendi facultas competit aut competere potest, de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris et momenti esse et perpetuo fore, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie itidem perpetuo revocamus, cas-

1 Coniunct. *et* hinc abiicimus (R. T.).

sanus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, et pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi volumus et mandamus. Praeterea, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, declarationem super excommunicatione a praedicto Thoma incursâ, sicut praemittitur, editam, necnon schedulas desuper a memorato Laurentio cardinali et praesule, et a cancellario ad id ab eo deputato subscriptas et publicatas, rite, recte et valide promulgatas fuisse, ac uti tales ab omnibus et singulis censeri et reputari debere, nec, ut validae et authenticae habeantur, publici notarii laicalis subscriptione, uti erronee ac temere in praeinserto edicto innuitur, indigere, ac proinde dictum Thomam, tamquam vigore earumdem schedularum rite, legitime et valide denunciatum, excommunicatum ab omnibus et singulis christifidelibus habendum esse, ac uti talem (sub censurarum et poenarum ecclesiasticarum a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis contra eos, qui cum excommunicatis commercium vel consortium habent, inflictarum, et insuper, quoad regulares, etiam perpetuae privationis vocis activae et passivae, ac munerum et officiorum regularium per eos obtentorum, perpetuaeque pariter inhabilitatis ad illa et alia similia vel dissimilia quaecumque in posterum quomodolibet obtinenda, ipso iure absque aliâ declaratione incurrendis poenis) vitari omnino debere, earumdem tenore praesentium decernimus et similiter declaramus.

Clausulae. § 3. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod dux et gubernatores ac Thomas praefati, et alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ qualibet quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu, aut ex alio quovis capite, a iure, vel facto, aut statuto, consuetudine vel privilegio resultante, notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudi-

candi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, legibus quoque etiam imperialibus et municipalibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus quantumcumque longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praefatis et aliis quibusvis personis, etiam quacumque dignitate fulgentibus, et quomodolibet qualificatis, a Sede praedictâ, ex quacumque causâ, etiam per viam contractus et remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium publicatio.

§ 5. Cum autem eaedem praesentes litterae in supradictâ civitate Ianuensi aliisve locis ditioni eiusdem Reipublicae subiectis nequeant tute publicari, ut hactenus experientiâ compertum est, et nobis notorie constat, prout harum serie declaramus, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, nec non Cancellariae apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio, et in acie Compiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent;

Fides transumptorum.

§ 6. Utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III decembris, MDCCXII pontificatus nostri anno XII[1].

Dat. die 3 decembris 1712, pontif. anno XIII.

1 Ab electione XIII (R. T.).

CLXXVII.

Conceduntur privilegia capellanis communibus Sanctitatis Suae [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Nomina cappellanorum et merita.

Grata familiaritatis obsequia, quae dilecti filii Ioannes Alexander de Marinis, Pisaurensis dioecesis, Carolus Mariani Romanus, et Augustinus Colangeli, Spoletanae dioecesis, presbyteri, moderni capellae nostrae pontificiae capellani familiares nostri, nobis et Apostolicae Sedi hactenus impenderunt, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt; necnon vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus eorum personas tam familiari experientiâ quam etiam fide dignorum testimoniis iuvari percepimus, nos inducunt ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Hinc est quod nos, volentes, etc., (*reliqua vide Alexandri VII const. edit.* MDCLXXX, *die* II *augusti, pontif.* I).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII decembris MDCCXII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 7 decembris 1712, pontif. anno XIII.

CLXXVIII.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis fratrum Praedicatorum in festo S. Pii V [2].

1 Similia privilegia concessa fuere ab Innocentio XII const. edit. MDCXCIII, die 4 decembris, pontif III; et conceduntur ab Innocentio XIII constit. edit. MDCCXXI, die 17 iunii, pontif. I.

2 In Bullâ canonizationis edit. MDCCXII, die 22 maii, pontif. XII, extat alia indulgentia; et Benedicti XIII const. edit. MDCCXXV, die 24 aprilis, pontif, I.

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Redemptoris et domini nostri Iesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quae nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus et caelestis beatitudinis consortes effecit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, spiritualium munerum thesauros, quorum nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam et fovendam erga eosdem beatos caeli incolas fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Concessio dictae indulgentiae die V maii.

§ I. Cum itaque nos nuper, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei et christianae religionis incrementum, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ac patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in almâ Urbe nostrâ tunc existentium consilio, beatum Pium Papam V praedecessorem nostrum, qui, in minoribus constitutus, religiosam vitam in Ordine fratrum Praedicatorum professus fuit, auctoritate nobis a Domino traditâ, Sanctum esse decreverimus et definiverimus, illumque Sanctorum catalogo solemni ritu adscripserimus: hinc est quod nos, ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, ac de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque conventuum, monasteriorum et domorum regularium tam fratrum quam monialium Ordinis praedicti, hactenus erectis et in posterum quomodocumque erigendis, et ubicumque locorum existentibus, die V maii festo

eiusdem S. Pii a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi annis singulis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae. § 2. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII ianuarii MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 13 ianuarii 1713, pontif. anno XIII.

CLXXIX.

Conceditur magistro generali Ordinis Praedicatorum facultas erigendi in Sinis in eodem loco alteram confraternitatem SS. Rosarii pro mulieribus, cum solitis indulgentiis[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Preces magistri generalis, et causae concessionis. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Cloche magister generalis Ordinis fratrum Praedicatorum, quod, cum in Sinarum regnis inviolabilis mos vigeat quod ecclesiae christifidelium, tam respectu situs, quam mulierum, inter eas et viros distinguantur, itaut nec viri ad earumdem mulierum ecclesias, nec praedictae mulieres ad illas virorum accedere valeant, ipse Antoninus magister generalis, ne mulieres huiusmodi a participatione indulgentiarum SS. Rosarii (cuius confraternitates in ecclesiis virorum erigi, illarumque erectio a constitutionibus apostolicis in unâ duntaxat ecclesiâ cuiuslibet civitatis permitti solent) excludantur, easdem indulgentias etiam ad ecclesias praedictarum mulierum, quarum non minor est erga idem SS. Rosarium devotio, per nos extendi plurimum desiderat: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio dictae facultatis. § 2. Nos igitur, ipsum Antoninum magistrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, eidem Antonino magistro generali, ac ei, quem ipse in illis regionibus delegaverit, facultatem erigendi in eodem loco unam pro viris et alteram pro mulieribus confraternitatem SS. Rosarii, cum declaratione quod tam viri quam mulieres eisdem SS. Rosarii indulgentiis in eorum respective ecclesiis frui possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus: salvâ

1 Innocentii XI const. ed. MDCLXXIX, die 15 iunii, pontif. III, confirmatae fuere omnes confraternitates SS. Rosarii; et a Benedicto XIII supprimitur confraternitas cappata SS. Rosarii Anconae constit. editâ MDCCXXVI, die 17 iulii, pontif. III.

tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apotolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV februarii MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 25 februarii 1713, pontif. anno XIII.

CLXXX.

Declaratur et decernitur pertinere ad congregationem Clericorum Regularium Minorum cathedra in archigymnasio romano et officium consultoris in Congregatione Indicis.

Reverendissimo cardinale camerlengo.

Ab Alexandro VII id concessum fuit, sed nullum monumentum editum.

Ci hanno fatto rappresentare li chierici Regulari Minori, che la felice memoria di Alessandro VII nostro predecessore, aggradendo la prontezza con cui gli consegnarono la celebre libreria che la chiara memoria di Francesco Maria della Rovere, ultimo duca di Urbino, aveva lasciato loro per la casa del Crocifisso d'Urbania, trasportata poi, ed a comodo ed utilità pubblica collocata in questa Sapienza di Roma, li aggraziasse in perpetuo, non solo ivi d'una lettura perpetua, ma anche d'un luogo di consultore nella nostra Congregazione dell' Indice de' libri proibiti; e sebbene da esso Pontefice non ne fosse positivamente seguita la grazia, per aver già cominciato ad infermarsi, tuttavia ne abbiano sempre goduto l'effetto, e venga sufficientemente giustificata coll'attestato del fu monsignor Marc' Antonio Bucatti e di Giovanni Matteo Hairone, mandati dallo stesso nostro predecessore a prendere la detta libreria. Onde, gelosi che col progresso del tempo non potesse perdersi la memoria di una grazia che tanto qualifica la loro religione, ci supplicavano che volessimo assicurargliela con qualche atto positivo della nostra apostolica autorità. Noi dunque, volendo secondare l' intenzione del suddetto pontefice Alessandro, espressamente riferita dalle soprannominate persone già defunte e degne di tutta la fede, e comprovataci dalla suddetta osservanza giammai da quel tempo interrotta, specialmente per-

Declaratio ut in rubrica.

chè sempre rilevi la pontificia gratitudine verso la detta religione, siamo ben volontieri condescesi com'appresso all'istanza. E però col presente chirografo, in cui abbiamo per espressa ogni e qualunque cosa quanto si voglia necessaria d'esprimersi, di nostra certa scienza e con la pienezza della nostra potestà dichiariamo e vogliamo, che alla sopraddetta religione de' Chierici Regolari Minori spetti ed in ogni futuro tempo sia perpetuamente dovuto il luogo e grado d'un lettore nella Sapienza di Roma, come pure quello di consultore nella nostra Congregazione dell'Indice; ed ordiniamo a voi, che, quante volte succederà la vacanza del detto lettore, facciate sempre surrogare altro soggetto idoneo della stessa religione, da deputarsi ed approvarsi da noi; così ancora al reverendissimo cardinale prefetto *pro tempore* della detta Congregazione dell'Indice, che parimente riceva sempre un simile religioso idoneo, pure da deputarsi ed approvarsi da noi, per consultore d'essa Congregazione, facendogli godere ogni diritto ed onorificenza che per tali cariche respettivamente se gli dovesse, senza che possa da chi sia pretendersi alcuna cosa in contrario, per essere così mente e volontà [1] precisamente uniforme a quella del suddetto nostro predecessore Alessandro; volendo e decretando che questo nostro chirografo valga e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione e vigore con la nostra semplice sottoscrizione, nè possa in verun tempo opporsegli di subrezione, obrezione, nè alcun altro vizio o difetto d'apostolica volontà ed intenzione; non ostanti, in quello facesse di bisogno, le costituzioni, ordinazioni e decreti sopra lo studio della Sapienza, e respettivamente sopra l'erezione della detta Congregazione, la regola della nostra Cancellaria *de iure quaesito non tollendo*, ed ogni altra cosa che in qualunque modo potesse fare in contrario; alle quali tutte e singole, avendo il tenore di parola in parola inserto, per questa sola volta ed all'effetto premesso amplamente deroghiamo.

Dato dal nostro palazzo apostolico Vaticano, questo di VIII aprile MDCCXIII.

Dat. die 8 aprilis 1713, pontif. anno XIII.

1 Deest vox *nostra* (R. T.).

CLXXXI.

Conceditur confratribus et consororibus B. M. V. de Monte Carmelo proprias ecclesias in unâ dominicâ cuiusque mensis visitantibus indulgentia a Paulo V concessa iis qui eâdem die solitae processioni interfuerint [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum, quod aliàs felicis recordationis Paulus PP. V praedecessor noster, inter alias indulgentias et peccatorum remissiones per eum confratribus et consororibus confraternitatum eiusdem beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo eatenus erectarum et in posterum erigendarum concessas, omnibus et singulis confratribus earumdem confraternitatum, qui vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti processioni in unâ dominicâ cuiuslibet mensis per dictos confratres Petitio.

1 Vide const. Pauli V ed. fuit MDCVI, die 30 octobris; in huius Pontificis const. ed. MDCCII, die 24 novembris, pontif. III, confirmata fuit facultas erigendi confraternitates; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVI, die 6 septembris, pontif. III, conceditur indulgentia pro ecclesiis Italiae et Hispaniae.

de Ordinarii licentiâ faciendae devote interfuissent, ibique orassent, septem annos et totidem quadragenas perpetuo concessit, et aliàs, prout in eiusdem Pauli praedecessoris desuper in simili formâ Brevis die XXX octobris MDCVI, expeditis litteris, quarum tenorem[1] praesentibus pro inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Concessio ut in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, processiones huiusmodi in quibusdam civitatibus et locis ex certis causis fieri nequeant, ipse vero modernus procurator generalis opportune in praemissis per nos provideri et ut infra indulgeri summopere desideret: nos, supplicationibus eiusdem moderni procuratoris generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis confratribus et consororibus dictarum confraternitatum tam hactenus erectarum quam in posterum ubique locorum erigendarum, ut ipsi in civitatibus et locis supradictis, in quibus ob dictas causas praedictis dominicis processiones huiusmodi fieri nequeunt, ut praefertur, in unâ ex dominicis cuiuslibet mensis ecclesias, in quibus eorum confraternitates erectae reperiuntur, visitando, et alia pro consequendâ ipsâ indulgentiâ septem annorum et totidem quadragenarum requisita adimplendo, dictam indulgentiam consequantur, quam consequerentur si processioni huiusmodi personaliter interessent, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus. Non obstantibus nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici suscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die X aprilis MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 10 aprilis 1713, pontif. anno XIII.

1 Edit. Main. legit *tenores* (R. T.).

CLXXXII.

Conceditur derogatio constitutionum Clementis X quoad alternativam regiminis abbatiarum inter abbates et monachos Congregationis Montis Oliveti[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Epitome prioris constitutionis, qua concessa fuit facultas creandi duodecim abbates titulares, iuxta praescriptas conditiones.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Clemens Papa X praedecessor noster, supplicationibus tunc existentis procuratoris generalis Congregationis Montis Oliveti Ordinis sancti Benedicti nomine sibi de consilio et assensu bonae memoriae Caesaris S. R. E. cardinalis Facchenetti nuncupati, dum vixit, eiusdem Congregationis apud dictum Clementem praedecessorem et Sedem Apostolicam protectoris, super hoc humiliter porrectis inclinatus, tunc et pro tempore existenti abbati generali memoratae Congregationis, unâ cum definitorio ipsius Congregationis, duodecim abbates titulares, nempe duos pro qualibet provinciâ eiusdem Congregationis, qui tamen essent aetate quinquagenarii, et saltem

1 Laudatae constitutiones editae fuere MDCLXXI, die 27 februarii et die 21 iunii. De formâ eligendi abbatem generalem vide const. ed. MDCCVII, die 28 ianuarii, pontif. VII; in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXIX, die 6 decembris, pontif. VI, agitur de abbatibus titularibus.

viginti annorum spatio lecturam aut verbi Dei praedicationem vel vicarii aut magistri novitiorum, aut oeconomica officia exercendo, Congregationi praedictae laudabiliter inservissent, ita tamen ut eiusmodi abbates titulares nec gubernium monasteriorum, nec votum sive suffragium in capitulis generalibus, nec ullam aliam praerogativam vel exemptionem, quae monasteriis onerosa esset, praetendere valerent, sed in ecclesiâ saltem diebus festivis missae conventuali et vesperis, ac diebus singulis mane orationi mentali interesse tenerentur, auctoritate suâ apostolicâ creandi, ac in defunctorum pro tempore locum alios ex eâdem provinciâ usque ad complementum numeri duodenarii huiusmodi, et non ultra, subrogandi, plenam et amplam facultatem tribuit et impertitus fuit; et quia nonnunquam accidebat ut aliquis abbas regiminis dictae Congregationis, vel proprii levamenti studio, vel alterius monachi merito gratificandi ergo, regimen sive gubernium monasterii sibi commissi alternis vicibus cum illo agere esset contentus, permisit memorato abbati generali, unâ cum definitorio praedicto, eiusmodi alternationes acceptare et ad usum deducere, dummodo tamen abbas ad id sponte consentiret, ac in monacho concurrerent qualitates ad abbatiam iuxta praescriptum constitutionum dictae Congregationis necessariae, et non aliter; porro voluit ut unus tantum eorum, nempe ille qui monasterium actu gubernaret, votum sive suffragium in capitulo generali Congregationis praedictae haberet; vacans autem a gubernio, in alterius gubernantis monasterio degeret, nec plus praetendere posset quam monachus ordinarius praeter titulum abbatis; et uno illorum defuncto, alter solus remaneret abbas regiminis quamdiu viveret vel donec renunciaret: et subinde, porrectis sibi denuo pro parte dicti procuratoris generalis supplicationibus benigne annuens, quod illi monachi, ad quorum favorem fierent renunciationes sive alternationes huiusmodi, quadraginta annis maiores, nec abbatum easdem alternationes facientium in primo vel secundo gradu consanguinei esse, sed in monasteriis, in quibus saltem viginti monachi residerent, officiales fuisse deberent, nec eiusmodi renunciationes sive alternationes ab illis abbatibus qui essent actu visitatores, neque in praeiudicium officialium actualium aut eorum qui fuissent officiales monasterii Montis Oliveti maioris dictae Congregationis, ceteris paribus, fieri possent, dictâ auctoritate statuit et ordinavit: et aliàs, prout in binis eiusdem Clementis praedecessoris in formâ Brevis die XXVII februarii et die XXI iunii MDCLXXI respective emanatis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Concessio praedictae derogationis.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii modernus abbas generalis et definitores memoratae Congregationis nobis nuper exponi fecerunt, progressu temporis experientiâ compertum sit, numerum abbatum alternationes huiusmodi facientium monasteriis cum detrimento disciplinae et observantiae regularis valde onerosum existere, et propterea ipsi exponentes, quo de cetero eiusmodi guberniorum alternationes prohibitae et interdictae remaneant, praedictis Clementis praedecessoris litteris hac in parte (itaut in aliâ, quae collationem abbatiarum titularium benemeritis in eâdem Congregatione faciendam concernit, in suo robore et firmitate persistant) per nos derogari plurimum de-

siderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, et attentâ relatione dilecti filii nostri Ioannis Baptistae praedictae S. R. E. cardinalis Spinulae nuncupati, eiusdem Congregationis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super praemissis eisdem cardinalibus factâ, petitam derogationem primodictarum litterarum huiusmodi, in eâ parte dumtaxat quae alternativam respicit, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus et singulis illis, quae in litteris praedictis concessa sunt non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitatae constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII aprilis MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 12 aprilis 1713, pontif. anno XIII.

CLXXXIII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de suffragio concedendo superioribus cuiuscumque conventus Minorum de Observantiâ in provinciis Indiarum Occidentalium, non obstante constitutione Pauli V[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Ne superiores parvorum coenobiorum suffragium ferrent in capitulis provincialibus obstabat Pauli V constitutio. § 1. Nuper pro parte dilecti filii Andreae de Quiles fratris expresse professi Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, procuratoris generalis in curiâ Matritensi omnium provinciarum Indiarum Occidentalium eiusdem Ordinis, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E.

1 Vide infra allegata § 1. In constit. edit. MDCCXI, 23 decembris, pontif. XII, et constit. MDCCXVII, die 25 ianuarii, pontificatus XVII, agitur de visitatore pro provinciâ Chilensi.

cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, cum a longissimo tempore in pluribus conventibus et domibus earumdem provinciarum ob Indorum paupertatem exiguus religiosorum numerus sustentatus fuisset, dictique religiosi instructioni illorum populorum pro conservandâ fide catholicâ sedulam operam navassent, evenerat, prout de praesenti eveniebat, ut religiosi huiusmodi in aliquâ ex dictis domibus tres, in alterâ duo, in aliâ vero unus tantum reperirentur; ac, attento tam exiguo religiosorum numero, guardiani et superiores earumdem domorum impediti fuerint qui vota sive suffragia in eorum capitulis provincialibus absque notorio scandalo ferre potuerint in vim quarumdam litterarum felicis recordationis Pauli PP. V praedecessoris nostri die XXIII decembris MDCXI expeditarum, per quas statuebatur ut conventus praedicti supprimi, eorum vero religiosi ad alios conventus commodiores transferri deberent; et aliàs, prout in praedictis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicebatur contineri: et in eâdem expositione subiuncto quod memorati Pauli praedecessoris litterae executioni demandatae minime reperiebantur, sed solum allegabantur ad fovendas dissensiones, prout venerabilis frater modernus archiepiscopus S. Fidei in eisdem Indiis praedictae Congregationi cardinalium retulerat: proindeque, ut inter memoratos religiosos mutua animo tranquillitas stabiliretur, eidem Congregationi cardinalium supplicato ut circa praemissa id quod aliàs ad favorem provinciarum Floridae et de Buenosagres fratrum eiusdem Ordinis, necnon S. Antonini novi regni Granatae et S. Crucis Ordinis fratrum Praedicatorum in eisdem Indiis die XXI novembris MDCCVII et die XX iulii MDCCVIII necnon die X iunii anni proxime praeteriti rescriptum fuerat, nempe ut, memoratis Pauli praedecessoris litteris minime obstantibus, etiam in reliquis supradictis eiusdem Ordinis sancti Francisci de Observantiâ provinciis servari decerneretur: emanavit ab eâdem Congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster supplicem hunc libellum remisit, audito patre procuratore generali Ordinis, referente eminentissimo de Abdua, censuit ac decrevit servandum solitum, enunciato Brevi S. M. Pauli V et aliis quibuscumque non obstantibus. Romae XVI martii MDCCXIII. G. cardinalis CARPINEUS. T. A. Nicaenus secret.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Andreas nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius Andraee votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen

semper in praemissis auctoritate Congregationis cardinalium.

Clausulae

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciarum et ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XVI iunii MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 16 iunii 1713, pontif. anno XIII.

CLXXXIV.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de concedendo suffragio superioribus cuiuscumque coenobii fratrum eremitarum S. Augustini in quibusdam provinciis Indiarum Occidentalium, non obstante constitutione Pauli V [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Ne superioribus parvorum coenobiorum praedictorum suffragium de more concederetur, vetabat constitutio Pauli V.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Augustini Garciae de Galbes, fratris expresse professi Ordinis Eremitarum S. Augustini, in sacrâ theologiâ magistri, ac procuratoris generalis provinciarum B. Mariae de Gratiâ nuncupatarum novi regni Granatensis, Peruvii, et Mexicanae eiusdem Ordinis in Indiis Occidentalibus, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, licet in aliquo[2] earumdem provinciarum conventibus seu domibus valde exiguus, nempe duorum, trium seu quatuor religiosorum numerus alceretur, ac etiam in nonnullis domibus huiusmodi unus tantum religiosus nomine prioris habitaverit et inhabitaret, nihilominus iidem conventus omnibus illis prerogativis, quibus ceteri conventus maiori et sufficienti eorumdem religiosorum numero referti frui solebant, fruebantur, et inter alia ut eorum priores seu vicarii pro legitimis superioribus semper habiti, ac voto sive suffragio in capitulis provincialibus potiti fuerint, ex eo quia praedictorum religiosorum munus in instruendis in explicatione catechismi populis illarum partium, eisque ad gremium fidei catholicae adducendis versabatur, eâque de causâ

1 Simile decretum pro fratribus Minoribus de Observantiâ vide in constit. praeced. Porro in const. ed. MDCCVIII, die XIV augusti, pontif. VIII, extat decretum contra alternativam in provinciâ B. M. V. de Gratiâ, et const. ed. MDCCXX, die XX octobris, pontif. XX, augetur numerus magistrorum in provinciâ Peruvanâ.

2 Aptius lege *aliquibus* (R. T.).

satis longe se conferre cogebantur, nec eis ob tam considerabilem distantiam ad propriam domum nisi post plurium mensium vel etiam alicuius anni spatium redire licebat; porro, hoc minime obstante, vigore quarumdam literarum felicis recordationis Pauli PP. V praedecessoris nostri, die XXIII decembris MDCXI[1] in simili formâ Brevis desuper expeditarum, praetendebatur conventus huiusmodi, qui octo religiosorum numerum sustentare nequivissent, supprimi debere, si vero ad suppressionem huiusmodi devenire minime posset, religiosi ad alios conventus seu ad alias domos regulares transferendi essent, itaut in partibus Indiarum non reperiretur monasterium aut regularis domus, in quo seu qua minor numerus octo monachorum seu fratrum regularem vitam duceret; et aliàs, prout in supradictis Pauli praedecessoris litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur: et in eâdem expositione subiuncto, quod praedictae Pauli praedecessoris litterae executioni nunquam demandatae fuerant, si vero executioni huiusmodi demandandae essent, diversae inordinationes, non sine maximo scandalo, exinde essent oriturae, prout venerabilis frater modernus archiepiscopus S. Fidei eidem Congregationi cardinalium retulerat; eâque de causâ memorati Pauli praedecessoris litterae, quarum executio arbitrio archiepiscoporum et episcoporum tunc in eisdem partibus existentium commissa fuerat, hucusque ab eis ob praemissa eiusmodi executioni demandatae minime reperiebantur: proindeque praedictae Congregationi cardinalium supplicato ut circa praemissa nihil innovari, sed solitum in dictis provinciis, non obstantibus praefatis Pauli praedecessoris litteris (quemadmodum per eamdem Congregationem cardinalium provinciae Floridae et de Buenosagres Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatae, die XXI novembris MDCCVII, et die XXI iulii MDCCVIII, necnon die X iunii anni proxime praeteriti provinciae S. Antonini novi regni Granatensis et S. Crucis Ordinis fratrum Praedicatorum in eisdem Indiis, ad earum favorem rescribi obtinuerunt), servari deberet: emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis.

Sacra congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster suplicem hunc libellum remisit, audito patre procuratore generali Ordinis, referente eminentissimo de Abdua, censuit ac decrevit servandum solitum, non obstante enunciato Brevi sanctae memoriae Pauli V, et aliis quibuscumque. Romae, XVI martii MDCCXIII. — G. cardinalis CARPINEUS. F. A. NICAENUS secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Augustinus Garzias nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius Augustini Garziae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum,

1 Male edit. Main. legit *1591* (R. T.).

auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXI iunii MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 21 iunii 1713, pontif. anno XIII.

CLXXXV.

Declaratur nullum edictum nomine ducis Sabaudiae editum super censuris ab episcopo Casalensi latis adversus comitem Nemours, cum decreto de firmitate et observantiâ earumdem censurarum [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Factorum enarratio.

§ 1. Non sine ingenti animi nostri moerore novissime accepimus, quod (cum nuper, nempe mense iunio proxime elapso, venerabilis frater Petrus Secundus, episcopus Casalensis, divini honoris zelo ductus, palam excommunicaverit, seu in maiorem excommunicationem incidisse, adeoque ab omnibus vitandum esse declaraverit comitem Iacobum Nemours, eo quia ipse, dum solemnis supplicatio seu processio SS. Corporis Christi in civitate Casalensi habebatur, non tam loci ac temporis, quam reverentiae episcopali dignitati debitae immemor, et, quod longe deterius est, ipsi quoque sanctissimo Eucharistiae sacramento debitae venerationis oblitus, excitatis inanibus et importunis contentionibus, eiusdem supplicationis progressum abrumpere ausus fuerat, et quamvis a praefato Petro Secundo episcopo, idem sanctissimum sacramentum deferente, piis paternisque vocibus admonitus, atque etiam rogatus

1 Const. ed. MDCCX, die XXVII octobris, pontif. X, declarata fuit nulla deputatio iudicis et oeconomi in abbatiâ S. Benigni sub nomine ducis Sabaudiae; const. ed. MDCCXII, die III decembris, pontif. XIII, abrogatum fuit edictum Reipublicae Ianuensis contra quamdam excommunicationem; const. ed. MDCCXIII, die XXIII decembris, pontif. XIV, declarantur nulla gesta a monarchiâ Siciliae contra quamdam excommunicationem et interdictum; et const. ed. MDCCXVII, die XX octobris, pontif. XVII, declaratur nullum edictum potestatis saecularis in Sabaudiâ et Pedemontio contra dominium Sanctae Sedis.

ut a proposito desisteret, obortamque in populo, qui frequentissimus ad illam sacram functionem confluxerat, gravem offensionem publicumque scandalum submoveret, eiusdem praesulis auctoritatem in oculis omnium temere oppugnare, et, quam illi praestare tenebatur, obedientiam pertinaciter detrectare non erubuerat) saecularis potestatis illarum partium officiales seu administri, caeco abrepti consilio, ac eorum, quae memoratus antistes, ut divinum honorem simulque episcopalem dignitatem tueretur, egerat, odio incitati, profanas manus ad arcam Domini extendere, et sanctissima Ecclesiae instituta, praescriptamque a canonicis sanctionibus disciplinam penitus subvertere ac convellere minime veriti fuerunt. Licet enim satis perspectum omnibus sit, ecclesiasticis censuris innodatos, veluti aquâ et igne interdictos, ac tamquam putrida membra canonicae severitatis gladio abscissa ne totum corpus inficiant, pro veteri Ecclesiae more, ab universis christifidelibus, sub poenis in sacris canonibus et apostolicis constitutionibus diserte praefinitis, vitandos esse; nihilominus praefati saecularis potestatis officiales seu administri, instante potissimum ac urgente cognominato Rivalta, eiusdem saecularis potestatis asserto procuratore fiscali, eò temeritatis et audaciae devenerunt, ut, nomine et auctoritate dilecti filii nobilis viri Victorii Amedei Sabaudiae ducis et Pedemontii principis abutentes, edicto typis edito publicecque promulgato, non modo quibuscumque personis cuiusvis status, gradus et conditionis inhibuerint ne dicti Iacobi comitis, sicut praemittitur, excommunicati ac palam denunciati consuetudinem atque commercium, eiusmodi excommunicationis ratione, vitare auderent, gravissimis etiam mortis cuilibet, qui secus fecerit, indictis poenis (qua plane horrendâ comminatione christifideles earumdem partium in manifestum discrimen conjecti fuerunt, vel capitis poenam subeundi, ubi eiusmodi edicto morem gerere detrectarent, vel sane aeternae salutis iacturam faciendi, quatenus, eidem edicto obtemperando, debitam Ecclesiae mandatis obedientiam praestare renuerent), verum etiam, scandala scandalis adiicientes, eumdem Petrum Secundum episcopum, sub poenâ occupationis seu reductionis bonorum temporalium, tam scilicet illius patrimonialium, quam suae mensae episcopalis, monuerint ut ab inferendâ ipsi Iacobo comiti quacumque ulteriori molestiâ omnino abstineret, ac interim praeiudicium, illi per dictam excommunicationem, quam nullam, iniustam, ac praecipitanter promulgatam nuncuparunt, irrogatum, opportune sarciret[1] (perinde ac si, ubi ipsa excommunicatio nulla vel iniusta foret, competentia tribunalia ecclesiastica non extarent, quae de illius praetensâ nullitate vel iniustitiâ recte ac ordine cognoscere, legitimumque de eâ indicium ferre possent); et aliàs, prout uberius continetur in praefato edicto, quod (non alio quidem animo, quam ut clarius et apertius dignosci ab omnibus possit quam inusitati exempli quantique horroris et scandali illud sit) praesentibus inserendum duximus, tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum ducale in quo relata omnia demandantur.

Vittorio Amedeo II, per grazia di Dio duca di Savoia e Monferrato, principe di Piemonte, re di Cipro, ecc. Ad ognuno sia manifesto, che, vista la supplica sportaci per parte del procuratore fiscale generale nostro Rivalta, ed il tenor di quella ben considerato, per le presenti, attesa l'evidente nullità, ingiustizia e precipitazione della scomunica proferta dal vescovo di Casale in odio del conte Giacomo Nemours, abbiamo inibito

1 Edit. Main. legit *saniret* (R. T.).

ed inibiamo a qualsivoglia persona di qualunque stato, grado e condizione, tanto sudditi che forestieri, abitanti in essa città di Casale, che qualunque altro luogo dei Stati nostri, di evitare il commercio e consorzio di detto conte Nemours sotto pretesto di tal scomunica, meno per tal causa molestarlo, nè motteggiarlo in qualunque maniera, sotto pene gravi e gravissime, eziandio della morte: ed inoltre abbiamo ammonito e ammoniamo detto vescovo ed offiziali della sua curia di non solo astenersi da ogni e qualunque ulterior molestia ed aggravio verso detto conte, ma ancora di dover indilatamente ed in ogni miglior modo riparare l'ingiusta violenza e trascorso di esso con la fulminata nulla, ingiusta e precipitata scomunica, sotto pena della reduzione de' beni temporali del vescovato e suoi. Mandando le presenti registrarsi, dichiarando l'esecuzione di queste da farsi in persona di alcuno di detti offiziali di detta sua curia, o di alcuno de'suoi domestici, quanto al detto vescovo, ed all'albo pretorio e luoghi soliti di detta città, quanto ad ogni altro valer, ed alla copia stampata dallo stampatore nostro Prielli doversi prestar tanta fede come al proprio originale, che tal è nostra mente. Dato in Casale, li 7 luglio 1713. Per S. A. R., a relazione del Senato, PERRONUS. In Casale, per Pietro Maria Prielli stampatore ducale, con privilegio.

Declaratio nullitatis edicti, cum eius damnatione.

§ 2. Cum autem notorii iuris sit, nulli laicali potestati fas esse decernere seu edicere quod censurae ab episcopis promulgatae seu declaratae, sub obtentu quod nullae vel iniustae sint, attendi non debeant, ac in his, quae ad ecclesiasticam iurisdictionem pertinent, saeculi magistratus obsequendi maneat necessitas, non auctoritas imperandi, adeoque praemissa in gravissimum christifidelium scandalum tendant, animasque pretioso salvatoris et domini nostri Iesu Christi sanguine redemptas in maxima pericula adducere, et deplorandis malis involvere possint: hinc est quod nos, qui iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, ac proinde tam graves saecularis potestatis abusus dissimulare non possumus, libertatem, immunitatem et iurisdictionem ecclesiasticam a perniciosis eiusmodi conatibus illaesam tueri et conservare, necnon animarum periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, omniumque et singulorum, quae in praemissis, seu eorum occasione, quovis modo acta et gesta fuerunt, seriem, causam et circumstantias, etiam aggravantes, necnon tam praefatorum, quam alterius cuiuscumque senatus, magistratus, iudicis, ministri, officialis, notarii, scribae, et aliarum quarumvis personarum in eisdem praemissis quomodolibet culpabilium, qualitates, dignitates, nomina et cognomina, aliave quaecumque etiam specificam ac individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, edictum praeinsertum, ac quaecumque in eo contenta, cum omnibus et singulis inde secutis et forsan quandocumque secuturis, nulla, irrita, invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, et a non habentibus potestatem temere et damnabiliter attentata ac de facto praesumpta, nulliusque roboris et momenti vel efficaciae esse et ab initio fuisse ac perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec illa a quoquam observari posse vel potuisse, adeoque neque ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad maiorem

et abundatiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, prout etiam quaecumque alia praemissorum occasione in praeiudicium libertatis, immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae quovis modo emanata, edita, acta, gesta et perpetrata, cum omnibus pariter inde secutis et quandocumque secuturis, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus ac omnino vacuis semper haberi volumus et mandamus.

Decretum pro firmitate et observantiâ censurarum.

§ 3. Praeterea, tametsi perspecta cleri populique Casalensis pietas et religio spem nobis certam ingerat, fore ut memorati edicti nullam hactenus, ut par erat, rationem habuerint, eoque non attento, a qualibet consuetudine et commercio cum praefato Iacobo comite, tamquam vere excommunicato ac omnino vitando, penitus ultro abstinuerint et abstineant; nihilominus, motu, scientiâ, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, eumdem Iacobum comitem tamquam verum excommunicatum vitandum ab omnibus utriusque sexus christifidelibus habendum esse, donec et quousque absolutionis beneficium christianâ humilitate petierit, illudque ab habente legitimam ad id facultatem impetraverit, vel, quatenus censurae adversus eum promulgatae nullae ac iniustae praetendantur, eas uti tales a competenti iudice ecclesiastico declarari obtinuerit, cum ante eiusmodi declarationem pro validis ac iustis ab omnibus haberi debeant, earumdem tenore praesentium decernimus et similiter declaramus. Quocirca universis presbyteris et clericis tam saecularibus, cuiuscumque gradus, praeeminentiae et dignitatis fuerint, quam cuiusvis Ordinis, congregationis, instituti et societatis, etiam Iesu, regularibus in divinis ministrantibus harum serie districte praecipimus et mandamus, ut, quatenus praedictus Iacobus comes ad eorum ecclesias seu oratoria accedere, ibique divinis officiis aliisque sacris functionibus interesse praesumeret, cum eo ita se gerant, quemadmodum ex sacrorum canonum praescripto cum excommunicatis publice denunciatis agendum esse probe norunt, sub poenis ab ipsis sacris canonibus in eos, qui secus fecerint, constitutis.

Censurae et poenae contra praedictos violatores ecclesiasticae libertatis.

§ 4. Ceterum, cum exploratum sit, tam praefatum cognominatum Rivalta, qui praemissa ab eâdem saeculari potestate edici et ordinari petiit ac instetit, ut praefertur, quam cognominatum Perronum, qui praeinserto edicto subscripsit, necnon Petrum Mariam Prielli typographum, qui illud suis typis impressit, aliosque omnes et singulos, cuiuscumque pariter status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis quantumvis sublimis fuerint, qui eadem praemissa mandarunt ac ordinarunt, seu illis consilium, auxilium, favorem, vel quamvis aliam damnabilem operam praestiterunt, aut in eorum sequelam et executionem gesta approbarunt et rata habuerunt, seu aliàs in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, censuras omnes et poenas ecclesiasticas a sacris canonibus, generalium conciliorum decretis, et apostolicis constitutionibus, ac praesertim litteris die Coenae Domini singulis annis legi et promulgari consuetis inflictas, eo ipso incurrisse; noverint idcirco illi omnes, etiam specialissimâ mentione digni, a censuris et poenis huiusmodi, post debitam ac condignam Ecclesiae realiter et cum effectu praestitam satis-

factionem, nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo constituti, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestitâ, atque cum reincidentiâ eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari posse, prout earumdem tenore praesentium pariter decernimus. Facultatem insuper quandocumque procedendi ad alia severiora remedia, quatenus praedicti ecclesiasticae libertatis violatores in suâ contumaciâ persistentes censuras et poenas huiusmodi animo, quod absit, sustinuerint indurato, nobis et eidem Apostolicae Sedi expresse reservantes. Ac decernentes pariter, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et praefatae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoter, contigerit attentari.

Clausulae.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, nenon quorumcumque Ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, ac quorumvis monasteriorum, conventuum, ecclesiarum, locorum piorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus ac praescriptionibus quantumcumque longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Ordinibus,

Contrariorum derogatio.

congregationibus, institutis et societatibus, etiam Iesu, ac monasteriis, conventibus, ecclesiis et locis piis praedictis, illorumque respective superioribus, aliisve quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, a Sede praedictâ ex quacumque causâ, etiam per viam contractus et remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, seu ad quarumcumque personarum etiam imperiali, regali, aliâve qualibet mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis, etiam continentibus quod excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de privilegiis et indultis huiusmodi mentionem; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Ut autem eaedem presentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis ac basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citatorio, et in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Harum publicatio et fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCCXIII, pontificatus nostri an. XIII.

Dat. die 28 iulii 1713, pontif. anno XIII.

CLXXXVI.

Confirmantur duo decreta Congregationis Rituum super cultu immemorabili servi Dei Liberati de Lauro fratrum Minorum de Observantiâ [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliàs et nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium sacris ritibus praepositorum Decreta praedicta referuntur.

1 Clementis X const. edit. MDCLXXV, die 25 ianuarii, pontif. V, extat beatificatio servi Dei Francisci Solani; et Benedicti XIII const. edit. MDCCXXVII, die 27 ianuarii, pontif. III, eius canonizatio.

emanarunt in causâ servi Dei Liberati de Lauro, Sancti nuncupati, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, ad supplicationem dilecti filii Lucii a Turricella fratris expresse professi provinciae Marchiae dicti Ordinis, lectoris iubilati et eiusmodi causae postulatoris, duo decreta tenoris sequentis, videlicet:

Decretum primum quo delitum fuit causam indigere signatura commissionis.

Camerinensis. Servi Dei Liberati de Lauro Ordinis Minorum sancti Francisci, Sancti nuncupati. Demandatâ per sacram Rituum Congregationem sub die XXII iunii MDCXCVII amotione imaginum praedicti servi Dei ab altaribus, ecclesiis et claustris conventuum praedicti Ordinis, in quibus depictus erat in lectulo decumbens, cui beatissima Virgo, virginibus et angelicis associata choris, liquorem propriis manibus administrabat, recursum interposuerunt ad eamdem sacram Congregationem patres eiusdem Ordinis, allegantes cultum eidem servo Dei intra et extra praememoratum Ordinem sic et aliàs atque multiformiter exhibitum extitisse nedum per centum annos ante decreta felicis recordationis Urbani VIII, sed per quatuor et ultra saecula, ac proinde humiliter institêre pro manutentione praedicti servi Dei in eodem cultu absque ullâ innovatione quae laederet possessionem in qua pacifice erat a praememorato immemorabili ac legitimo tempore: unde sacra eadem Congregatio, praefixo et plurics prorogato eidem Ordini tempore ad probandam eamdem immemorabilem possessionem, sub poenâ remotionis cuiuscumque cultus eidem servo Dei quomodolibet praestiti, in se eiusdem causae cognitionem benignissime suscepit. Quamobrem allato ad ipsam per religiosos eiusdem Ordinis et provinciae Marchiae (in qua adest conventus cum ecclesiâ sub titulo S. Liberati, ubi, ut a reverendissimo episcopo Camerinensi asseritur, ipsius ac beatorum Humilis et Pacifici ossa requiescunt) authentico processu, unâ cum sententiâ super praemisso cultu auctoritate eiusdem episcopi Camerinensis, Ordinarii loci dicti conventus, rite prolatâ: necnon instituto [1] super praemissis omnibus iudicio, et praetendentibus subinde postulatoribus non esse necessariam in casibus similibus propulsionis contrarietatum commissionem manu Sanctissimi signatam: eadem sacra Rituum Congregatio, perpendens plura afferri a comprobatione [1] praememorati cultus quae in praesenti casu indigebant speciali dilucidatione, producebantur siquidem nonnulla eidem servo Dei uti anonimo vel incognito ab historiatoribus attributa, et alia pariter quae ipsum cum alio quodam Liberato Maceratensi Congregationis Caelestinorum seu Clarenorum eiusdemmet Ordinis confundere poterant, ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Vallemani pro eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Carpineo ponente, sacra eadem Rituum Congregatio, audito tam in scriptis quam in voce domino Prospero de Lambertinis sacrae consistorialis aulae advocato, et reverendissimi archiepiscopi Myrensis fidei promotoris coadiutore, rescribendum censuit: *causam indigere signaturâ commissionis in casu de quo agitur.* Die VII septembris MDCCIX. Ita reperitur in regestris decretorum Congregationis sacrorum rituum. In quorum fidem, etc., die III augusti MDCCXIII. *Loco † sigilli. Gratis.* N. M. TEDESCHI episcopus Liparitanus, sacrae Rituum Congregationis pro-secretarius.

Decretum alterum quo decretum fuit, non esse signandam commissionem, et servandum praescriptum de amotione imaginum.

Camerinensis. Servi Dei Liberati de Lauro Ordinis Minorum S. Francisci Sancti nuncupati. Ortâ controversiâ in sacrâ Rituum Congregatione, an cultus ab immemorabili tempore, iuxta postulatorum sensum, sancto Liberato praedicto praestitus, esset ne permittendus, seu potius removendus, eadem sacra Rituum Congregatio sub die VII septembris MDCCIX censuit, antequam ad discussionem dubii super casu excepto a decretis felicis recordationis Urbani PP. VIII deveniretur, necessariam esse dubii propositionem super signaturâ commissionis; ideoque, disputato dicto dubio an esset signanda commissio, sacra eadem Congregatio ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Ptolomei pro eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Carpineo

1 Male edit. Main. legit *institutio* (R. T.).

1 Forsan *ad comprobationem* (R. T.).

ponente, et ad instantiam fratris Lucii de Turricella Ordinis Minorum de Observantiâ sancti Francisci, dictae causae postulatoris, audito prius tam in voce quam in scriptis reverendo patre domino Prospero de Lambertinis fidei promotore, respondit : *Pro nunc non esse locum signaturae commissionis, et nihil esse innovandum super cultu eidem servo Dei praestito* (firmo tamen remanente decreto in hac causâ edito die XXII iulii MDCXCVII super amotione imaginum dicti servi Dei, cui in lectulo decumbenti beatissima Virgo, angelicis choris associata, cibum subministrabat), *si sanctissimo domino nostro placuerit.* Die XXVIII ianuarii MDCCXIII. Factâque deinde per infrascriptum pro-secretarium de praedictis sanctissimo domino nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit die XVII februarii eiusdem anni MDCCXIII. — G. card. CARPINEUS. *Loco † sigilli.* C. COLLICOLA sacrae Rituum Congregationis pro-secretarius.

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut praedictus Lucius nobis subinde exponi fecit, ipse decreta huiusmodi, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret : nos, ipsum Lucium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quosecumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secùs super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II septembris MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 2 septembris 1713, pontif. anno XIII.

CLXXXVII.

Damnantur et prohibentur quamplures propositiones excerptae ex libro sub titulo Le Noveau Testament, etc., *aut* Abrégé, etc., *cum iudicio de reliquis propositionibus, et novâ eiusdem libri damnatione* [1].

1 Praedictus liber damnatus fuit const. edit. MDCCVIII, die 13 iulii, pontif. VIII; constit. edit. MDCCX, die 6 iunii, pontif. X, prohibitus fuit liber contra hanc damnationem; et const. edit. MDCCXVIII, die 27 augusti, pontif XVIII, eduntur monita pastoralia adversus renuentes obedientiam praestare praesenti constitutioni; Benedicti vero XIII const. edit. MDCCXXVIII, die 25 iunii, pontif. V, damnantur duo libri gallici.

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
Universis christifidelibus salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Unigenitus Dei filius pro nostrâ et totius mundi salute filius hominis factus, dum discipulos suos doctrinâ veritatis instrueret, universamque Ecclesiam suam in apostolis erudiret, praesentia disponens et futura prospiciens, praeclaro ac saluberrimo documento nos admonuit ut attenderemus a falsis prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium; quorum nomine potissimum demonstrantur magistri illi mendaces et in deceptione illusores, qui, splendidâ pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine sanctitatis, utque facilius incautis obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, et sese divinae legis sententiis, velut quibusdam ovium velleribus obvolentes, sanctarum scripturarum, adeoque etiam ipsius Novi Testamenti verbis, quae multipliciter in suam aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur; antiqui scilicet, a quo progeniti sunt, mendacii parentis exemplo ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quam ut, ubi nefarii erroris subintroducitur fraudolentia, ibi divinorum verborum praetendatur auctoritas.

Causae iterum damnandi libri. § 1. Iis nos vere divinis monitis instructi, ubi primum, non sine intimâ cordis nostri amaritudine accepimus, librum quemdam gallico idiomate olim impressum, et in plures tomos distributum, sub titulo: *Le nouveau Testament en françois avec des réfléxions morales sur chaque verset, etc. A Paris,* MDCXCIX; aliter vero: *Abrégé de la morale de l'Évangile, des Actes des Apostres, des epistres de St-Paul, des epistres canoniques, et de l'Apocalypse: ou pensées chrétiennes sur le texte de ces livres sacres, etc. A Paris,* MDCXCIII et MDCXCIV, tametsi aliàs a nobis damnatum, ac revera catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhuc tamen tamquam ab omni errore immunem a pluribus haberi, christifidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilio et operâ studiose nimis quaquaversum disseminari, etiam latine redditum, ut perniciosae institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, et de regno ad populum alterum, versutis huiusmodi seductionibus atque fallaciis creditum nobis dominicum gregem in viam perditionis sensim abduci summopere doluimus; adeoque pastoralis non minus curae nostrae stimulis, quam frequentibus orthodoxae fidei zelatorum querelis, maxime vero complurium venerabilium fratrum praesertim Galliae episcoporum litteris ac precibus excitati, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quaeque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Propositiones ab ipso libro exscribi fecit Pontifex. § 2. Et quidem, ad ipsam ingruentis mali causam provide nostrae considerationis intuitum convertentes, perspicue novimus, summam huiusmodi libri perniciem ideo potissimum progredi et invalescere, quod eadem intus lateat, et velut improba sanies nonnisi secto ulcere foras erumpat; cum liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat, molliti enim sunt sermones eius super oleum, sed ipsi sunt iacula, et quidem intento arcu ita ad nocendum parata ut sagittent in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius aut salubrius praestari a nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem libri doctrinam, generatim solummodo a nobis

hactenus indicatam, pluribus singillatim ex eo excerptis propositionibus, distinctius et apertius explicaremus, atque universis christifidelibus noxia zizaniorum semina, e medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis et quasi in propatulo positis, non uno quidem aut altero, sed plurimis gravissimisque, tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertae iam manifestaeque veritati cedere compellantur. Id ipsum maxime e re catholicâ futurum, et sedandis praesertim in florentissimo Galliae regno exortis ingeniorum varie opinantium iamque in acerbiores scissuras protendentium dissidiis apprime proficuum, conscientiarum denique tranquillitati perutile et propemodum necessarium, non modo praefati episcopi, sed et ipse in primis carissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus, cuius eximium in tuendâ catholicae fidei puritate extirpandisque erroribus zelum satis laudare non possumus, saepius nobis est contestatus, repetitis propterea vere piis et christianissimo rege dignis officiis atque ardentibus votis a nobis efflagitans ut instanti animarum necessitati prolatâ quantocitius apostolici censurâ iudicii consuleremus.

Consultatio adhibita in examine sequentium propositionum.

§ 3. Hinc, adspirante Domino, eiusque caelesti ope confisi, salutare opus sedulo diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus, ac plurimas ex praedicto libro, iuxta supra recensitas respective editiones, fideliter extractas et tum gallico tum latino idiomate expressas propositiones, a compluribus in sacrâ theologiâ magistris, primo quidem coram duobus ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus accurate discuti, deinde vero coram nobis, adhibito etiam aliorum plurium cardinalium consilio, quammaximâ diligentiâ ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet libri textu exactissime factâ collatione, pluries iteratis congregationibus expendi et examinari mandavimus. Huiusmodi autem propositiones sunt quae sequuntur, videlicet:

Series propositionum.

I. Quid aliud remanet animae, quae Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum et peccati consecutiones, superba paupertas et segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem et ad omne opus bonum?

II. Iesu Christi gratia, principium efficax boni cuiuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illâ, non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

III. In vanum, Domine, praecipis, si tu ipse non das quod praecipis.

IV. Ita, Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

V. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiae suae, exhortationes et gratiae interiores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

VI. Discrimen inter foedus iudaicum et christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati et implementum legis a peccatore, relinquendo illum in suâ impotentiâ; in isto vero Deus peccatori dat quod iubet, illum suâ gratiâ purificando.

VII. Quae utilitas pro homine in veteri foedere in quo Deus illum reliquit eius propriae infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quae vero felicitas non est admitti ad foedus in quo Deus nobis donat quod petit a nobis?

VIII. Nos non pertinemus ad novum foedus, nisi in quantum participes sumus ipsius novae gratiae, quae operatur in nobis id quod Deus nobis praecipit.

IX. Gratia Christi, est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, et cum qua nunquam illum abnegamus.

X. Gratia est operatio manus omnipotentis

Dei, quam nihil impedire potest aut retardare.

XI. Gratia non est aliud quam voluntas omnipotentis Dei iubentis et facientis quod iubet.

XII. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

XIII. Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit.

XIV. Quantumcumque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando Iesus se ei videndum exhibet lumine salutari suae gratiae, oportet ut se dedat, accurrat, sese humiliet et adoret Salvatorem suum.

XV. Quando Deus mandatum suum et suam aeternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus et interiori vi gratiae suae, operatur illa in corde obedientiam quam petit.

XVI. Nullae sunt illecebrae, quae non cedant illecebris gratiae, quia nihil resistit Omnipotenti.

XVII. Gratia est vox illa Patris quae homines interius docet ac eos venire facit ad Iesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre.

XVIII. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

XIX Dei gratia nihil aliud est quam eius omnipotens voluntas: haec est idea quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis scripturis.

XX. Vera gratiae idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri et obeditur; imperat, et omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt.

XXI. Gratia Iesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quae est operatio operationis Dei incarnantis et resuscitantis Filium suum.

XXII. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiae et gratiae, quae omnes ita gratuitae, atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

XXIII. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suae gratiae, eam significans per illam, qua creaturas e nihilo producit et mortuis reddit vitam.

XXIV. Iusta idea quam Centurio habet de de omnipotentiâ Dei et Iesu Christi in sanandis corporibus solo motu suae voluntatis, est imago ideae quae haberi debet de omnipotentiâ suae gratiae in sanandis animabus a cupiditate.

XXV. Deus illuminat animam, et eam sanat aeque ac corpus solâ suâ voluntate; iubet, et ipsi obtemperatur.

XXVI. Nullae dantur gratiae, nisi per fidem.

XXVII. Fides est prima gratia et fons omnium aliarum.

XXVIII. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

XXIX. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

XXX. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

XXXI. Desideria Christi semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

XXXII. Iesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, idest electos, de manu angeli sterminatoris.

XXXIII. Proh! quantum oportet bonis terrenis et sibimet ipsi renunciasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Iesum, eius amorem, mortem et mysteria, ut facit sanctus Paulus dicens: *Qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me.*

XXXIV. Gratia Adami non producebat nisi merita humana.

XXXV. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae.

XXXVI. Differentia essentialis inter gratiam Adami et statûs innocentiae ac gratiam christianam est, quod primam unusquisque in propriâ personâ recepisset, ista vero non recipitur nisi in personâ Iesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

XXXVII. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; gratia

christiana, nos sanctificando in Iesu Christo, est omnipotens et digna Filio Dei.

XXXVIII. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratiâ Liberatoris.

XXXIX. Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se praecipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.

XL. Sine gratiâ nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.

XLI. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo, et sine gratiâ non producit nisi praesumptionem, vanitatem et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris.

XLII. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei; sine hoc, nihil nisi impuritas; nihil nisi indignitas.

XLIII. Primus effectus gratiae baptismalis est facere ut moriamur peccato; adeout spiritus, cor, sensus non habeant plus vitae pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

XLIV. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostrae nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; et amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus.

XLV. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas omnesque actiones eius corrumpat.

XLVI. Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt.

XLVII. Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria est finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis aut falsa iustitia.

XLVIII. Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae, nisi aberratio, et nisi peccatum, sine fidei lumine, sine Christo, et sine charitate.

XLIX. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

L. Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille qui clamat.

LI. Fides iustificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem.

LII. Omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine et semine; sed haec fides non est absque amore et fiduciâ.

LIII. Sola charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum et Iesum Christum.

LIV. Sola charitas est quae Deo loquitur; eam solam Deus audit.

LV. Deus non coronat nisi charitatem; qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit.

LVI. Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat.

LVII. Totum deest peccatori, quando ei deest spes; et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

LVIII. Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.

LIX. Oratio impiorum est novum peccatum; et quod Deus illis concedit, est novum in eos iudicium.

LX. Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

LXI. Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore iustitiae non ducitur.

LXII. Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et iam est reus coram Deo.

LXIII. Baptizatus, adhuc est sub lege sicut iudaeus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

LXIV. Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum sive illud nonnisi ob timorem evitando.

LXV. Moyses, prophetae, sacerdotes et doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

LXVI. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus pas-

sionibus, neque adduci per instinctum naturalem aut per timorem, sicuti bestiae, sed per fidem et per amorem, sicuti filii.

LXVII. Timor servilis non sibi repraesentat Deum nisi ut dominum durum, imperiosum, iniustum, intractabilem.

LXVIII. Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide et precibus.

LXIX. Fides, usus, augmentum et praemium fidei, totum est donum purae liberalitatis Dei.

LXX. Nunquam Deus affligit innocentes, et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum vel ad purificandum peccatorem.

LXXI. Homo ob sui conservationem potest se se dispensare ab eâ lege quam Deus condidit propter eius utilitatem.

LXXII. Nota Ecclesiae christianae est quod sit catholica, comprehendens et omnes angelos caeli et omnes electos et iustos terrae et omnium saeculorum.

LXXIII. Quid est Ecclesia, nisi coetus filiorum Dei manentium in eius sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in eius personâ, redemptorum eius sanguine, viventium eius spiritu, agentium per eius gratiam, et expectantium gratiam futuri saeculi.

LXXIV. Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero sanctos ut membra.

LXXV. Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia et persona; unus solus Christus, compositus ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator.

LXXVI. Nihil spatiosius Ecclesiâ Dei, quia omnes electi et iusti omnium saeculorum illam componunt.

LXXVII. Qui non ducit vitam dignam filio Dei et membro Christi, cessat interius habere Deum pro patre et Christum pro capite.

LXXVIII. Separatur quis a populo electo, cuius figura fuit populus iudaicus et caput est Iesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

LXXIX. Utile et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria sacrae Scripturae.

LXXX. Lectio sacrae Scripturae est pro omnibus.

LXXXI. Obscuritas sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab eius lectione.

LXXXII. Dies dominicus a christianis debet sanctificari lectionibus pietatis et super omnia sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle christianum ab hac lectione retrahere.

LXXXIII. Est illusio sibi persuadere quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari feminis lectione sacrorum librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superbâ virorum scientiâ ortus est scripturarum abusus et natae sunt haereses.

LXXXIV. Abripere e christianarum manibus Novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

LXXXV. Interdicere christianis lectionem sacrae Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

LXXXVI. Eripere simplici populo hoc solatium, iungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi apostolicae et intentioni Dei.

LXXXVII. Modus plenus sapientiâ, lumine et charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere iustitiae Dei antequam reconcilientur.

LXXXVIII. Ignoramus quid sit peccatum et vera poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem.

LXXXIX. Quartusdecimus gradus conversionis peccatoris est, quod, cum sit iam reconciliatus, habet ius assistendi sacrificio Ecclesiae.

XC. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pasto-

res de consensu, saltem praesumpto, totius corporis.

XCI. Excommunicationis iniustae metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: nunquam eximus ab Ecclesiâ, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab eâ expulsi, quando Deo, Iesu Christo, atque ipsi Ecclesiae per charitatem affixi sumus.

XCII. Pati potius in pace excommunicationem et anathema iniustum, quam prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum, tantum abest ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

XCIII. Iesus quandoque sanat vulnera, quae praeceps primorum pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: Iesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

XCIV. Nihil peiorem de Ecclesiâ opinionem ingerit eius inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, et foveri divisiones propter res quae nec fidem laedunt nec mores.

XCV. Veritates eò devenerunt ut sint lingua quasi peregrina plerisque christianis, et modus eas praedicandi est veluti idioma incognitum, adeo remotus est a simplicitate apostolorum et supra communem captum fidelium: neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensilibus senectutis Ecclesiae et irae Dei in filios suos.

XCVI. Deus permittit ut omnes potestates sint contrariae praedicatoribus veritatis, ut eius victoria attribui non possit nisi divinae gratiae.

XCVII. Nimis saepe contingit membra illa, quae magis sancte ac magis stricte unita Ecclesiae sunt, respici atque tractari tanquam ab eâ separata; sed iustus vivit ex fide, et non ex opinione hominum.

XCVIII. Status persecutionis et poenarum, quas quis tolerat tamquam haereticus, flagitiosus et impius, ultima plerumque probatio est et maxime meritoria, utpote quae facit hominem magis conformem Iesu Christo.

XCIX. Pervicacia, praeventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id quod Deus in suâ Ecclesiâ posuit ut in eâ esset odor vitae, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla, etc.

C. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem eiusque discipulos. Tempus hoc advenit..... Haberi et tractari a religionis ministris tamquam impium et indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate et zelo quodam religionis, persequendo flammâ ferroque viros probos, si propriâ passione est excaecatus, aut abreptus alienâ, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum.

CI. Nihil spiritui Dei et doctrinae Iesu Christi magis opponitur, quam communia facere iuramenta in Ecclesiâ, quia hoc est multiplicare occasiones peierandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

Damnatio et prohibitio relatarum propositionum cum earum censura

§ 4. Auditis itaque tum voce tum scripto nobis exhibitis praefatorum cardinalium aliorumque theologorum suffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem publicisque etiam indictis precibus, implorato praesidio, omnes et singulas propositiones praeinsertas, tamquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiae et eius praxi iniuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates saeculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de haeresi, ac haeresim ipsam sapientes, necnon haereticis et haeresibus ac etiam schismati faventes, erroneas, haeresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam haereticas, variasque haereses, et

potissimum illas quae in famosis Iansenii propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hae damnatae fuerunt, acceptis, continentur, manifeste innovantes, respective, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione declaramus, damnamus et reprobamus. Mandantes omnibus utriusque sexus christifidelibus, ne de dictis propositionibus sentire, docere ac praedicare aliter praesumant quam in hac eâdem nostrâ constitutione continetur; ita ut quicumque illas vel illarum aliquam coniunctim vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam disputative, publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes a iure statutis poenis, ipso facto absque aliâ declaratione subiaceat. Ceterum per expressam praefatarum propositionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum praesertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus propositiones, illis, quae ut supra damnatae fuerunt, consimiles et affines, iisdemque erroribus imbutas, nec sane paucas, sub imaginario quodam veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam et pervicaciam nutrientes, easque falso christianae patientiae nomine praedicantes, quas propterea singulatim recensere et nimis longum esse duximus, et minime necessarium, ac demum, quod intolerabilius est, sacrum ipsum Novi Testamenti textum damnabiliter vitiatum compererimus, et alteri dudum reprobatae versioni gallicae Montensi in multis conformem, a Vulgatâ vero editione, quae tot saeculorum usu in Ecclesiâ probata est atque ab orthodoxis omnibus pro authenticâ haberi debet, multipliciter discrepantem et aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos ac saepe noxios sensus non sine maximâ perversitate detortum. Eumdem propterea librum, utpote per dulces sermones et benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsâ piae institutionis imagine, seducendis innocentium cordibus longe accomodatum, sive praemissis sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque et quocumque alio idiomate seu quavis editione aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, iterum prohibemus ac similiter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes et singulos in eius defensionem tam scripto quam typis editos, seu forsan (quod Deus avertat) edendos libros seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem et usum, omnibus et singulis christifidelibus, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrendâ, prohibemus pariter et interdicimus. Praecipimus insuper venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon haereticae pravitatis inquisitoribus, ut contradictores et rebelles quoscumque per censuras et poenas praefatas, aliaque iuris et facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, omnino coërceant et compellant.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis et interdictionis infringere vel ei ausu temerario

contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXIII, VI idus septembris, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 8 septembris 1713, pontif. anno XIII.

CLXXXVIII.

Confirmatur decretum Congregationis Rituum de cultu immemorabili et casu excepto pro B. Gregorio X [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Iniuncti nobis caelitus pastoralis officii sollicitudo nos urget, ut gloriosorum caelestis Hierusalem civium, quorum sapientiam narrant populi et laudem nuntiat Ecclesia, illorumque potissimum, quos Unigenitus Dei Filius gregis sui pastores constituit secundum cor suum, quique in generationibus gentis suae gloriam adepti placuerunt Domino in diebus suis, ac fidei gubernaculum viriliter tenentes, anchoram spei tranquillâ iam in statione composuerunt, plenamque caelestibus divitiis et aeternis mercibus navem optato in littore collocarunt, venerationem et cultum promovere studeamus in terris, sicut pia catholicorum antistitum in partem sollicitudinis nostrae vocatorum aliorumque christifidelium, ac praesertim pietate non minus christianisque virtutibus quam generis splendore fulgentium, vota postulant, et nos ad omnipotentis Dei gloriam, catholicae Ecclesiae decus et praesidium, spiritualemque fidelium populorum aedificationem ac devotionem fovendam conducibile fore in Domino arbitramur.

§ 1. Cum itaque aliàs in Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processus auctoritate apostolicâ constructi super virtutibus et miraculis in specie felicis recordationis beati Gregorii PP. X praedecessoris nostri exhibiti fuerint, illorumque validitate de more examinatâ, ac die IX ianuarii MDCXXX, ad relationem bonae memoriae Cosmi, dum vixit, eiusdem S. R. E. cardinalis de Torres nuncupati respective approbatâ, successive, nempe die IV maii eiusdem anni, ab eâdem Congregatione cardinalium favorabile rescriptum emanaverit, constare de virtutibus heroicis; deinde vero, ad humillimas preces venerabilis fratris Benedicti episcopi Aretini, etiam nomine dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Aretinae, necnon Antonii Mariae Bonucci presbyteri regularis expresse professi Societatis Iesu, eiusmodi causae postulatoris, per dilectum filium nostrum Ferdinandum supradictae S. R. E. presbyterum cardinalem de Abduâ nuncupatum, in locum similis memoriae etiam, dum vixit, Francisci praedictae S. R. E. cardinalis Montalti nuncupati (qui anno MDCXLII in locum eiusdem Cosmi cardinalis subrogatus fuerat) deputatum, proposito dubio in eâdem Congregatione cardinalium die XI februarii proxime praeteriti super signaturâ commissionis reassumptionis causae ad formam novissimorum decretorum recolendae memoriae Innocentii Papae XI itidem praedecessoris nostri, responsum fuerit esse locum signaturae commissionis, prout per nos

Exponitur status causae inceptae anno MDCXXX.

[1] Huic simile decretum confirmatum fuit pro B. Lucia de Narnia, const. ed. MDCCX, die 26 martii, pontif. X; et pro B. Andrea de Comitibus ab Innocentio XIII, const. ed. MDCCXXIV, die XV februarii, pontif. III.

signata, cum facultate videndi et examinandi, an ex supradictis processibus apostolicis, sicut praemittitur confectis, constaret de casu excepto a decretis piae memoriae Urbani PP. VIII similiter praedecessoris nostri, et de eorum paritione, sive de cultu publico et immemorabili dicto beato Gregorio PP. X exhibito; denumque in huiusmodi commissionis sequelam propositâ causâ per eumdem Ferdinandum cardinalem super praedicto dubio, illoque in praedictâ ordinariâ Congregatione cardinalium discusso, ipsa Congregatio, audito prius tam scripto quam voce dilecto filio magistro Prospero de Lambertinis in utrâque signaturâ nostrâ referendario, fidei promotore, respondendum esse censuerit, constare de cultu immemorabili, seu de casu excepto a praedictis Urbani praedecessoris decretis:

Decretum sacrae Congregationis.

§ 2. Hinc est quod nos, non modo piis devotisque Benedicti episcopi, ac communitatis et hominum, nec non Antonii Mariae praedictorum, sed etiam enixis novissime additis dilecti filii nobilis viri Cosmi Etruriae sibi subiectae magni ducis supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis favorabilem assensum, quantum cum Domino possumus, praebere cupientes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, decretum a praedictâ cardinalium Congregatione editum, ut praefertur, quod scilicet de cultu immemorabili eidem beato Gregorio Papae X exhibito, seu de casu excepto a decretis praedicti Urbani praedecessoris, constet, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Confirmatio relati decreti.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae.

§ 4. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII septembris MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 12 septembris 1713, pontif. anno XIII.

CLXXXIX.

Mandatur Ordinariis quamplurium nationum, et generalibus religiosorum Ordinum, ut commendari curent populis christifideles captivos [1].

1 Idem mandatum extat constit. ed. MDCCIX, die 25 maii, pontif. IX; Innocentii XIII const.

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Causae praesentis constitutionis, et preces procuratoris generalis Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Hieronymus Cavizzudo, in sacrâ theologiâ doctor, minister et superior conventus S. Franciscae Romanae de Urbe, necnon procurator generalis Ordinis fratrum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, nobis nuper exponi fecit, christifideles multo numero sub durâ barbarorum servitute cum gemino corporis et animae periculo detineantur; quia vero illorum redemptio pluribus ab hinc annis, tam propter bella ac regionum direptiones, quam propter conventuum egestatem et eleemosynarum diminutionem, intermissa fuit, unde eorumdem captivorum calamitates et pericula in dies ingravescunt, dictus Hieronymus procurator generalis christifidelium pietatem ad opus adeo pium excitari plurimum desideret:

Mandat ut in rubrica.

§ 2. Nos, ipsius Hieronymi procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, et attentâ relatione dilecti filii nostri Francisci Mariae Casini tituli S. Priscae S. R. E. cardinalis S. Priscae nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super praemissis eisdem cardinalibus factâ, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ceterisque regnorum Castellae, Baeticae, Aragoniae, Valentiae, principatus Catalauniae, insularum Maioricensis et Minoricae, ac itidem regnorum Sardiniae, Legionis et Navarrae, Franciae, necnon provinciarum Campaniae, Picardiae, Normandiae, Ovitanae, Provinciae, Belgii, Italiae, Portugalliae et Siciliae, ac civitatum Neapolitanae, Ianuensis, Taurinensis et Alexandrinae, provinciae Mediolanensis, respective Ordinariis, necnon dilectis filiis superioribus generalibus quorumvis Ordinum, congregationum et institutorum regularium, harum serie, auctoritate apostolicâ, praecipimus et mandamus, ut saltem duabus vicibus quolibet anno, Adventus scilicet et Quadragesimae temporibus, in suis respective ecclesiis, tam per verbi Dei praedicatores in sacris concionibus, quam aliis actionibus et functionibus publicis, praedictorum christifidelium captivorum miserias et calamitates populo proponi et commendari curent et faciant, ut eorum exhortationibus stimulentur christifideles ad eleemosynas largiter conferendas, quibus redemptores dicti Ordinis eosdem captivos a dictâ servitute huiusmodi redimere, ac illorum spirituali consolationi corporalique saluti, Domino benedicente, valeant providere: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae.

§ 3. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique loco-

ed. MDCCXXI, die 21 novembris, pentif. I, confirmantur litterae Urbani VIII pro indigentiis locorum Terraesanctae.

rum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostesae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV septembris MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 14 septembris 1713, pontif. anno XIII.

CXC.

Conceditur Congregationi monachorum Vallisumbrosae communicatio privilegiorum quorumdam Ordinum et Congregationum [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolatus officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati nostrae committere dignata est, salubriter exequi, adiuvante Domino, iugiter satagentes, religiosos viros sub suavi Christi iugo vota sua reddere uberesque bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre iugiter satagentes, ut eo alacrius pietatis exercitiis incumbant, favoribus et gratiis libenter prosequimur opportunis.

Causae praesentis concessionis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Columbinus Bassi abbas generalis monachorum Congregationis Vallisumbrosae Ordinis S. Benedicti, quod aliàs, postquam monasteria dictae Congregationis anno MCDLXXXIV insimul unita et in Congregationem a felicis recordationis Innocentio PP. VIII praedecessore nostro auctoritate apostolicâ erecta fuerant, piae memoriae Iulius PP. II pariter praedecessor noster eidem Congregationi omnia et singula privilegia et indulta, Congregationi Cassinensi aliàs S. Iustinae de Padua dicti Ordinis a Sede Apostolicâ concessa, communicavit. Deinde vero similis memoriae Pius PP. V, etiam praedecessor noster, per quasdam litteras apostolicas anno MDLVII desuper expeditas, privilegia Ordinum regularium mendicantium ad undecim Congregationes extendendo, etiam primodictam Congregationem inter alias enumeravit. Sed successive, praedictis Pii praedecessoris litteris a recolendae memoriae Gregorii PP. XIII itidem praedecessore nostro revocatis, Congregationes monasticae fere omnes, cum pro obtinendâ privilegiorum Ordinum regularium mendicantium huiusmodi communicatione[1] ad nonnullos Romanos Pontifices praedecessores nostros recursum habuissent, vigore indultorum specialium eis concessorum dictam ac universalem eorumdem privilegiorum ac gratiarum, quibus Ordines regulares tam mendicantes quam non mendicantes fruuntur, communicationem sibi concedi obtinuerunt. Cum autem, sicut eadem exposi-

Preces abbatis generalis.

tio subiungebat, eadem primodicta Congregatio Vallisumbrosae hac universali communicatione de praesenti destituta reperiatur, ac proinde dictus Columbinus abbas generalis, praedictae suae Congregationi omnia et singula privilegia, gratias et indulta quaecumque a Sixto V, Clemente VIII, Gregorio XIV, Paulo V, Gregorio XV [2], Urbano VIII ac Innocentio XII Romanis Pontificibus etiam praedecessoribus nostris, Congregationibus S. Hieronymi Hispaniae, clericorum regularium Ministrantium Infirmis, necnon monachorum Camaldulensium, Cisterciensium, Caelestinorum et sancti Mauri in Gallià, necnon Carthusiensium et SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Ordinibus respective concessa,

1 Privilegia Congregationi Cassinensi concessa fuere a Iulio II; et quaedam alia a Clemente X, const. ed. MDCLXXI, die 2 octobris, pontif. II.

1 Edit. Main. legit *communicatio* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *XIV* (R. T.).

ac quibus Congregationes et Ordines praedicti quomodolibet utuntur et gaudent, a nobis communicari plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praedictae communicationis.

§ 2. Nos igitur, Congregationem praefatam, quam peculiari paternae charitatis affectu prosequimur, ipsumque Columbinum abbatem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et singulares Congregationis huiusmodi personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, et attentâ relatione dilecti filii nostri Caroli Augustini eiusdem S. R. E. cardinalis Fabroni nuncupati, praedictae Congregationis Vallisumbrosae apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super praemissis eisdem cardinalibus factâ, memoratae Congregationi Vallisumbrosae petitum indultum seu communicationem, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis Vallisumbrosae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII septembris MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 28 septembris 1713, pontif. anno XIII.

CXCI.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis fratrum Capuccinorum in festis sanctorum Paschalis Baylon et Ioannis Capistrano [1].

1 Ab Innocentio XI constit. edit. MDCLXXXIX, die 19 maii, pontif. XIII, concessa fuit facultas

Clemens Papa XI,

Universis christifidelibus, praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Concessio praelictae indulgentiae.

§ 1. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum ubique existentium in sanctorum Paschalis Baylon et Ioannis a Capistrano festis diebus[1] a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides transumptorum.

§ 2. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI octobris MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 11 octobris 1713, pontif. anno XIII.

applicandi quamdam indulgentiam defunctorum; et Benedicti XIII constit. ed. MDCCXXIX, die 12 martii, pontif. V, extat beatificatio beati Fidelis.

1 Voces *festis diebus* nos addimus (R. T.).

CXCII.

Decernitur, servandum esse solitum super suffragio ferendo a superioribus cuiuscumque coenobii fratrum Ordinis Praedicatorum in provinciis Indiarum Occidentalium, non obstante constitutione Pauli V[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Idem antea definitum fuerat a Congregatione pro provinciis S. Antonii et S. Crucis.

§ 1. Aliàs pro parte provinciarum S. Antonii[2] novi regni Granatensis et S. Crucis Ordinis fratrum Praedicatorum in Indiis Occidentalibus nobis exposito, quod, licet praxis inconcussa inolevisset, priores seu vicarios illorum conventuum seu domorum, tametsi sufficientem religiosorum numerum minime alerent, itaut in nonnullis ex eisdem conventibus quatuor religiosi, ac etiam unus uti prior seu vicarius permanserit, ad provincialia capitula, cum voto et loco in superioris provincialis electione, iuxta etiam approbationem felicis recordationis Clementis VII, Pauli III, Gregorii XIII et Alexandri etiam VII Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, semper accessisse, nihilominus nonnullis ab hinc annis ab aliquibus factionariis scandalose praetensum fuerat, provincialium seu vicariorum electiones cum voto et suffragio eorumdem priorum seu vicariorum sic celebratas nullas et irritas fuisse, et quidem vigore quarumdam piae memoriae Pauli Papae V pariter praedecessoris nostri desuper in simili

1 Laudatâ Pauli V constit. edit. fuit MDCXI, die 23 decembris; idem concessum fuit provinciis S. Antonini et S. Crucis ab hoc Pontifice constit. edit. MDCCXI, die 2 iulii, pontif. XII, necnon eremitis S. Augustini constit. edit. MDCCIX, die 21 iunii, pontif. XIII; et Innocentii XIII constit. edit. MDCCXXII, die 24 aprilis, pontif. I, conceduntur provinciae Mexicanae octo gradus magisterii.

2 Sup. pag. 536 legitur *S. Antonini* (R. T.).

formâ Brevis die XXIII decembris MDCXI expeditarum litterarum, quibus praescribitur, quod dicti conventus seu domus, numerum saltem octo religiosorum alere non valentes, perpetuo supprimi, aut fratres, in tam exiguo numero inibi viventes, ad alios conventus, ubi regularis vigeret observantia, transferri deberent: et in eâdem expositione subiuncto, quod eiusdem Pauli V praedecessoris litteras huiusmodi per episcopos et archiepiscopos earumdem Indiarum, quorum arbitrio illarum executio remissa fuerat, executioni unquam demandatas fuisse non constabat; imo venerabilis frater archiepiscopus S. Fidei infrascriptae cardinalium Congregationi per peculiares litteras ipsi directas retulerat, impossibile prorsus fore ad earum executionem devenire: ideoque earumdem provinciarum nomine nobis supplicato ut in dictis provinciis tam circa permanentiam memoratorum conventuum, quam accessus ac suffragia danda ab illorum prioribus et vicariis in eiusmodi capitulis provincialibus, non obstantibus praedictis Pauli V praedecessoris litteris, solitum servari mandaremus: nos controversiam huiusmodi ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum examinandam remisimus; ipsa vero Congregatio per suum decretum die X iunii anni proxime praeteriti emanatum rescripsit quod solitum servaretur, praedictis Pauli V praedecessoris litteris et aliis quibuscumque non obstantibus.

Causa sequentis decreti, et preces procuratoris generalis.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus procurator generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, ne eaedem praetensiones et scandala in omnibus aliis dictarum Indiarum Occidentalium provinciis praedicti Ordinis vigeant seu irrepant, ac proinde in illis id quoque, quod pro praedictis provinciis S. Antonini et S. Crucis decretum fuit, servari plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decretum praedictum pro aliis provinciis.

§ 3. Nos igitur, dictum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de supradictae Congregationis cardinalium consilio, ut de cetero in reliquis earumdem Indiarum Occidentalium provinciis eiusdem Ordinis, praedicti Pauli V praedecessoris litteris et aliis quibuscumque minime obstantibus, servetur solitum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate eiusdem Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apo-

stolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI octobris MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 11 octobris 1713, pontif. anno XIII.

CXCIII.

Decernitur, excludendos esse a definitorio generali ex-vicarios generales, et servandam quamdam formam in constituendo vicesgerentes provinciarum Congregationis Observantiae Lombardiae fratrum eremitarum S. Augustini[1].

1 Hac de re vide constitutiones Ordinis editas MDCLXIV, et die 18 iulii confirmatas ab Alexandro VII; in huius Pontificis constit. edit. MDCCXIV, die 12 novembris, pontif. XIV, agitur de visitatione coenobiorum.

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Iniuncti nobis divinitus pastoralis officii ratio postulat, ut prospero christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum statui consulere, et ea quae regulari disciplinae impedimentum adferre noscuntur, quantum cum Domino possumus, e medio tollere studeamus.

Quomodo ex-vicarii generales praedicti introducti fuerint, et inconvenientia secuta.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Congregationis Observantiae Lombardiae nuncupati, Ordinis eremitarum S. Augustini, quod eadem Congregatio, cui dudum ob regularem observantiam tunc in eâ vigentem nonnulla privilegia a Sede Apostolicâ concessa fuerant, adeo a primaevo eius instituto excidit ut ei novitiorum vestitio suspensa fuerit; una vero ex praecipuis causis, quae relaxationi in dictâ Congregatione fomentum praebuit, est perpetuitas gubernii et dispotici dominii, quod quinquaginta ab hinc annis in eâ ad favorem vicariorum generalium absolutorum introductum fuit, quippe qui, cum nullum superiorem realiter recognoscant, omnia in eâdem Congregatione ad eorum libitum disponunt, eo quia ii, qui vicarii generalis munere functi sunt, remanent perpetui definitores cum voto in omnibus capitulis, dietis et congressibus ordinariis ac extraordinariis eiusdem Congregationis, et praesertim definitorii generalis, tametsi ipsis locus, iuxta eiusdem Ordinis constitutiones part. III, cap. IX, § 7, num. 5, dictaeque Congregationis definitiones antiquas capit. XXX, num. 37, quarum vigore definitorium praesidente scilicet, vicariis generalibus, actuali et proximo absoluto, quatuor definitoribus ac totidem visitatoribus componitur, minime competat; et exinde oritur quod, cum ad idem definitorium priorum a-

liorumque officialium electio spectet, vicarii generales absoluti in omnibus electionibus perpetuo se ingerunt; nec definitoratus gradu perpetuo contenti, in vicesgerentes proprii districtus, seu provinciae, cum praecedentiâ supra superiores locales, imo etiam supra ipsos definitores et visitatores, qui, ad formam earumdem constitutionum et definitionum, omnibus aliis, praeterquam vicariis generalibus, actuali nempe et immediate absoluto, praecedere debent, constitui et deputari curant, ideoque vicesgerentes, idest provinciales perpetui eorum districtus seu provinciae fiunt, non obstante quadam constitutione a felici recordationis Martino Papa V praedecessore nostro, quae incipit *Pro cunctorum, etc.*, desuper editâ, per quam prohibetur expresse, ne provinciales completo triennio eorum officii in eo continuare valeant. Porro plurima numerantur inconvenientia quae ex praemissis oriri solent: quorum primum est dispendium conventuum, qui ultra ordinarias collectas, quas pro manutentione vicarii generalis persolvunt, nedum illas praedictis vicesgerentibus, verum etiam expensas itinerum occasione eorum accessus ad capitula dictae Congregationis contribuere teneantur; praeterea memorati conventus aliis sumptibus et dispendiis gravati reperiuntur; nam priores aliique officiales, qui aerarium administrant, benevolentiam illorum, a quibus unice in spem adducuntur se gratiis et beneficiis affici, ita captare student, ut religiosorum indigentiis consulere, ac officinas eorumque cellas rebus ad id necessariis instruere, necnon in conventibus eiusdem Congregationis religiosorum numerum valde minorem eo, qui ali possit, non sine cultus divini ac ecclesiarum servitii detrimento, retinere negligant: alterum vero inconveniens existit, quod omnes religiosi ab arbitrio et voluntate ipsorum vicariorum generalium absolutorum unice dependent, itaut prioribus aliisque officialibus solus titulus remaneat, ac mandata ipsius vicarii generalis ut plurimum illis vicesgerentis, non sine maximo scandalo, postponuntur; nec superiores locales illis sese opponere, nec religiosi contra huiusmodi abusus reclamare audent, quia omnes sperant eosdem vicesgerentes sibi gratos fore, unde gratiam apud eos quaerere, illorumque desideriis obsecundare procurant.

Preces pro opportuno remedio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, perpetuitas superiorum in guberniis huiusmodi, ita regulari observantiae obnoxia, in capitulo generali memoratae Congregationis in hac almâ Urbe nostrâ anno MDCLXIV celebrato, in quo nonnullae definitiones factae, ac postmodum a recolendae memoriae Alexandro VII etiam praedecessore nostro per quasdam suas desuper in simili formâ Brevis die XVIII iulii eiusdem anni expeditas litteras confirmatae fuerunt, introducta fuerit; experientiâ vero plurium annorum compertum sit, illam eidem Congregationi magnum praeiudicium attulisse; ac propterea ipsi exponentes, quo abusus huiusmodi de medio tollantur, regularisque observantia in eâ reflorescat, eiusmodi perpetuitatem per nos aboleri, necnon praerogativas eorumdem vicariorum generalium absolutorum ad terminos, in quibus ante praedictum capitulum generale reperiebantur, per nos reduci plurimum desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decernitur ut in rubricâ.

§ 3. Nos igitur, regularem observan-

tiam in eâdem Congregatione, sublatis impedimentis, promovere cupientes, ac ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium a nobis specialiter deputatorum, qui rem mature perpenderunt, consilio, definitorium generale eiusdem Congregationis in posterum ex vicario generali proxime absoluto, quatuor definitoribus et totidem visitatoribus constituendum esse, et propterea in eo ex-vicarios (reservatâ tamen facultate interveniendi solum illis qui cum hac qualitate ex-vicariorum de praesenti reperiuntur) non esse admittendos, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus; quodque, respectu eorumdem vicesgerentium constituendorum, constitutio in cap. XXXI, § 6, et, quatenus opus sit, eam declarando, observetur. Praeterea non posse constitui vicesgerentem unum aut plures in diversis primodictae Congregationis partibus, nisi extra Congregationem, aut si ad ipsius Congregationis extrema loca vicarium generalem ire contigerit, et extra dictos casus non posse constitui nisi unum in Lombardiâ, si ultra montes Apeninos etiam intra Congregationem ipsam iverit, quae deputatio tantum tempore absentiae durare intelligatur, ut supra, et non amplius, harum serie ordinamus; et quoad personam deputandam cap. IV rub. XXVIII, num. 1 pariter observetur; quodque non possit eligi, qui per sex annos continuos munus quodcumque iurisdictionis exercuerit, nisi pariter per triennium vacaverit. Ac ulterius eisdem vicesgerentibus subministrari aliquid ratione expensarum a conventibus, pro quibus constituti fuerunt vicesgerentes huiusmodi, ut supra, enunciatis praedictis Alexandri praedecessoris litteris ceterisque contrariis non obstantibus, auctoritate et tenore praedictis interdicimus et prohibemus.

§ 4. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulae.

§ 5. Non obstantibus praedictis Alexandri praedecessoris litteris aliisque praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Congregationis et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum ef- Contrariorum derogatio.

fectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX octobris MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 20 octobris 1713, pontif. anno XIII.

CXCIV.

Conceduntur indulgentiae perpetuae clericis seu presbyteris, qui interfuerint collationibus fieri solitis in aedibus Congregationis Missionis in Monte Citatorio Urbis [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Collationes fieri solent singulis tertiis feriis.

Cum, sicut accepimus, in domo presbyterorum saecularium Congregationis Missionis nuncupatorum in Monte Citatorio de Urbe, iuxta laudabile eius institutum, singulis tertiis feriis cuiuslibet hebdomadae collatio sive colloquia ad perfectionem spiritus conducentia haberi consueverint: nos, eorum devotionem, qui operi adeo pio et salubri vacaverint, caelestium Ecclesiae thesaurorum elargitione magis excitare volentes, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis clericis sive presbyteris in dictâ collatione tam descriptis quam pro tempore describendis, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, plenariam: praeterea eisdem praesentibus et futuris clericis seu presbyteris, vere similiter poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui ecclesiam dictae domus feriâ tertiâ maioris hebdomadae, qua propositum imitandi Salvatorem nostrum innovare solet, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, annis singulis devote visitaverint, ac pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem clericis seu presbyteris nunc et pro tempore existentibus, qui in reliquis tertiis feriis totius anni eiusmodi collationi et colloquiis interfuerint, et oraverint ut praefertur, centum dies de iniunctis eis seu aliâs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Indulgentiae conceduntur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII octobris MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 27 octobris 1713, pontif. anno XIII.

CXCV.

Prohibetur ne clerici Congregationis Doctrinae Christianae in Galliis sine

1 Const. ed. MDCCI, die 5 novembris, pontif. I, extant aliae indulgentiae; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXIX, die 13 augusti, pontif. VI, beatificatio servi Dei Vincentii a Paulo.

generalis et definitorii facultate beneficia accipiant, nec unquam in domos mulieres introducant [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Abusus exponuntur, et remedium petitur.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Fallot, procurator generalis Congregationis Doctrinae Christianae in Galliâ, quod aliàs in ultimo capitulo generali dictae Congregationis, in civitate Parisiensi celebrato, unanimi consensu deliberatum fuit, nobis supplicandum esse, quatenus aliquod remedium nonnullis abusibus in eâdem Congregatione in magnum eius detrimentum vertentibus adferre dignaremur. Primo quidem, quod, quamvis ex dictae Congregationis constitutionibus cautum reperiatur ne quis beneficium quodcumque ecclesiasticum absque generalis eiusque definitorii consensu accipere audeat, accidit tamen saepissime ut nonnulli in eâdem Congregatione professi eiusmodi beneficia ecclesiastica, licentiâ et consensu praedictis minime obtentis, sibi conferri procurent vel oblata recipiant, quod revera absque paupertatis et obedientiae ab ipsis emissorum votorum infractione nullo modo fieri potest. Secundo, ut novum maiusque robur adiiciatur cuidam decreto a felicis recordationis Alexandro Papa VII praedecessore nostro, die VIII decembris MDCLX emanato, per quod, sub poenâ excommunicationis ipso facto incurrendâ, prohibetur ne quis eiusdem Congregationis intra illius domos seu collegia mulieres introducere audeat. Nobis propterea dictus Ioannes prior generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Prohibitio ut in rubrica.

§ 2. Nos igitur, ipsius Ioannis procuratoris generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem venerabilis fratris Cornelii archiepiscopi Carthaginensis, apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum nostri et Apostolicae Sedis nuntii, super praemissis ad eosdem cardinales transmissam perpenderunt, consilio, ne de cetero quisquam dictae Congregationis quodcumque beneficium ecclesiasticum absque moderni et pro tempore existentis praepositi generalis eiusdem Congregationis cum suo definitorio in scriptis obtentâ licentiâ, sub nullitatis collationis seu provisionis huiusmodi beneficii, accipere, nec intra domos et collegia praedictae Congregationis mulieres, sub excommunicationis poenis ipso facto incurrendis, introducere audeat seu praesumat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et in-

[1] Hoc secundum prohibitum fuerat ab Alexandro VII; ab Innoc. XII const. ed. MDCXCVI, die 16 maii, pontif. V, praecepta fuit executio vitae communis; et const. edit. MDCXCIX, die 22 iunii, pontif. VIII, agitur de voto ac iuramento; item in huius Pontificis constit. edit. MDCCXVI, die 28 septembris, pontif. XVI, et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVII, die... iunii, pontif. IV, eduntur quaedam ordinationes pro bono regimine.

tegros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII octobris MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 28 octobris 1713, pontif. anno XIII.

CXCVI.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis fratrum Minorum de Observantiâ in festo sanctae Catharinae Bononiensis [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Redemptoris et domini nostri Iesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quae nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus et caelestis beatitudinis consortes effecit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, spiritualium munerum thesauros, quorum nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam et fovendam erga eosdem beatos caeli incolas fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur. Exordium.

§ 1. Cum itaque nos aliàs, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei et christianae religionis incrementum, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, et patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in almâ Urbe nostrâ tunc existentium consilio, beatam Catharinam a Bononia, Ordinis S. Clarae, auctoritate nobis a Domino traditâ Sanctam esse decreverimus et definiverimus, illamque Sanctorum catalogo solemni ritu adscripserimus: hinc est quod nos, ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestis Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ commu- Causae praesentis concessionis. Concessio ut in rubricâ.

1 Ab hoc Pontifice Sanctorum albo adscripta fuit; aliae indulgentiae extant in const. ed. MDCCI, die 14 iunii, pontif. I, et in Benedicti XIII const. edit. MDCCXXVI, V nonas martii, pontif. II.

nione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum tam hactenus erectis quam in posterum quandocumque erigendis, et ubicumque locorum existentibus, die festo eiusdem sanctae Catharinae, nempe die IX martii, a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi annis singulis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae. § 2. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum tramsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV novembris MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 15 novembris 1713, pontif. anno XIII.

CXCVII.

Declarantur nulla litterae, edictum et praeceptum a tribunali monarchiae Siciliae edita contra censuras ab episcopo Agrigentino in sui expulsores declaratas et interdictum cui subiecta fuit dioecesis Agrigentina, cum illorum damnatione et horum confirmatione, ac poenis in contravenientes[1].

1 Const. edit. MDCCXII, die 18 iunii, pontif. XII, nulla declarata fuit restitutio officialium civitatis Liparensis communioni ecclesiasticae; constit. edit. MDCCXIII, die 18 iulii, pontif. XIII, nullum dictum fuit edictum sub nomine ducis Sabaudiae super censuris latis adversus comitem Nemours; et const. edit MDCCXIV, die 7 septembris, pontif. XIV, declaratur nullum edictum eiusdem monarchiae contra interdictum vicarii generalis Liparensis expulsi.

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Ad plurimas, et vere acerbissimas, quas in regno Siciliae non minus Ecclesiae quam huius Sanctae Sedis auctoritas a saeculari potestate iamdiu pertulit et adhuc perfert iniurias, considerationis nostrae intuitum convertentes, id ferme nobis evenire experimur, quod patientissimo viro Iob accidisse sacrae litterae commemorant: ut scilicet unius aerumnae nuncium alius gravioris calamitatis relator excipiat, novaque in dies ac semper tristiora ex illis partibus ad nos afferantur. Nostra proinde, et eiusdem Sedis Ecclesiaeque iura, ex commissi nobis caelitus pastoralis officii debito, ab eiusmodi laicorum ausibus constanter asserere pergimus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, aequitati et iustitiae rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitramur. Exordium ab ausibus laicorum et defensione iurium Ecclesiae.

§ 1. Nuper siquidem ad apostolatus nostri notitiam pervenit, quod aliàs (postquam venerabilis frater Franciscus archiepiscopus Ramirez episcopus Agrigentinus, non aliâ profecto de causâ, nisi eo quod ecclesiasticâ auctoritate strenue assertâ ministerium suum diligenter implevisset, et quo par erat obsequio nostris atque eiusdem Sedis mandatis fideliter obtemperasset, per summam iniuriam ac intolerabilem eiusdem saecularis potestatis abusum e suâ civitate ac dioecesi Agrigentinâ totoque regno Siciliae expulsus, eiusmodi suae expulsionis executores, necnon quos- Acta episcopi.

cumque illius complices, auxiliatores et mandantes, in excommunicationem maiorem ab apostolicis constitutionibus, et speciatim illâ die Coenae Domini singulis annis legi et promulgari solità, contra similia perpetrantes inflictam incidisse declaraverat; ac insuper civitatem et dioecesim Agrigentinas praefatas ecclesiastico interdicto subiecerat), tametsi haec omnia ab eo rite ac recte, necnon iuxta sacrorum canonum praescriptum, imo etiam de speciali ac praevio mandato nostro peracta fuerint, nihilominus paucos post dies, incunte scilicet mense septembre proxime praeterito, quidam Andreas Ficani, tamquam praetensi tribunalis monarchiae Siculae nuncupati illiusque asserti iudicis specialiter ad infrascripta delegatus, primum quidem, nempe die II eiusdem mensis septembris, ecclesiam S. Ioannis civitatis Agrigentinae, quae iurisdictioni supradicti praetensi tribunalis subesse praetenditur, temere ac violenter aperire fecit; deinde vero eos, quos dictus Franciscus episcopus in excommunicationem nobis et eidem Sedi reservatam incurrisse, sicut praemittitur, declaraverat, maiori temeritate absolvere praesumpsit, vigore scilicet praetensae facultatis sibi ad id concessae a Francisco Miranda et Gayarre asserto iudice supradicti praetensi tribunalis per eius litteras die XXXI augusti proxime praeteriti expeditas, quibus, execrando non minus et impudenti ausu, quam falsis et ineptis rationibus, eadem excommunicatio sive excommunicationis declaratio nulla, iniusta, insubsistens, temeraria et irregularis declarabatur, ipsique Andreae nihilominus mandabatur, ut, ad tollendum quodcumque scandalum, aditumque praecludendum cuivis pharisaico zelo (hoc nomine in eisdem litteris christiana illa obedientia, quae Ecclesiae mandatis exhiberi debet, impie traducebatur), excommunicatos praedictos, si absolutionem petiissent, tamquam specialiter delegatus a dicto praetenso tribunali, absolvere deberet; et aliàs, prout uberius legi potest in supradictis litteris, quas memoratus Andreas eâdem die II septembris promulgari ac in plúribus locis civitatis Agrigentinae affigi mandavit, tenoris qui sequitur, videlicet:

Potestatis laicalis attentata.

Litterae iudicis monarchiae.

Nos utriusque iuris doctor D. Franciscus Miranda et Gayarre, de consilio sacrae catholicae maiestatis, abbas S. Mariae Terranae, ac iudex ordinarius tribunalis apostolicae legatiae et regiae monarchiae pro praefatâ catholicâ maiestate in hoc Siciliae regno, reverendo sacerdoti Andreae Ficani delegato in causâ fideli regio dilecto, salutem.

Ha pervenuto non senza doglianze alla nostra notizia e di questo tribunale dell'apostolica legazia e regia monarchia, che essendo stato il reverendissimo arcivescovo vescovo di Girgenti don Francesco Ramirez intimato d'ordine di S. E. a partirsi da quella diocesi e da questo fedelissimo regno, per li giusti motivi che mossero l'animo di S. E. concernenti al real servigio e pubblico bene e quiete del regno, valendosi con matura riflessione ed evidente giustizia della potestà economica contro il nomato prelato, quello, abusandosi del titolo specioso di consigliere di S. M. (che la divina guardi) e del proprio giuramento di fedeltà e d'osservare le prerogative regie e del regno, facendosi scudo, benchè ideato, d'esser lesa la libertà ecclesiastica, e d'avere patito violenze dal capitano Ochoa, dottor don Giovanni Battista Guzzardo, clerico don Pompeo Grugno, Ettore Antinori, ed altre persone generalmente, specialmente e individualmente nominati, passò a scomunicarli; e supponendo che l'esercizio di tal potestà economica fosse enorme delitto, passò ad interdire la cattedrale e tutte le chiese della diocesi, mostrando in ciò poco buon genio verso il real servigio e la potestà economica di S. E. Per la totale elevazione del quale interdetto, per l'evidente nullità ed altre

ragioni, e per aprirsi le chiese con la continuazione de' divini officî ed amministrazione di sacramenti, si stan spedendo per via del tribunale gli ordini opportuni. Ma per adesso riflettendo, che la riferita censura fulminata contro le persone, così in specie come in genere riferite, ha processo indebitamente *ex abrupto*, *de facto*, *nullo iuris ordine servato*, contro la forma de' precetti evangelici, de' sacri canoni, concilî ecumenici, con pubblico scandalo, evidente perturbazione de' popoli, ed impedimento al corso della giustizia ed esercizio della potestà economica, ed in esecuzione di supposta potestà concessagli dalla Corte Romana, non esecuta nè presentata nel regno, in grave pregiudizio delle regalie e prerogative del regio *Exequatur*, secondo si prescrive da più reali dispacci de' serenissimi monarchi, fondati in evidenti ragioni, avvalorati da antichissima ed immemorabile osservanza, mai interrotta nel lungo corso di più secoli, non solo in questo fedelissimo regno, ma anche per tutto il mondo cattolico, come uniforme al diritto delle genti, alli sacri canoni, concilî universali e concordie con la Santa Sede; ed accrescendosi li motivi di suddetta nullità ed insussistenza dalli notabili eccessi ed evidenti aggravî: resta la suddetta censura, come sopra fulminata, assolutamente nulla ed ingiusta, da temersi solamente da chi la fulminò, non avendo nè tampoco precesso le solite e necessarie monizioni, nè tampoco la citazione *ad dicendum causam quare*, secondo precettò la stessa Verità increata, li sacri canoni e concilî ecumenici, e senza veruna inibizione a desistersi dal fatto o pretese violenze: avendo perciò tutto maturamente esaminato e discusso con matura riflessione, abbiamo stimato dichiarar nulla, ingiusta, insussistente, temeraria ed irregolare la riferita censura per le ragioni riferite, con fare a voi le presenti, per rendere manifesta e pubblica la nullità di suddetta censura, e per togliere anche da cotesta città e diocesi li cedoloni, interdetti ed altre scritture forse affissate contro le accennate persone in specie ed in genere nominate. E benchè stante la suddetta nullità ed ingiustizia, non vi fosse di bisogno veruna assoluzione, nondimeno, per non dar luogo a verun zelo farisaico o a qualunque scandalo possibile che potesse originarsi nelle coscienze semplici, erronee e scrupolose, perciò vi ordiniamo, che, presentandosi innanzi a voi le succennate persone in specie ed in genere nominate, ed ognuno di loro domandandovi l'assoluzione della suddetta scomunica, vogliate e dobbiate voi, come delegato di questo tribunale della regia monarchia, a quelli ed ognuno di loro assolvere libere dalla suddetta scomunica, e fatta la suddetta assoluzione ne farete fede, e quella trasmetterete dove sarà di bisogno, per aversene piena scienza, ed altra trasmetterete a noi e questo tribunale della regia monarchia con vostre lettere responsali, per avere anche noi scienza della suddetta assoluzione, procedendo sopra ciò contro li perturbanti ed impedienti l'esecuzione delle presenti a quelli rimedî che vi pareranno convenienti e di giustizia; comandando per le presenti a tutti e singoli officiali così spirituali come temporali del regno, che sotto la pena di scudi cento per ognuno di essi, da applicarsi al fisco di questo tribunale della regia monarchia, vi abbiano e debbano dare e prestare ogni lor braccio, aiuto e favore, tante volte quante da voi saranno richiesti, che noi sopra le cose suddette vi diamo e concediamo ogni nostra potestà ed autorità necessaria, e così eseguirete ad istanza delle suddette prenominate persone, *seu* di qualsivoglia persona per esse presentata e comparente, *etiam* senza procura, per quanto la grazia di S. M. tenete cara, e sotto le pene a noi ben viste.

Datum Panormi, die XXXI augusti sextae indictionis MDCCXIII. — D. Franciscus Miranda et Gayarre; Iulius Rotundo pro-magister notarius. Iesus: *praesentetur*, *exequatur*, *registretur et affigatur*. Sacerdos D. Andreas Ficani delegatus in causâ. Die II septembris MDCCXIII praesentes praesentatae, executae et registratae fuerunt et sunt in officio admodum reverendi sacerdotis D. Andreae Ficani degentis in hac civitate Agrigenti, uti delegati illustrissimi et reverendissimi do-

mini D. Francisci Miranda et Gayarre iudicis ordinarii tribunalis regiae monarchiae, et fuerunt affixae iuxta supradictam decretationem. Unde, etc. Clericus Angelus Fiano magister notarius in causâ, etc.

Novi potestatis laicalis excessus.

§ 3. Post haec ministri dicti praetensi tribunalis, cum forsan suarum iniquitatum mensuram nondum satis per praemissa implevisse sibi viderentur, admissis criminibus nova et semper graviora crimina adiicere non formidarunt. Quidam enim canonicus Isidorus Navarro, asserens se eiusdem praetensi tribunalis illiusque asserti iudicis delegatum existere, necnon speciale ab eo mandatum habuisse revocandi generale interdictum, cui praefatus Franciscus episcopus civitatem et dioecesim supradictas, ut praefertur, supposuerat, ad praedictam civitatem Agrigentinam die xv eiusdem mensis septembris plurium armatorum militum turmâ stipatus se contulit, ibique tam ecclesiasticos ad aperiendas, quam populum ad frequentandas ecclesias inducere tentavit. Sed, cum illos in exactâ eiusdem interdicti observantiâ fidelique erga pastorem suum atque hanc Sanctam Sedem obedientiâ firmissimos invenisset, ad violenta remedia confugit, eorumque constantiam, antiqua propemodum ab ethnicis in christifideles illatarum persecutionum exempla renovando, bonorum interceptionibus, carceribus, exiliis, aliisque irrogatis mulctis expugnare studuit. Plures proinde tam saeculares quam regulares sacerdotes sive in carceres et vincula crudeliter coniecit, sive bonis spoliavit, sive exulare acerbe iussit, atque, hos inter, plerosque etiam parrochos oves Christi sibi commissas eo plane tempore, quo pastorum suorum praesentiâ ac custodiâ maxime indigebant, deserere coëgit; et, quod sane sine horrore ac lacrymis audiri nequit, tres vicarios in spiritualibus generales a memorato Francisco episcopo successive deputatos, nempe dilectos filios Petrum Attardum, Ioseplium Mariam Rhinum et Gasparem Salernum, in odium constantis et invicti illorum zeli pro Ecclesiae iurium atque apostolicae auctoritatis tuitione, in carceres detrusit, ingenti prius pecuniâ ab eis extortâ; ac quartum, qui illis successerat, nempe quemdam Blasium Mairam, nisi hic interea, non tam lethalis morbi violentiâ, quam innumeris pro eâdem Ecclesiae causâ toleratis aerumnis confectus, ac pene morti proximus ad gravis pecuniariae mulctae solutionem impio eiusdem Isidori iussu immanissime adactus, ab humanis decessisset, eâdem carceris poenâ afficere decreverat. Neque his contentus dictus Isidorus, propriae non minus conscientiae quam divini timoris penitus immemor, censuris omnibus ac poenis in ecclesiastici interdicti violatores per sacros canones et apostolicas sanctiones inflictis prorsus contemptis, cathedralem ecclesiam Agrigentinam violenter aperiri fecit, ibique detestabili impietate a sacrilegiis ad altare progrediens, imo altare ipsum sacrilegiis polluens, maiori excommunicatione aliisque censuris non uno sed plurimis nominibus innodatus, sacrosanctum ac tremendum missae sacrificium, concrepantibus interea plurium scloporum dispositionibus[1] per eius milites factis, aliisque igniarii pulveris fragoribus additis, cum interventu quorumdam, qui ad eamdem ecclesiam metu et violentiis compulsi convenerant, celebrare ausus fuit, promulgato tamen prius in eâdem civitate Agrigentinâ quodam edicto, per quod idem Isidorus interdictum praefatum nullum, iniustum, illegitimum, insubsistens et irritum, nulliusque roboris et

1 Forsan *explosionibus* (R. T.).

efficaciae declaraverat, adeoque omnibus superioribus ecclesiarum tam saecularium quam regularium, nec non parochis, beneficiatis, capellanis, presbyteris et clericis civitatis et dioecesis Agrigentinae praefatarum, ut, illo minime attento, ecclesias omnes apertas, ut prius, retinere, ac in illis missas et alia divina officia celebrare et celebrari, ac christifidelibus Ecclesiae sacramenta administrare et administrari facere deberent, perinde ac si interdictum huiusmodi nunquam emanasset, sub excommunicationis aliisque poenis districte mandaverat, et aliàs, prout etiam uberius continetur in praefato edicto tenoris sequentis, videlicet:

Edictum delegati laicalis.

Nos doctor D. Isidorus Navarro, canonicus sanctae metropolitanae primariae huius Siciliae regni ecclesiae Panormitanae, examinator synodalis, et delegatus tribunalis apostolicae legatiae et regiae monarchiae serio ad infrascripta constitutus vigore litterarum datarum Panormi die IX septembris septimae indictionis MDCCXIII praesentatarum, executarum et registratarum in hac civitate Agrigenti die XV instantis, ad quas, etc., omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus huius praedictae civitatis eiusque dioecesis, salutem in Domino sempiternam.

Non senza doglianza e perturbazione della publica quiete ha pervenuto alla notizia di S. E. e del reverendissimo monsignor don Francesco Miranda e Gayarre abate di S. Maria di Terrana, del consiglio di S. M. (che la divina guardi) e suo giudice ordinario del tribunale dell'apostolica legazia e regia monarchia in questo fedelissimo regno, che, essendo stato il reverendissimo arcivescovo don Francesco Ramirez vescovo di Girgenti intimato d'ordine di S. E. a partirsi da questa diocesi e da tutto il regno per li giusti motivi mossero il zelo indefesso e l'animo di S. E. attinenti al real servigio, publico bene e quiete de' popoli, valendosi con matura riflessione e con giustizia della potestà economica contro il succennato prelato, quale abusandosi del titolo specioso di consigliere di S. M. e del proprio giuramento di fedeltà e di osservare le regie prerogative, privilegi e lodevoli osservanze del regno, fingendo di esser stata lesa la libertà ecclesiastica, e di aver patito violenze dal capitano don Giovanni Ochoa, dottore don Giovan Battista Guzzardi, clerico don Pompeo Grugno, Ettore Antinoro, e da altre persone generalmente, specialmente ed individuamente nominate, passò a scomunicarli; e supponendo che l'esercizio di tal potestà economica fosse enorme delitto, credendo esser prelato per la sola grazia della Corte Romana, non per la real munificenza, interdisse questa cattedrale, e tutte le chiese della diocesi, con lo scudo di essersi commesso gravissimo eccesso contro il pastore di questo gregge, senza però riflettere le turbolenze e pessime conseguenze può partorire tanto scandaloso attentato contro il real servigio, publica quiete, ed in dispregio della potestà economica, ma anche totalmente irregolare, assolutamente *et de facto*, *et ex abrupto*, *nullo iuris ordine servato*, contro la forma de' sacri canoni e concilî generali, mancando li requisiti necessarî dell'interdetto, e la materia e causa efficiente del medesimo, con supposizione di violenze non vere, ed eccessi non commessi, mentre il mettere in dubbio la potestà economica, e chiamare abuso, violenza ed eccesso l'esercizio della medesima è contro ogni *ius* delle genti, e l'inveterate e mai interrotte prerogative e diritti di S. M. (che la divina guardi) e di questo fedelissimo regno e tribunale dell'apostolica legazia e regia monarchia, maggiormente che si asserisce in suddetto asserto e nullo interdetto d'aver processo per potestà concessagli dalla Corte Romana, non esecuta nè presentata nel regno, in grave pregiudizio, anzi dispregio delle regalie e prerogative del regio *Exequatur*, secondo si prescrive da più reali dispacci de' serenissimi monarchi, fondati in evidenti ragioni, avvalorati d'antichissima ed immemorabile osservanza, mai interrotta nel lungo corso di più secoli, non solo in questo fedelissimo regno, ma

anche per tutto il mondo cattolico, come uniforme al diritto delle genti, alli sacri canoni, concili universali, privilegi apostolici e concordie con la Santa Sede, ed includendo per conseguenza manifesta ingiustizia, notoria insussistenza, ed evidente nullità, s'ha stimato perciò dal detto tribunale dell'apostolica legazione e regia monarchia, e dal riferito reverendissimo monsignor giudice della medesima, provvedere d'opportuno rimedio, riparando col suo zelo non solo alli pregiudizi del real servigio, ma anche a quelli delli popoli di questa diocesi ingiustamente lesi dal suddetto prelato loro pastore contro la carità pastorale, ha deliberato commettere a noi la sua autorità e potestà, *ac vices et voces suas et eiusdem tribunalis*, con ordinarci che dovessimo passare in questa città e qualsivoglia parte della diocesi, e levare e far levare suddetto interdetto, e qualsivoglia cedolone affissato, e dichiarare *iuxta iuris formam ex commissione speciali* l'istesso interdetto nullo, ingiusto, illegittimo ed insussistente. Pertanto noi, valendoci della sopraddetta potestà amplissima nelle sopraccitate lettere, come speciale delegato in questo negozio e causa, precedendo le prove legittime di non esser veri li motivi addotti nel citato interdetto, passassimo in dorso la petizione del nostro procuratore fiscale don Domenico Piccione, con interlocutoria *in scriptis*, a dichiarare nullo, ingiusto, illegittimo ed insussistente, irrito, di nessuna forza e valore il succennato interdetto; in tanto per il nostro presente editto, *auctoritate qua supra*, pubblichiamo la nullità, ingiustizia ed insussistenza del medesimo, ed ordiniamo, in virtù della facoltà a noi specialmente, come s'ha detto, concessa, a tutti li superiori delle chiese, tanto regolari quanto secolari, parrochi, beneficiati, cappellani, sacerdoti e chierici, che, non ostante il suddetto interdetto, stante la sua notoria ingiustizia, nullità ed insussistenza, dovessero tenere le chiese aperte, ed ivi celebrare e far celebrare li divini offizî e messe, come si faceva prima del suddetto ingiusto, nullo ed insussistente interdetto, ed amministrare a tutti li fedeli li santi sacramenti della santa Chiesa, come prima, e come se mai vi fosse stato detto interdetto nullo, ingiusto ed insussistente, e questo sotto la pena alli contraventori e disobbedienti della scomunica maggiore riservata al suddetto reverendissimo giudice della regia monarchia, della disgrazia di S. M., e di altre pene a noi ben viste, e non altrimente. Datum Agrigenti die 30 septembris septimae indictionis MDCCXIII. *Affigatur*: canonicus NAVARRO delegatus. INNOCENTIUS GUERRERI magister notarius.

Praedictum edictum transmissum fuit per loca dioecesis.

Idem porro edictum a memorato Isidoro per universam dioecesim Agrigentinam transmissum fuit, ut, iuxta eius tenorem, presbyteri omnes singulorum locorum dioecesis huiusmodi, interdicto praefato nequaquam obstante, missas celebrare, aliaque divina peragere per assertos delegatos locales supradicti praetensi tribunalis compelli possent; quemadmodum inter ceteros ita fecisse atque executum fuisse nobis innotuit quemdam Iosephum Alexandri, qui, asserens se eiusmodi delegatione munitum esse, in oppido *Castel Tervine* nuncupato, eiusdem dioecesis, quoddam praeceptum seu mandatum hac de re edidit, additâ in eo adversus transgressores poenâ incorporationis omnium bonorum, illudque nonnullis ecclesiasticis dicti oppidi transmisit, imo et ad quorumdam ex eis domorum ianuas affigi fecit, tenoris sequentis, videlicet:

Praeceptum cuiusdam delegati pro illius executione.

Die XXVIII octobris, septimâ indictione MDCCXIII. Portiero d'ordine del reverendo sacerdote don Giuseppe Alessandro, delegato del tribunale dell'apostolica legazia e regia monarchia in virtù di lettere patenti date in palazzo in detto tribunale, *diebus, etc.*, e di commissione parimente del reverendo signor canonico don Isidoro Navarro delegato speciale in causa di detto tribunale, e in virtù di suo ordine e lettera data in Girgenti, *diebus, etc.*, alli quali, ecc., s'ingiunge, notifica ed intima al sacerdote don Antonino Matteliano, *quatenus* domani domenica 29 del

corrente, *septima indictione* MDCCXIII, e successivamente in appresso di giorno in giorno, abbia, voglia e debba celebrare la santa messa, assistere in detto giorno *die* 29 ottobre alla messa cantata e divini officî, amministrazione delli santissimi sacramenti, stante l'evidente nullità dell'interdetto, come chiaramente si vede nelli editti affissati d'ordine di detto reverendo delegato in causa nelli luoghi pubblici di questa predetta terra. Altrimente facendo il contrario, e non facendo copia di sè, s'intende incorso in quelle pene pubblicate ed espressate in detto ordine e lettere, procedendosi per la disobbedienza all'espressi nell'istesse ordinazioni, con la incorporazione di tutti li suoi beni. *Unde*, etc.

Causae praesentis declarationis.

§ 5. Cum autem nimium evidens sit, nec quisquam inficiari valeat, gravissimam ex praemissis ecclesiasticae libertati[1], imo etiam pontificiae auctoritati illatam fuisse iniuriam, ac similiter exploratum sit, nullum iudicem, quacumque tandem potestate et auctoritate suffultum, quoties de excommunicatione, interdicto, aliisque censuris ex causâ laesae seu violatae immunitatis ecclesiasticae, ac potissimum de speciali nostro et Sedis Apostolicae mandato latis agi contingit, in illarum validitatis seu invaliditatis, iustitiae seu iniustitiae cognitionem, quae nonnisi nobis ac dictae Sedi reservata est, se ingerere ullatenus posse; adeoque eadem praemissa in maximam plurimorum perniciem ac scandalum tendant, animasque pretioso salvatoris et domini nostri Iesu Christi sanguine redemptas in gravissima pericula et errores coniicere, ac deplorandis malis involvere valeant: hinc est quod nos, qui iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque christifidelium curam et sollicitudinem supernâ dispositione gerimus, libertatem, immunitatem et iurisdictionem ecclesiasticam, nec non Sanctae huius Sedis auctoritatem ab eiusmodi nefariis ac perniciosis conatibus sartam tectamque atque illibatam tueri et conservare, necnon animarum periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, omniumque et singulorum, quae in praemissis, seu eorum occasione, quovis modo decreta, iussa, ordinata, acta et gesta fuerunt, seriem, causas et circumstantias etiam aggravantes, necnon praefatorum, ac quorumvis aliorum tribunalium, iudicum, ministrorum, etiam principalium seu supremorum, officialium, notariorum, scribarum et personarum quarumcumque, in eisdem praemissis quomodolibet culpabilium, qualitates, dignitates, nomina et cognomina, aliave quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem ac expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et singillatim specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, litteras, edictum ac praeceptum seu mandatum praeinserta, necnon quaecumque in iis contenta, aliaque omnia eâ occasione per memoratos Franciscum Miranda et Gayarre assertum iudicem dicti praetensi tribunalis, nec non Andream Ficani, Isidorum Navarro et Iosephum Alexandri, vigore suarum respective assertarum delegationum, acta gesta et ordinata, cum omnibus et singulis inde secutis et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita, invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata ac de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris et momenti vel efficaciae esse et ab initio fuisse ac perpetuo fore, neque illa a quoquam

Declaratio nullitatis ut in rubrica.

1 Edit. Main. legit *libertatis* (R. T.).

observari posse vel potuisse, adeoque nec ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent nec facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi volumus et mandamus.

Confirmatio censurarum et interdicti, cum decreto pro illius observantiâ sub censuris eo ipso incurrendis.

§ 7. Praeterea, tametsi, de veteri nationis Siculae pietate ac religione confisi, minime dubitemus christifideles illarum partium, ac praesertim civitatis et dioecesis Agrigentinarum praefatarum incolas, etiam nostrâ hac declaratione minime expectatâ, litteras, edictum ac praeceptum seu mandatum huiusmodi, aliaque per dictos Franciscum Miranda et Gayarre, Andream, Isidorum et Iosephum gesta, pro irritis et invalidis nulliusque prorsus roboris ac valoris iam habuisse et in posterum habituros esse, adeoque omnia e converso per supradictum Franciscum episcopum acta et ordinata religiose ac exacte observasse et observaturos esse, nihilominus, ad maiorem similiter cautelam, generale interdictum, cui prefatus Franciscus episcopus civitatem et dioecesim supradictas, sicut praemittitur, subiecit, necnon censuras seu declarationes excommunicationis ab eo contra suos expulsores promulgatas pro validis et iustis habentes, ipsumque interdictum ac censuras seu declarationes huiusmodi auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ approbantes et confirmantes, ac adversus praemissa, quatenus opus sit, renovantes, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, omnes et singulas personas ecclesiasticas, tam saeculares, cuiusvis gradus, praeeminentiae ac dignitatis fuerint, quam cuiusvis Ordinis, congregationis, instituti et societatis, etiam Iesu, regulares, ad exactam eiusdem interdicti observantiam omnino teneri et obligatas existere et fore, itaut in quibusvis ecclesiis, locis piis, oratoriis, etiam privatis, ac capellis domesticis civitatis et dioecesis Agrigentinarum praedictarum, praetensâ etiam memoratae assertae monarchiae Siculae auctoritate munitis, sive aliàs quocumque privilegio, exemptione et indulto, etiam praetensae protectionis regiae, seu praetensi iurispatronatus regii, tametsi pluries ac quantiscumque vicibus a Sede praefatâ approbati, suffultis, nec missae, nec alia divina officia celebrari, neque sanctissimum Eucharistiae sacramentum administrari, minusque fidelium defunctorum cadavera sepeliri, aliave tempore interdicti prohibita exerceri, nisi temporibus, casibus et modis per supradictos sacros canones permissis, ullo modo valeant, earumdem pariter tenore praesentium statuimus et ordinamus. Ad haec, omnes et singulos, quantumvis exemptos et quovis modo privilegiatos, qui statuto, decreto et ordinationi nostris huiusmodi, sub quovis quaesito colore, ratione aut praetextu, quomodolibet contravenerint, quocumque tandem titulo, munere aut dignitate praefulgeant, eo ipso et absque aliâ declaratione in censuras et poenas ecclesiasticas per praefatos sacros canones et constitutiones apostolicas desuper latas et impositas incidisse, illisque innodatos fuisse et esse ac fore, nec ab eis a quoquam nisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente

(praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras, eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari posse, harum serie similiter statuimus.

Reservatio absolutionis censurarum, in quas incurrerunt expulsores episcopi et participes in supra relatis actis.

§ 8. Ceterum, cum notorii iuris sit, non tam eos, quos praefatus Franciscus episcopus in actu suae expulsionis excommunicatos declaravit, quam supradictos Franciscum Miranda et Gayarre, Andream Ficani, Isidorum Navarro, et Iosephum Alexandri, ac ulterius Iulium Rotundo promagistrum notarium, qui praeinsertis litteris praedicti Francisci Miranda et Gayarre, clericum Angelum Fano magistrum notarium, qui promulgationi litterarum huiusmodi per dictum Isidorum, ut praefertur, factae, ac Innocentium Guerreri similiter magistrum notarium, qui praeinserto edicto eiusdem Isidori respective subscripserunt, necnon Dominicum Piccione, ad cuius nimirum instantiam, uti procuratoris fiscalis eiusdem praetensi tribunalis, dictus Isidorus in suo praeinserto edicto se processisse asserit, aliosque omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae, dignitatis quantumcumque excelsae ac sublimis fuerint, qui sive Francisci episcopi expulsionem huiusmodi, sive gesta per dictos Franciscum Miranda et Gayarre, Andream, Isidorum et Iosephum quovis modo mandarunt et ordinarunt, seu illis consilium, auxilium, favorem, vel quamvis aliam damnabilem operam praestiterunt, aut in eorum sequelam et executionem gesta approbarunt et rata habuerunt, seu aliàs in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, censuras omnes et poenas ecclesiasticas, a sacris canonibus, generalium conciliorum decretis, et apostolicis constitutionibus, ac praesertim litteris die Coenae Domini singulis annis legi et promulgari consuetis inflictas, eo ipso incurrisse; noverint idcirco illi omnes, etiam specialissimâ mentione digni, a censuris et poenis huiusmodi, post debitam et condignam Ecclesiae realiter et cum effectu praestitam satisfactionem, nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo constituti, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestitâ, ac cum reincidentiâ praefatâ eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari posse, prout harum serie similiter decernimus et declaramus; facultatem insuper quandocumque procedendi ad alia severiora remedia, quatenus praedicti ecclesiasticae libertatis violatores, in suâ contumaciâ persistentes, censuras et poenas huiusmodi animo, quod absit, sustinuerint indurato, nobis et eidem Apostolicae Sedi expresse reservantes.

Clausulae amplissimae.

§ 9. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac inexcogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invali-

dari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac, quibuscumque iuris seu facti defectibus, qui adversus illas a saeculari potissimum potestate seu praedicto assertae monarchiae Siculae tribunali, ad effectum impediendi seu retardandi earum executionem, quovis modo seu ex quavis causâ opponi seu obiici possent, minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, easque propterea, omnibus et singulis per eamdem saecularem potestatem sive per idem assertum tribunal quomodolibet allatis seu afferendis impedimentis penitus et omnino reiectis ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et praefatae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 10. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, et quorumvis monasteriorum, conventuum, ecclesiarum, locorum piorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus ac praescriptionibus, quantumcumque longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, etiam Iesu, ac monasteriis, conventibus, ecclesiis et locis piis praedictis, illorumque respective superioribus, aliisve quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, a Sede praedictâ, ex quâcumque causâ, etiam per viam contractus et remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, seu ad quarumcumque personarum, etiam imperiali, regali, aliâve qualibet mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concesssis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis, etiam continentibus quod excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de privilegiis et indultis huiusmodi mentionem; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti deroga-

tione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 11. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis ac basilicae Principis Apostolorum necnon Cancellariae apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio et in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari; sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si exhibitae forent vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCCXIII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 23 decembris 1713, pontif. anno XIV.

CXCVIII.

Reformatur constitutio Pauli III super facultate confessariorum hospitalis S. Mariae de Consolatione, cum illius extensione ad confessarios aliorum hospitalium de Urbe [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Epitome constitutionis Pauli III.

§ 1. Aliàs, pro parte tunc existentium custodum confraternitatis hospitalis B. Mariae de Gratia, Consolatione et Porticu nuncupatae de Urbe, felicis recordationis Paulo Papae III praedecessori nostro exposito quod in dicto hospitali, quod ex elemosynis christifidelium gubernabatur, quamplures pauperes infirmi utriusque sexus diversarum nationum pro sanitate recuperandâ venientes in dies recipiebantur, qui ex statuto vel consuetudine ipsius hospitalis, antequam ad cubicula accederent, eorum peccata confessoribus ad hoc per custodes deputatis confiteri tenebantur; et in eâdem expositione subiuncto quod, licet verisimiliter credendum esset quod in erectione dicti hospitalis, aut postmodum, vel aliàs, a Sede Apostolicâ concessum fuisset quod infirmi ad hospitale huiusmodi accedentes ab omnibus et singulis eorum peccatis etiam Sedi Apostolicae reservatis absolvi possent, nihilominus, quia de huiusmodi concessione non constabat, pro parte praedictorum custodum et confratrum eidem Paulo praedecessori humiliter

1 Laudata const. edita fuit anno MDXLIV, die 13 iunii. In Innocentii XII const. ed. MDCXCIV, die 18 augusti, pontif. III, concessa fuit indulgentia plenaria pro archihospitali S. Spiritus in Saxia; in huius Pontificis const. ed. MDCCXI, die 13 mai, pontif. XI, interdicta fuit etiam poenitentiariis facultas absolvendi a casibus Sanctae Sedi reservatis; et in Benedicti XIII, constit. ed MDCCXXVI, die 6 decembris, pontif. III, erigitur hospitale B. Gallicani, eique privilegia conceduntur.

supplicato, quatenus eorum et ipsorum infirmorum conscientiarum tranquillitati opportune consulere et aliàs in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaretur: idem Paulus praedecessor, huiusmodi supplicationibus inclinatus, presbytero et presbyteris per custodes dicti hospitalis pro tempore existentes deputatis et ab illis deputandis, etiamsi presbyteri saeculares vel cuiusvis Ordinis et Mendicantium regulares fuissent, omnium et singulorum utriusque sexus christifidelium personarum tunc et pro tempore ad dictum hospitale pro sanitate recuperandâ confluentium, cuiuscumque qualitatis, etiamsi divites, et etiamsi clerici etiam regulares vel cuiusvis Ordinis etiam Mendicantium regulares fuissent, confessiones, quotiescumque confiteri voluissent, audiendi, et, illis auditis, eos ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quomodolibet latis, et votorum quorumcumque, iuramentorum, et Ecclesiae mandatorum transgressionibus, ieiuniorum, poenitentiarum iniunctarum, ac divinorum officiorum omissionibus, manuum violentarum in quasvis personas iniectionibus, ac periuriorum, et homicidii mentalis vel casualis, necnon adulterii, incestus, stupri, fornicationis, sacrilegii reatibus, omnibusque aliis et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiamsi Sedi Apostolicae reservatis, de quibus corde contriti et ore confessi fuissent, etiamsi talia fuissent propter quae merito Sedes Apostolica esset consulenda, absolvendi, et pro commissis poenitentiam salutarem iniungendi, necnon vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum apostolicorum Petri et Pauli, S. Iacobi in Compostella, necnon religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi, iuramenta quaecumque relaxandi, ipsisque infirmis ecclesiastica sacramenta, prout eatenus fecerant, ministrandi, ac eis in articulo mortis plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem, etiamsi mors non subsequeretur, et quoties mors imminet vel in dicto mortis articulo constituti viderentur, impendendi, licentiam et facultatem, sub certis modo et formâ tunc expressis, auctoritate apostolicâ concessit et elargitus fuit; et aliàs, prout in praedictis Pauli praedecessoris desuper in simili formâ Brevis die XIII iunii MDXLIV expeditis litteris, quarum[1] tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Petitio illius confirmatio et extensio.

§ 2. Cum autem, sicut venerabilis frater Fabritius episcopus Liciensis, Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum super negotiis visitationis apostolicae ecclesiarum et locorum piorum almae Urbis nostrae auctoritate apostolicâ institutae deputatorum prosecretarius, nobis nuper exponi fecit, ipse facultates a memorato Paulo praedecessore per litteras supradictas confessariis dicti hospitalis concessas, ut praefertur, etiam ad aliorum eiusdem Urbis hospitalium confessarios per nos extendi plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit Pontifex cum quibusdam limitationibus.

§ 3. Nos igitur, ipsius Fabritii episcopi et prosecretarii votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et in-

1 Edit. Main. legit *quorum* (R. T.).

terdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedictas Pauli praedecessoris litteras, quoad dictum hospitale Consolationis, sicut praemittitur, emanatas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, reformamus et declaramus, itaut facultas in eis concessa intelligatur pro foro conscientiae tantum, exceptis casibus in Bullâ Coenae Domini, necnon publicae violationis clausurae monialium ad malum finem, presbytericidii publici, ac casus publici violatae immunitatis ecclesiasticae, imo etiam occulti in terminis constitutionis piae memoriae Gregorii Papae XIV pariter praedecessoris nostri quae incipit *Cum aliàs nonnulli, etc.*, etiamsi eiusmodi violatio auctoritate publicâ secuta fuerit, ac citra ullam facultatem dispensandi super irregularitate: indultum vero huiusmodi, sic reformatum et declaratum, etiam aliis praedictae Urbis hospitalibus harum serie concedimus.

Clausulae. § 4. Decernentes, easdem[1] praesentes litteras nullo unquam tempore revocari, suspendi vel limitari, aut eis derogari posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus comprehendi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et plenarie reintegratas esse et censeri, irritumque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. legit *eas* pro *easdem* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII iannarii MDCCXIV, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 12 ianuarii 1714, pontif. anno XIV.

CXCIX.

Confirmatur electio et coronatio Caroli VI in regem Romanorum futurum imperatorem [1].

Clemens Episcopus,
servus servorum Dei,
Carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum, Hungariae et Boemiae regi illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis, qui regis regum, domini dominantium, et per quem reges regnant, ac legum conditores iusta decernunt, in B. Petri Sede vices gerit in terris, muneris esse dignoscitur, quae ad communem utilitatem, salutem et praesidium, et ad sacri Romani Imperii statum pertinent, indicii et auctoritatis suae robore communire. Exordium.

§ 1. Quapropter, cum clarae memoriae Josepho Romanorum rege in imperatorem electo fratre tuo germano rebus humanis exempto, seu aliàs certo, quem praesentibus pro expresso haberi volumus, modo Romanum vacaret imperium, eiusdem imperii principes electores, a venerabili fratre nostro Lothario Francisco archiepiscopo Moguntino pro munere suo in civitatem Francofurtii ad Moenum ad certam diem vocati, in eâdem civitate convenientes ut Romanorum regem futurum imperatorem eligerent qui praecelsis regiisque virtutibus rem- Confirmatio de qua in rubrica.

1 Const. ed. MDCCXI, die 18 decembris, pontif. XII, extat declaratio quaedam super confirmatione huius electionis; et const. ed. MDCCXIV, die 10 martii, pontif. XIV, agitur de precibus primariis eidem regi concessis.

publicam tueretur, iidem principes die XII mensis octobris anni Domini MDCCXI te, qui Hungariae et Bohemiae rex eras, unanimi consensu, divinâ favente clementiâ, in Romanorum regem futurum imperatorem elegerunt, tuque electioni[1] huiusmodi, oblato tibi de more decreto, qua decuit modestiâ, consensisti, ac deinde, nempe die XXII mensis decembris eiusdem anni, in dictae civitatis collegiatâ ecclesiâ S. Bartholomaei, post missarum solemnia a praedicto Lothario Francisco archiepiscopo celebrata, per te in manibus eiusdem Lotharii Francisci archiepiscopi praestito more catholicorum regum Romanorum praedecessorum tuorum iuramento, aliisque solemnitatibus rite peractis, dicti Lotharii Francisci archiepiscopi ministerio, ritu et pompâ solitâ coronatus fuisti. Quoniam vero electionis coronationisque negotium[2] huiusmodi per dilectum filium nobilem virum Herculem Iosephum Ludovicum Turinetti marchionem de Priè, oratorem tuum specialem, coram nobis proponi fecisti, petens omnia praemissa per nos apostolicâ auctoritate caeremoniis servari solitis confirmari: nos, de praemissis per legitima documenta sufficienti habito testimonio, et re cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus diligenter perpensâ et mature consideratâ, magnâ animi nostri cum spirituali laetitiâ ex eâdem electione susceptâ, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, gloriosissimaeque eius genitricis Mariae, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli, necnon eiusdem Romanae Ecclesiae ac sacri imperii exaltationem et honorem, electionem de personâ maiestatis tuae in regem Romanorum futurum imperatorem et coronationem in dictâ civitate Francofurtii factas, ob praestantissimas animi et corporis tui dotes, luculentissimaque earum indicia ac testimonia et certissimam spem, quam de te in sanctae fidei et religionis catholicae ac nostrâ et Romanae Ecclesiae illiusque rerum et bonorum defensione, propagatione et protectione conceptam habemus, de eorumdem fratrum consilio et unanimi assensu, auctoritate apostolicâ, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae particulares cum decreto pro suscipiendâ imperiali dignitate.

§ 2. Ac omnes et singulos iuris et facti defectus, etiam substantiales, qui, seu ratione formae vel loci coronationis eiusdem, seu ratione personarum eorumdem electorum, tam scilicet eorum qui abfuerunt ac suum suffragium minime tulerunt, quam aliorum qui ad suffragium ferendum, licet quovis legitimo iure eligendi destituti essent, admissi fuerint, sive etiam ex eo quod idem Iosephus electus imperator de manu Romani Pontificis auream coronam non susceperit, imo nec etiam suae electionis confirmationem ab eodem Romano Pontifice obtinuerit, seu quavis aliâ ratione vel causâ, in electione et coronatione huiusmodi quovis modo intervenerunt, seu intervenisse dici censeri vel praetendi possent, sanamus et supplemus, teque, sic electum et confirmatum, ad suscipiendum imperialis dignitatis culmen suis loco et tempore dignum et idoneum etiam decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis legibus imperialibus, ac privilegiis electoribus ipsis et quibusvis aliis forsan concessis, quibus, etiamsi ad illorum derogationem de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de

1 Male edit. Main. legit *electionem* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *negotiis* (R. T.).

verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia forma servanda esset, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, auctoritate, scientiâ, potestate et tenore praemissis, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, sanationis, suppletionis, decreti, declarationis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXIV[1], IV kalendas martii, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 26 februarii 1714, pontif. anno XIV.

✠ EGO CLEMENS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

†
† Ego N. episc. Portuensis card. Acciaiolus.

1 Edit. Main. legit *1715* (R. T.).

†
†
† Ego F. episcopus Praenestinus cardinalis Spada.
† Ego G. tituli S. Laurentii in Lucina prior presbyterorum cardinalis Mariscottus.
† Ego F. tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis Astallius.
† Ego B. tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Panciaticus.
† Ego F. tituli S. Balbinae presbyter cardinalis de Abdua.
†
†
†
†
† Ego Fr. T. M. tituli S. Clementis presbyter cardinalis Ferrari.
† Ego Ioseph tituli S. Mariae Transpontinae presbyter cardinalis Sacripantes.
† Ego I. B. tituli S. Caesarei presbyter cardinalis Spinula, S. R. E. camerarius.
†
† Ego Fr. tituli Ss. Ioannis et Pauli presbyter cardinalis Paulutius, maior poenitentiarius.
†
†
† Ego F. tituli S. Eusebii presbyter cardinalis Martellus.
†
†
†
† Ego N. Philippus tituli S. Honuphrii presbyter cardinalis Spada S. Honuphrii nuncupatus.
†
† Ego F. tituli S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis Vallemanus.
† Ego I. D. tituli S. Anastasiae presbyter cardinalis Paraccianus.
†
† Ego C. A. tituli S. Augustini presbyter cardinalis Fabronus.
† Ego M. A. tituli Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis de comitibus.
†
† Ego A. F. S. Petri in Monteaureo presbyter cardinalis Sanvitalis.

† Ego L. tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Picus.
† Ego L. tituli S. Calixti presbyter cardinalis de Via.
†
†
†
†
†
† Ego P. M. tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Corradinus.
†
†
†
†
† Ego A. tituli S. Marcelli presbyter cardinalis Priolus.
† Ego S. B. tituli S. Stephani in Monte Caelio presbyter cardinalis Ptholomeus.
† Ego F. F. M. tituli S. Priscae presbyter cardinalis Casinus.
†
† Ego B. S. Mariae in Viâ Latâ diaconus cardinalis Pamphilius.
† Ego P. S. Laurentii in Damaso diaconus cardinalis Ottobonus, S. R. E. vice-cancellarius.
† Ego C. S. Agatae diaconus cardinalis Bichius.
† Ego I. R. S. Georgii in Velabro diaconus cardinalis imperialis.
† Ego Franciscus S. Angeli diaconus cardinalis Barberinus.
† Ego L. Nicolai diaconus cardinalis de Alteriis.
† Ego C. S. Mariae de Scala diaconus cardinalis Columna.
†
† Ego N. S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Grimaldus.
† Ego Annibal S. Eustachii diaconus cardinalis Albanus.
† Ego C. S. Mariae in Domnicâ diaconus cardinalis Origus.
†

CC.

Conceditur Carolo VI Romanorum regi in imperatorem electo, ut ad eius preces primarias aliqua beneficia ecclesiastica conferantur, cum decreto pro executione similium precum Iosephi I[1].

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
carissimo in Christo filio Carolo Romanorum regi illustri in imperatorem electo salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum[2], post factam de personâ tuâ per sacri Romani imperii principes electores in regem Romanorum electionem, ac per nos pro universae christianae reipublicae salute confirmatam, nuper nobis significaveris, te summopere desiderare personas tibi gratas et acceptas gratiâ et munificentiâ aliqua beneficia ecclesiastica consequi posse, nos, quemadmodum magnis merentur efferri laudibus insignibusque praeconiis commendari sublimium principum desideria et vota quae in divini nominis et personarum illi clericali vinculo adscriptarum amore feruntur et opere postmodum consequente tutum deducuntur in actum, ita etiam dignum, vel potius debitum existimamus, ut, quoniam in fidei sinceritate et devotione illibatae Ecclesiae sponsae nostrae te fidelem advocatum devovisti, eamque humili professione matrem et dominam tuam recognovisti, et, ad ipsius honorem et sacri Ro- Causae praesentis constitutionis.

1 Const. ed. MDCCXI, die 3 octobris, pontif. II, nullae declaratae fuere praeces primariae vicariorum imperialium; const. ed. MDCCXIV, die 26 februarii, pontif. XIV, confirmata fuit dicti regis electio; et Innocentii XIII const. ed. MDCCXXII, die 9 iunii, pontif. II, extat assertio iuris Sanctae Sedis in regnum Siciliae per investituram Carolo VI factam.

2 Similes litteras Pauli V vide in tom. XII pag. 197 et 472; nec non Urbani VIII in tom. XIV pag. 678 (R. T.).

mani imperii decus, unctionem victoriae et diadema etiam nostro ministerio adveniente tempore suscipere et in eis immobilis persistere intendis, verum etiam tamquam ipsius Ecclesiae legitimus pugil et athleta te adversus schismaticorum et haereticorum, Turcarum tyranni, ac fidei et Christi nominis hostis insanias et furores spiritualiter et temporaliter armaris, et in dies arma huiusmodi ingiter exequeris, ea tibi favorabiliter concedamus, quae tuae celsitudini cedant ad honorem, et per quae eisdem benemeritis personis te munificum reddere possis, ope auctoritatis apostolicae, exhibitione gratiarum.

Concessio praedicta cum quibusdam restrictionibus et exceptionibus.

§ 2. Hinc est quod tuae celsitudinis supplicationi inclinati, dictâ auctoritate, praesentium serie, eidem celsitudini tuae concedimus et indulgemus, quod (si per te quibusvis collatoribus seu collatricibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum saecularium vel regularium Ordinum quorumcumque per sacrum Romanum imperium ubilibet constitutorum, etiam si qui vel si quae pontificali vel aliâ quavis dignitate praefulgeant, seu collegia, capitula et conventus fuerint, super singulis beneficiis ecclesiasticis cum curâ vel sine curâ saecularibus vel Ordinum huiusmodi regularibus in singulis cathedralibus, etiam metropolitanis, collegiatis et aliis quibusvis ecclesiis, etiamsi beneficia huiusmodi canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes vel officia in eisdem cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis, et ipsae praebendae, in illis ex huiusmodi ecclesiis in quibus maiores vel minores praebendae esse noscuntur, etiamsi maiores fuerint, et ad[1] dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo dignitates ipsae in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificales maiores aut collegiatis huiusmodi principales non existant, ad eorumdem collatorum et collatricum collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim pertinentibus, singulis personis conferendis, seu, super hoc quod personae huiusmodi ad illa recipiantur et admittantur, preces porrigi, seu de personis eisdem ad huiusmodi beneficia nominationes fieri contigerit primarias) iidem collatores et collatrices (salvo quod singulae collationes et singulae ecclesiae ex hoc ultra quam in uno beneficio non graventur, ac ipsi collatores et collatrices saltem quatuor beneficia ecclesiastica conferre habeant) huiusmodi precibus et nominationibus parere et intendere, necnon personas ipsas ad huiusmodi beneficia (postquam ipsis de illis canonice provisum fuerit) iuxta earumdem precum aut nominationum tenorem recipere et admittere debeant et etiam teneantur[1] (ita quod celsitudo tua unam et eamdem personam supradictis collatoribus et collatricibus simul vel successive nominare possit, ita tamen quod, quamprimum persona sic nominata de aliquo beneficio provisa fuerit, eius nominatio, quoad alios collatores vel collatrices facta, ipso iure expiret; et quoad easdem preces canonicatum et praebendam ac dignitatem seu personarum administrationem vel officium in unâ ecclesiâ pro unico dumtaxat beneficio computari debere declaramus); quodque quicumque, quibusvis in dignitatibus constituti, seu ecclesiarum cathedralium canonici singuli (videlicet in illis, quos, pro singulis personis praedictis, precum et nominationum huius-

1 Praeposit. *ad* nos addimus (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *tueantur* (R. T.).

modi, et ab hoc ut illae sortiantur effectum, etiam praesentium executores deputaveris), per se[1], vel per alium, seu alios, beneficia praedicta, cum in quibusvis etiam ordinariis collatoribus per constitutiones nostras aut litteras alternativas aliaque privilegia et indulta quaecumque quomodolibet concessis et imposterum concedendis aut aliis quibuscumque mensibus vacaverint, et quae personae, pro quibus preces et nominationes huiusmodi factae fuerint, quatenus huiusmodi preces sive nominationes ad illa se extendant, infra mensem, postquam ipsis vacatio huiusmodi beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda (etiamsi ipsa beneficia dispositioni apostolicae aliàs quam per constitutionem felicis recordationis Benedicti PP. XII praedecessoris nostri quae incipit *Ad regimen* generaliter reservata existant, et ex diversis personis vacaverint, et personae nominatae praedictae, tempore assecutionis beneficii ad quod nominatae fuerint, aliud beneficium in eâdem ecclesiâ obtineant, ac, secundum statuta et consuetudines ecclesiarum in quibus beneficia huiusmodi constiterint, vel indulta ecclesiis concessa, capaces, videlicet in aetate legitimâ constitutae aut de legitimo matrimonio procreatae non sint, dummodo, quoad huiusmodi qualitates, aliàs cum eis canonice dispensatum, et beneficia, in eâdem ecclesiâ obtinenda, talia sint quae sine dispensatione apostolicâ insimul obtineri possint aut consueverint, ac ipsorum vacantium beneficiorum collatio non fuerit iuxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, neque super illis inter aliquos lis pendeat indecisa), cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, personis ipsis, etiam duo vel tria seu plura quarumcumque qualitatum et cuiuscumque annui valoris ecclesiastica beneficia obtinentibus et expectantibus, conferre et[1] assignare, necnon omnia et singula, quae ad hoc ut precum seu nominationum et acceptationum ac collationum huiusmodi succedunt effectus opportuna fuerint, facere auctoritate nostrâ per censuram ecclesiasticam exequi possint et valeant (super quibus, ipsis plenam et liberam, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, potestatem concedimus ac etiam facultatem): ac personis praedictis, pro quibus huiusmodi primarias preces porrigi seu nominationes fieri contigerit, quod ipsae expectativis ac nominationibus, seu specialium reservationum de quibusvis beneficiis pro eis factarum gratiis, et mandatis de providendo ipsis de eisdem, si qua[2] ipsis concessa fuerint, unâ cum gratiâ precum et nominationum primariorum earumdem uti possint, nec, aliquâ gratiarum huiusmodi consumptâ, reliquae earumdem cassae censeantur vel irritae, indulgemus.

De relum praedictum cum confirmatione electionis Josephi I.

§ 3. Praeterea[3], cum, sicut accepimus ac ex authenticis ad nos allatis documentis liquido constitit, etiam clarae memoriae Josepho, dum vixit, Romanorum regi in imperarem electo, germano fratri tuo, animus non defuerit ad ea omnia explenda, quae, pro confirmatione electionis dudum de eius personâ in eumdem Romanorum regem futurum imperatorem similiter factae obtinendâ, tam iuxta sacrorum canonum praescriptum quam iuxta veterem Apostolicae Sedis morem requirebantur, nisi immaturus illius obitus cuncta turbasset; adeoque per ipsum non steterit, quominus eius electio praedicta a nobis confirmata fuerit: id-

1 Edit. Main. legit *per te*, sed aptius in loc. parallelis legitur *per se* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *qualitatis* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *etiam* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *si quae* (R. T.).

3 Paragr. ista superadditur locis parall. (R.T.).

circo (memorati Iosephi regis electionem, perinde ac si a nobis rite et recte, ac servatis servandis, cum suppletione ac sanatione quorumcumque defectuum, aliisque omnibus opportunis et necessariis clausulis et decretis, approbata et confirmata fuisset, [1] habere volentes, ac habendam esse decernentes) ut etiam similes preces, pro beneficiorum huiusmodi, cum primum illa vacassent, collatione, ab eodem Iosepho rege, dum viveret, sub spe simile indultum a nobis post suae electionis confirmationem assequendi, expeditae, quas collatoribus et collatricibus praedictis hactenus exhiberi contigit, seu imposterum continget, suum integrum ac plenum effectum sortiri et obtinere debeant, de speciali gratiâ, quae nunquam transeat in exemplum, similiter indulgemus: servatis tamen restrictionibus et exceptionibus supradictis, et citra illorum praeiudicium, quos in possessione beneficiorum sibi a nobis sive a quibusvis collatoribus seu collatricibus praedictis collatorum, exclusis prorsus ac nullatenus ad illam admissis iis in quorum favorem preces seu nominationes praedictae pro beneficiis huiusmodi a memorato Iosepho rege porrectae seu factae fuerunt, reperiri contigerit; quibus tamen, sicut praemittitur, exclusis, beneficia primo vacatura conferri debebunt.

Clausulae particulares.

§ 4. Non obstantibus, etc. [2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXIV, VI idus martii, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 10 martii 1714, pontif. anno XIV.

1 Forsan deest vox *ratam*, aut similis (R. T.).

2 Reliqua omittimus, quia clausulae eaedem omnino sunt, ac illae quae leguntur in loco parallelo tom. XIV pag. 680 et seq., § 5, 6 et 7, iisdemque erroribus scatent, qui ibi legi possunt emendati (R. T.).

CCI.

Declaratur, ad praesentem archiepiscopum Tarraconensem spectare iurisdictionem, et non ad capitulum, adversus ausus saecularis potestatis, cum comminatione censurarum et poenarum in illius violatores [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

In excelsâ Sedis Apostolicae speculâ, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, nostra et eiusdem Sedis inferiorumque ecclesiarum iura, ex commissi nobis caelitus pastoralis officii debito, sarta tecta tueri, ac, si quando ea temerariis quorumcumque, praesertim laicorum, quos in rebus ecclesiasticis obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, ausibus violata esse novimus, ab eiusmodi violationibus asserere studemus, sicut divinitus concessa Ecclesiae libertas atque animarum pericula postulant, ac nos, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, acquitatis et iustitiae consentaneum esse in Domino arbitramur. Prooemium.

§ 1. Ad nostri siquidem apostolatus notitiam, non sine gravissimo animi nostri dolore, pervenit, quod (cum venerabilis frater Isidorus Bertran, archiepiscopus Tarraconensis, qui aliàs, nempe priusquam metropolitanae ecclesiae Tarraconensi in archiepiscopum et pastorem a nobis praefectus esset, canonicatum et praebendam necnon archidiaconatum maiorem nuncupatum ecclesiae Acta et attentata saecularis potestatis referuntur.

1 Const. ed. MDCCXI, die 17 octobris, pontificatus XI, declarata fuere nulla gesta a potestate saeculari in Hispaniis libertati Ecclesiae praeiudicialia; et const. ed. MDCCXVII, die 12 iunii, pontif. XVII, conceditur nuncio apostolico in Hispaniis facultas absolvendi violatores iurium Ecclesiae.

Gerundensis obtinebat, in plenâ et quietâ supradictae ecclesiae Tarraconensis possessione reperiretur, ac munere consecrationis rite suscepto, pallioque archiepiscopali, quod ei tradi iusseramus, recepto, quaecumque suae dignitati annexa munia pacifice exerceret) redditae ei fuerunt litterae a laicali potestate illarum partium non ita pridem, videlicet die xv decembris anni proxime praeteriti, conscriptae, illique per summam ac pene incredibilem temeritatem tamquam canonico et archidiacono maiori dictae ecclesiae Gerundensis ac in praefatam ecclesiam Tarraconensem intruso directae, quibus (perinde ac si ipsi laicali potestati fas fuisset archiepiscopum ab hac Sanctâ Sede institutum impune destituere, ac Christi Domini indelebili charactere a Spiritu Sancto insignitum, arbitratu suo exauthorare) nulla non minus quam iniusta provisio dictae ecclesiae Tarraconensis de illius personâ a nobis facta impudenter asserebatur, eique praecipiebatur, ut, non modo e suâ civitate, sed etiam ab universâ dioecesi ac provinciâ Tarraconensi illico exiret, nec interim quempiam, qui sui exulantis loco vices suas inibi suppleret, ecclesiaeque ab eo deserendae gubernationem susciperet, subrogare aut constituere praesumeret, itaut nemini ab ipso sive ante sive post suam expulsionem deputato vel deputando iurisdictionem ecclesiasticam eius nomine exercere ullatenus permissum esset. Eodem ferme tempore, nec sane minus temere, laicalis eadem potestas per alias suas litteras die et anno supradictis datas, ac, quod plane intolerandum est, decano et capitulo ecclesiae Tarraconensis *sede vacante* inscriptas, dilectos filios capitulum et canonicos ecclesiae huiusmodi de iis omnibus, quae memorato Isidoro archiepiscopo, sicut praemittitur, scripserat, certiores facere non erubuit, eis insuper iniungendo ne illum in archiepiscopum ullatenus agnoscerent, seu reciperent, quinimo iuribus sibi competentibus uti deberent, quibus verbis, attentâ praesertim secundodictarum litterarum inscriptione praefatâ, satis superque ea omnia, quae a cathedralium ecclesiarum capitulis, illarum sede episcopali vacante, peragi atque exerceri possunt aut debent, indicata fuisse compertum est; interim vero omnes et singulos mensae archiepiscopalis Tarraconensis fructus, redditus et proventus exigere ac colligere, illosque tutâ et fideli sub custodiâ, atque ad formam depositi servare tenerentur: et aliàs, prout in ambabus litteris praedictis, quarum tenores, non alio quam illos penitus et omnino reprobandi ac damnandi animo, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius continetur. Huiusmodi porro litteris, tam Isidoro archiepiscopo, quam capitulo et canonicis supradictis, publice praesentatis, idem Isidorus archiepiscopus, ut graviores sibi et ecclesiae imminentes iniurias effugeret, commissum sibi gregem deseruit, nec solum a civitate, sed etiam a dioecesi ac provinciâ Tarraconensi praefatis incunctanter discessit.

Declaratio super iurisdictionis exercitio pro solo archiepiscopo Tarraconensi.

§ 2. Cum autem praemissa, ad quae eadem laicalis potestas, non minus malorum et calamitatum, quibus divina iustitia execrabiles eiusmodi ausus saepe etiam in hoc saeculo ulcisci solet, penitus immemor, quam censurarum omnium ac poenarum ecclesiasticarum, per sacros canones, conciliorum generalium decreta, et apostolicas constitutiones adversus similia perpetrantes, eorumque adhaerentes, fautores, consultores et defensores, quocumque tandem gradu

ac dignitate praefulgeant, inflictarum, misere oblita, damnabiliter devenit, ecclesiasticam libertatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam, aperte laeserint ac laedant, nostramque et huius Sanctae Sedis auctoritatem, qua Isidorum archiepiscopum praefatum ecclesiae Tarraconensi supradictae, sicut praemittitur, praefecimus, gravissime violaverint et violent, ac insuper animas pretioso salvatoris et domini nostri Iesu Christi sanguine redemptas in maxima pericula coniicere possint; adeoque novum et sane peracerbum vulnus multiplicibus aliis ac diuturnis iniuriis, quas sancta Dei Ecclesia iampridem in iis ditionibus pertulit et adhuc perfert, adiungere noscantur: hinc est quod nos, qui iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque ecclesiarum et christifidelium curam et sollicitudinem supernâ dispositione gerimus, tametsi probe sciamus quantus semper fuerit et quam constans capituli et canonicorum ecclesiae Tarraconensis huiusmodi erga nos et Sedem praedictam sincerae fidei ac devotionis affectus, quantum itidem et quam tenax ecclesiasticae disciplinae studium, quanta demum et quam religiosa sacrorum canonum, conciliorum ordinationum, et apostolicarum sanctionum observantia; adeoque non dubitemus pios illorum animos ad praenarratos saecularis potestatis excessus vehementer exhorruisse, nec eos unquam sacrilegis et inanibus potestatis huiusmodi iussis obtemperasse aut obtemperaturos esse credamus, nihilominus, ne incumbenti nobis muneri ullâ ex parte deesse, ac tam horrendum dictae saecularis potestatis abusum dissimulasse videamur, metropolitanae ecclesiae Tarraconensi supradictae illiusque praesulis indemnitati opportune consulere, nostraque et eiusdem Sedis iura sarta tecta atque illibata tueri et conservare, necnon animarum periculis huiusmodi, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, omniumque et singulorum in iisdem praemissis quomodolibet actorum et gestorum seriem, causas et occasiones, aliave quaelibet etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus itidem pro plene et sufficienter expressis ac exactissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnem et quamcumque iurisdictionem seu potestatem, tam in spiritualibus quam in temporalibus archiepiscopo Tarraconensi pro tempore existenti quovis modo competentem, nequaquam ab alio quam a memorato Isidoro Bertran archiepiscopo, quem scilicet, auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, praefatae metropolitanae ecclesiae Tarraconensi ut praefertur praefecimus, sive ab iis quos ipse loco sui absentis ad regimen dictae ecclesiae constituerit, ac interim ab illo cui ante suum discessum vices suas commiserat, iuxta facultates eis respective concessas vel concedendas, exerceri posse aut debere, tenore praesentium decernimus et declaramus.

Prohibitio eorum quae a saeculari potestate iniuncta fuerant capitulo.

§ 3. Adeoque capitulo et canonicis ecclesiae huiusmodi, sub excommunicationis latae sententiae, necnon privationis beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque per eos obtentorum, perpetuaeque inhabilitatis ad illa et alia similia vel dissimilia quaecumque in posterum quomodolibet obtinenda, per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendis poenis, quarum absolutionem seu relaxationem nobis et Romano Pontifici pro tempore exi-

stenti dumtaxat specialiter reservamus, districte prohibemus et interdicimus, ne, per se vel alios, sub quovis colore, causâ, titulo, ratione aut praetextu, ac multo minus, quod absit, praefatarum litterarum sibi a saeculari potestate damnabiliter sicut praemittitur scriptarum vigore, supradictae ecclesiae Tarraconensis regimen suscipere et assumere, sive iam susceptum et assumptum de cetero retinere, minusque ullam inibi iurisdictionem, potestatem vel auctoritatem archiepiscopo Tarraconensi pro tempore existenti quovis modo competentem exercere, ullumque iurisdictionalem seu alium actum, ex iis qui a capitulis cathedralium ecclesiarum, illarum sede episcopali sive archiepiscopali vacante, de iure vel consuetudine seu aliàs quomodolibet fieri possunt aut debent, facere seu continuare, neque demum ipsius ecclesiae seu mensae archiepiscopalis administrationi ullatenus se immiscere, illiusque fructus, redditus et proventus, sub quobis titulo etiam custodiae seu depositi, de cetero percipere, colligere et exigere, ac forsan iam perceptos, collectos et exactos, nisi eidem Isidoro archiepiscopo, ad quem nimirum ii legitime pertinent, sive eius legitimo procuratori, vel aliis quibus ille eos tradi vel consignari mandaverit, tradere vel consignare audeant quovis modo seu praesumant.

Nullitas actorum capituli, si quae in posterum fient.

§ 4. Ceterum, de salute dominici gregis paternâ charitate solliciti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, tam ecclesiasticis saecularibus et cuiusvis Ordinis, congregationis vel instituti regularibus, quam laicis, harum serie denunciamus, attentis praemissis, nullam a quoquam in praefatâ ecclesiâ Tarraconensi iurisdictionem aut potestatem, sive quoad spiritualia sive quoad temporalia, praeterquam a dicto Isidoro archiepiscopo seu personis ab eo deputatis vel deputandis, exerceri posse, adeoque omnia et singula, quae circa ea, quae sacramentorum administrationem, causarum cognitionem, aut aliàs forum conscientiae vel contentiosum archiepiscopi Tarraconensis pro tempore existentis quomodolibet concernere possunt, a capitulo et canonicis supradictis, postquam praesentes litterae ad eorum notitiam devenerint, per se vel alios agi, geri, fieri, mandari, decerni et ordinari contigerit, cum omnibus et singulis inde quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, invalida, inania, irrita et de facto praesumpta, nulliusque roboris, momenti et efficaciae perpetuo fore, prout illa earumdem tenore praesentium similiter declaramus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati et alii quicumque in praemissis, seu eorum aliquo, ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet, etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut

ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et eiusdem Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon praefatae ecclesiae Tarraconensis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praefatis aliisve quibuslibet personis, etiam quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ ac sublimi dignitate fulgentibus, et aliàs quomodolibet qualificatis ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-

iorem, sub annulo Piscatoris, die XVII martii MDCCXIV, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 17 martii 1714, pontif. anno XIV.

CCII.

Confirmatur erectio Congregationis artis agrariae, et cedula Pauli V pro eâdem arte augendâ, cum novis ordinationibus[1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

MOTU PROPRIO, ETC.

Exordium

Inter gravisssimas pastoralis officii nostri curas, quibus iugiter premimur, in illam peculiari studio incumbimus, ut haec nostra alma Urbs, ad quam quotidie, tamquam ad principis apostolorum Sedem et communem omnium christifidelium patriam, catholicae omnes nationes confluunt, et quam nos, quantum in Domino possumus ac misera praesentium temporum conditio patitur, commodis omnibus atque ornamentis instruere et augere iugiter satagimus, non solum rei frumentariae inopiâ nequaquam laboret, sed feliciori in dies ubertate perfruatur.

Epitome constitutionis Pauli V.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster, ut prospero annonae et grasciae eiusdem Urbis regimini opportune consuleret, potissimum vero artem agriculturae in illius territorio ac districtu, necnon Latii, Campaniae ac Maritimae provinciae[1] restitueret ac ampliaret, specialem congregationem nonnullorum praelatorum et aliorum virorum, in qua scilicet tunc et pro tempore existentes thesaurarius generalis, annonae praefectus, grasciae praeses, Camerae apostolicae commissarius generalis, ac ulterius quondam Ioannes Baptista Costaguta eiusdem Pauli praedecessoris familiaris, interesse deberent, ibique potissimum de arte agriculturae restituendâ et augendâ, necnon de statu annonae et grasciae huiusmodi rebusque omnibus illas concernentibus invicem conferrent, tractarent et diligenter perpenderent, eidemque Paulo praedecessori, quidquid ab ipsis resolutum fuisset, referrent, erexit atque instituit, ac subinde alia plura eodem consilio disposuit et ordinavit; inter cetera vero, ut[1] agriculturae artem exercentibus, quo facilius arti huiusmodi incumbere pecuniasque minori interusurio habere possent, opportunâ aliquâ subventione succurrere volens, tunc existentibus provisoribus ac ministris sacri Montis Pietatis Urbis districte mandavit, ut cuilibet agricultori usque ad summam mille scutorum monetae, seu aliam ab eodem annonae praefecto ordinandam, recepto emolumento duorum pro centenario nomine meriti, seu aliàs ab aliis ratione expensarum solvi consueto, necnon accepto idoneo et sufficienti pignore, aliisque eiusdem Montis legibus et institutis adimpletis et observatis, de licentiâ praefecti annonae praedicti subministrare deberent. Ac insuper omnibus agricultoribus, mercatoribus et colonis, qui tam in propriis quam in alienis et conductis terris in territorio et districtu Urbis, necnon Latii, Campaniae, Maritimaeque provinciis huiusmodi agriculturam exercuissent, et sementem fecissent, singulis annis quibus pretium et valor frumenti communiter in eâdem Urbe per ipsos agricul-

1 Const. edit. MDCCI, die 1 februarii, pontif. I, erecta fuit Congregatio Sublevaminis pro Urbe; et Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXV, die 15 octobris, pontif. II, agitur de annonâ et re agrariâ bene gerendâ.

1 Aptius, ut infra, lege *provinciis* (R. T.).

1 Particula *et* delenda (R. T.).

tores et mercatores vendendi a tempore messis et recollectionis usque ad kalendas martii cuiuslibet anni summam iuliorum quinquagintaquinque in singula rubra non excessisset, quintam partem totius frumenti per ipsos eodem anno recollecti, deducto tamen semine, ad quaevis loca, praeter infidelium et S. R. E. hostium, terrâ marique libere extrahendi et transportandi, seu extrahi et transportari faciendi, facultatem concessit, praevio tamen chirographo ab eodem Paulo praedecessore subsignando, ac solutis[1] prius Camerae nostrae Apostolicae, tunc suae, iuliis quinque pro quolibet rubro extrahendo: et aliàs, prout in cedulâ motus proprii memorati Pauli praedecessoris desuper expeditâ, ac die XIX octobris MDCXI publicatâ, cuius tenorem praesentibus, etc., pro plene, etc., volumus, uberius continetur.

Causae praesentis constitutionis.

§ 2. Cum autem novissime, nempe a mense septembris anni mox elapsi, peccatis nostris graviores in dies calamitates promerentibus, non sine ingenti paterni cordis nostri dolore, mortiferâ bovum pestilentiâ per Urbem illiusque districtum, ac provincias praedictas immaniter grassante, integra pene armenta interierint, adeout peremptis animalibus[2], de quibus ineffabilis Dei providentia laboribus hominum solatia subrogavit, agrorum culturam plane deseri, terrasque in proxime praeterito autumno minime seri contigisset, nisi nos, tam frumento quam pecuniis per dilectum filium annonae praefectum abunde subministratis, agricultorum inopiam sublevassemus, aliisque opportunis ac salubribus provisionibus ei, quam benedicente Domino speramus, futurae messis ubertati consuluissemus; tempus vero, quo agri serendis frumentis pro venturi anni MDCCXV messe destinati aratro proscindi debent, iam advenerit, domini tamen praediorum, mercatores, coloni, aliique artem agriculturae praedictam exercentes, ob ingentia damna quae ex suorum animalium iacturâ passi fuerunt, novo indigeant paternae providentiae nostrae subsidio, ut expensas pro emendis bobus et laboreriis necessariis faciendas subire valeant: hinc est quod nos, publicae causae nullâ ex parte deesse, nostrorumque et Apostolicae Sedis subditorum commodis peramplius providere volentes, motu simili, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, cedulam motusproprii Pauli praedecessoris supradictam, quoad ea quae praesentibus non adversantur ac usu recepta reperiuntur, earumdem[1] tenore praesentium approbamus, confirmamus et innovamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis vim et robur tenore praesentium adiungimus. Praeterea, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, Congregationem praelatorum a praefato Paulo praedecessore sicut praemittitur institutam, cui scilicet dilecti filii nunc et pro tempore existentes thesaurarius noster generalis, annonae praefectus, grasciae praeses, commissarius generalis Camerae nostrae praedictae, ac, loco quorumdam Ioannis Baptistae Costaguta ab eodem Paulo praedecessore deputati, praeceptor archihospitalis S. Spiritus in Saxiâ interesse debeant, harum serie renovamus, ac, quatenus opus sit, de novo erigimus et instituimus, eidemque Congregationi, toties quoties opus fuerit habendae, facultatem concedimus et impartimur ut iisdem agricultoribus, mercatoribus et colonis, aliisque artem agriculturae praedictam exercentibus, ac sive

Confirmatio constitutionis Pauli V.

Et nova facultas pro iuvandis agricultoribus.

1 Edit. Main. legit *animabus* (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *solitis* pro *solutis* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *eorumdem* (R. T.).

proprios sive alienos et[1] agros in Latii, Campaniae et Maritimae provinciis praedictis colere et serere volentibus, pecunias necessarias pro novis terris proscindendis aliisque laboreriis perficiendis pro messe dicti venturi anni MDCCXV a dilectis filiis provisoribus et ministris sacri Montis Pietatis necnon mensae nummulariae S. Spiritus in Saxiâ usque ad summam centum millium scutorum monetae, nempe medietatem ex dicto Monte Pietatis, et aliam medietatem ex dictâ mensâ nummulariâ S. Spiritus, cum licentiâ ab eodem annonae praefecto subscribendâ, ac provisoribus et ministris Montis et mensae nummulariae praedictis dirigendâ, subministrari curent et faciant, unicuique scilicet pro eâ summâ, quae, iuxta cuiusque agricultoris et aliorum praedictorum indigentiam et idoneitatem, eidem Congregationi congrua et opportuna videbitur, ac cum cautionibus, pro indemnitate Montis Pietatis et mensae nummulariae huiusmodi ab iis[2] qui pecunias acceperint praestandis, a praefatâ Congregatione (citra tamen illius periculum seu damnum) recognoscendis et approbandis.

Aliae agricultoribus facultates.

§ 3. Ceterum, ut facilius subministratio dictarum pecuniarum agricultoribus et aliis praedictis fieri possit, volumus et mandamus, ut, pro eâ quantitate, quae eiusdem Congregationis arbitrio, intra tamen summam dictorum centum millium scutorum monetae, agricultoribus et aliis praedictis subministranda erit, solvi debeant quotannis, usque ad restitutionem summae subministrandae, Monti Pietatis et mensae nummulariae praedictis scuta duo pro quolibet centenario nomine meriti seu expensarum, quas tam Mons Pietatis quam mensa nummularia huiusmodi pro salariis ministrorum et officialium sustinere coguntur. Demum agricultoribus et aliis praedictis, ut alacrius laboreria necessaria pro serendo frumento in proxime futuro autumno perficere ac complere valeant, quintam partem frumenti (detracto tamen semine), in subsequenti messe anni MDCCXV per ipsos recolligendi, ad quaevis loca, praeter infidelium et S. R. E. hostium, terrâ marique libere extrahendi et transportandi, seu extrahi et transportari faciendi, gratis et absque ullâ solutione tractae Camerae nostrae Apostolicae solvi solitae, expedito tamen prius chirographo per nos signando, ac solutis emolumentis officialibus et ministris cameralibus pro eiusmodi licentiarum expeditione debitis, licentiam concedimus et impartimur; dummodo tamen sive pretium et valor frumenti tunc currens sive aliae temporum circumstantiae eidem paternae charitati, qua subditorum nostrorum commodis consulere cupimus, aliter non suadeant.

Clausulae amplissimae.

§ 4. Sicque et non aliter per quoscumque iudices, etc., sublatâ, etc., iudicari et definiri debere, ac irritum, etc., decernimus. Mandantes etiam Congregationi et deputatis praedictis, ac praesertim annonae praefecto, ut praesentes nostras litteras et in eis contenta quaecumque observent et exequantur, et ab aliis, quantum in eis erit, condignâ poenarum inflictarum animadversione, aliisque opportunis iuris et facti remediis, firmiter et inviolabiliter observari faciant et curent. Dantes eis, ac praecipue eidem annonae praefecto, in praemissis et circa ea plenam et omnimodam facultatem et potestatem.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo,

1 Particula *et* delenda videtur (R. T.).
2 Verba *ab iis* nos addimus (R. T.).

ac recolendae memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse Camerae praedictae concernentibus in eâdem Camerâ intra certum tempus praesentandis et registrandis, itaut praesentes litterae ibidem praesentari et registrari nunquam necesse sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Urbis, provinciarum, civitatum, terrarum, oppidorum et locorum quorumcumque, ac Montis Pietatis et mensae nummulariae S. Spiritus praedictorum, aliisve quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, reformationibus, decretis, privilegiis, indultis et litteris apostolicis Urbi, provinciis, civitatibus, oppidis, terris et locis ac sacro Monti et mensae nummulariae praefatis, illorumque respective communitatibus, universitatibus, ministris, officialibus et aliis personis quibuslibet, a Sede praedictâ vel a nobis forsan concessis, ac etiam confirmatis, approbatis et innovatis, quae eis, quoad praemissa, nolumus suffragari, et quibus omnibus et singulis, etiam, etc., illorum tenores, etc., pro sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice, ad effectum praesentium dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expresse ac latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus etiam quod praesentium sola signatura sufficiat etiam absque aliâ datâ et registraturâ, regulâ quacumque contrariâ pariter non obstante; et nihilominus litterae in quavis formâ expediri possint cum clausulis opportunis; praesentiumque litterarum desuper forsan expediendarum transumptis, etiam impressis, manu unius ex Camerae nostrae Apostolicae notariis subscriptis, et sigillo alicuius ex Congregatione praedictâ obsignatis, in indicio et extra plena fides adhibeatur.

Placet: motu proprio I. F.

Anno a Nativitate domini nostri Iesu Christi MDCCXIV, indictione VII, pontificatus sanctissimi domini nostri Clementis Papae XI anno XIV, die vero XXIV martii, supradicta cedula motusproprii pubblicata et affixa fuit in magnâ curiâ Innocentianâ Montis Citatorii, in acie Campiflorae, et in aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Bartholomaeum de Camillis apostolicum cursorem.

ANTONIUS PLACENTINUS magister cursorum.

CCIII.

Conceditur suffragium deliberativum definitori adiuncto Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Follot, procurator generalis Congregationis clericorum saecularium Doctrinae Christianae in Gallia, quod (cum dilecti filii capitulares eiusdem Congregationis, in eorum capitulo generali anno MDCCV celebrato congregati, sess. XVIII decrevissent, ut, ad servandam inter provincias Congregationis praedictae aequalitatem, definitor adiunctus, qui, loco et vice procuratoris generalis in almâ Urbe nostrâ vel procuratoris provinciarum Congregationis huiusmodi Parisiis respective degentium, tam in definitorio quam in capitulo generali, cum illis interesse nequeant, votum sive suffragium haberet, in futurum

Expositio causae.

1 Idem suffragium concessum fuit definitoribus adiunctis const. ed. MDCCVIII, die 25 iulii, pont. VIII; et Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVII, die ... iunii, pontif. IV, eduntur quaedam ordinationes pro bono regimine.

eligeretur) capitulares praedicti, considerantes pro tempore existentem procuratorem generalem Congregationis praedictae ex provinciâ Avenionensi semper assumi consuevisse, adeoque hanc provinciam propter eiusdem procuratoris absentiam unâ voce et suffragio in definitorio ac etiam in capitulo generali, si ad illud se conferre minime valeret, privari posse, dilectum pariter filium Anselmum Espitallier clericum, Congregationis et provinciae Avenionensis praedictarum[1] filium, in definitorem adiunctum huiusmodi cum voce consultivâ tantum, reservato, quoad vocem deliberativam, nostro et huius Sanctae Sedis beneplacito, ac sub conditionibus in decreto ab iisdem capitularibus desuper edito, elegerunt; quod quidem decretum subinde ab infrascriptâ Congregatione cardinalium approbatum et per quasdam nostras desuper in simili formâ Brevis expeditas litteras confirmatum fuit.

Concedit ut in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut eadem exposito subiungebat, dilectus etiam filius Paulus Rigord, clericus eiusdem Congregationis, in capitulo generali anno MDCCXI Parisiis celebrato ad munus definitoris adiuncti praedictum seu substituti dicti procuratoris generalis electus fuerit, ac proinde praedictus Ioannes procurator generalis, ne unquam futuris temporibus de validitate electionis praedicti Pauli in definitorem adiuncti ac de beneplacito huiusmodi dubitari queat, illam apostolicae confirmationis nostrae patrocinio per nos communiri, ac eidem Paulo eiusque pro tempore successoribus ad idem munus asservandis[2] vocem deliberativam, cum aliis praerogativis in praedicto capituli generalis decreto contentis, concedi plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut eidem Paulo in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsius Ioannis procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ac eorumdem Ioannis procuratoris generalis et Pauli singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, eidem Paulo eiusque in dicto definitoris adiuncti officio pro tempore successoribus vocem deliberativam tam in capitulo generali quam in definitorio huiusmodi, cum omnibus privilegiis et conditionibus in memorato decreto capituli generalis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus con-

1 Edit. Main. legit *praedictorum* (R. T.).
2 Forsan *assumendis* (R. T.).

stitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis et provinciarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI iunii MDCCXIV, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 11 iunii 1714, pontif. anno XIV.

CCIV.

Conceditur ministro generali Ordinis fratrum Capuccinorum facultas restituendi discretos in provinciâ Flandro-Belgica[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Referuntur duae constitutiones Innocentii XII pro abolitione discretorum et alia huius Pontificis.

§ 1. Dudum (pro parte carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis exposito, quod, cum aliàs, ad tollenda damna et incommoda, quae fratres provinciarum regnorum utriusque Castellae veteris scilicet et novae nuncupatae Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum ex electione discretorum, qui a conventibus ad effectum sua suffragia in capitulis provincialibus ferendi eligi consueverant, in religiosae pacis et concordiae ac regularis disciplinae praeiudicium passi fuerant, felicis recordationis Innocentius PP. XII praedecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis die XXIX maii MDCXCIII expeditas litteras, discretos praedictos in dictis provinciis sustulisset et removisset, ac subinde, inter alia, remotionem et abolitionem discretorum huiusmodi expeditasque desuper litteras praedictas ad provincias Baeticae et Navarrae per alias suas itidem in formâ Brevis litteras die XII septembris eiudem anni desuper emanatas extendisset et ampliasset; dilecti vero filii fratres provinciae Flandro-Belgicae supradicti Ordinis eadem damna et incommoda ex simili discretorum electione pati cogerentur, tam ipsi quam praedictus Philippus rex, commune huius quoque provinciae bonum promovendi studio ductus, usum eligendi discretos praedictos in eâdem provinciâ abrogari, et apostolicae desuper auctoritatis nostrae partes interponi plurimum desiderabant) nos, piis ipsius Philippi regis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, attento voto venerabilis fratris nostri Nicolai episcopi Portuensis S. R. E. cardinalis Acciaioli nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, ad quem supplicem libellum nobis super praemissis porrectum remiseramus, remotionem et abolitionem discretorum huiusmodi in dictâ provinciâ Flandro-Belgicâ ad impediendas relaxationes et evitanda praeiudicia, quae in regularem observantiam ex illorum electionibus irrepere solebant, expedire, ac in religionis eiusque regiminis bonum cessuram esse censentes, discretos praedictos in eâdem provinciâ auctori-

1 De huiusmodi discretorum abrogatione confer allegata in § 1. Benedicti vero XIII const. edit. MDCCXXVII, die 30 septembris, pont. IV, restituuntur discreti in provinciis Hispaniarum.

tate apostolicâ sustulimus pariter et removimus: et aliàs, prout in nostris itidem in simili formâ Brevis die XXVIII augusti MDCCII expeditis litteris, quarum tenorem[1] praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur

Motiva et preces petentium.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii Michaëlangelus a Ragusia, minister generalis, Ioannes Antonius a Florentia, in Romanâ Curiâ procurator et commissarius generalis, Timotheus a Flexia et Timotheus a Rodenas, definitores generales Ordinis praedicti, nobis nuper exponi fecerunt, ab eo tempore experientiâ compertum fuerit, non solum damna et incommoda ex eorumdem discretorum electione sublata minime fuisse, sed maiora in gravius religiosae pacis et concordiae necnon regularis observantiae praeiudicium etiam cum scandalo et saecularium admiratione emersisse ac in dies emergere, ac proinde fratres praedictae provinciae Flandro-Belgicae eorum discretorum electionem, pro qua pluries nedum superioribus generalibus et dicto Nicolao episcopo cardinali et protectori ac nobis praesertim in comitiis generalibus die XIII maii anno MDCCXII in almâ Urbe nostrâ celebratis supplicaverant, restitui summopere desiderent: nobis propterea praedicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praedicta ministro generali facta sub certis conditionibus.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, attento etiam voto eiusdem Nicolai episcopi cardinalis et protectoris, praedicto Michaëlangelo ministro generali, auditis prius ac visitatis omnibus et singulis eiusdem provinciae Flandro-Belgicae fratribus, ac re serio, prudenter et diligenter examinatâ, electionem discretorum huiusmodi, si id divinae gloriae, publicae tranquillitati ac regularis observantiae incremento in Domino expedire iudicaverit, restituendi facultatem, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praedicti Innocentii praedecessoris litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII iulii MDCCXIV, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 13 iulii 1714, pontif. anno XIV.

CCV.

Declaratur nullum edictum delegati monarchiae Siciliae super interdicto cui

1 Edit. Main. legit *tenores* (R. T.).

vicarius generalis expulsus subiecit dioecesim Liparensem, cum ipsius interdicti confirmatione ac censurarum adversus sui expulsores declaratione nec non subiectionis dictae diöecesis Santae Sedi, aliisque declarationibus[1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Attentata saecularis potestatis enarrantur.

§ 1. Ad apostolatus nostri notitiam, non sine gravi paterni cordis nostri dolore, pervenit, quod, cum aliàs dilectus filius Didacus Hurtado, venerabilis fratris Nicolai Mariae episcopi Liparensis vicarius in spiritualibus generalis, non aliâ profecto de causâ, nisi quod, quibusdam mandatis nostris apostolicae auctoritatis tuitionem respicientibus, sibi antea per litteras die XXI augusti MDCCXIII a dilecto filio nostro Fabritio S. R. E. cardinali Paulutio nuncupato, secretario nostri Status, ei iussu nostro conscriptas datis, illâ, qua par erat, fide et obedientiâ obtemperans, ab executione cuiusdam dispensationis matrimonialis, sibi ab Alonso Mercorella, qui illam obtinuerat, exhibitae, provide abstinuisset, per summam iniuriam ac manifestum saecularis potestatis abusum, adnitente in id atque instigante apud eiusdem saecularis potestatis ministros supradicto Alonso, e civitate ac dioecesi Liparensi expulsus fuerit; ipseque in actu eiusmodi suae expulsionis, quo immunitati ecclesiasticae per id enormiter laesae consuleret, ac vim vi repelleret, Ioannem Baptistam Gastaldum et Carolum Aleonanda expulsores suos, omnesque alios qui eamdem expulsionem mandarunt, seu illi auxilium, favorem aut consilium quovis modo praestiterunt, cuiuscumque gradus et conditionis essent, in excommunicationem maiorem, a constitutionibus apostolicis, et speciatim illâ quotannis die Coenae Domini legi solitâ, contra similia perpetrantes inflictam, incidisse declaraverit, ac insuper civitatem et dioecesim Liparensem praefatas generali ecclesiastico interdicto, affixis super excommunicatione et interdicto huiusmodi publicis schedulis, subiecerit: tametsi haec omnia a memorato Didaco vicario generali rite ac recte, necnon iuxta sacrorum canonum praescriptum, imo de speciali praevio mandato nostro peracta fuerint; nihilominus quidam Iosephus Marotta, canonicus saecularis et collegiatae ecclesiae S. Petri Panormitani, asserens se specialem praetensi tribunalis monarchiae Siculae nuncupati illiusque asserti iudicis delegatum existere, unâ cum Francisco Bruno notario, Corrado Chirco fiscali, Francisco Zavaglio executore, *algozzino* vulgariter nuncupato, ad dictam civitatem Liparensem accessit, ibique, assumpto in consultorem Iosepho Russo Liparensi, edictum quoddam promulgari ac in locis publicis eiusdem civitatis affigi fecit, per quod, temerario non minus quam execrando ausu, generale interdictum, cui praefatus Didacus vicarius generalis civitatem et dioecesim praedictas, sicut praemittitur, supposuerat, nullum, irritum, iniustum, illegitimum, insubsistens, nulliusque roboris et valoris declaravit, illoque minime attento, mandavit ut ecclesiae omnes tam saeculares quam regulares civitatis et dioecesis huiusmodi apertae ut prius retineri, ac in illis missae et

1 Constit. edit. MDCCXIII, die 23 decembris, pontif. XIV, nulla declarata fuere edictum et praeceptum monarchiae super censuris et interdicto cui subiecta fuit dioecesis Agrigentina; et consl. edit. MDCCXIV, die 29 novembris, pontif. XV, nullum declaratur praeceptum delegati monarchiae contra mandata apostolica; constit. vero edit. MDCCXIV, die 6 novembris, pontif. XIV, agitur de observantiâ interdicti appositi dioecesibus Cataniensi et Agrigentinae.

alia divina officia celebrari, necnon christifidelibus sacramenta administrari deberent, perinde ac si ipsum interdictum nunquam emanasset: et aliàs, prout uberius continetur in praefato edicto, quod, non alio quidem quam illud penitus et omnino reprobandi animo, praesentibus inserendum duximus, tenoris qui sequitur, videlicet:

Edictum quo nullum declaratur interdictum, et poenae constituuntur in contravenientes.

Nos D. Ioseph Marotta, capellanus et magister et canonicus regiae capellae S. Petri S. R. P. sen. iudex ecclesiasticus revisionis causarum decisarum in tribunali consistorii sacrae regiae conscientiae, et delegatus regiae monarchiae huius regni, serio ad infrascripta constitutus vigore litterarum datarum Panormi die I februarii MDCCXIV, ad quas, etc., omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus huius praedictae urbis eiusque dioecesis, salutem in Domino sempiternam.

Essendo pervenuto a notizia, non con poca meraviglia dell' illustrissimo monsignor giudice della monarchia, che, essendo stato intimato il reverendo D. Diego Hurtado, canonico e vicario generale della cattedrale chiesa di questa nobile e fedelissima città di Lipari, dal luogotenente Giovanni Battista Castaldi, e di ordine speciale del governo, a partirsi dalla città ed isola di Lipari e sua diocesi, per li motivi maturamente esaminati che mossero il zelo del governo a far ciò per l'accertato del real servizio, pubblico bene, e quiete de' popoli, esercitando con matura riflessione la potestà economica e le regole del buon governo contro il suddetto vicario perturbator di detta quiete, il quale, scordatosi l'obbligo di fedel vassallo e di osservare le regie prerogative e lodevoli osservanze del regno, lusingando, per farsi ragione, di esser stata lesa l'immunità ecclesiastica, e di aver patito violenza dal riferito di Castaldi e Carlo Alconada agiutante, coprendosi collo specioso scudo, erroneo però e premeditato non meno che affettato, di essere il suddetto di Castaldi commissario *seu* delegato del tribunale della monarchia, a cui per sfogo del suo naturale dà indebitamente il titolo di preteso, e quando il suddetto tribunale della regia monarchia non ha dato ordine contro il suddetto vicario, sua corte e chiesa, nè mai il detto di Castaldi fu commissario *seu* delegato di detto tribunale, nè disse nè poteva dire essere ministro con delegazione speciale di detto tribunale, come nella scomunica, e quel che è più, con molto disconsolo di tutti li fedeli non solo di questa ma del regno, interdisse questa chiesa cattedrale e tutte le altre della città e diocesi, sottomettendoli ad interdetto locale e generale, senza però riflettere alla falsità delle supposizioni, ed alle turbolenze e pessime conseguenze può partorire tale scandaloso attentato contro il real servizio e pubblica quiete, e quel che è più, *nullo iuris ordine servato*, e contro la forma de' sacri canoni, per mancanza delli requisiti necessarî all' interdetto: perciò si ha stimato da detto monsignor illustrissimo giudice della regia monarchia provvedere degli opportuni rimedî, riparando col suo sommo zelo ai pregiudizî del real servizio, come anche a quello dei popoli di questa città e diocesi, i quali sono stati tanto ingiustamente lesi dal suddetto vicario contro la carità non solo pastorale ma ordinaria, tanto dal sommo Dio incaricata; deliberò commettere a noi la sua autorità e potestà, *ac vices et voces dicti tribunalis*, e di conferirci in questa, e dichiarando *ex commissione speciali* lo stesso interdetto nullo, ingiusto, illegittimo ed insussistente, far levare il suddetto interdetto. Pertanto noi valendoci della suddetta potestà amplissima in dette lettere sopraccitate, come speciale delegato in questo negozio, dichiariamo con il presente nostro editto, *auctoritate qua fungimur*, nullo, ingiusto, illegittimo, insussistente, irrito, e di nessuna forza e valore il cennato interdetto, ed ordiniamo a tutti i superiori delle chiese, tanto regolari quanto secolari, parrochi, beneficiati, cappellani, sacerdoti e clerici, che non ostante il suddetto interdetto, stante la sua notoria ingiustizia, insussistenza e nullità, dovessero tenere le chiese aperte, ed ivi celebrare e far celebrare li divini officî e messe, come si faceva prima di detto in-

terdetto, ed amministrare a tutti i fedeli li santissimi sagramenti della santa Chiesa, come prima, e come mai vi fosse stato il suddetto nullo interdetto; e questo sotto pena alli contravenienti e disobbedienti di scomunica maggiore riservata al suddetto monsignor giudice della monarchia, della disgrazia di Sua Maestà (che Dio guardi), ed altre pene a noi ed a detto monsignore riservate, e non altrimenti.

Datum Liparae, die x mensis februarii MDCCXIV. *Affigatur*. Canonicus D. IOSEPH MAROTTA delegatus. Dominus D. FRANCISCUS BRUNO, magister notarius.

Item a delegato laicali in carcerem conjecti fuere nonnulli ecclesiastici.

§ 2. Subinde vero dictus Iosephus Marotta, his minime contentus, dilectos quoque filios Franciscum Canalem canonicum et parochum ecclesiae Liparensis, Dominicum Francolinum, Franciscum Corsum, Dominicum Sciachitanum, Alonsum Bonica, presbyteros, et Franciscum Canalem clericum, non alterius delicti reos, nisi quod affixioni schedularum excommunicationis et interdicti huiusmodi operam suam praestitisse ac in actu expulsionis dicti Didaci vicarii generalis campanas sono funebri pulsasse insimulati fuerint, in carceres detrudi iussit.

Causae generales et particulares praesentis declarationis.

§ 3. Cum autem valde manifestum sit, nec quisquam inficiari valeat, gravissimam tam Ecclesiae quam huic Sanctae Sedi illatam fuisse iniuriam ex praedicti Didaci vicarii generalis expulsione, aliisque praemissis adversus personas ecclesiasticas sacrilege perpetratis, praesertim vero ex promulgatione edicti praeinserti praefatum interdictum temere annullantis, tum quia explorati iuris est nullum iudicem, quacumque tandem potestate et auctoritate suffultum, quoties de excommunicatione, interdicto, aliisve censuris ex causâ laesae seu violatae immunitatis ecclesiasticae, ac potissimum de speciali nostro et Sedis Apostolicae mandato latis, agi contingit, in illarum validitatis seu invaliditatis, iustitiae seu iniustitiae cognitionem, quae nonnisi nobis ac eidem Sedi reservata est, se ingerere posse, tum etiam quia satis similiter perspectum est, ecclesiam Liparensem nobis ac dictae Sedi immediate subiectam esse, et quoad spiritualia a quorumcumque tribunalium etiam ecclesiasticorum regni Siciliae iurisdictione exemptam et liberam existere, quandoquidem, licet dicta civitas Liparensis anno MDCIX per clarae memoriae Philippum III, dum vixit, Hispaniarum regem catholicum, qui etiam utriusque Siciliae rex existebat, a regno Neapolitano pro maiori commoditate gubernii dismembrata et separata ac eidem regno Siciliae ultra Pharum unita et incorporata fuerit, indubitati tamen iuris est, eiusmodi dismembrationem et unionem, solâ seculari ac regiâ auctoritate, ut praefertur, factas, locum habere ad summum potuisse quoad ea quae gubernium ac regimen rerum temporalium dumtaxat concernunt, ac semper sine praeiudicio directi dominii utriusque Siciliae huiusmodi iuriumque ab eo dependentium ad eamdem Sedem etiam in temporalibus, ut notum est, pertinentium, nunquam vero quoad ea quae administrationem rerum ecclesiasticarum ac spiritualium respiciunt, quarum statum et ordinem laicalis potestas immutare non valuit: unde nec indulgentiae illae et gratiae tam spirituales quam temporales cruciatae sanctae nuncupatae, aliàs ab hac Sanctâ Sede diversis earumdem Hispaniarum regibus catholicis, religionis christianae contra Turcas defensioni incumbentibus, necnon christifidelibus in ipsarum Hispaniarum regnis et illis adiacentibus ac Sardiniae insulis consistentibus, et ad illa declinantibus, qui quaedam sibi iniunctâ

opera adimplevissent, ad certum tunc expressum tempus concessae, ac subinde ad regnum Siciliae ultra Pharum extensae et pluries prorogatae, nec etiam ius praesentandi personas idoneas Romanis Pontificibus pro tempore existentibus ad praesentationem huiusmodi praeficiendas quibuscumque cathedralibus etiam metropolitanis ecclesiis praedicti regni Siciliae ultra Pharum, memorati Philippi regis descendentibus in Hispaniarum ac Siciliae ultra Pharum regnis huiusmodi legitimis successoribus, quamdiu illi vixissent, ab eâdem Sede concessum et assignatum, neque demum tribunal Inquisitionis Hispaniarum adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolicâ institutum, cuius iurisdictio ad praedictum Siciliae ultra Pharum regnum ceteroqui extenditur, in ecclesiâ, civitate ac dioecesi Liparensi praedictis locum unquam habuerunt, imo nec ipsi ministri saeculares eiusdem regni Siciliae ultra Pharum, sive sub dismembrationis et unionis praedictarum obtentu, sive sub alio quovis praetextu, praemissa locum habere debuisse vel debere unquam praetenderunt: hinc est quod nos, qui iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque christifidelium curam et sollicitudinem supernâ dispositione gerimus, libertatem, immunitatem et iurisdictionem ecclesiasticam, nec non Sanctae huius Sedis auctoritatem ac dignitatem ab eiusmodi nefariis ac perniciosis conatibus sartam tectamque atque illibatam tueri et conservare, animarumque periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium et singulorum, quae in praemissis, seu eorum occasione, quovis modo decreta, iussa, ordinata, acta et gesta fuerunt, seriem, causas et circumstantias, etiam aggravantes, necnon praedictorum ac quorumvis aliorum tribunalium, iudicum, ministrorum, etiam principalium, seu supremorum officialium, notariorum, scribarum et personarum quarumcumque in eisdem praemissis quomodolibet culpabilium qualitates, dignitates, nomina et cognomina, aliave quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et singillatim specificatis habentes, in praemissis vero supradictae ecclesiae Liparensis immediatam nobis et Sedi praefatae subiectionem, illiusque quoad spiritualia a quocumque tribunali etiam ecclesiastico regni Siciliae exemptionem ac libertatem, approbantes et confirmantes, ac, quatenus opus sit, innovantes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, edictum praeinsertum, ac quaecumque in eo contenta, necnon alia per memoratum canonicum Iosephum Marotta eâ occasione vigore suae assertae delegationis acta, gesta et ordinata, cum omnibus et singulis inde secutis et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita, invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris et momenti vel efficaciae esse et ab initio fuisse ac perpetuo fore, neque illa a quoquam observari posse vel potuisse, adeoque nec ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent nec facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, et si quae insuper

Declaratio ut in rubrica.

praemissorum occasione seu in eorum sequelam per praedictum canonicum Iosephum Marotta aut quaecumque praefati regni Siciliae tribunalia seu eorum delegatos vel commissarios hac in re de cetero agi, geri et ordinari quomodolibet contigerit, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi volumus et mandamus.

Confirmatio excommunicationis et interdicti cum decreto pro illius observantia et poenis in contravenientes.

§ 4. Praeterea, tametsi de perspectâ populi et incolarum civitatis et dioecesis Liparensis praefatarum pietate illorumque veteri in Ecclesiam atque hanc Apostolicam Sedem devotione tam praeclare sentiamus, ut minime dubitemus ipsos, etiam eiusmodi nostrâ declaratione minime expectatâ, praeinsertum edictum aliaque per dictum canonicum Iosephum Marotta gesta pro irritis et invalidis, nulliusque prorsus roboris ac valoris iam habuisse et imposterum habituros esse, adeoque omnia e converso per supradictum Didacum vicarium generalem acta et ordinata religiose ac exacte observasse et observaturos esse; nihilominus, ad maiorem similiter cautelam, generale interdictum, cui praefatus Didacus vicarius generalis civitatem et dioecesim supradictas, sicut praemittitur, subiecit, necnon censuras seu declarationes excommunicationis, ab eo contra praenominatos Ioannem Baptistam Gastaldum et Carolum Alconanda expulsores suos, aliosque omnes qui eamdem expulsionem mandarunt, seu illi opem, favorem aut consilium quovis modo praestiterunt, promulgatas, pro validis et iustis habentes, ipsumque interdictum, ac censuras seu declarationes huiusmodi, auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, approbantes et confirmantes, ac adversus praemissa, quatenus opus sit, innovantes, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, omnes et singulas personas ecclesiasticas, tam saeculares, cuiusvis gradus, praeminentiae ac dignitatis fuerint, quam cuiusvis Ordinis, congregationis, instituti et societatis, etiam Iesu, regulares, ad exactam eiusdem interdicti observantiam iuxta formam a sacris canonibus praescriptam omnino teneri et obligatas existere et fore, itaut in quibusvis ecclesiis, locis piis, oratoriis etiam privatis ac capellis domesticis civitatis et dioecesis praedictarum, quibuscumque tandem privilegiis, exemptionibus et indultis, etiam praetensae protectionis regiae, seu praetensi iurispatronatus regii, tametsi pluries ac quantiscumque vicibus ab hac Sanctâ Sede approbati, munitis, nec missae, nec alia divina officia celebrari, neque sanctissimum Eucharistiae sacramentum administrari, minusque fidelium defunctorum cadavera sepeliri, aliave tempore interdicti prohibita exerceri, nisi temporibus, casibus et modis per supradictos sacros canones permissis, ullo modo valeant, earumdem tenore praesentium statuimus et ordinamus. Ad haec, omnes et singulos, quantumvis exemptos et quovis modo privilegiatos, qui statuto, decreto, et ordinationi nostris huiusmodi, sub quovis quaesito colore, ratione aut praetextu, quomodolibet contravenerint, quocumque tandem titulo, munere aut dignitate praefulgeant, eo ipso et absque aliâ declaratione in censuras et poenas ecclesiasticas per eosdem sacros canones et constitutiones apostolicas desuper latas et impositas incidisse, illisque

innodatos fuisse et esse ac fore, nec eos a quoquam nisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras et poenas, eo ipso quo convaluerint) a censuris et poenis huiusmodi absolvi et liberari posse, harum serie similiter statuimus.

Reservatio Sanctae Sedi facta censurarum, quas incurrerunt ecclesiasticae libertatis violatores.

§ 5. Ceterum, cum notorii iuris sit, non tam eos, quos praefatus Didacus vicarius generalis in actu suae expulsionis excommunicatos declaravit, quam supradictum canonicum Iosephum Marotta, necnon Franciscum Bruno magistrum notarium, qui praeinserto edicto subscripsit, Corradum[1] Chirco fiscalem, Iosephum Russo consultorem, Franciscum Zavaglio executorem, Alonsum Mercorella istigatorem, aliosque omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis quantumcumque excelsae ac sublimis fuerint, qui sive eiusdem Didaci vicarii generalis expulsionem, sive publicationem et affixionem praeinserti edicti, sive detrusionem in carcere presbyterorum ac clerici praefatorum, sive alia gesta per dictum canonicum Iosephum Marotta mandarunt ac ordinarunt, seu illis consilium, auxilium, favorem vel quamvis aliam damnabilem operam praestiterunt, aut in eorum sequelam et executionem similiter gesta approbarunt et rata habuerunt, seu aliàs in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, censuras omnes et poenas ecclesiasticas, a sacris canonibus, generalium conciliorum decretis et apostolicis constitutionibus, ac praesertim litteris die Coenae Domini singulis annis legi et promulgari consuetis inflictas, eo ipso incurrisse; noverint idcirco illi omnes, etiam specialissimâ mentione digni, a censuris et poenis huiusmodi, post debitam ac condignam Ecclesiae realiter et cum effectu praestitam satisfactionem, nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, ut praefertur, et tunc cum reincidentiâ praefatâ, eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari posse, prout earumdem tenore praesentium decernimus pariter et declaramus; facultatem insuper ad alia severiora remedia, quatenus praedicti ecclesiasticae libertatis violatores in suâ contumaciâ persistentes censuras et poenas huiusmodi animo, quod absit, substinuerint indurato, nobis et eidem Apostolicae Sedi reservantes.

Prohibitio obedientiae vicario generali a capitulo electo exhibitae.

§ 6. Demum, cum etiam intelleverimus, quod, postquam idem Didacus vicarius generalis, sicut praemittitur, exulare coactus fuit, dilecti filii capitulum et canonici dictae ecclesiae Liparensis in vicarium generalem huiusmodi dilectum quoque filium Emmanuelem Carnevale praefatae ecclesiae archidiaconum elegerint, notorii autem et explorati iuris sit, quod, quemadmodum pastoralis cura eiusdem ecclesiae penes praedictum Nicolaum Mariam episcopum, tametsi ab ipsâ ecclesiâ absentem, omnino atque integre remansit, ita sane ad ipsum quoque ius deputandi suum vicarium generalem irrefragabiliter spectabat et spectat; ideirco, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poenâ per contrafacientes eo ipso incurrendâ, a qua nemo nisi a nobis vel Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo constitutus) absolvi possit, capitulo et canonicis supradictis, necnon reliquo clero tam saeculari quam regulari civitatis et dioecesis Liparensis praefatarum, districte prohibemus et interdicimus, ne, postquam earumdem praesentium necnon

1 Edit. Main. legit *Corrado* (R. T.).

deputationis alterius vicarii in spiritualibus generalis a praedicto Nicolao Maria episcopo factae vel faciendae notitiam habuerint, eumdem Emmanuelem archidiaconum ut vicarium generalem amplius agnoscant, aut illi actum ullum obedientiae praestent; illos serio monentes, ac tam eis quam universo populo civitatis et dioecesis huiusmodi enixe praecipientes, ut ei dumtaxat vicario generali, qui a memorato Nicolao Maria episcopo deputatus fuit vel in posterum deputabitur, congruam obedientiam exhibeant; simulque sciant, ea omnia, quae de cetero vicariatus eiusmodi titulo, sive a supradicto Emmanuele archidiacono, sive a quovis alio, qui absque nostrâ seu praefati Nicolai Mariae episcopi facultate dicti vicariatus auctoritatem sibi quomodolibet usurparet, geri contingeret, omnino irrita, invalida et inania, nulliusque roboris ac momenti fore, quemadmodum nos vere illa pro irritis, invalidis et inanibus habenda esse, harum serie, similiter declaramus.

Clausulae speciales et amplissimae.

§ 7. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac inexcogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac quibuscumque iuris seu facti defectibus, qui adversus illas a saeculari potissimum potestate, seu praedicto assertae monarchiae Siculae tribunali, ad effectum impediendi seu retardandi earum executionem, quovis modo seu ex quavis causâ opponi seu obiici possent, minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, easque propterea, omnibus et singulis per eamdem saecularem potestatem sive per idem assertum tribunal quomodolibet allatis seu afferendis impedimentis penitus et omnino reiectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et praefatae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere:

ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 8. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, et quorumvis monasteriorum, conventuum, ecclesiarum, locorum piorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus ac praescriptionibus, quantumcumque longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, etiam Iesu, ac monasteriis, conventibus, ecclesiis et locis piis praedictis, illorumque respective superioribus, aliisve quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, a Sede praedictâ, ex quacumque causâ, etiam per viam contractus et remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, seu ad quarumcumque personarum etiam imperiali, regali, aliâve qualibet mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis, etiam continentibus quod excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de privilegiis et indultis huiusmodi mentionem; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 9. Ut autem eaedem praesentes littere ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla, ad valvas ecclesiae Lateranensis, ac basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citatorio, et in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent: utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius publici notarii subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-

iorem, sub annulo Piscatoris, die VII septembris MDCCXIV, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 7 septembris 1714, pontif. anno XIV.

CCVI.

Conceditur indulgentia plenaria etiam per modum suffragii pro defunctis recitantibus coronam S. Birgittae, illamque benedicendi facultas superioribus dumtaxat Ordinis dictae Sanctae[1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. De salute gregis dominici divinâ dispositione nobis commissi sollicite cogitantes, christifideles spiritualibus muneribus adiuvare non cessamus, ut eorum devotio ad omnipotentis Dei cultum in dies magis augeatur.

Concedit, ut in rubrica. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius modernus procurator generalis Ordinis fratrum S. Birgittae nobis nuper exponi fecit, dilecti filii fratres dicti Ordinis coronas, quas vocant eiusdem S. Birgittae, iampridem fidelibus dispensare consueverint; dictus vero procurator generalis eiusmodi coronas indulgentiis ad spiritualem fidelium consolationem et animarum salutem a nobis decorari plurimum desideret: nos, piis ipsius procuratoris generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eiusdem nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium indulgentiis et sacris reliquiis praepositorum consilio, omnes et singulas indulgentias eisdem coronis quomodolibet concessas (salvis tamen iis eiusmodi coronis a felicis recordationis Leone Papa X praedecessore nostro per quasdam suas desuper sub plumbo VI idus iulii MDXV expeditas litteras concessis) harum serie revocantes, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui quotidie per integrum annum praedictam coronam, dummodo sit saltem quinque decadum, recitaverint, et subinde vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel in anno, die per unumquemque ex eis eligendâ, omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Praeterea declaramus quod superiores dumtaxat monasteriorum seu religiosi praedicti Ordinis, qui ab illis ad id specialiter deputati fuerint, coronas huiusmodi benedicendi facultatem habent. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae. § 2. Volumus autem ut supradictae coronae nemini possint vendi nec commodari, et, si secus fiat, indulgentia supradicta cesset, nulliusque sit roboris vel momenti; utque earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius

1 Alias indulgentias pro hisce coronis vide in Leonis X const. ed. MDXV, die 6 idus iunii, et Innocentii XIII const. ed. MDCCXXIII, die 23 augusti, pontif. III.

notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII septembris MDCCXIV, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 22 septembris 1714, pontif. anno XIV.

CCVII.

Conceduntur omnia privilegia Congregationum Ordinis sancti Benedicti Congregationi monachorum Bohemiae, illiusque membris in Moraviâ et Silesiâ[1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Apostolatus officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati nostrae committere dignata est, salubriter exequi, adiuvante Domino, iugiter satagentes, religiosos viros sub suavi monasticae vitae iugo vota sua reddere, uberesque bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio, proferre iugiter satagentes, ut eo alacrius pietatis exercitiis incumbant, favoribus et gratiis libenter prosequimur opportunis.

Petitio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Otthmarus, abbas monasterii Bizeunoviensis, Ordinis sancti Benedicti, in regno Bohemiae, Sedi Apostolicae (ut asseritur) immediate subiecti, quod ipse (qui, ut asserit, inter alias praerogativas quibus ex privilegio apostolico gaudet, caput et magister in correctione et reformatione regularis disciplinae super omnia claustra dicti Ordinis in praedicto regno existentia existit) tam sibi eiusque successoribus, quam toti Congregationi, monasteriis et locis praedicti regni eiusdem Ordinis eius correctioni et reformationi subiectis, ut praefertur, necnon filiabus praepositurís, prioratibus seu monasteriis eidem monasterio Bizeunoviensi in eâdem Bohemiâ ac Kan-Gradensi in Moraviâ et Waldstediensi in Silesiâ existentibus, aliisque praedictae Congregationi in futurum uniendis, illorumque praesidentibus, visitatoribus, abbatibus, monachis et personis, praesentibus et futuris, omnes et singulas gratias, tam spirituales quam temporales, variis congregationibus et monasteriis concessas, omniaque et singula alia privilegia, quibus Congregatio Cassinensis, aliàs S. Iustinae de Paduâ, eiusque praesidentes, visitatores, abbates, superiores et monachi ac personae quaecumque fruuntur et gaudent, nullo prorsus excepto privilegio, etiamsi specialem requireret mentionem, firmisque remanentibus reliquis iuribus et privilegiis a praedicto capite Bizeunoviensis monasterii in dictâ Congregatione Bohemiae eiusque monasteriis ab immemorabili tempore possessis, a nobis communicari plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praedicta sine praeiudicio proprioruin privilegiorum dictae Congregationis.

§ 2. Nos igitur, Congregationem primodictam, quam peculiari paternae charitatis affectu prosequimur, ipsumque Otthmarum abbatem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis

1 Innocentii XII const. ed. MDCXCIX, die 24 septembris, pontif. IX, Benedictinis in Austriâ concessae fuere gratiae spirituales Congregationis Cassinensis; eaedem conceduntur Congregationi Augustanae a Benedicto XIII const. ed. MDCCXXV, die 4 maii, pontif. I, et Congregationi in Bohemiâ, const. ed. MDCCXXVIII, die VII octobris, pontif. V.

excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum filium modernum procuratorem generalem dictae Congregationis Cassinensis super praemissis audiverunt, consilio, memoratae Congregationi Bohemiae monachorum Ordinis sancti Benedicti, eiusque abbati praesidenti, aliisque abbatibus, monasteriis, monachis, ceterisque personis dictae Congregationis, illiusque membris nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, privilegiis, indultis, aliisque gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus potiuntur et gaudent Congregationes Cassinensis et aliae dicti Ordinis sancti Benedicti, potiri et gaudere possint, sine praeiudicio tamen aliorum privilegiorum eidem Congregationi Bohemiae a Sede Apostolicâ, sicut praemittitur, aliàs concessorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, iuxta petita, concedimus et indulgemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis Bohemiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI octobris MDCCXIV, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 6 octobris 1714, pontif. anno XIV.

CCVIII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de primatu inter clericos et laicos, horum-

que titulo, pro provinciâ Baeticâ Ordinis Minorum de Observantiâ[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Species facti.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, in causâ praetensae consuetudinis praecedentiae inter dilectos filios clericos Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ provinciae Baeticae, ex unâ, et fratres laicos eiusdem provinciae, ex alterâ partibus, vertente, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis super tribus dubiis et mandatum Sanctissimi pro expeditione Brevis.

In causâ praetensae consuetudinis praecedentiae vertente inter fratres clericos Ordinis de Observantiâ provinciae Andalutiae ex unâ et fratres laicos eiusdem provinciae ex alterâ, de et super infrascriptis dubiis, nempe: I. An fratres laici Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ provinciae Baeticae tam conventuum de Observantiâ quam Recollectorum praecedere debeant fratres clericos non in sacris constitutos, quamvis choristae sint receptione iuniores, et laici sint receptione antiquiores; II. An fratres laici denominari debeant fratres, et titulo reverentiae frui, prout denominantur et fruuntur sacerdotes eiusdem Ordinis et provinciae, vel potius contenti esse debeant titulo charitatis, sicut clerici seu choristae eiusdem Ordinis; III. An sit imponendum perpetuum silentium in casu, etc.: Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, referente eminentissimo S. Priscae, procuratore dumtaxat fratrum clericorum informante, ac altero fratrum laicorum, licet pluries intimato, informare recusante et dilationem petente ad suprascripta dubia, infrascriptum in modum respondendum censuit: Ad primum negative; Ad secundum negative quoad primam partem, et affermative quoad secundam; Ad tertium affermative: et amplius huiusmodi causam non proponi mandavit, prout praesentis decreti vigore amplius non proponi mandat et praecipit. Romae, XXXI augusti MDCCXIV. — Oblatis subinde precibus sanctissimo domino nostro ex parte laicorum supplicantium pro suspensione Brevis confirmatorii praedictorum decretorum editi die XXXI augusti proximi praeteriti, et pro novâ audientiâ, iisque per Sanctitatem Suam ad eumdem eminentissimum S. Priscae ponentem remissis pro relatione precum in primâ proximâ Congregatione, et per eminentiam suam relatis in Congregatione habitâ sub die XXVIII septembris dicti anni, eadem sacra Congregatio decrevit consulendum Sanctissimo pro expeditione Brevis; et die XXIX dicti mensis, factâ per me infrascriptum secretarium de praemissis relatione sanctissimo domino nostro in solitâ audientiâ, Sanctitas Sua iussit expediri Breve, non obstantibus, etc. — Cardinalis ABDUA. — F. archiepiscopus Nicaenus, secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus pariter filius Dominicus a Iesu Mariâ praedicti Ordinis fratrum de Observantiâ professus, et provinciae Baeticae procurator, nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Dominicum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes,

1 De primatu inter fratres Discalceatos et eremitas S. Augustini provinciae Mexicanae vide constit. edit. MDCCV, die 12 decembris, pontif. VI; et Innocentii XIII constit. edit. MDCCXXI, die 5 iulii, pontif. I, de primatu inter laicos et clericos reformatos et Tertii Ordinis in regno Siciliae.

supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI octobris MDCCXIV, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 6 octobris 1714, pontif. anno XIV.

CCIX.

Decernitur omnimoda observantia interdicti in dioecesibus Cataniensi et Agrigentinâ, cum reprobatione quarumdam falsarum doctrinarum et poenis in contravenientes[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exordium ab audacia saecularis potestatis adversus observantiam interdicti, deplorata mali gravitate.

§ 1. Ubi aliàs ad multiplices et sane gravissimas, quas sancta Dei Ecclesia in regno Siciliae, per inauditum ac pene incredibilem saecularis potestatis abusum, tamdiu sustinuit et adhuc sustinet, calamitates, insignem illam ac vere atrocem accessisse novimus iniuriam, qua non minus sacrilege quam crudeliter erepto eidem Ecclesiae unico illo ac tristi solatio, quod miseris omnibus ipsa infelicitas reliquum facit, mala scilicet sua publicis moestitiae significationibus deplorandi, suas ipsa lacrymas sistere iussa fuit, luctumque illum abiicere, quo prius, ianuis templorum clausis, sacrorum solemniis intermissis, sacerdotibus eius gementibus, virginibus eius squali-

1 Constit. edit MDCCXIII, die 23 decembris, pontif. XIV, nulla declarata fuere edictum et praeceptum monarchiae super interdicto in dioecesi Agrigentinâ; constit. edit. MDCCXIV, die 7 septembris, pontif. XIV, nullum dictum fuit edictum delegati monarchiae super interdicto in dioecesi Liparensi; et constit. edit. MDCCXV, die 29 novembris, pontif. XV, declaratur nullum aliud praeceptum contra mandata apostolica.

dis, dolores suos longe lateque aperiens, a fidelibus quidem filiis amaritudinis suae levamen, a rebellibus vero irrogatarum sibi contumeliarum poenas deposcere coeperat: ubi aliàs (iterum repetimus) maximâ cum animi nostri molestiâ intelleximus, tam multos, etiam ex carioribus Ecclesiae filiis, ignarâ ac damnabili illarum poenarum formidine perculsos, quas eis minabantur illi, qui corpus quidem occidunt, animam autem non possunt occidere, ad ea misere progressos fuisse, ut, exutâ ecclesiasticis decretis debitâ obedientiâ, indictam iussu nostro in Cataniensi et Agrigentinâ civitatibus et dioecesibus sacrorum iustitiam turpiter violaverint: illisque interrogantibus, qui captivos eos duxerunt, verba cantionum, ea ipsa, quae in salicibus suspenderant, organa ad laetitiam revocare, et hymnum cantare de canticis Sion minime erubuerint: ubi haec (ut aiebamus) iampridem inaudivimus, nullam profecto aerumnâ hac iniquiorem, asperiorem nullam Ecclesiae ipsi miseriam evenire potuisse aut unquam posse credidimus. Nostris propterea auribus continenter obstrepere videbantur tristes illius voces: *Quis mihi hoc tribuat ut plorans plorem in nocte? Quis mihi det ut plangam paululum dolorem meum?*

Item malitia excusantium falsis doctrinis violationem interdicti.

§ 2. Ita plane credidimus. Sed cito nimis nos falli cognovimus; ubi scilicet omnibus antea in praefato regno Siciliae illatis Ecclesiae vulneribus graviorem aliam et plane acerbiorem plagam eiusdem Ecclesiae pectori subinde inflictam fuisse percepimus ab ipsismet eius filiis, ingratis filiis, filiis desertoribus, qui, adversus matrem suam pugnantes, nec solum ipsi illius mandatis parere detractantes, verum et alios ad paris inobedientiae crimen incitantes, os Domini non interrogarunt, sed, habentes fiduciam in umbrâ Egypti, docuerunt quae non oportet, ut excusarent excusationes in peccatis. Ii siquidem aquam turbidam, non de fontibus Salvatoris, sed de Babylonis fluminibus haustam, incautis propinantes, hoc est, falsas non minus quam perniciosas doctrinas in eorum patrocinium, qui metu malorum sibi a saeculari potestate denunciatorum ecclesiasticum interdictum in memoratis civitatibus ac dioecesibus appositum minime servassent, absque ullo rubore obtrudentes, plurimos fascinarunt non obedire veritati, illosque, non sine maximo christifidelium scandalo ac manifesto huius Sanctae Sedis contemptu, ad eiusdem interdicti, tametsi auctoritate apostolicâ pluries comprobati, inexcusabilem violationem, per quam nimirum, ut sacri canones docent, ecclesiasticae disciplinae nervus disrumpitur, aperte seducere non formidarunt, latam nimium sic aperientes viam universae propemodum christianae legis deformationi ac ruinae. *Si enim ita nequissimorum timeatur audacia, ut, quod illi iure atque aequitate non possunt, temeritate ac desperatione perficiant, actum est*, ut sanctus episcopus et martyr Cyprianus praeclare scriptum reliquit, *de episcopatus vigore et de Ecclesiae gubernandae sublimi ac divinâ potestate, nec christiani ultra aut durare aut esse iam possumus, si ad hoc ventum est ut perditorum minas atque insidias pertimescamus.* Quod vero plane deterius ac intolerabilius est, alii etiam novissime non defuerunt, qui, adiicientes peccatum super peccatum, atque ipsâmet nimiâ forsan longanimitate nostrâ, qua poenitentiae spatium damus, subdole abutentes, per illam traditos ab eis errores tacite saltem a nobis approbari, adeoque ipsam quoque interdicti transgressionem minime improbari impudentissime vul-

garunt. Quis iam tam hebeti ac gelido erit animo, qui ad effraenatam hanc atque execrabilem temeritatem non exardescat? Quis unquam sanae rectaeque mentis inveniri poterit, qui nos, prorsus immemores celebris illius documenti a sanctissimo praedecessore nostro Leone traditi, cum scripsit: *Nimis haec improba, nimis sunt prava, quae sacratissimis canonibus inveniuntur esse contraria*, eo tandem prolapsos fuisse existimet ut illas quovis modo probare aut saltem non improbare potuerimus doctrinas, quae non alio nixae fundamento quam metu, veris Christi militibus indigno, in quorum scilicet cordibus hospitari debet charitas Christi quae foras mittit timorem, apostolicis sanctionibus apertissime adversantur?

Brevia iam data in memoriam revocantur.

§ 3. Ignotae forsan cuiquam sunt nostrae illae litterae iam ante annum, hoc est die IV novembris MDCCXIII, ad tres Agrigentinae ecclesiae vicarios generales in simili formâ Brevis datae, eodemque tempore, ut omnibus paterent, typis editae, quibus nimirum homines illos, qui, ut ambulantes in veritate ad carnalis prudentiae semitas traducerent, eosdem aut similes errores in vulgus spargere praesumpserant, perditionis filios nuncupavimus, contra vero effusis meritisque laudibus virtutem atque constantiam eorumdem trium vicariorum, ob intrepidam ecclesiasticae libertatis ac pontificiae auctoritatis defensionem in carceres coniectorum, extulimus, qui aures suas obturaverant ne exaudirent voces incantantium, quique, propterea quod et ipsi interdictum, cui eadem Agrigentina ecclesia subiecta reperiebatur, custodire vellent, et ab aliis, ut par erat, similiter custodiri satagerent, nullas minas, poenas nullas, nullam quantumvis saevam atque horribilem tempestatem formidaverant? Nonne perspectae etiam omnibus sunt aliae nostrae litterae capitulo et canonicis praefatae Agrigentinae ecclesiae posterius, hoc est die X martii proxime praeteriti, in eâdem formâ Brevis conscriptae, ac typis pariter evulgatae, quibus eâ in primis, quam muneris nostri debitum exposcebat, gravi constitutâ animadversione in quemdam canonicum Ioannem Baptistam Formicam, qui pro vicario generali eiusdem ecclesiae perperam se gerebat, ac non modo memoratum interdictum palam et audacter contempserat, verum ut et ab aliis similiter contemneretur auctor fuerat, eisdem subinde canonicis vehementer exprobrare non omisimus quod quamplures ex eis a pristinâ ac debitâ Ecclesiae mandatis obedientiâ descivissent, reprobato potissimum eo metus obtentu, quo ipsi gravem suum lapsum excusare studuerant, illisque insuper iniunximus ut conscientiarum suarum securitati opportune consulerent, quae nequiter egerant, debitâ emendatione corrigerent, nullâque interpositâ morâ iustam dignitati suae labem abolere contenderent? Anne quempiam latet, quod simul ac nobis innotuerunt errores illi, quibus magistri mendaces, ponentes tenebras lucem, ac lucem tenebras, tanto cum animarum christifidelium periculo, tantoque cum ecclesiasticae disciplinae dispendio, interdicti violationem excusare conabantur, nos, iam advenisse rati tempus illud ab Apostolo praenunciatum, cum ad Timotheum scripsit: *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent*, quorumvis regularium Ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, superioribus generalibus districte praecepimus et mandavimus, ut a suis quisque subditis, in

monasteriis, conventibus, collegiis ac domibus regularibus regni supradicti respective commorantibus, interdictum praefatum, sub poenis per sacros canones et apostolicas constitutiones in eos, qui secus fecissent, praescriptis, exacte et inviolabiliter observari curarent et facerent, nec illud quovis titulo, colore, ingenio, causâ, excusatione seu praetextu violari sinerent aut permitterent, donec a nobis vel iussu nostro interdictum ipsum expresse sublatum, abrogatumque fuisset? Quomodo iam publica haec nostra atque alia plurima dicta iisque perpetuo respondentia facta congruere unquam possunt cum iis, quae, ad diuturnam ac detestabilem contemptorum Ecclesiae inobedientiam et pervicaciam fovendam, temere confinguntur?

Decretum pro observantia interdicti.

§ 4. Haec profecto omnia abunde sufficere possent ac deberent, ut vera mens ac voluntas nostra omnibus hac in re nota fieret, simulque apertae ac perspectae essent fallaces artes, quibus filii huius saeculi graviora semper vulnera Ecclesiae infligere, acerbioribus semper iniuriis apostolicam auctoritatem impetere, necnon animas, pretioso salvatoris et domini nostri Iesu Christi sanguine redemptas, in maiora semper pericula coniicere nituntur. Cupientes nihilominus (donec, divinâ nobis ope suffragante, ad funditus extirpandam tot malorum radicem, necnon ad ecclesiasticam immunitatem Sanctaeque huius Sedis dignitatem ab iis, quae adversus utramque in supradicto regno Siciliae enormissime attentata fuerunt, cumulate vindicandam, ea validius exequamur, quae pastoralis officii nostri ratio postulat, quaeque assiduis ac ferventibus tam nostris quam alienis precibus humiliter imploratum caelestis gratiae lumen ostendet) omnia interim et quaecumque tametsi inania ac prorsus futilia eorum subterfugia, qui debitam ecclesiasticis imo apostolicis mandatis obedientiam praestare recusant, penitus et omnino praecludere, et (quia nihil obedientia prodesse videretur humilibus si contemptus contumacibus non obesset, ac iuxta canonicas sanctiones quaedam sunt culpae, in quibus culpa est relaxare vindictam) contumacium huiusmodi audaciam et impudentiam severiori insimul animadversione compescere ac cohibere: hinc est quod nos, illius vices, licet immeriti, gerentes in terris, qui discipulis suis dixit: *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit*, ac aliàs addidit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, opportune in praemissis providere, ac desuper concessae nobis a Domino potestatis partes, quantum nobis ex alto conceditur, interponere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, generale interdictum, cui memoratae civitates ac dioeceses Cataniensis et Agrigentina iussu nostro ab earum praesulibus respective, sicut praemittitur, subiectae fuerunt, omnino et ab omnibus (exceptis dumtaxat temporibus et casibus a iure permissis) in quibusvis ecclesiis, locis piis, oratoriis, etiam privatis, civitatum et dioecesum praefatarum, praetensâ etiam assertae monarchiae Siculae auctoritate munitis, seu aliàs quocumque privilegio, exemptione et indulto, etiam praetensi iurispatronatus regii, tametsi pluries et quantiscumque vicibus ab hac Sanctâ Sede approbati, suffultis, exacte et inconcusse observandum esse, et ab initio fuisse, ac in posterum fore; nec illud a quoquam, sive cuiuscumque periculi metu, sive alio quovis praetextu, titulo, causâ vel colore, violari unquam potuisse vel posse, tenore praesentium decernimus et declaramus.

Censurae et poenae in contemptores interdicti, cum quibusdam ordinationibus.

§ 5. Noverint propterea omnes et singuli ecclesiastici, tam saeculares, cuiusvis gradus, praeeminentiae ac dignitatis fuerint, quam cuiusvis Ordinis, congregationis, instituti et societatis, etiam Iesu, regulares, qui praemissis contraire ac interdictum huiusmodi violare quovis modo hactenus praesumpserunt vel de cetero praesumpserint, se censuras omnes et poenas adversus ecclesiastici interdicti violatores a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis latas et impositas, ac potissimum irregularitatem, necnon privationem vocis activae et passivae, eo ipso et absque aliâ declaratione incurrisse, âc respective de cetero incursuros esse, adeoque eos ad quaecumque ecclesiastica tam saecularia quam regularia respective officia, beneficia ac dignitates minime eligi aut postulari, nec cum aliis ad eligendum seu postulandum admitti debuisse vel unquam debere, neque demum censurarum ac poenarum huiusmodi absolutionem seu relaxionem a quoquam (praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente) obtinere potuisse vel posse, prout earumdem tenore praesentium similiter declaramus. Praeterea, ut, non modo quibusvis transgrediendi praetextibus sicut praemittitur sublatis, sed auctis etiam contra transgressores poenis, omnes in posterum ad debitam nobis et Ecclesiae obedientiam exhibendam revocentur, omnibus et singulis ecclesiasticis praefatis, quantumvis exemptis et quovis modo privilegiatis, praeter et ultra omnes alias censuras et poenas superius enunciatas, si saeculares fuerint, sub dignitatum et beneficiorum ecclesiasticorum, cuiusvis generis seu naturae sint, si vero regulares, sub officiorum, dignitatum et graduum regularium quorumcumque per eos respective obtentorum privationis, perpetuaeque inhabilitatis ad illa et alia similia vel dissimilia quaecumque in posterum quomodolibet obtinenda, ipso facto et absque aliâ declaratione incurrendis poenis, harum serie districte prohibemus et interdicimus, ne decreto ac declarationi nostris supradictis de cetero contravenire audeant quovis modo seu praesumant: dignitates autem et beneficia huiusmodi, quorum privationis poenam propter transgressionem praesentis prohibitionis per praefatos ecclesiasticos saeculares contrafacientes quomodolibet incurri contigerit, etiam ipso facto et absque aliâ declaratione vacare, illaque per quoscumque impetrari posse, pariter decernimus: necnon eorumdem beneficiorum et dignitatum sic vacantium collationem, provisionem et omnimodam dispositionem, prout etiam poenarum de novo sic additarum relaxationem, similiter nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus

Clausulae amplissimae.

§ 6. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs[1], aliove

1 Edit. Main. legit *consensu* (R. T.).

quolibet, etiam quantumvis magno et substantiali ac inexcogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac, quibuscumque iuris seu facti defectibus, qui adversus illas a saeculari potissimum potestate, seu praedicto asserto monarchiae Siculae tribunali, ad effectum impediendi seu retardandi earum executionem, quovis modo seu ex quavis causâ opponi seu obiici possent, minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, easque propterea, omnibus et singulis per eamdem saecularem potestatem sive per idem assertum tribunal quomodolibet allatis seu afferendis impedimentis penitus et omnino reiectis ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et praefatae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, et quorumvis monasteriorum, conventuum, ecclesiarum, locorum piorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus ac praescriptionibus quantumcumque longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, etiam Iesu, ac monasteriis, conventibus, ecclesiis et locis piis praedictis, illorumque respective superioribus, aliisve quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, a Sede praedictâ, ex quacumque causâ, etiam per viam contractus et remunerationis, sub quiscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, seu ad quarumcumque personarum etiam imperiali, regali aliâve qualibet mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis

Contrariorum derogatio.

eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio praesentium et fides transumptorum.

§ 8. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis, ac basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citatorio et in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari; sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique habeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die VI novembris MDCCXIV, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 6 novembris 1714, pontif. anno XIV.

CCX.

Confirmantur decreta Congregationis episcoporum et regularium in causâ de facultate assistentium et primatu tempore sacrae visitationis inter priorem generalem eremitarum S. Augustini et vicarium generalem Congregationis Lombardiae[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Emanarunt nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, in causâ Romanâ visitationis, inter dilectos filios priorem generalem Ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini eiusque assistentes, ex unâ, et Congregationem Observantiae provinciae Lombardiae eiusdem Ordinis, ex alterâ partibus, vertente, decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

I. Decretum Congregationis super quatuor dubiis.

In causâ visitationis vertente inter patres priorem generalem totius Ordinis S. Augustini eiusque assistentes, ex unâ, et Congregationem Observantiae provinciae Lombardiae eiusdem Ordinis, partibus ex alterâ, propositis infrascriptis dubiis, videlicet: I. An casu visitationis conventuum Congregationis Observantiae Lombardiae peragendae per patrem generalem Ordinis, possint intervenire patres assistentes eiusdem Ordinis; II. An et quando se se ingerere valeant, et an et quando votum eis competat; III. An vicarius generalis, seu visitator praedictae Congregationis possint in actu visitationis a pari seu in aequali gradu procedere cum dicto priore generali in sedendo, genuflectendo, seu potius competat

1 Const. ed. MDCCXIII, die 20 octobris, pont. XIII, extant nonnulla pro electione et facultate definitorum et vicesgerentium dictae Congregationis; et Benedicti XIII const. edit. MDCCXXVII, die 27 septembris, pont. IV, agitur de officiis vicarii, procuratoris et definitorum in toto Ordine S. Augustini.

locus inferior, et quomodo; IV. An et quis locus competat patribus assistentibus quatenus ipsi possint intervenire in actu visitationis: Sacra Congregatio die XIX augusti MDCCXII, partibus[1] ipsis auditis et informantibus, re mature et accurate discussâ, et referente eminentissimo Corsino, ad praefata dubia respondit: Ad 1.um affirmative, praeterquam in scrutinio secreto; Ad 2.um, provisum in primo, et competere assistentibus votum consultivum tantum apud solum priorem generalem; Ad 3.um, non liquere; Ad 4.um, competere assistentibus locum post vicarium generalem seu visitatorem Congregationis.

II. Decretum super dicto tertio dubio.

Reproposito sub die III februarii MDCCXIII supradicto tertio dubio, videlicet: III. An vicarius generalis et visitator Congregationis Lombardiae Ordinis Eremitarum S. Augustini possint in actu visitationis a pari seu in aequali gradu procedere cum patre generali in sedendo, genuflectendo, seu potius competat locus inferior, et quomodo: — Sacra eadem Congregatio, partibus iterum informantibus, et referente praefato eminentissimo Corsino, rescripsit: Ad mentem, quae fuit ut praescriberetur modus ab eminentissimo ponente referendus in sacrâ Congregatione.

III. Decretum quo approbatur modus servandus in casu tertii a cardinali ponente propositus.

Qui quidem modus in Congregatione habitâ sub die XXI iulii dicti anni MDCCXIII ab eminentiâ suâ praescriptus et relatus fuit ut infra sequitur, nimirum: « Quoniam sacra Congregatio episcoporum et regularium sub die III februarii currentis anni in causâ Romanâ visitationis inter patrem generalem totius Ordinis Eremitarum S. Augustini et venerabilem Congregationem Lombardiae eiusdem Ordinis, ad tertium dubium a me propositum: An scilicet vicarius generalis et visitator Congregationis Lombardiae Ordinis Eremitarum S. Augustini possint in actu visitationis a pari seu in aequali gradu procedere cum patre generali in sedendo, genuflectendo, seu potius competat locus inferior, et quomodo: rescripsit iuxta mentem; et mens fuit ut praescriberetur a me modus referendus in eâdem sacrâ Congregatione, quae de cetero iure credit quod idem pater generalis in quibuscumque actibus visitationis esset cum distinctione tractandus, dum visitationi assistit pater vicarius generalis; et cum maiori distinctione, assistente simplici patre visitatore eiusdem Congregationis: hinc ego, auditis etiam deinde partibus[1], et re mature perpensâ, crederem quod posset ita praefiniri: I. Quod dum pater generalis recipitur cum cruce ante ianuam ecclesiae, et processionaliter incedere ipse debeat post religiosos conventus, et pater vicarius immediate post patrem generalem; II. Quod pater generalis habeat paratum genuflexorium cum tapeto et duobus pulvinaribus, uno brachiis, altero genibus supponendis, et pater vicarius generalis aliud pulvinar, non in genuflexorio, sed in terrâ, supponendum[2] genibus suis, a sinistris patris generalis; III. Quod idem pater generalis habeat sedem super supremum gradum altaris, dum religiosi ipsi obedientiam praestare debent, et pater vicarius generalis aliam sedem habeat a sinistris patris generalis in infimo altaris gradu positam; IV. Quod pater vicarius generalis sit primus in praestando obedientiam patri generali, non quidem ante ipsum genuflectendo, sed tantum eius manum deosculando, quem pater generalis statim amplectatur, et pater vicarius generalis unâ tamen vice obedientiam patri generali praestare teneatur, scilicet in primo conventu visitando, et non in aliis, si in ipsis patrem vicarium generalem adesse contingat; V. Quod, dum fit scrutinium secretum, conduntur decreta, et de aliis rebus ad sacram visitationem spectantibus fiunt congregationes, pater generalis sedeat in capite mensae, et pater vicarius generalis sedeat pariter a latere sinistro eiusdem mensae. Si vero assistat visitationi non pater vicarius generalis, sed simpliciter pater visitator Congregationis, hic incedere debeat post patrem generalem, immediate genuflectere in terrâ sine pulvinari, obedientiam eidem patri generali praestare eius manus deosculando, et habeat sedem pariter in inferiori gradu altaris post

1 Edit. Main. legit *patribus* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *patribus* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *superponendum* (R. T.).

praestitam obedientiam ipsi patri generali, et in scrutinio secreto aliisque congressibus pro decretis condendis ceterisque ad sacram visitationem ordinandis sedeat cum patre generali a latere sinistro mensae. Sacra Congregatio, etc., referente eminentissimo Corsino, censuit ac decrevit, supradictum modum ab E. S. propositum, servandum esse.

IV. Decretum *de causâ amplius non proponendâ.* Postremo, repropositis iterum omnibus praefatis dubiis, unâ cum modo per eminentissimum Corsinum ut supra praeposito, sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, partibus ipsis denuo informantibus, et referente eodem eminentissimo Corsino, stetit in decretis in omnibus, et causam huiusmodi amplius non proponi mandavit. Romae, XXVIII septembris MDCCXIV. — F. cardinalis DE ABDUA. — FERDINANDUS archiep. Nicaenus, secretarius.

Confirmatio relatorum decretorum. § 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus procurator generalis dictae Congregationis Observantiae Lombardiae nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius susbsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, eiusdem procuratoris generalis desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque[1] inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis Lombardiae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII novembris MDCCXIV, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 12 novembris 1714, pontif. anno XIV.

CCXI.

Declaratur nullum praeceptum delegati monarchiae Siciliae de impediendâ

1 Edit. Main. legit *illique* (R. T.).

executione rescriptorum apostolicorum sine praevio regio Exequatur[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Epitome dicti praecepti editi ab eo delegato, a quo anno MDCCXIII nullum declaratum fuit interdictum cui subiecta fuerat dioecesis Cataniensis.

§ 1. Nova semper in dies, ut aliàs non semel diximus, et semper acerbiora ex regno Siciliae ad nos afferuntur. Nuper siquidem nobis innotuit, quod ille idem Caietanus Buglio (qui dudum, uti delegatus praetensi tribunalis monarchiae Siculae nuncupati, generale interdictum, cui venerabilis frater Andreas episcopus Cataniensis, e suà civitate Cataniensi eiusque dioecesi per execrabilem saecularis potestatis abusum eiectus, in actu eiusmodi suae eiectionis civitatem ac dioecesim praefatas non ita pridem iussu nostro subiecerat, nullum, irritum iniustum ac illegitimum speciali suo in eàdem civitate Cataniensi ad id promulgato edicto temere declaravit), gravissimo hoc patrato crimine minime contentus, sed, secundum duritiam suam et impoenitens cor, addens peccatum super peccatum, ac thesaurizans sibi iram in die irae (animo forsan, ut stulte opinabatur, enervandi efficaciam eorum quae ex iniuncti nobis apostolici muneris debito adversus ipsum eiusque acta a nobis decerni contigisset, ac potissimum eludendi executionem quarumdam nostrarum in simili formà Brevis litterarum die XVII iunii MDCCXIII expeditarum, quibus non modo illius edictum praefatum, aliaque per ipsum eà occasione vigore suae assertae delegationis perperam gesta, cum omnibus inde secutis et quandocumque secuturis, damnavimus, reprobavimus, cassavimus et irritavimus, ac pro damnatis, reprobatis, cassatis et irritis semper et omnino haberi voluimus et mandavimus, verum etiam eumdem Caietanum, nec non Ioannem Baptistam Perino, magistrum notarium, qui memorato edicto subscripserat, censuras omnes et poenas ecclesiasticas, a sacris canonibus, generalium conciliorum decretis, et apostolicis constitutionibus, ac praesertim litteris die Coenae Domini, singulis annis legi et promulgari consuetis, contra similia perpetrantes inflictas, incurrisse declaravimus) sequenti mense iulio eiusdem anni, in suarum iniquitatum cumulum, impudenti non minus quam detestabili ausu, praeceptum quoddam seu mandatum edidit, illudque, typis impressum et ab eodem Ioanne Baptista Perino similiter subscriptum, ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus universae dioecesis Cataniensis transmitti ac denunciari curavit, per quod inter cetera ipsaemet apostolicae litterae, aliaque decreta, mandata, edicta, censurae, interdicta et rescripta quaecumque ab hac Romanà Curià, hoc est ab hac Sanctà Sede provenientia, quorum executionem saecularis potestas minime permisisset, nulla, irrita, ac, quod horrendum est, conscientiarum christifidelium tranquillitati adversantia, impie et sacrilege declarantur, gravibus constitutis poenis adversus eos qui illa quovis modo executi fuissent; et aliàs, prout uberius continetur in eodem praecepto seu mandato, quod, non alio quidem quam illud penitus et omnino damnandi et anathematizandi animo, praesentibus inserendum duximus, tenoris qui sequitur, videlicet:

Portiero. D'ordine del reverendissimo dottor don Gaetano Buglio, decano e prima

Praeceptum delegati, quo, ob

1 De observantiâ interdicti in Cataniensi civitate contra dominum delegatum extat constit. edita MDCCXIV, die 6 novembris, pontif. XIV; constit. ed. MDCCXIV, die 7 septembris, pontif. XIV, nullum declaratum fuit edictum delegati contra interdictum in dioecesi Liparensi; et constit. ed. MDCCXV, die 11 ianuarii, pontif. XV, nullum declaratur edictum congregationis Iunctae in Siciliae regno contra rescripta apostolica.

plures rationes et sub certis poenis, interdicitur executio rescriptorum Curiae Romanae sine regio *Exequatur*.

dignità di questa santa proto-metropolitana chiesa di Messina, commissario ordinario del tribunale del sant' Offizio e santissima Inquisizione, e delegato del tribunale della regia monarchia di questo regno di Sicilia non solo ordinario in questa città di Messina, ma ancora delegato speciale in causa dato dall' illustrissimo e reverendissimo dottor don Francesco Miranda e Gayarre, del consiglio di Sua Maestà (che la divina guardi) e suo giudice ordinario dell'apostolica legazia e regia monarchia in questo regno di Sicilia, in virtù di lettere spedite dal tribunale della medesima sotto il primo luglio corrente, presentate ed esecute nell' officio dell'istesso Buglio sotto li XI del medesimo, ingiunge ed intima con la seguente ingiunzione trasmessane dal tribunale di detto illustrissimo e reverendissimo giudice, *quatenus* nel caso si pubblicassero qualsivoglia editti, interdetti, censure o altri qualsisia ordini, decreti o rescritti eziandio *formâ Brevis* della Corte Romana per qualsivoglia via o sotto qualsivoglia titolo, senza prima precedervi il regio *Exequatur*, per li quali, o qualsivoglia di loro, direttamente o indirettamente, tacitamente o espressamente venissero revocati, lesi e pregiudicati, o in qualsivoglia modo alterati gli editti pubblicati d'ordine di S. Ecc., o d'altri d'ordine nostro, stante le speciali commissioni per via dell'istesso tribunale sotto li XXV aprile e XVI maggio scorsi, o che rinnovassero l'interdetto, censure ed altre pubblicate d'ordine del reverendissimo monsignor don Andrea Reggio vescovo di Catania, o d'ordine di qualsisia prelato, vicario generale, o altro commissionato di suddetta Corte, ovvero che pubblicassero altri editti, interdetti e censure contra qualsisia persona di qualunque stato e condizione che fosse, non abbia nè debba quelli eseguire, nè osservare, nè far eseguire nè osservare da' proprî sudditi; *et quatenus* fossero eseguiti, o in qualsivoglia modo osservati, abbia, voglia, e debba ogni cosa ridurre allo stato primiero, come se mai fossero stati li suddetti decreti, editti, interdetti e censure nè pubblicati, nè osservati, nè affissati; e questo sotto pena della disgrazia di Sua Maestà (che la divina guardi), di privazione di voce attiva e passiva, e di anni cinque di carceri formali per ogni contravventore, e d'altre pene riservate all'arbitrio di S. Ecc. e tribunale suddetto; e questo, stante che li suddetti decreti, brevi, interdetti, rescritti e censure non sono nel regno eseguiti, anzi tendano contro la pubblica quiete del regno, contro la tranquillità delle coscienze de' fedeli del medesimo, ed in grave pregiudizio delle regalie di Sua Maestà (che la divina guardi), del regno, e del suddetto tribunale dell'apostolica legazia e regia monarchia, con evidente perturbazione de' popoli, scandali ed inconvenienti, contro la pubblica quiete e contro la disposizione delle leggi del regno, di più reali dispacci de' serenissimi monarchi, fondati in evidentissime ragioni avvalorate da antichissima ed immemorabile osservanza, mai interrotta nel corso di più secoli, ma uniforme al diritto delle genti, sacri canoni, privilegî apostolici, concordie con la Santa Sede, e stante che notoriamente sono di nessuna forza e valore li decreti e rescritti suddetti, come quelli che tengono l'origine da altri decreti assolutamente non eseguiti nel regno, ma emanati *de facto et ex abrupto, nullo iuris ordine servato*, e senza essere intese le ragioni di Sua Maestà, del regno, de' regnicoli, e del fisco del suddetto tribunale dell'apostolica legazia e regia monarchia, senza veruna cognizione, nè discussione di causa, e senza monizione, nè citazione alcuna, assolutamente necessaria per ogni legge divina ed umana, e nemmeno senza citazione *ad dicendum causam quare*, secondo li precetti dell'istessa Verità increata, costituzioni apostoliche, e concilî generali, e non altrimenti, ecc. *Fiat*: D. D. CAIETANUS BUGLIO delegatus. — IOANNES BAPTISTA PERINO, magister notarius.

Declaratio nullitatis relati praecepti, cum illius damnatione.

§ 2. Cum autem in praecepto seu mandato huiusmodi nullum plane sit verbum, per quod, tam ecclesiastica libertas Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta, quam Apostolicae

Sedis auctoritas acerbissime non laedantur; potissimum vero, per ea quae inibi continentur, illamet suprema ligandi atque solvendi potestas, beatissimo Apostolorum Principi eiusque successoribus a Christo Domino tradita, saecularis potestatis arbitrio per summam iniuriam atque intolerabilem temeritatem manifeste subiiciatur, necnon execrandus abusus quoquo modo impediendi executionem litterarum apostolicarum, per eosdem sacros canones et plurimas notissimas pontificias constitutiones sub anathemate damnatus, plene conformis non tamen iuri gentium, quam ipsismet sacris canonibus, privilegiis apostolicis, ac concordiis cum Sede praefatâ initis, falso non minus quam perverse, nuncupetur; adeoque animae pretioso Salvatoris nostri sanguine redemptae in maxima pericula coniici possint: hinc est quod nos, qui quorumcumque tam eiusdem Apostolicae Sedis quam Ecclesiae iurium assertores in terris a Domino constituti sumus, tametsi credamus praeceptum seu mandatum praeinsertum, omniaque in eo contenta, satis superque, tam per seipsa, quam vigore eorum quae in aliis memoratis nostris litteris pro reprobatione, irritatione et annullatione edicti ab eodem Caietano dudum promulgati, necnon aliorum ab eo in vim suae assertae delegationis gestorum, omniumque inde secutorum et quandocumque secuturorum, sicut praemittitur, editis, amplissime decrevimus et mandavimus, pro reprobatis itidem irritis et omnino nullis haberi potuisse ac debuisse, et forsan a sanioris saltem mentis hominibus iam habita fuisse; nihilominus, cum inter tam gravia animarum pericula liberum nobis non sit fidelibus populis documenta salutis subtrahere, nec nos in tam apertâ atque effraenatâ sacrarum legum violatione turpiter tacere, aut pastoralis providentiae nostrae ministerium otiosum esse velimus, omnium idcirco et singulorum, quae in praemissis seu eorum occasione tam ab eodem Caietano quam ab aliis quibuscumque in sequelam praecepti seu mandati praeinserti quovis modo decreta, acta et gesta fuerunt, seriem, causas et circumstantias, necnon praefatarum nostrarum litterarum tenorem, aliave quaelibet, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis ac singillatim specificatis habentes, motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeceptum seu mandatum praeinsertum, ac quaecumque in eo contenta, necnon alia a memorato Caietano Buglio in praemissis vel circa ea quomodocumque et qualitercumquae acta, gesta, mandata, decreta et ordinata, cum omnibus et singulis inde secutis et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita et invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris et momenti vel efficaciae esse et ab initio fuisse ac perpetuo fore, neque illa a quoquam observari posse vel potuisse, adeoque nec ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent nec facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad maiorem cautelam et quatenus opus sit, illa omnia et singula, et si quae insuper praemissorum occasione, sive in eorum sequelam, a praedicto Caietano seu eius iussu

mandato vel nomine ab aliis quibuscumque in futurum (quod Deus avertat) agi, geri, mandari, decerni et ordinari quomodolibet contigerit, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis, semper haberi volumus et mandamus.

Clausulae amplissimae.

§ 2. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliâs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac inexcogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac, quibuscumque iuris seu facti defectibus qui adversus illas a saeculari potissimum potestate seu praedicto assertae monarchiae Siculae tribunali ad effectum impediendi seu retardandi earum executionem quovis modo seu ex quavis causa opponi seu obiici possent, minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, easque propterea, omnibus et singulis per eamdem saecularem potestatem sive per idem assertum tribunal quomodolibet allatis seu afferendis impedimentis penitus et omnino reiectis ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et praedictae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus ac praescriptionibus,

quantumcumque longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibuscumque personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, a Sede praedictâ, ex quacumque causâ, etiam per viam contractus et remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, seu ad quarumcumque personarum etiam imperiali, regali, aliâve qualibet mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis, ac basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citatorio et in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari; sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX novembris MDCCXIV, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 29 novembris 1714, pontif. anno XV.

CCXII.

Confirmantur quaedam decreta Congregationis particularis, ac episcoporum et regularium, de revocatione decretorum capituli generalis MDCCIII *Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus, eius erectione in religionem, aliisque nonnullis ad regimen pertinentibus*[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliàs emanarunt tam a Congregatione particulari nonnullorum ex venera- Species facti.

1 Erectionem huius Congregationis eiusque constitutiones vide in Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVII, die 26 martii, pontif. XI; erecta fuit in religionem ab hoc Pontifice const. editâ MDCCX, die 3 aprilis, pontif. X; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXV, die 4 maii, pontif. I, confirmantur quaedam resolutiones capituli generalis.

bilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus a nobis specialiter deputatâ, quam a Congregatione eorumdem cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, ad supplicationem dilecti filii Francisci de sancto Antonio, fratris expresse professi ac prioris hospitalis[1] seu domorum Mexicanae, Angelopolitanae, Oaxacanae et S. Christophori de Havanâ nuncupatarum Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus, decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreta S. Congregationis.

Cum in asserto capitulo generali Congregationis Bethleemitarum habito Guathemalae die XII decembris MDCCIII quamplura edita fuerint decreta contraria constitutionibus dictae Congregationis apostolicâ auctoritate erectae[2] anno MDCLXXXVII confirmatis, adversus praedicta decreta nomine hospitalium, seu domorum, Mexicani, Angelopolitani, Oaxacani et S. Christophori de Havana nuncupati[3] eiusdem Congregationis, mediante personâ fratris Francisci a S. Antonio eorum specialis procuratoris habito recursu ad sanctam Sedem Apostolicam, et negotii huiusmodi cognitione remissâ ad sacram Congregationem episcoporum et regularium, et per eam deputatâ Congregatione particulari eminentissimorum dominorum cardinalium S. Clementis, Gabriellii et Parraceiani, usque et sub die XII aprilis MDCCIX prodiit decretum tenoris sequentis: « Revocatis[4] decretis asserti capituli generalis in eâ parte, in qua sunt contraria constitutionibus apostolicâ auctoritate confirmatis, serventur omnino eaedem constitutiones; et archiepiscopo Limano pro executione et convocatione capituli, cui praesideat per se sive per alium, cum omnibus facultatibus sacrae Congregationis; et, quatenus tunc temporis archiepiscopus obierit, exequatur et praesideat vicarius capitularis ». Quod decretum sub die XXV martii MDCCX fuit per speciale Breve a sanctissimo domino nostro confirmatum. Et postea, cum in eâdem Congregatione orta fuerit dubietas, an Congregatio Bethlehemitarum esset vere et formalis religio, habitâ de tali dubitatione notitiâ a fratre Michaële a Iesu Maria et a fratre Francisco a S. Antonio, isti recursum habuerunt ad Sanctissimum, ad hoc ut erigeret Congregationem Bethlehemitarum in veram religionem; et delegatâ instantiâ per Sanctitatem Suam eidem Congregationi particulari trium cardinalium, prodiit sub die VIII novembris eiusdem anni MDCCIX decretum: « Consulendum Sanctissimo pro erectione Congregationis Bethlehemiticae in Indiis Occidentalibus in veram religionem cum votis solemnibus emittendis ex integro, etiam ab iis, qui hactenus vota emiserunt in eâdem Congregatione: ita tamen ut emittentes nova vota prius certiorentur de inefficaciâ praecedentium votorum ad constituendos eos veros religiosos ». Quod decretum fuit a Sanctitate Suâ approbatum per aliud Breve expeditum die III aprilis MDCCX. Cumque, sub praetextu quod pater Rodericus a Cruce assertus praefectus generalis Ordinis Bethlehemitarum non fuerit auditus in supra relatâ propositione habitâ coram dictâ sacrâ Congregatione deputatâ, serenissimus rex Hispaniarum Philippus V, retentis dictis Brevibus, remiserit partes ad Sanctissimum, ad effectum audiendi super praemissis eius oraculum, porrecto pro parte fratris Michaëlis a Conceptione, procuratoris dicti patris Roderici, Sanctitati Suae supplici libello, et iterum delegatâ negotii cognitione sacrae Congregationi deputatae, et suffecto, in locum eminentissimi Gabriellii, eminentissimo domino cardinali S. Priscae, sub die V februarii MDCCXIV, auditis partibus, tam in voce quam in scriptis, prodiit decretum tenoris qui sequitur: « Sacra Congregatio particularis praedicta perstitit in decretis sub die XII aprilis MDCCIX, nempe: quoad revocationem decretorum asserti capituli generalis Guathimalae in eâ parte in qua sunt contraria constitutionibus apostolicâ auctoritate confirmatis, serventur omnino constitutiones; et insuper declaravit et decrevit, capitulum ge-

1 Potius lege *hospitalium* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *erecta* (R. T.).
3 Potius lege *nuncupatorum* (R. T.).
4 Male edit. Main. legit *Renovatis* (R. T.).

nerale omnino esse convocandum, in quo eligatur novus generalis, servatâ formâ constitutionum auctoritate apostolicâ confirmatarum, et, per vota secreta omnium capitularium, exquiratur an expediat religioni quod in posterum generalis sit ad sexennium seu potius ad novennium, exclusâ omnino perpetuitate generalatus: quoad duos vicepraefectos generales Mexici et Limae, serventur constitutiones : quoad electionem praefectorum localium, pariter serventur constitutiones: quoad votum assistentium, esse decisivum ad formam constitutionum: quoad vicarium generalem per mortem generalis, pariter serventur constitutiones : quoad aetatem eligendorum in praefectos et magistros novitiorum, detur facultas dispensandi praefecto generali cum voto assistentium : quo vero ad concernentia erectionem Congregationis Bethlehemiticae in veram religionem, satis provisum per decretum huiusmet Congregationis sub die VIII novembris MDCCIX confirmatum per Breve apostolicum ». Et die XXVII februarii MDCCXIV, factâ relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua approbavit et mandavit expediri Breve. Adversus quas resolutiones pro parte patris Roderici a Cruce, seu potius fratris Michaëlis a Conceptione eius procuratoris, habito usque de mense martii proxime elapsi recursu ad sanctissimum dominum nostrum, et per Sanctitatem Suam benigne remissâ causae cognitione ad sacram Congregationem generalem episcoporum et regularium, cum pluries pro parte fratris Francisci a S. Antonio fuerit intimata propositio, eiusque[1] sub die XXII maii mandaverit sacra Congregatio quod proponeretur omnino in primâ, et, ad petitionem fratris Michaëlis a Conceptione, duorum et ultra mensium spatio dilata extiterit, repropositâ causâ per eumdem eminentissimum ponentem, eadem sacra Congregatio, partibus in voce et in scriptis acerrime informantibus super infrascriptis dubiis : I. An sit locus reformationi Brevis sanctissimi domini nostri super erectione Congregationis Bethlehemiticae in religionem editi die III aprilis MDCCX ; II. An sit standum vel recedendum a decisis super aliis resolutionibus capitis[1] in sacrâ Congregatione particulari die V februarii MDCCXIV: respondit quoad primum nihil de praetensâ reformatione Brevis, et ad mentem, quae est quod detur optio iis qui actu sunt in Congregatione vel emittendi vota solemnia vel remanendi in eâdem Congregatione obnoxii prioribus votis: in reliquis, fratre Francisco a S. Antonio tantum informante, et fratre Michaële a Conceptione, diu expectato et continuis intimationibus lacessito, informare recusante, eadem sacra Congregatio in decisis in omnibus[2], et huiusmodi causam amplius non proponi mandavit, prout praesentis decreti vigore amplius non proponi mandat ac praecipit. Romae, XVII augusti MDCCXIV. — F. card. De Abdua. — Ferdinandus archiepiscopus Nicaenus, secretarius.

1 Videtur legendum *et usque* (R. T.).

1 Videtur legendum *captis* (R. T.).

2 Deest verbum *stetit* (R. T.).

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Franciscus nobis subinde exponi fecit, ipse decreta huiusmodi, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret : nos, specialem ipsi Francisco gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae cum deputatione executorum.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios

et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis Limano et Mexicano in solidum, ac dilectis itidem filiis eorum officialibus, et, in eorum defectum, primae dignitati, seu antiquiori canonico uniuscuiusque ecclesiae archiepiscopalis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel per alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte in praemissis interesse habentium seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, omnesque et singulos, quos ipsae praesentes litterae concernunt, praemissorum omnium et singulorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus reaggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis Bethlehemitarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII decembris MDCCXIV, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 22 decembris 1714, pontif. anno XV.

CCXIII.

Declaratur nullum edictum Congregationis Iunctae *in regno Siciliae contra executionem rescriptorum exterorum*

sine regio exequatur, *cum aliis declarationibus*[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Causae sequentis edicti editi post Breve apostolicum pro observantiâ interdicti in dioecesibus Cataniensi et Agrigentinâ.

§ 1. Accepimus nuper, quod, statim ac in regno Siciliae vulgatae fuerunt quaedam nostrae in simili formâ Brevis litterae die VI novembris proxime praeteriti expeditae, quas, pro omnimodâ ac debitâ observantiâ ecclesiastici interdicti, cui civitates ac dioeceses Cataniensis et Agrigentina iussu nostro subiectae reperiuntur, obtinendâ, necnon quibuscumque effugiis ad excusandam eiusdem interdicti transgressionem exquisitis penitus praecludendis, novissime edidimus, saecularis potestatis in eodem regno administri, nullam dimittentes occasionem quae eis offeratur novis semper iniuriis pontificiam auctoritatem ac iurisdictionem ecclesiasticam impetendi, ac forsan, tametsi inaniter, arbitrantes posse earumdem litterarum nostrarum efficaciam eludere, simulque executionem illarum ulteriorum graviorumque deliberationum praepedire, quas nos, ut pastoralis muneris nostri debito satisfaciamus, omnino suscipere compellimur, quasque ipsi sese abunde promereri minime ignorant, absque ullâ cunctatione in Panormitanâ, ac fornan etiam in aliis praedicti regni locis, promulgare praesumpserint, praefixo nomine cuiusdam congregrationis *Iunctae* nuncupatae specialiter deputatae super conservatione ac defensione iurium et praerogativarum quae eidem saeculari potestati in illo regno competere praetenduntur, edictum seu bannimentum quoddam, typis impressum, tenoris sequentis, videlicet.

Edicti tenor.

Bando e comandamento, d'ordine dell' illustre Giunta deputata da S. S. R. M. (che Dio guardi) sovra la conservazione e defensione delli reali diritti che ha e possiede come re augusto e monarca in questo regno, e di quelle prerogative e privilegi che il medesimo gode, come con suo real ordine in data di 17 aprile 1714.

Invigilando Sua Maestà (che Dio guardi) colla sua regia protezione ed amore all' intera conservazione de' privilegi ed antiche consuetudini di questo fedelissimo regno, come della sua real giurisdizione ed antichissima preminenza della legazia apostolica e regia monarchia, sì per sostegno de' diritti toccanti alla sua real corona, che della giusta difesa e buon governo de' suoi vassalli, accordando anche su questi punti quelle provvidenze supplicategli dal general parlamento detenuto in questa felice e fedelissima città di Palermo, capo di questo regno, sotto li 7 del trascorso marzo, composto da tre braccî, ecclesiastico, militare e demaniale, rappresentante il regno tutto, ha determinato stabilire una Giunta di ministri, quali debbano invigilare con particolar zelo, attenzione e cura, perchè vengano ovviati ed impediti gl' inconvenienti, e riparati tutti i pregiudicî che potessero in qualche maniera indursi. Essendosi servita la Maestà Sua per sua real benignità appoggiare a noi D. Giuseppe Fernandez, presidente del tribunale della regia gran Corte, D. Antonio Nigri, presidente del tribunale del concistoro della sacra regia coscienza, conte Borda, consultore, D. Nicolò Pensabene, presidente avvocato fiscale del tribunale della regia gran Corte, D. Francesco Maria Cavallaro, giudice della gran Corte civile, e D. Ignazio Perlongo, avvocato fiscale del tribunale del real patrimonio, l' incumbenza di tanta premura e rilievo, conferendoci tutte le opportune potestà e giurisdizioni necessarie ad usarsi per il conseguimento di sì importante fine, e perchè non solo conviene che fosse

1 Hoc edictum editum fuit contra interdictum in dioecesibus Cataniensi et Agrigentinâ, de quo vide const. ed. MDCCXIII, die 23 decembris, pontif. XIV, const. ed. MDCCXIV, die 6 novembris, pontif. XIV, et const. ed. MDCCXIV, die 29 novembris, pontif. XV; const. vero ed. MDCCXV, die 20 februarii, pontif. XV, abolebitur monarchia Sicula.

manifesta a tutti la real determinazione, ma anche conosca ognuno come da sua parte debba corrispondere all'obbligo di buon vassallo di Sua Maestà su l'osservanza degli accennati privilegi, consuetudini, preminenze, e regalie, e quali siano le pene che s' incorreranno da' trasgressori, si è divenuto d'ordine nostro alla presente generale notificanza ed editto, in vigore della giurisdizione e suprema potestà economica conferitaci da Sua Maestà, acciocchè resti intesa e notificata ogni persona di qualsivoglia grado e condizione, si secolare che ecclesiastica o regolare, come, arrivando in questo regno e sue isole coadiacenti, per via diretta o indiretta, qualsisia legge, rescritto, diploma, determinazione, bando, editto, dispaccio, privilegio, breve, provisione, esorto o lettera, in forma pubblica o privata, manoscritti o in stampa, spediti da qualsivoglia Corte o potestà straniera, quali immediatamente o mediatamente venissero, o senza alcuna particolar direzione, ed indi apparissero clandestinamente, o in altra maniera affissati in luoghi pubblici o privati, oppure con qualche direzione a qualsivoglia persona pubblica o privata, giudici, magistrati, superiore d'ogni Ordine, consesso e comunità, rettori particolari o universali di qualunque condizione, di ciascuna città, provincia, diocesi e università del regno, o di sue isole coadiacenti, non se li dovrà dare nessuna fede, esecuzione ed osservanza, ove prima non fossero resi autentici, legali ed eseguibili nella forma sempre costumata sì per diritto di legge particolare e consuetudine legittimamente prescritta in questo regno, come per altra universal ragione toccante ad ogni sovrano ne' suoi dominî. Avvertendosi ognuno che mai debbano intendersi resi autentici ed eseguibili li rescritti stranieri ed altri sovraccennati, se prima non fossero segnati dal regio *Exequatur* per via dell'avvocato fiscale del real patrimonio, a chi vien commesso l' esame di riconoscere se racchiudono pregiudizio o apportino diminuzione o lesione alcuna agli antichissimi privilegi, leggi e consuetudini del regno, oppure a' dritti della real corona di S. M., e preminenze della legazia apostolica e regia monarchia; e dandosi diversamente fede, osservanza o esecuzione, si notifica ed intima in vigor della presente notificanza ed editto alli contravventori e trasgressori, se saranno ecclesiastici o regolari, l'occupazione de' beni temporali, e come sediziosi e perturbatori della pubblica quiete avessero fra il termine di giorni quindici da partirsi da questo regno, e non entrare in parte, luogo, terra o città del dominio di S. M., e se saranno laici e secolari, se gli notifica ed intima la maggior disgrazia di S. M., ed altre pene le più gravi ad arbitrio nostro, *etiam usque ad mortem naturalem inclusive*. Ed acciocchè venga alla notizia di tutti, s' ha fatto la presente pubblica dichiarazione da affiggersi nei luoghi soliti, che servirà per intima formale ad ognuno, e non altrimente, nè in altro modo. — *Promulgetur*. — PENSABENE, praeses. F. P. P. S. P. U. BENSA, sindacus. Die VII decembris VIII indictionis, MDCCXIV. Constat per me FRANCISCUM PERINO, publicum praeconem huius felicis et fidelissimae urbis Panormi publicasse supradictum bannum per loca solita, publica et consueta tubis regiis, etc.

Causae praesentis declarationis, et edicti enormitas pluribus perstringitur.

§ 2. Perspectum profecto ac compertum habemus, eos, qui praeinsertum edictum seu bannimentum promulgarunt, mandata, litteras, aliaque decreta apostolica in eo complecti, ac forsan praecipue comprehendere voluisse; quemadmodum satis superque coniici potest, nedum ex eiusdem edicti tenore, verum etiam ex tot aliis praecedentibus actis, quibus eiusdem saecularis potestatis ministri pravum suum animum etiam apertius ostenderunt, dum, minime contenti publicatione aliorum consimilium edictorum, praeceptorum seu mandatorum, quibus libertas ecclesiastica et apostolica auctoritas manifeste laedebantur, ac libera huius Sanctae Sedis rescriptorum executio impediebatur, minis insuper atque terroribus, imo etiam carceribus, vinculis, exiliis, bonorum proscriptioni-

bus, aliisve poenis, eos fere omnes, qui eidem Sanctae Sedi debitam obedientiam praestiterunt, temere non minus quam sacrilege affixerunt; adeoque certi sumus quod ex solâ memorati edicti lectione quilibet sanae rectaeque mentis non modo illius evidentem nullitatem, verum etiam manifestam iniustitiam perspicue intelliget. Ambigere praeterea non possumus, quin horrore perfundendus sit quisquis illud legerit, dum inter cetera perspiciet ac animo reputabit eò temeritatis perventum esse, ut potestatis exterae titulus potestati illi adscribatur, quam nos per beatum Petrum eiusque successores a Domino accepimus in terris maximam, et quae in indigno haerede non deficit, perinde ac si Siciliae regnum extra terrarum orbem situm esset, cum neminem pene lateat[1] verba illa, quibus inclytus Claravallensis abbas Eugenium Pontificem allocutus fuit: *Orbe exeundum ei, qui forte volet explorare, quae non ad tuam pertinent curam*[2]. Illud insuper omnibus satis exploratum ac plane cognitum fore credimus, eiusdem saecularis potestatis administros, dum in memorato edicto vetitum voluerunt, ne cuiuscumque speciei rescripta ullo modo executioni demandari debeant, nisi prius ab advocato fiscali regii patrimonii recognita ac approbata fuerint, expresse declarando eidem advocato fiscali iniunctum esse munus, praevio examine, discutiendi an eiusmodi rescripta ullum praeiudicium privilegiis, legibus et consuetudinibus regni, vel iuribus regiis, aut praeeminentiis assertae regiae monarchiae inferre possint, execrabili nimis ausu conatos fuisse praedictum advocatum fiscalem iudiciorum Apostolicae Sedis iudicem constituere, ac uno eodemque tempore sublimem illam potestatem ligandi atque solvendi nobis ac Romano Pontifici pro tempore existenti a Domino traditam, quae non ancilla est, sed libera, ipsius saecularis potestatis arbitrio subiicere et mancipare; cum tamen sciamus quod magistratui ac principi sacerdotum exprobantibus: *Praecipiendo praecepimus vobis ne doceretis in nomine isto, et ecce replestis Ierusalem doctrina vestra*[1]; Petrus et apostoli responderunt: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Demum nec pariter dubitamus, quin quilibet catholicus, etiam absque ullius peculiaris nostrae declarationis vel admonitionis ope, satis agniturus per se sit, quam irregularis, absona ac scandalosa existat praefati edicti conclusio, in qua, ad iniquitatis non minus quam nullitatis ipsius edicti cumulum, transgressoribus et contraventoribus, illis nempe fidelibus, qui nullâ interpositâ morâ, promptoque animo mandata apostolica observant et exequuntur, Romanoque Pontifici, beati Petri apostolorum principis successori, et Iesu Christi vicario, veram illam obedientiam, quam ei quicumque catholicus in professione fidei spondet, praestare non detrectant, eadem saecularis potestas poenas imponit, si ecclesiastici quidem fuerint, tam saeculares quam regulares, occupationis bonorum temporalium ac exilii a regno, tamquam seditiosis publicaeque tranquillitatis perturbatoribus, si vero laici extiterint, indignationis ipsius saecularis potestatis, praeter alias poenas illius arbitrio irrogandas usque ad mortem naturalem inclusive.

Declaratio nullitatis edicti cum illius damnatione.

§ 3. Nihilominus nos, qui quorumcumque tam Apostolicae Sedis quam Ecclesiae iurium assertores in terris a Domino constituti sumus, probe intelli-

1 Potius lege *lateant* (R. T.).

2 S. Bern., *De Consid.*, lib. III, cap. 1.

1 *Act. Apost.*, cap. V, vers. 28.

gentes et recogitantes liberum nobis non esse in tam apertâ ac detestabili utriusque oppugnatione silere, ac insuper ambarum indemnitati, quantum nobis ex alto conceditur, opportune consulere, nec iis tantum quae hactenus gesta sunt congruum adhibere remedium, verum etiam aliis, quae sub iisdem erroneis, falsis damnatisque principiis, tam ab antedictâ congregatione, lunctâ nuncupatâ, quam ab aliis quibuscumque ministris ac delegatis, sive eiusdem saecularis potestatis, sive etiam praetensi tribunalis monarchiae Siculae deinceps attentari possent, tempestive occurrere cupientes, omniumque idcirco et singulorum, quae in praemissis, vel circa ea, tam ab iis qui praeinsertum edictum seu bannimentum promulgarunt, quam ab aliis quibuscumque, sive in sequelam eiusdem edicti vel bannimenti, sive aliàs, ad eumdem finem impediendi in regno praedicto executionem quarumcumque litterarum, mandatorum aliorumque rescriptorum apostolicorum, quovis modo decreta, iussa, ordinata, acta et gesta fuerunt, seriem, causas et circumstantias, ac tam praedictae quam alterius cuiusvis congregationis, seu lunctae, coetus et tribunalis eiusdem regni, necnon quorumcumque iudicum, ministrorum, etiam principalium, seu supremorum, officialium, notariorum, scribarum et personarum quarumlibet in eisdem praemissis culpabilium qualitates, dignitates, nomina et cognomina, aliave quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et singillatim specificatis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, edictum seu bannimentum praeinsertum, ac quaecumque in eo contenta, aliaque omnia, sive in illius sequelam, sive eodem consilio, tam ab ipsâmet congregatione, seu lunctâ, quae idem edictum vel bannimentum promulgavit, quam ab aliis quibuscumque congregationibus, coetibus, tribunalibus, iudicibus, ministris, officialibus et personis praefati regni Siciliae forsan acta, gesta et ordinata, cum omnibus et singulis inde secutis et quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla irrita, invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris et momenti vel efficaciae esse, et ab initio fuisse, ac perpetuo fore, neque illa a quoquam observari posse vel potuisse, adeoque nec ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent nec facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, ac si quae insuper a praedictis seu aliis praemissorum occasione, sive ad eumdem finem quoquomodo impediendi executionem litterarum, mandatorum et decretorum apostolicorum in eodem regno, quandocumque et quomodocumque (quod Deus avertat) de cetero similiter agi, geri et ordinari contigerit, harum serie damnamus, reprobamus revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis, semper haberi volumus et mandamus.

Obligatio christifidelium obediendi apostolicis decretis, et reservatio cen-

§ 4. Sciant propterea universi christifideles eiusdem regni, memorato, sive alio quovis edicto, mandato seu prae-

surarum in quas incurrerunt violatores potestatis ecclesiasticae.

cepto, quod a praefatae saecularis potestatis sive etiam praetensi tribunalis monarchiae Siculae ministris quibuslibet in posterum promulgari contingeret, non obstante, sese teneri ac obligatos esse decretis, ordinationibus, mandatis, litteris aliisque provisionibus apostolicis quibuscumque, vigore illius potestatis nobis ac pro tempore existenti Romano Pontifici divinitus concessae, tam hactenus editis, quam de cetero quandocumque edendis, veram, integram et omnimodam obedientiam praestare atque exhibere. Praeterea, cum notorii ius sit, non tam illos qui praeinsertum edictum seu bannimentum ediderunt ac promulgarunt, quam alios omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis quantumcumque excelsae ac sublimis fuerint, qui sive editionem, publicationem et affixionem eiusdem edicti vel bannimenti, sive alia eodem consilio, sicut praemittitur, quovis modo gesta, mandarunt ac ordinarunt, seu illis consilium, auxilium, favorem, vel quamvis aliam damnabilem operam praestiterunt, aut in eorum sequelam et executionem similiter gesta approbarunt, et rata habuerunt, seu aliàs in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, censuras omnes et poenas ecclesiasticas, contra similia perpetrantes a sacris canonibus, generalium conciliorum decretis, et apostolicis constitutionibus, ac praesertim litteris die Coenae Domini singulis annis legi et promulgari consuetis, inflictas, eo ipso incurrisse, illasque insuper etiam incursuros esse eos omnes qui similia, ad eumdem finem quoquomodo impediendi executionem litterarum aliorumve decretorum apostolicorum in regno supradicto, de cetero peregerint, ut praefertur; noverint idcirco illi omnes, etiam specialissimâ mentione digni, a censuris et poenis huiusmodi, post debitam et condignam Ecclesiae realiter et cum effectu praestitam satisfactionem, nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras et poenas, eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari posse, prout eorumdem tenore praesentium decernimus et similiter declaramus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes pariter, etc.[1].

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus praemissis, etc., ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium publicatio et fides transumptorum.

§ 7. Cum autem eaedem praesentes litterae in memorato regno Siciliae nequeant tute publicari, ut hactenus experientiâ compertum est, ac, ex iis quae in praeinserto edicto seu bannimento habentur, manifesto apparet, imo hoc ipsum insuper per legitimas probationes satis superque nobis constat, prout harum serie pariter declaramus; volumus illas, seu earum exempla, etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI ianuarii MDCCXV, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 11 ianuarii 1715, pontif. anno XV.

CCXIV.

Aboletur monarchia Sicula, seu legatio apostolica, cum revocatione privilegiorum, et pollicitatione modi servandi in foro ecclesiastico[2].

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, quem Salvator et Dominus noster aequi bonique supre-

1 Reliqua omittimus, quia ipsissimae clausulae leguntur supra, pag. 642, toties repetitae (R. T.).

2 Const. praec. nullum declaratum fuit edi-

mum assertorem in terris constituit, ut, iuxta propheticum verbum, noxia evellat et destruat, utiliaque plantet et aedificet, ea interdum, quae non solum minus legitimis subnixa titulis in ecclesiasticae libertatis atque apostolicae auctoritatis perniciem invecta esse cognoscit, sed quae etiam rationabilibus ex causis ab hac Sanctâ Sede aliquando concessa fuisse non dubitat, ubi rerum experientia ita suadeat, gravioresque causae, quibus praesertim Ecclesiae rationibus, animarum saluti, rectoque rerum ordini opportune consulitur, hoc ipsum exposcant, sapienti consilio abolet, revocat, rescindit et immutat, ac aliàs desuper pastoralis sollicitudinis et providentiae suae partes interponit, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Infirmitas fundamenti praetensae Monarchiae Siculae.

§ 1. Sane, cum, divinâ ordinatione sacrorumque canonum definitionibus, ecclesiasticae ac saecularis potestatis discreta sint munera, nemo prope est qui ignoret, gravissimos viros, eximiâ non minus pietate conspicuos, quam zelo incorruptae disciplinae celebres, sacraeque antiquitatis cognitione praeclaros, magnas protulisse querelas de eo regni Siciliae tribunali, quod monarchiam appellant, S. R. E. primatui ipsâmet sui nominis novitate plurimum iniurioso; in quo scilicet, non sine apertâ sacrarum legum violatione, spiritualia iura sanctuarii per saecularem potestatem administrari noverant, praetensaeque pontificiae legationis titulo acerbissima Apostolicae Sedis auctoritati vulnera infligi deplorabant. Ut talem proinde ac tantam ecclesiasticae iurisdictionis perturbationem, quantum in ipsis erat, fundi-

ctum congregationis *Iunctae* in regno Siciliae contra rescripta apostolica, et const. seq. traditur modus servandus in foro ecclesiastico.

tus everterent, luculentis commentariis primo quidem planum facere studuerunt, non obscuris indiciis deprehendi privilegium illud, quo saeculares ministri monarchiam Siculam suffultam esse contendunt, quodque dudum Rogerio Siciliae comiti a felicis recordationis Urbano Papa II praedecessore nostro concessum ferunt, vel omnino fictum ac commentitium esse, vel saltem insignis alicuius veteratoris fraude corruptum ac depravatum. Nullum deinde in eo, licet verum esset ac minime vitiatum, supradictae monarchiae vestigium reperiri, sed pravos potius plerosque illius tribunalis usus ipsismet allati privilegii verbis coërceri declararunt, cum nullam per huiusmodi privilegium eidem Rogerio comiti ecclesiastici iuris dicendi facultatem tributam fuisse contenderent, sed filialis auxilii partes dumtaxat demandatas, ut apostolicas ordinationes pro suâ in Ecclesiam reverentiâ exequeretur. Addiderunt praeterea, tametsi decantatam illam apostolicae legationis potestatem ac monarchiam memorato Rogerio comiti atque eius filio Simoni, sive alteri qui legitimus illius haeres extitisset, idem Urbanus praedecessor concessisset, imo etiam ad alios ipsius haeredes, quod falsum omnino censuerunt, extendisset, nunquam profecto illam ad omnes promiscue Siciliae reges propagari potuisse, aut ita cum temporalibus iuribus regni coalescere, ut in quamdam veluti saecularis imperii praerogativam evaderet. Ad haec pluribus documentis probarunt, praedicti Urbani praedecessoris privilegium, si quod unquam concessum fuisset, etiam cum eâ potestatis amplitudine, quam monarchiae magistratus temere arripuerunt (quod tamen illi sine gravi ipsius Urbani praedecessoris acerrimi ecclesiasticorum iurium ac fortissimi vindicis iniuriâ ne-

quaquam dici posse constanter asserebant), abrogatum postea fuisse iteratis plurium Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum litteris ac decretis, quibus, nullo obstante rescripto quod ab eâdem Apostolicâ Sede fuisset impetratum, Romanae Ecclesiae iura etiam quoad legationes et appellationes in regno praedicto restituta fuerunt, ipsis Siciliae regibus subortos contra ecclesiasticam immunitatem abusus palam detestantibus atque eiurantibus. Postremo, quoniam optima legum ac privilegiorum interpres est consuetudo, huius etiam plurimis testimoniis monarchiam praefatam improbare non omiserunt, recensentes scilicet frequentissimas, post eiusdem Urbani praedecessoris tempora, apostolicas in Siciliam missas legationes, delatas ad Sedem praedictam appellationes, aliosque in Siculorum causis pontificiae auctoritatis editos actus, quibus asserta memoratae monarchiae privilegia cohaerere minime poterat. Mirandum idcirco sibi videri, quo pacto nonnisi post plurium saeculorum silentium emergere potuerint, et confestim ad tantam amplitudinem progredi praetensae legationis facultates, quarum diploma superiores Siciliae reges nunquam produxerint, iis praesertim in controversiis, in quibus illud maximo usui rebus suis fuissent habituri. Haec omnia, neque illustrium scriptorum auctoritate, nec pluribus historiarum monumentis, nec valido demum argumentorum robore destituta esse, maiores nostri probe agnoverunt. Maluit nihilominus hucusque Apostolica Sedes, de catholicorum principum religione confisa, a Siculorum regum pietate, quos paternis identidem monitis ad id hortari atque excitare non praetermisit, optatam atque integram Ecclesiae libertatem praestolari, quam, positâ ad radicem securi, invectae servitutis causas, quas tamen interea nunquam approbavit, imo saepius reprobavit, exscindere.

Causae praesentis abolitionis.

§ 2. Cum autem ex diuturnâ patientiâ adeo in dies ingravescere, ac praesertim ab aliquot annis in tantum apostolicae potestatis contemptum grassari malum perrexerit, ut in eos novissime abusus eruperit, qui nimium omnibus innotescunt, aperteque patefaciunt, ultra visibile illud Ecclesiae quod a fidelibus unicum colitur, novum aliud ac vere monstruosum in regno Siciliae ostentari caput eidem Ecclesiae superinductum, a quo scilicet, per summam ac intolerabilem temeritatem, vero Ecclesiae capiti ac Iesu Christi vicario, quasi infestis signis, bellum palam indicitur, dum ab eo nostra atque huius Sanctae Sedis mandata rescinduntur, litterae ac rescripta contemnuntur, censurae revocantur, illi insuper, qui nobis ac Sedi praedictae debitam obedientiam exhibent, exilii, carceris, bonorum interceptionis, aliisque gravioribus poenis severe plectuntur; ii demum, qui illâmet litigandi ac solvendi potestate, quam per beatum Petrum eiusque successores a Domine accepimus, ligati a nobis sunt, nefarie solvuntur, aliique contra, qui a nobis soluti sunt, impudentissime ligantur; explorati vero ac comperti iuris sit, invalescentibus corruptelis, etiam certissima ipsa ab eâdem Sede concessa ac saepius confirmata privilegia omnino deleri atque abrogari posse, imo etiam debere; cum, legum omnium iudicio, privilegium mereatur amittere, qui permissâ sibi abutitur potestate, nec unquam sit inexcusabilior abusus, quam cum is, qui privilegium accepit, adversus eum, qui illud concessit, insurgit, eiusque iussionibus pertinaciter obsistere non veretur, merito propterea reco-

lendae memoriae Alexandro Papa III[1] etiam praedecessore nostro quibusdam archiepiscopis et episcopis scribente: *Pro certo scialis, quod nos concessa vobis privilegia decurtabimus, Ecclesiae Romanae scriptis authenticis obviare minime timeatis:* hinc est quod nos, pro commissi nobis divinitus pastoralis muneris debito, sacrificare sacrificium iustitiae, et Ecclesiae Dei iura ac libertatem, necnon huius Sanctae Sedis auctoritatem dignitatemque constanter ac viriliter propugnare parati, nihil profecto de nobis, sed omnia de Eo praesumentes, qui nos confortat et operatur in nobis, exurgere tandem in Domino, atque, ut iudicium nostrum de vultu illius prodeat, divinâ eius ope enixis tam nostris quam aliorum precibus humiliter prius imploratâ, abominationem desolationis, stantem in loco sancto, apostolicae districtionis sarculo radicitus evellere atque extirpare decreverimus: probe agnoscentes, liberum iam nobis non esse diuturniori longanimitate committere, ut, Siculae monarchiae privilegiorum obtentu, ecclesiastici ordinis dignitas penitus collabatur.

Abolitio praedictae monarchiae cum revocatione privilegiorum.

§ 3. Habitâ itaque super praemissis cum particulari Congregatione nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositorum, necnon quorumdam dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum, qui rem mature discusserunt, longâ ac diligenti deliberatione, auditisque insuper hac in re quampluribus in sacrâ theologiâ magistris et in decretis doctoribus, qui omnes unanimi voce adversus monarchiam praefatam ad nos clamarunt propheticum illud repetentes: *Succidite arborem et dissipate illam*[1]; omnium denique et singulorum, si quae sint, privilegiorum seu indultorum tam a memorato Urbano quam ab aliis quibuscumque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris eidem monarchiae illiusque tribunali quandocumque et quacumque ex causâ concessorum ac quantiscumque vicibus confirmatorum, necnon quarumcumque, si quae pariter sint, desuper expeditarum litterarum tenores et datas ac circumstantias quaslibet, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis, personarum vero, in quarum favorem privilegia seu indulta huiusmodi concessa asseruntur, qualitates ac dignitates quantumcumque sublimes et in laicali ordine supremas, necnon eiusdem tribunalis iudicis, notariorum, scribarum, ministrorum, seu officialium quorumlibet nomina et cognomina, aliave quaecumque etiam specificam et individuam mentionem requirentia, pro plenissime et exactissime specificatis habentes, de eorumdem cardinalium consilio pariter et assensu, ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praetensam apostolicam regni Siciliae legationem ac monarchiam nuncupatam, huius assertum tribunal, unâ cum illius iudicis, notariorum, scribarum, ministrorum, aliorumque officialium quorumlibet, quovis nomine nuncupatorum, dignitatibus, officiis et ministeriis quibuscumque, omnique eorum titulo, essentiâ ac denominatione, tenore praesentium perpetuo extinguimus, supprimimus et abolemus. Necnon omnia et singula privilegia, facultates et indulta, si quae sint, tam specialia quam generalia, illis et illorum cuilibet a quibuscumque Romanis Pontificibus praede-

1 *Cap.* Dilecti filii, *De privilegiis.*

1 *Daniel*, cap. II, vers. 20.

cessoribus nostris, ex quacumque causâ, ac quorumcumque meritorum intuitu et contemplatione, seu aliàs quomodolibet concessa, ac pluries confirmata et innovata, penitus et omnino rescindimus, cassamus, delemus, revocamus et abrogamus. Volentes propterea ac mandantes, ut illa omnia pro extinctis, suppressis et abolitis, necnon respective rescissis, cassatis, deletis, revocatis et abrogatis, ab universis christifidelibus perpetuo haberi ac reputari debeant; adeoque eisdem christifidelibus, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, ordinis, praeeminentiae ac dignitatis, sive ecclesiasticae sive laicalis, etiam specialem et individuam expressionem requirentis, existant, harum serie interdicentes, ne aliquid unquam, quod extinctioni, suppressioni, abolitioni, aliisque praemissis, directe vel indirecte seu aliàs quomodolibet adversetur, facere, moliri seu attentare quoquo modo audeant vel presumant, sub poenâ excommunicationis latae sententiae, per contrafacientes absque aliâ declaratione ipso facto incurrendâ, a qua nemo a quoquam, praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit.

Pollicitatio cuiusdam modi servandi in foro ecclesiastico, donec apostolica Sedes aliter provideat.

§ 4. Ceterum, quia ad praemissa devenimus, non quidem animo avocandi Siculas causas ad nostra haec Romanae curiae tribunalia, licet id ceteroqui perspicuis ac notissimis huius Sanctae Sedis iuribus inniteretur, priscoque Ecclesiae mori omnino esset consentaneum, sed eo tantum consilio ut sacrosanctae Dei Ecclesiae libertatem tueremur, nostram et huius Sanctae Sedis auctoritatem vindicaremus, necnon periclitantium animarum saluti pro pontificiae sollicitudinis nostrae debito prospiceremus: idcirco, christifidelium illarum partium, quos vere in visceribus gerimus paternae charitatis, incommodis ac dispendiis, quae eis quomodolibet hinc evenire possent, opportunis mediis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere non omittemus; interea vero modum aliquem propediem praescribemus, quo causae praedictae, ad forum ecclesiasticum pertinentes, etiam abolito monarchiae Siculae tribunali, de cetero in eodem regno Siciliae, et, quod caput est, recte ac ordine cognosci possint, fineque debito terminari, donec a nobis et Sede Apostolicâ praedictâ nationis Siculae indemnitati amplioribus gratiis consulatur.

Clausulae amplissimae.

§ 5. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quilibet in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis etiam regiae et imperialis existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno ac substantiali ac inexcogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari,

aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac, quibuscumque iuris seu facti defectibus, qui adversus illas a saeculari potissimum potestate seu praedicto abolito et extincto monarchiae Siciliae tribunali illorumque ministris quibuslibet, ad effectum impediendi seu retardandi earum executionem, quovis modo seu ex quavis ceusâ opponi seu obiici possent, minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, easque propterea, omnibus et singulis per eamdem saecularem potestatem sive per idem abolitum ac extinctum tribunal eorumque ministros quoscumque quomodolibet allatis seu afferendis impedimentis penitus et omnino reiectis ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et praefatae Sedis Apostolicae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus ac praescriptionibus, quantumvis longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibuscumque regnis, provinciis ac personis, etiam imperiali, regiâ, aliâve qualibet mundanâ seu etiam ecclesiasticâ dignitate fulgentibus, seu aliâs specificâ et individuâ mentione dignis, a Sede praedictâ, ex quacumque causâ, etiam per viam contractus et remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, seu aliâs quomodolibet, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus confirmatis et innovatis, etiam continentibus, quod excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de privilegiis et indultis huiusmodi mentionem; quibus omnibus et et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac si de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis

habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque

Fides transumptorum.

§ 7. Cum autem eaedem praesentes litterae in memorato regno Siciliae nequeant tute publicari, ut hactenus experientiâ compertum est, ac nobis per legitimas probationes satis superque constat, prout harum serie declaramus; volumus illas, seu earum exempla, ut ad omnium notitiam deveniant, ad valvas ecclesiae Lateranensis ac basilicae Principis apostolorum, necnon Cancellaria apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari; sicque publicatas et affixas, post duos menses a die earum publicationis et affixionis computandos, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum extinctionis, suppressionis, abolitionis, rescissionis, cassationis, deletionis, revocationis, abrogationis, mandati, interdictionis, declarationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXV[1], X kalendas martii, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 20 februarii 1715, pontif. anno XV.

✠ EGO CLEMENS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

†
† N. episcopus Portuensis cardinalis Acciaiolus.
†
† Ego F. episcopus Praenestinus cardinalis Spada.
† F. episcopus Sabinensis cardinalis Astallius.
† Ego F. episcopus Albanensis cardinalis de Abdua.
† Ego G. tituli S. Laurentii in Lucinâ prior presbyterorum cardinalis Marescottus.
† Ego B. tituli S. Praxedis cardinalis Panciaticus.
†
†
†
†
† Ego F. T. M. tituli S. Clementis cardinalis Ferrarius.
† Ego Ioseph tituli S. Mariae Transpontinae presbyter cardinalis Sacripantes.

1 Edit. Main. legit *1714* (R. T.).

† Ego I. B. tituli S. Caesarei cardinalis Spinula, S. R. E. camerarius.
†
† Ego F. tituli Ss. Ioannis et Pauli cardinalis Paulutius, maior poenitentiarius.
†
†
† Ego F. tituli S. Eusebii presbyter cardinalis Martellus.
† Ego L. tituli S. Petri ad Vincula cardinalis Casonus.
† Ego L. tituli S. Susannae presbyter cardinalis Corsinus.
†
†
† Ego T. tituli S. Mariae Transtyberim cardinalis Rufus.
†
†
† Ego Ioseph tituli S. Mariae Angelorum cardinalis Vallemanus.
†
†
†
† Ego C. A. tituli S. Augustini presbyter cardinalis Fabronus.
† Ego M. A. tituli Ss. Quirici et Iulitae presbyter cardinalis de Comitibus.
†
† Ego L. tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Picus.
†
†
†
†
†
†
† Ego P. M. tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Corradinus.
†
†
†
†
† Ego A. tituli S. Marci cardinalis Priolus S. Marci nuncupatus.
† Ego Ioannes B. tituli S. Stephani in Monte Caelio presbyter cardinalis Ptolomaeus.
† Ego F. M. tituli S. Priscae presbyter cardinalis Casinus.
†
† Ego B. S. Mariae in Viâ Latâ diaconus cardinalis Pamphilius.
† Ego P. tituli S. Laurentii in Damaso cardinalis Ottobonus, S. R. E. vice-cancellarius.
† Ego C. S. Agathae Gothorum diaconus cardinalis Bichius.
† Ego I. R. S. Georgii in Velabro diaconus cardinalis Imperialis.
† Ego Franciscus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Barberinus.
† Ego L. S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis de Alteriis.
† Ego C. S. Mariae de Scala diaconus cardinalis Columna.
†
† Ego Nicolaus S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Grimaldus.
† Ego Annibal S. Eustachii diaconus cardinalis Albanus.
† Ego Curtius S. Mariae in Dominicâ diaconus cardinalis Origus.
†

CCXV.

Praescribitur modus servandus in foro ecclesiastico pro regno Siciliae, cum tabellâ iudicum seu tribunalium[1].

Clemens Papa XI.
Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Refertur constitutio abolitionis monarchiae, in qua indicatus fuit praedictus modus, cuius causae hic exponuntur.

Cum nos hodie speciali nostrâ ac perpetuo valiturâ constitutione, gravissimis atque iustissimis rationibus adducti, seu potius compulsi, praetensam apostolicam istius regni Siciliae legationem ac monarchiam nuncupatam, eiusque assertum tribunal, unâ cum illius iudicis, notario-

1 Constitut. praecedenti abolita fuit monarchia Sicula; et const. ed. MDCCXV, die 8 iunii, pontif. XV, declaratur nulla appellatio procuratoris fiscalis regni Siciliae adversus binas apostolicas constitutiones.

rum, scribarum, ministrorum, aliorumque officialium quorumlibet quovis nomine nuncupatorum dignitatibus, officiis et ministeriis quibuscumque, omnique eorum titulo, essentiâ ac denominatione, traditâ nobis ab omnipotenti Deo auctoritate, extinxerimus, suppresserimus et aboleverimus, nec non omnia et singula, si quae essent, illis et illorum cuilibet a quibuscumque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris quomodolibet concessa ac pluries confirmata privilegia, facultates et indulta penitus ac omnino resciderimus, cassaverimus, revocaverimus et abrogaverimus, illaque pro extinctis, suppressis et abolitis, nec non respective rescissis, cassatis, revocatis et abrogatis, ab omnibus christifidelibus perpetuo haberi ac reputari debere voluerimus ac mandaverimus; uno eodemque tempore considerantes apostolicae nostrae providentiae esse incommodis ac periculis vestris mature occurrere ac interim modum aliquem praescribere, quo causae ad forum ecclesiasticum pertinentes, abolito iam monarchiae Siculae tribunali, recte ac ordine, et nihilominus, quantum fieri potest, sine maiori partium litigantium dispendio, cognosci possent, fineque debito terminari, eiusmodi modum non aliunde quam ex canonicarum sanctionum censurâ petendum, nec iudices pro earumdem causarum cognitione ac terminatione alibi quam in istomet regno constituendos esse censuimus: primum quidem, ut testatum omnibus faceremus, nos ad praemissa devenisse, non quidem animo augendi Siculis causis Romanae Curiae subsellia, sed eâ tantum mente, ut, enormibus et gravissimis scandalis, quibus universi propemodum christifideles summopere offendebantur, apostolicâ falce succisis, Ecclesiae honori, pontificiae auctoritatis vindicationi, animarumque saluti pro commisso nobis caelitus pastorali munere consuleremus: deinde vero ut vobis manifestum fieret nos eâ in re, pro paternâ qua regnum istud in Domino complectimur charitate, utilitatis commodique vestri congruam habuisse rationem. Hinc igitur est quod nos, diuturnâ atque maturâ, sicut negotii gravitas flagitabat, consultatione adhibitâ, auditâque desuper nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium ac dilectorum filiorum eiusdem Romanae Curiae praelatorum sacrarum legum doctrinâ rerumque usu praestantium sententiâ, pro facili, rectâ ac ordinatâ praedictarum causarum directione sequentem normam praescribere ac sancire decrevimus, quam de cetero ab iis omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inconcusse ac inviolabiliter observari volumus et mandamus, donec aliâ ratione a nobis et ab hac Sanctâ Sede indemnitati vestrae plenius ac uberius prospiciatur.

Modus servandus in causis praescribitur.

§ 1. Causae omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, cuiuscumque sint generis, in primâ instantiâ coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, nec ab eorum tribunali avocari possint, nisi titulo tantum appellationis a sententiâ definitivâ, aut ab interlocutoriâ definitivae vim habente, cuius gravamen per appellationem a definitivâ reparari nequeat, vel nisi integro biennio, a die motae litis cumputando, coram ipsis Ordinariis pependerint indecisae, quemadmodum Tridentini Concilii decreto in cap. *Causae omnes,* sess. XXIV, *De reformat,* salubriter cautum est: quod si secus fiat, quaevis appellatio, inhibitio aut sententia, ad eiusdem Concilii praescriptum, eo ipso irrita sit, ac nullius prorsus roboris vel momenti.

In primâ instantiâ causae omnes spectant ad Ordinarium.

In secundâ ad metropolitanum.

§ 2. A sententiâ Ordinarii ad metropolitanum, vel ad alium episcopum metropolitani loco a nobis subrogatum, iuxta ordinem inferius praescribendum, appelletur, servatâ in omnibus formâ quae a supradicto Concilio sancitur.

In tertiâ ad delegatum apostolicum a sententia metropolitani.

§ 3. Ubi vero metropolitanus, vel episcopus metropolitani loco ut praefertur subrogatus, in causâ pronunciaverit, partibus vel earum alteri liberum sit ab illius sententiâ ad apostolicum delegatum provocare, servato ordine, de quo infra, ac ipsius Concilii praescripto.

In quartâ ad Romanum Pontificem, qui causam in partibus cognoscendam committet.

§ 4 Quicumque a sententiâ vel decreto apostolici delegati gravatum se senserit, ad nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem poterit appellare, a quo causae cognitio iudici ecclesiastico in partibus Siciliae committetur per litteras apostolicas necessariis et opportunis clausulis, prout iuris fuerit, muniendas, ac eâ potissimum quod, si partes in illum non consenserint, alium ipse deputare valeat iisdem partibus non suspectum.

In causis beneficialibus viginti quatuor ducatorum, et profanis quinquaginta, a delegato ad iudices synodales.

§ 5. In causis beneficialibus valorem viginti quatuor ducatorum auri de camerâ, nec non in profanis summam quinquaginta ducatorum similium non excedentibus, pars, quae a iudicio delegati apostolici gravamen illatum sibi fuisse conqueretur, ut appellationis remedio consulere sibi possit, adibit tres iudices synodales antiquiores dioecesis eiusdem delegati, qui, tamquam arbitri, an appellatio reiici vel admitti debeat, et quibus clausulis causa sit committenda, praevio diligenti examine, respicient. Quod si causam committendam esse censuerint, ipsi, tamquam apostolici delegati, iudicem deputabunt partibus non suspectum. Hunc autem in finem, praedictis iudicibus synodalibus quascumque facultates necessarias ac opportunas concedimus et impertimur.

In causis regularium a conservatoribus ad iudices synodales.

§ 6. Porro, in causis in quibus conservatores regularium decretum vel sententiam tulerint, qui se ab illis gravatum existimaverit, recurrere similiter poterit ad tres antiquiores iudices synodales illius dioecesis, ubi iudicium latum est: qui quidem iudices, tamquam arbitri, cognitis utriusque partis iuribus, statuent an appellatio reiici vel admitti et quibus clausulis causa committi debeat. Quod si causam committendam esse duxerint, tamquam apostolici delegati iudicem deputabunt partibus non suspectum cum omnibus facultatibus necessariis ac opportunis. Ceterum, qui a sententiâ aut decreto huius secundi iudicis gravatum se senserit, adibit tres antiquiores iudices synodales metropolitanae dioecesis, vel illius quae metropolitanae locum obtinebit in ordine inferius praescribendo: qui sane iudices alium deputabunt iudicem eâ prorsus ratione quae supra quoad modum appellandi a iudicio conservatorum praescripta fuit. Omnibus autem praedictis iudicibus synodalibus tam metropolitanae quam alterius dioecesis quascumque facultates ad praemissorum effectum necessarias et opportunas concedimus et impertimur.

In criminalibus regularium ab Ordinario ad iudices synodales.

§ 7. In criminalibus causis regularium, quando hi deliquerint intra claustra, Tridentini Concilii et peculiarium illius Ordinis, quem quilibet delinquens professus fuerit, constitutionum[1] dispositio exacte servetur. Quod si delinquant extra claustra, vel extra monasterium degant, ab episcopis, iuxta eiusdem Tridentini Concilii et apostolicarum constitutionum praescriptum, iudicentur ac puniantur. Qui vero episcopi iudicio acquiescere detrectaverit, provocare poterit ad tres antiquiores iudices synodales dioecesis illiusmet episcopi, a quo

1 Male edit. Main. legit *constitutionem* (R.T.).

iudicatus fuit; qui plane iudices, tamquam arbitri, an appellatio admittenda vel reiicienda sit et quomodo causam committi oporteat, praevio maturo examine, decernent. Ubi vero eam committendam esse statuerint, iudicem deputabunt partibus non suspectum cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis. Quod si quis ab huius secundi iudicis sententiâ vel decreto se gravatum putaverit, recurret ad tres iudices synodales antiquiores metropolitanae dioecesis, vel illius quae metropolitanae loco, in ordine de quo infra, subrogabitur: hi autem iudices alium deputabunt iudicem eâ prorsus servatâ ratione quae supra quoad modum appellandi a iudicio episcopi sancita fuit. Omnibus pariter antedictis iudicibus synodalibus tam metropolitanae quam alterius dioecesis quascumque facultates ad praemissorum effectum quomodolibet necessarias et opportunas concedimus et impertimur.

In causis maioribus immediate ad Sanctam Sedem.

§ 8. Caveant tamen Ordinarii locorum, ne causis, quae maiores nuncupantur, quaeque apud Sedem Apostolicam tractari debent, sive in primâ sive etiam in aliâ ulteriori instantiâ ullo pacto se se ingerant aut immisceant; sed illae, iuxta memorati Tridentini Concilii, sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum praescriptum, in Romanâ tantum Curiâ vel a iudicibus quos Romanus Pontifex pro tempore existens specialiter deputaverit, cognoscantur.

Item ad Sanctam Sedem cognitio censurarum sibi reservatarum, et ab eisdem absolutio.

§ 9. Nulli praeterea ex supradictis sive primae, sivae secundae, sive etiam tertiae instantiae iudicibus, nec cuiquam alteri ecclesiastico iudici, cuiuscumque gradus et conditionis existat, tametsi legati a latere dignitate insignitus reperiatur, ullo unquam tempore liceat quempiam absolvere, etiam cum reincidentiâ et ad effectum agendi tantum, a censuris ecclesiasticis per litteras die Coenae Domini singulis annis legi et promulgari solitas sive alias apostolicas constitutiones inflictis, quarum absolutio soli Romano Pontifici reservatur: caveantque omnes antedicti, ne, postquam eaedem censurae ab ipsis declaratae ac promulgatae fuerint, ullo modo sese ingerant aut immisceant cognitioni, an illae earumve declaratoriae validae aut nullae, iustae aut iniustae sint; cum eiusmodi cognitionem Romano dumtaxat Pontifici pro tempore existenti, et Congregationi eiusdem S. R. E. cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositae, ad id ab Apostolicâ Sede specialiter deputatae, privative quoad omnes alios, competere satis constet.

Absolutio tamen a censuris ob violationem interdicti eiusdem concedetur Ordinariis.

§ 10. Attento nihilominus ingenti eorum numero, quos isthic, praesertim ob notam ecclesiastici interdicti, cui civitates ac dioeceses Cataniensis et Agrigentina iussu nostro subiectae fuerunt, violationem, in eiusmodi censuras nobis reservatas misere incidisse novimus, ut aeternae eorum saluti paternâ charitate consulamus, facultatem eos, qui resipuerint ac humiliter id flagitaverint, absolvendi, ad certum tempus duraturam, istius regni episcopis impertiri non detrectabimus, quo facilius atque commodius iisdem censuris innodati sacramentis Ecclesiae et communioni fidelium restitui possint.

Ordo ordinariorum, metropolitanorum etiam subrogatorum et delegatorum apostolicorum.

§ 11. Causae demum omnes, de quibus supra actum est, coram archiepiscopis, episcopis aliisque locorum Ordinariis, eo qui inferius praescribitur ordine, in posterum tractandae erunt.

§ 12. Prima instantia, iuxta Tridentini Concilii dispositionem, ad Ordinarium loci pertineat; ab Ordinario autem appellare liceat, et causae in ulterioribus instantiis cognoscantur ut infra.

§ 13. Ab archiepiscopo Panormitano appelletur ad episcopum Cephaludensem, cuius sit secunda instantia; ab episcopo Cephaludensi ad episcopum Cataniensem provocetur, ad quem, ut delegatum apostolicum, spectet tertia instantia.

§ 14. Ab archiepiscopo Montis Regalis appelletur ad episcopum Pactensem, et ab hoc ad episcopum Mazariensem ut delegatum apostolicum.

§ 15. Ab archiepiscopo Messanensi appelletur ad episcopum Syracusanum, et ab hoc ad episcopum Cataniensem ut delegatum apostolicum.

§ 16. Ab episcopo Cataniensi appelletur ad archiepiscopum Montis Regalis ut metropolitanum, et ab eo ad episcopum Agrigentinum ut delegatum apostolicum.

§ 17. Ab episcopo Syracusano appelletur ad archiepiscopum Montis Regalis ut metropolitanum, et ab eo ad episcopum Mazariensem ut delegatum apostolicum.

§ 18. Ab episcopo Agrigentino appelletur ad archiepiscopum Panormitanum ut metropolitanum, et ab eo ad episcopum Syracusanum ut delegatum apostolicum.

§ 19. Ab episcopo Mazariensi appelletur ad archiepiscopum Panormitanum ut metropolitanum, et ab eo ad archiepiscopum Messanensem ut delegatum apostolicum.

§ 20. Ab episcopo Cephaludensi appelletur ad archiepiscopum Messanensem ut metropolitanum, et ab eo ad episcopum Agrigentinum ut delegatum apostolicum.

§ 21. Ab episcopo Pactensi appelletur ad archiepiscopum Messanensem ut metropolitanum, et ab eo ad archiepiscopum Panormitanum ut delegatum apostolicum.

§ 22. Ab archimandrita Messanensi, qui iurisdictionem quasi episcopalem in nonnullis oppidis seu locis nullius dioecesis provinciae Messanensis exercere asseritur, appelletur ad episcopum Cataniensem, quem loco archiepiscopi Messanensis metropolitani subrogavimus, attentis pluribus litibus, quae, ut etiam asseritur, inter eosdem archiepiscopum et archimandritam pendent indecisae; a dicto autem episcopo Cataniensi ad archiepiscopum Panormitanum ut delegatum apostolicum.

§ 23. Ab abbate demum S. Luciae, qui similiter iurisdictionem quasi episcopalem in uno seu pluribus oppidis vel locis nullius dioecesis provinciae Messanensis exercere asseritur, appelletur ad archiepiscopum Messanensem ut metropolitanum, et ab eo ad archiepiscopum Montis Regalis ut delegatum apostolicum.

Praedicta ordinatione haud approbatur iurisdictio quasi episcopalis archimandritae Messanensis et abbatis S. Luciae.

§ 24. Per praemissa tamen non intendimus dictorum archimandritae Messanensis et abbatis S. Luciae assertam iurisdictionem quasi episcopalem ullatenus approbare, aut quidquam eis seu eorum alteri in quorumvis aliorum praeiudicium novi iuris tribuere.

Concessio facultatis pro laudatis praelatis.

§ 25. Ceterum omnibus et singulis archiepiscopis et episcopis supradictis tam pro secundâ loco metropolitanorum subrogatis, quam pro tertiâ respective instantiis sicut praemittitur delegatis, ut omnes et singulas causas ad eorum iudicium de cetero ut supra deferendas cognoscere ac legitime definiri[1] possint et valeant, quascumque facultates ad id quomodolibet necessarias et opportunas amplissime tribuimus et elargimur.

Derogatio contrariorum.

§ 26. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, ita ut vigore praesentium etiam

1 Aptius lege *definire* (R. T.).

ultra duas pluresve dietas quilibet in iudicium trahi possit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praedictâ nostrâ nuper editâ constitutione voluimus non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Hortatio pro praesentis constitutionis executione.

§ 27. Vos itaque potissimum, venerabiles fratres, vehementer hortamur ac admonemus, ut vigore pleno, quo episcopos agere oportet, ea, quae sancivimus, debitae executioni pro virili parte demandetis, ac etiam ab aliis, qui vobis subsunt, demandari strenue satagatis. Zelum proinde vestrum pro Ecclesiae iuribus ac libertate, proque vestrâ atque supremâ nostrâ et Apostolicae Sedis auctoritate, hoc tam necessario tempore, roborate palamque proferte, ambulantes in domo Domini cum consensu, quatenus antiqua vobis ac per vos reliquis istis fidelibus verae pietatis ac filialis in hanc Sanctam Sedem devotionis laus constet, et nos gratulari possimus ab electâ istâ dominici agri parte evulsa prorsus fuisse zizania, bonaeque frugis integritatem, idest veterem Ecclesiae disciplinam, debitam canonicis sanctionibus reverentiam, episcopalem denique et apostolicam dignitatem, ope potissimum fraternitatum vestrarum, pristinum in locum fuisse restitutam. Quae omnia, ut alacrius exequi valeatis, vobis omnibus, venerabiles fratres, dilecti filii, spiritualium charismatum incrementum ex animo a Deo precamur, perpetuumque paternae charitatis nostrae pignus, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Fides transumptorum.

§ 28. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx februarii MDCCXV, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 20 februarii 1715, pontif. anno XV.

Tabella tribunalium ecclesiasticorum regni Siciliae, iuxta modum in supradictis litteris apostolicis praefinitum.

PRIMA INSTANTIA.

1. Archiepiscopi Panormitani.
2. Archiepiscopi Montis Regalis.
5. Archiepiscopi Messanensis.
8. Episcopi Cataniensis.
11. Episcopi Syracusani.
14. Episcopi Agrigentini.
17. Episcopi Mazariensis.
20. Episcopi Cephaludensis.
23. Episcopi Pactensis.
26. Archimandritae Messanensis, nullius dioecesis, provinciae Messanensis.
29. Abbatis S. Luciae, nullius dioecesis, provinciae Messanensis.

SECUNDA INSTANTIA.

2. Episcopi Cephaludensis, *ut subrogati loco metropolitani.*
3. Episcopi Pactensis, *ut subrogati loco metropolitani.*
6. Episcopi Syracusani, *ut subrogati loco metropolitani.*
9. Archiepiscopi Montis Regalis, *ut metropolitani.*
12. Archiepiscopi Montis Regalis, *ut metropolitani.*
15. Archiepiscopi Panormitani, *ut metropolitani.*
18. Archiepiscopi Panormitani, *ut metropolitani.*
21. Archiepiscopi Messanensis, *ut metropolitani.*
24. Archiepiscopi Messanensis, *ut metropolitani.*
27. Episcopi Cataniensis, *ut subrogati loco metropolitani.*
30. Archiepiscopi Messanensis, *ut metropolitani.*

TERTIA INSTANTIA.

3. Episcopi Cataniensis, *ut delegati apostolici.*
4. Episcopi Mazariensis, *ut delegati.*
7. Episcopi Cataniensis, *ut delegati.*
10. Episcopi Agrigentini, *ut delegati.*
13. Episcopi Mazariensis, *ut delegati.*
16. Episcopi Syracusani, *ut delegati.*
19. Archiepiscopi Messanensis, *ut delegati.*
22. Episcopi Agrigentini, *ut delegati.*
25. Archiepiscopi Panormitani, *ut delegati.*
28. Archiepiscopi Panormitani, *ut delegati.*
31. Archiepiscopi Montis Regalis, *ut delegati.*

CCXVI.

Communicantur provinciae Bohemiae, Moraviae et Lusatiae Ordinis Cisterciensis privilegia a Gregorio XIV Congregationi S. Bernardi Hispaniarum concessa, et ab Urbano VIII ad Congregationem superioris Germaniae eiusdem Ordinis extensa [1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Constitutio Gregorii XIV.

§ 1. Dudum a felicis recordationis Gregorio PP. XIV praedecessore nostro ad favorem totius Congregationis regularis observantiae Ordinis Cisterciensis regnorum Hispaniae emanarunt litterae tenoris qui sequitur, videlicet:

Gregorius Papa XIV, ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex [2], religiosorum congregationibus, illarumque personis, praesertim sub regulari observantiâ et reformatione Altissimo famulantium, a Sede Apostolicâ concessa privilegia, nedum confirmare et approbare, sed et alia aliorum Ordinum regularibus personis et piis locis concessa ad eos quandoque extendere et ampliare consuevit, prout eorumdem religiosorum vota exposcunt, et ipse conspicit in Domino salubriter expedire. Sane, dilecti filii generalis reformator, abbates, priores et monachi totius Congregationis regularis observantiae S. Bernardi, Ordinis Cisterciensis, regnorum Hispaniae, nobis nuper exponi fecerunt, quod, cum aliàs per felicis recordationis Martinum V, Eugenium IV, nonnullosque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, seu Sedem praedictam, diversa privilegia, gratiae et indulta, tam eidem Ordini Cisterciensi, quam dictae Congregationi, eorum monasteriis, domibus, personis et locis generaliter et specialiter ac particulariter concessa seu forsan per eosdem et novissime per piae memoriae Sixtum Papam V praedecessorem nostrum confirmata et approbata, ac innovata et extensa seu ampliata fuerint, prout in litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur; cum autem firmius subsistant ea quae saepius apostolico fuerint roborata munimine: cupiunt prefati generalis, abbates, priores et aliae[1] utriusque sexus dictae Congregationis personae, pro illorum subsistentiâ firmiori, per nos confirmari et approbari, necnon, pro ipsorum generalis et personarum regularium eiusdem Congregationis consolatione et religionis augmento, quaecumque tam eidem Cisterciensi, quam quibuscumque aliis similium vel dissimilium Ordinibus et religionibus, eorumque congregationibus et monasteriis,

1 Gregorii XIV constitutio hic refertur; et constitutio Urbani VIII edit. fuit MDCXXIV, die 10 iunii. Huius Pontificis constit. edit. MDCCX, die 25 septembris, pontif. X, confirmata fuere quaedam officia sanctorum pro Congregatione S. Bernardi; const. edit. MDCCXVI, die 8 octobris, pontif. XVI, communicantur indulgentiae Ordinis provinciae Silesiae; et Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVIII, die 25 ianuarii, pontif. V, confirmantur privilegia Ordinis.

2 Similis habetur pro Congregatione S. Bernardi in Italiâ, tom. IX, pag. 467 (R. T.)

1 Edit. Main. legit *alii* (R. T.).

domibus, ecclesiis, piis ac charitativis locis, illorumque quibusvis superioribus, ac utriusque sexus regularibus personis concessa privilegia, facultates et indulta, quaecumque et qualiacumque sint, ad praefatam Congregationem regularis observantiae S. Bernardi, illius monasteria et quascumque utriusque sexus regulares personas extendi, illasque et illa eis communicari. Quare pro parte dictorum generalis, reformatoris, definitorum, consiliariorum, visitatorum, abbatum et aliarum dictarum personarum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eorum desiderio annuere, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos, qui regularium votis, praesertim religionis augmentum cernentibus[1] libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, singulorum privilegiorum, gratiarum et indultorum, ac desuper confectarum litterarum huiusmodi tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, necnon[2] generalem reformatorem, definitores, consiliarios, visitatores, abbates, priores, monachos, eorumque utriusque sexus regulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae fuerint, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula cuiusvis generis privilegia, praerogativas, concessiones et facultates, exemptiones et libertates, conservatorias, immunitates et indulta, absolutiones, dispensationes et peccatorum remissiones, indulgentias etiam plenarias, ceterasque gratias spirituales et temporales, etiam per modum communicationis ac extensionis dicto Ordini Cisterciensi ac huiusmodi Congregationi, illorumque utriusque sexus monasteriis, domibus, conventibus, ecclesiis, collegiis, piis et charitativis locis, rebus et bonis, necnon abbatibus, generalibus, eorumque capitulis, definitoribus, consiliariis, visitatoribus, abbatibus, etiam quatuor primis prioribus, officialibus, ministris, ac omnibus aliis eorum superioribus, praelatis, monachis, monialibus, et illorum utriusque sexus singularibus personis, in genere et in specie, ac tam coniunctim quam divisim, aut aliàs per praefatos et quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, et nos, Sedemque Apostolicam, eiusque legatos et nuncios, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam ad quorumvis instantiam, quomodolibet concessa seu communicata et extensa, necnon desuper confectas litteras ac scripturas quascumque, cum omnibus et singulis clausulis in eis contentis, quatenus sunt in usu et decretis Concilii Tridentini non adversantur, apostolicâ auctoritate, ac ex certâ nostrâ scientiâ, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti ac solemnitatum quarumcumque omissarum defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem, supplemus; et, pro potiori cautelâ, illa omnia et singula in eis contenta et comprehensa, cum illarum extensionibus, communicationibus et ampliationibus, eidem Congregationi S. Bernardi et singulis eius monasteriis, domibus, locis, eorumque superioribus et utriusque sexus regularibus personis de novo concedimus, et de uno monasterio eorum ad aliud

1 Aptius lege *concernentibus* (B. T.).

2 Supple *Ordinis et Congregationis praedictorum* (B. T.).

concedendo sine ullâ differentiâ extendimus. Et insuper, ob singularem reformationem et observantiam dictae Congregationis in eiusdem monasteriis institutam et conservatam, eosdem amplioribus favoribus decorare volentes, omnia et singula privilegia, praerogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes, absolutiones, relaxationes, dispensationes, dationes et indulgentias, etiam plenarias, ac peccatorum remissiones, conservatorias, immunitates, exemptiones, libertates, praeeminentias et indulta, cuiusvis generis existentia, ceterasque gratias spirituales et temporales tam eidem Cisterciensi eiusque abbati et capitulo etiam generali, etiam quatuor primis de Firmitate, Pontiniaco, Claravalle et Morimundo, quam etiam in S. Benedicti et quibusvis aliis similibus vel dissimilibus Ordinibus et religionibus, sub quibusvis regulis, constitutionibus aut ordinationibus degentibus seu militantibus, et quibusvis illarum respective congregationibus, militiis, eorumque professoribus, ac utriusque sexus eorum monasteriis, domibus, ecclesiis, necnon collegiis, universitatibus, piis ac charitativis locis, eorumque in quibusvis festivitatum ac aliis diebus ecclesias visitantibus, ac eorumdem religiosorum generalibus, praesidentibus et quibusvis superioribus, praelatis et capitulis, etiam generalibus, provincialibus seu intermediis, ac quibusvis officialibus, rectoribus, ministris, monachis, novitiis, monialibus, fratribus, conversis, et confratribus, procuratoribus, familiaribus, benefactoribus, ac eorum et earum utriusque sexus regularibus personis, tam in Urbe quam in quibuscumque partibus mundi consistentia[1] seu consistentibus, etiam illorum intuitu[2], aut aliàs quomodolibet concessa, quibus de iure, usu consuetudine et privilegio, seu concessione apostolicâ, regiâ, vel imperiali, archiepiscopali, in genere vel in specie, ac tam coniunctim quam divisim, etiam per solam signaturam, vel vivae vocis oraculo, aut per viam communicationis et extensionis, et motu proprio, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere quomodolibet possunt, quorum tenores praesentibus habere volumus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis, etiamsi talia sint vel forent quae specialem et individuam requirerent mentionem seu particularem insertionem, ad primodictam Congregationem regularis observantiae S. Bernardi, ac singula illius tam virorum quam mulierum monasteria, illorumque quoscumque superiores praelatos, et utriusque sexus quascumque regulares et singulares personas (ita quod dicta Congregatio S. Bernardi ac utriusque sexus eius monasteria, prioratus, grangiae, domus, ecclesiae[1], collegia, pia et charitativa loca, sanctorumque festivitates, conventus et capitula etiam generalia et particularia vel intermedia, generalisque reformator, definitores, consiliarii, visitatores, abbates, abbatissae, priores, et quicumque alii superiores, officiales et ministri, monachi, moniales, novitii, fratres, conversi, donati, oblati, commissi, familiares, confratres, procuratores, ac negotiorum gestores, benefactores, et aliae singulares utriusque sexus regulares personae, ac eorum res et bona, sub eorum curâ et secundum eiusdem Congregationis instituta nunc et pro tempore viventes et existentes,[2] praemissis omnibus et singulis, aeque pariformiter, respective, et absque

1 Saltem lege *consistentium* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *interitu* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *ecclesias* (R. T.).
2 Praeposit. *cum* hinc abiicimus (R. T.).

ullâ prorsus differentiâ, singula singulis concernentia, perinde ac si ea omnia illis et eorum singulis principaliter et expresse et non ad instar concessa fuissent, ac si in eis talis Ordo et Congregatio sancti Bernardi primodicta, illiusque capitula, monasteria, ecclesiae, dictique superiores, praelati, ac utriusque sexus dictae personae, res et bona, expressa et praenominata fuissent et essent, ac si pro et in favorem eorumdem a Sede Apostolicâ in principio emanassent et fuissent immediate concessa, in quantum eidem Congregationi expediat, eiusque gubernio, constitutionibus et definitionibus non adversentur, uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant) auctoritate et tenore praefatis concedimus[1] et indulgemus, illaque omnia et singula eis et eorum cuilibet, eisdem auctoritate et tenore, similiter perpetuo extendimus[2] et communicamus. Decernentes, praesentes litteras nullo unquam tempore quovis quaesito colore et ingenio de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio defectu notari, argui vel impugnari posse, neque sub quibusvis similium gratiarum revocationibus, limitationibus et suspensionibus, aut contrariis dispositionibus pro tempore emanandis minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validum statum, etiam sub datâ per superiores dictae Congregationis sancti Bernardi eligendâ, restitutas et denuo concessas fore, ac suos plenarios effectus sortiri, et inviolabiliter observari, sicque et non aliter per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam locorum Ordinarios, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, Sedis Apostolicae nuncios, et causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quopiam, quavis auctoritate fungente, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus venerabilibus fratribus nostris Toletano et Burgensi archiepiscopis, necnon dilectis filiis Salmaticensis universitatis Scholastico et abbatibus monasteriorum S. Martini Compostellanae et S. Vincentii Orensis dioecesis Ordinis sancti Bernardi et causarum Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, vel unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte generalis reformatoris, abbatum, priorum et monachorum praefatorum, aut alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque inviolabiliter observari, ac plenum effectum sortiri, necnon generalem, abbates, priores et monachos aliosque praefatos ac eorum singulos omnibus praemissis frui et gaudere; non permittentes eos[1] et eorum quemlibet desuper contra praesentium tenorem, sub quovis praetextu, vel subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel defectu intentionis nostrae, per quoscumque quomodolibet molestari, perturbari vel impediri; contradictores quoslibet et rebelles, etiam per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione quacumque postposità, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus,

1 Potius lege *extendimus* (R. T.).
2 Heic lege *concedimus* (R. T.).

1 Vocem *eos* nos addimus (R. T.).

sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus praemissis, et de non expediendis litteris super indulgentiis ad instar, ac piae memoriae Bonifacii VIII etiam praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dictis, aliisque apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quorumvis Ordinum, congregationum, monasteriorum et regularium locorum praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ[1] roboratis, statutis, consuetudinibus, declarationibus et inhibitionibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam legatis, nunciis, Ordinariis, et Ordinibus praefatis, eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam in fundatione vel dotatione obtentis, ac cum quibusvis etiam annullativis, cassativis et infectivis, declarativis, exceptivis, modificativis et mentis attentativis[2], et etiam communicationis prohibitionis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, et decretis irritantibus, ac etiam derogatoriarum derogatoriis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac aliàs quomodocumque per praedecessores nostros et nos Sedemque Apostolicam, etiam motu simili et consistorialiter, aut aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet pro tempore concessis, confirmatis, et iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, et non per clausulas generales idem importantes, praesentibus pro sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus[1] communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint[2] per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius ex scribis praefatorum abbatum aut praelatorum vel notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius monasterii dictae Congregationis S. Bernardi aut alterius personae in dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur in iudicio et extra illud, ac ubique locorum, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI iunii MDXCI, pontificatus nostri anno I.

Relata constitutio extensa fuit ad eamdem Congregationem superioris Germaniae.

§ 2. Et subinde piae memoriae Urbanus PP. VIII, pariter praedecessor noster, praedictas Gregorii praedecessoris litteras, toto illarum tenore inserto, ad universam Congregationem eiusdem sancti Bernardi Ordinis praedicti superioris Germaniae, sub certis modo et formâ tunc expressis, perpetuo extendit et ampliavit; et aliàs, prout in eiusdem Urbani praedecessoris desuper in simili formâ Brevis die X iunii MDCXXIV expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, plenius continetur.

Communicatio

§ 3. Cum autem, sicut dilecti filii

1 Deest vox *firmitate* (R. T.).
2 Potius lege *attestativis* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *aliquis* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *possit* (R. T.).

de quâ in rubrica.

moderni abbates et monachi provinciae seu vicariatus regni Bohemiae, Moraviae et utriusque Lusitaniae Ordinis praedicti nobis nuper exponi fecerunt, ipsi privilegiorum, indultorum et indulgentiarum huiusmodi communicationem ad eorum monasteria et personas per nos extendi plurimum desiderent: nos, ipsorum exponentium votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium, qui relationem dilecti filii moderni procuratoris generalis Ordinis praedicti super praemissis eisdem cardinalibus factam attenderunt, consilio, concessionem seu communicationem privilegiorum, indultorum, indulgentiarum et peccatorum remissionum, aliarumque gratiarum spiritualium et temporalium, praedictae Congregationi regularis observantiae sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis regnorum Hispaniae, illiusque superioribus, monachis et personis, ab eodem Gregorio praedecessore per litteras praeinsertas factam, et a memorato Urbano praedecessore ad universam Congregationem superioris Germaniae Ordinis huiusmodi respective extentas et ampliatas, ut praefertur, ad provinciam seu vicariatum huiusmodi, illiusque superiores, monachos et personas Ordinis praedicti, ad limites praedictarum litterarum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus pariter ampliamus, illaque omnia et singula eidem provinciae seu vicariatui, aliisque eiusdem Ordinis subiectis et subiiciendis monasteriis, quatenus tamen sint in usu, neque revocata, minusque sub aliquibus revocationibus comprehensa fuerint, communicamus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus, quos illae concernunt ac concernent quomodolibet in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliis omnibus et singulis quae in praeinsertis et aliis Urbani praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII martii MDCCXV, pontificatus nostri an. XV.

Dat. die 7 martii 1715, pontif. anno XV.

CCXVII.

Mandatur omnimoda observatio responsorum editorum in causâ rituum Sinensium cum formulâ iuramenti a missionariis praestandi, aliisque ordinationibus [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exordium a necessitate submovendi dissidia.

Ex illâ die, qua, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, catholicae Ecclesiae gubernacula, hoc est munus suâ amplitudine gravissimum ac temporum iniquitate molestissimum, Deo sic disponente, suscepimus, nihil nobis manum clavo admoventibus antiquius fuit, quam acerrimas contentiones iampridem in imperio Sinarum inter apostolicos illarum partium missionarios exortas, semperque in dies magis invalescentes, tam circa quasdam voces Sinicas ad sanctum et ineffabile Dei nomen exprimendum inibi usurpatas, quam circa nonnullos earum gentium ritus veluti superstitiosos a quibusdam ex missionariis praedictis reprobatos, ab illis [2] vero, utpote eos civiles tantum asserentibus, permissos, apostolici iudicii censurâ opportune dirimere, ut, sublatis dissidiis christianae religionis catholicaeque fidei propagationem turbantibus, omnes tandem id ipsum dicerent in eodem sensu et in eâdem sententiâ, unoque ore glorificaretur Deus ab iis qui sanctificati sunt in Christo Iesu.

Hinc edita et confirmata sequentia responsa.

§ 1. Hoc consilio responsa illa, quae ad varias quaestiones super eiusmodi rebus excitatas, praevio diuturno examine, dudum, videlicet tempore felicis recordationis Innocentii Papae XII praedecessoris nostri, inchoato, ac deinde iussu nostro per plures annos continuato, auditisque utriusque partis rationibus, necnon complurium theologorum et qualificatorum sententiis, a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium in totâ republicâ christianâ generalium inquisitorum adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolicâ deputatorum data fuerunt, nos die XX novembris MDCCIV eâdem auctoritate confirmavimus et approbavimus.

Responsa data hic referuntur.

§ 2. Ea autem, quae in responsis huiusmodi decreta fuerunt, sunt quae sequuntur:

Cum Deus optimus maximus congrue apud Sinas vocabulis europaeis exprimi nequeat, ad eumdem verum Deum significandum vocabulum *Tien Chu*, hoc est, caeli dominus, quod a Sinensibus missionariis et fidelibus longo ac probato usu receptum esse dignoscitur, admittendum esse; nomina vero *Tien*, caelum, et *Xang Ti*, supremus imperator, penitus reiicienda. Idcirco tabellas cum inscriptione sinicâ *King Tien*, caelum colito, in ecclesiis christianorum appendi, seu, iam appensas, in posterum inibi retineri permittendum non esse.

Ad haec nullatenus nullâque de causâ permittendum esse christifidelibus, quod praesint, ministrent aut intersint solemnibus sacrificiis seu oblationibus, quae a Sinensibus, in utroque aequinoctio cuiuscumque anni, Confucio et progenitoribus defunctis fieri solent, tamquam superstitione imbutis. Similiter nec esse permittendum, quod in aedibus Confucii, quae sinico nomine *Miao* appellantur, iidem christifideles exerceant ac peragant caeremonias, ritus et oblationes, quae in honorem eiusdem Confucii fiunt, tum singulis mensibus in novilunio et plenilunio a mandarinis seu primariis magistratibus aliisque officialibus et litteratis, tum ab iisdem mandarinis, seu gubernatori-

1 Laudata responsa hîc referuntur, quae confirmata fuere const. ed. MDCCIV, die 29 novembris, pontif. IV. Observantia eorum et decreti commissarii generalis praecepta fuit quodam decreto MDCCX, die XXV septembris, pontif. X; const. ed. MDCCXI, die 15 martii, pontif. XI, confirmatum fuit dictum decretum commissarii.

2 Potius lege *aliis* (R. T.).

bus ac magistratibus, antequam dignitatem adeant, seu saltem post eiusdem possessionem adeptam, tum denique a litteratis, qui, postquam ad gradus sunt admissi, e vestigio ad templum seu aedem Confucii se conferunt.

Praeterea non esse permittendum christianis in templis seu aedibus progenitoribus dicatis oblationes minus solemnes eisdem facere, nec in illis ministrare aut quomodolibet inservire, vel alios ritus et caeremonias peragere.

Item nec esse permittendum praefatis christianis oblationes, ritus et caeremonias huiusmodi coram progenitorum tabellis in privatis domibus, sive in eorumdem progenitorum sepulchris, sive antequam defuncti sepulturae tradantur, in eorum honorem fieri consuetas, unâ cum gentilibus, vel seorsim ab illis, peragere eisque ministrare aut interesse; imo praedicta omnia, utpote quae, perpensis hinc inde deductis, necnon diligenter ac mature discussis omnibus, ita peragi comperta sunt ut a superstitione separari nequeant, christianae legis cultoribus ne quidem permittenda esse praemissâ publicâ vel secretâ protestatione se non religioso sed civili ac politico tantum cultu erga defunctos illa praestare nec ab eis quidquam petere aut sperare.

Non tamen per haec censendam esse damnatam praesentiam illam seu assistentiam mere materialem, quam cum gentilibus superstitiosa peragentibus, citra ullam sive expressam sive tacitam gestorum approbationem, ac quovis ministerio penitus secluso, eisdem superstitiosis actibus quandoque praestari contingat a christianis, cum aliter odia et inimicitiae vitari non possunt; factâ tamen prius, si commode fieri poterit, fidei protestatione, ac cessante periculo subversionis.

Demum permittendum non esse christifidelibus tabellas defunctorum progenitorum in suis privatis domibus retinere iuxta illarum partium morem, hoc est, cum inscriptione sinicâ, qua *thronus* seu *sedes spiritus* vel *animae* N. significetur; imo nec cum aliâ qua *sedes* seu *thronus*, adeoque idem ac priori, licet magis contractâ, inscriptione designari videatur. Quo vero ad tabellas solo defuncti nomine inscriptas, tolerari posse illarum usum, dummodo in eis conficiendis omittantur omnia quae superstitionem redolent, et secluso scandalo, hoc est, dummodo, qui christiani non sunt, arbitrari non possint tabellas huiusmodi a christianis retineri[1] eâ mente, qua ipsi illas retinent, necnon adiectâ insuper declaratione ad latus ipsarum tabellarum apponendâ, qua, et quae sit christianorum de defunctis fides, et qualis filiorum ac nepotum in primogenitores pietas esse debeat, enuncietur.

Per praemissa nihilominus non vetari quominus erga defunctos peragi possint alia, si quae sint, ab iis gentibus peragi consueta, quae vere superstitiosa non sint, nec superstitionis speciem praeseferant; sed intra limites civilium et politicorum rituum contineantur. Porro quaenam haec sint, et quibus adhibitis cautelis tolerari valeant, tum pro tempore existentis commissarii et visitatoris generalis apostolici, seu eius vices exercentis in imperio Sinarum, tum episcoporum et vicariorum apostolicorum illarum partium iudicio relinquendum esse; qui tamen interea omni quo poterunt studio ac diligentiâ curare debebunt, ut[2], gentium caeremoniis penitus sublatis, illi sensim a christianis et pro christianis hac in re usu recipiantur ritus, quos catholica Ecclesia pro defunctis pie praescripsit.

Relata responsa cum decreto cardinalis visitatoris de Tournon confirmata fuere.

§ 3. Post haec vero labente fere sexennio, nempe die XXV septembris MDCCX, auditis iterum dictorum cardinalium, qui rem mature ac diligentissime discusserunt, suffragiis, eadem responsa, necnon mandatum seu decretum, quod, illis expresse inhaerendo, a piae recordationis Carolo Thoma, dum vixit, eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinali de Tournon nuncupato, tunc patriarchâ Antiocheno, commissario et visitatore apostolico generali in praefato imperio Sinarum, die XXV ianuarii MDCCVII editum fuit, ab omnibus et singulis, ad quos

1 Edit. Main. legit *retinere* (R. T.).
2 Particula *ut* nos addimus (R. T.).

spectabat, inconcusse et inviolabiliter sub censuris et poenis in mandato seu decreto huiusmodi expressis observanda esse decrevimus et declaravimus, quovis contrafaciendi quaesito colore seu praetextu penitus sublato, ac potissimum non obstante quacumque appellatione a quibusvis personis ad nos et Sedem Apostolicam interpositâ, quam propterea prorsus reiiciendam esse similiter decrevimus, ac re ipsâ reiecimus, prout in decreto hac de re edito fusius continetur.

Causa ex praemissis tam absoluta fuerat, sed responsorum executio retardata fuit sinistrâ interpretatione pluribus praetextibus.

§ 4. Haec omnia plene et abunde sufficere debuissent, ut ea, quae inimicus homo superseminaverat, zizania ex agro illo radicitus evellerentur, fidelesque omnes nostris et huius Sanctae Sedis mandatis eâ qua par erat humilitate et obedientiâ obsequerentur, praesertim cum in calce responsorum praedictorum a nobis sicut praemittitur confirmatorum et approbatorum causam iam finitam esse apertis et perspicuis verbis pronunciatum fuerit. Verum, cum, sicuti ex eisdem partibus, non sine intimo animi nostri dolore, ad nostri pervenit apostolatus auditum, tam enixe a nobis praescripta responsorum huiusmodi executio male a plerisque, sive vano falsoque obtentu quod illa a nobis suspensa fuerint vel minus legitime promulgata, sive conditionum, ut perperam asseritur, in eis insitarum, et ante executionem ipsam verificandarum, factorumque, super quibus ipsa emanarunt, non iustificatorum ratione, sive ulteriorum a nobis eâ in re edendarum declarationum colore, sive gravium, quae tam missionariis quam missioni ipsi ex demandatâ executione obvenire possent, periculorum formidine, sive demum decreti dudum, nempe die XXIII martii MDCLVI, super eiusmodi ritibus seu caeremoniis Sinicis a praefatâ Congregatione cardinalium editi, ac a recolendae memoriae Alexandro PP. VII etiam praedecessore nostro approbati, praetextu, non sine gravi pontificiae nostrae auctoritatis iniuriâ, christifidelium scandalo, ac salutis animarum detrimento, satis diu multumque eludatur, aut saltem nimium retardetur:

Mandatum de observantiâ responsorum sub certis poenis.

§ 5. Hinc est quod nos, ex commissae nobis divinitus apostolicae servitutis munere, difficultates, tergiversationes subterfugia et praetextus huiusmodi penitus et omnino e medio tollere ac reiicere, necnon christifidelium quieti animarumque saluti, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, de eorumdem cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis archiepiscopis et episcopis in supradicto Sinarum imperio, aliisque ei conterminis sive adiacentibus regnis ac provinciis, nunc et pro tempore quandocumque existentibus, sub suspensionis ab exercitio pontificalium et interdicti ab ingressu ecclesiae, eorum vero officialibus ac vicariis in spiritualibus generalibus, aliisque illorum locorum Ordinariis, ac etiam vicariis apostolicis, qui episcopi non sint, eorumve provicariis, necnon missionariis tam saecularibus quam cuiusvis Ordinis, congregationis, instituti et societatis, etiam Iesu, regularibus, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nemo a quoquam praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit, et quoad regulares etiam privationis vocis activae et passivae poenis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendis, tenore praesentium praecipimus, ac in virtute sanctae obedientiae mandamus, ut re-

sponsa praeinserta, omniaque et singula in eis contenta, exacte, integre, absolute, inviolabiliter et inconcusse observent, ac ab eis, quorum cura ad illos spectat, similiter observari, quantum in ipsis est, curent et faciant. Neque illis, sive ullo ex superius expressis, sive alio quovis titulo, causâ, occasione, colore vel praetextu, contravenire quoquo modo audeant vel praesumant.

Missionarii praestent iuramentum super dictorum observantia, nec ante ipsum missiones meant.

§ 6. Praeterea, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie statuimus et sub eisdem excommunicationis reservatae ac privationis vocis activae et passivae poenis ordinamus, ut omnes et singuli ecclesiastici, tam saeculares, quam praedictorum Ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, regulares, ad Sinas aliave praefata regna et provincias sive ab hac Sanctâ Sede sive etiam ab eorum superioribus missi, et quandocumque in posterum mittendi, cuiusvis tandem tituli aut facultatis vigore illic existant vel in futurum extiterint, missi scilicet, statim ac praesentes litterae eis innotuerint, mittendi vero, antequam ibidem aliquod missionarii munus exercere incipiant, iuramentum de fideliter, integre ac inviolabiliter observando eiusmodi praecepto ac mandato nostro, iuxta formulam in praesentium litterarum calce annotandam, in manibus commissarii et visitatoris apostolici in praefato imperio Sinarum pro tempore existentis, vel alterius ab illo deputati, sive, eo deficiente, in manibus episcoporum vel vicariorum apostolicorum dictarum partium, in quorum respective iurisdictione commorantur vel commorabuntur, aut aliorum ab eis deputatorum, regulares vero in manibus insuper superiorum suae religionis vel ab illis deputatorum in eisdem partibus existentium, praestare omnino debeant ac teneantur, itaut, ante praestationem iuramenti huiusmodi et subscriptionem sub eâdem formulâ ab unoquoque, qui iuramentum ipsum praestiterit, proprià manu faciendam, nullum missionarii munus continuare aut exercere, imo nec tamquam deputati ab episcopis seu Ordinariis locorum, aut tamquam simplices suae religionis presbyteri, sive alio quovis titulo, causâ seu privilegio, de quibus expressa, specialis et specialissima esset facienda mentio, christifidelium confessiones audire, concionari, aut sacramenta quomodolibet administrare ullo modo valeant, nullisque[1] omnino facultatibus, sive sibi speciatim, sive suis respective Ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, etiam Iesu, huiusmodi generaliter a Sede praefatâ concessis uti possint, sed quoad eos, praeter et ultra superius expressas poenas, omnes et singulae facultates praedictae omnino cessent, nulliusque roboris sint et esse censeantur.

Praedicta iuramenta transmitti debent ad sacram Congregationem sanctissimae Inquisitionis.

§ 7. Omnia autem iuramenta huiusmodi, per quoscumque missionarios tam saeculares quam regulares in memoratorum sive commissarii et visitatoris apostolici pro tempore existentis sive episcoporum aut vicariorum apostolicorum manibus sicut praemittitur praestanda, postquam subscriptione munita fuerint, vel saltem authentica illorum exempla, per eosdem commissarium et visitatorem apostolicum pro tempore existentem, episcopos et vicarios apostolicos ad praefatam Congregationem cardinalium, quantocitius fieri poterit, transmittantur. Superiores vero regulares cuiusvis Ordinis, congregationis, instituti et societatis, etiam Iesu, illic nunc et pro tempore existentes, sub eisdem poenis teneantur non solum idem iuramentum in praefatorum sive

1 Edit. Main. legit *nulliusque* (R. T.).

commissarii et visitatoris apostolici pro tempore existentis sive episcoporum aut vicariorum apostolicorum manibus, iuxta modum praescriptum, praestare, eiusque formulae subscribere, sed etiam illius praestationem a suis respective subditis exigere, ac authentica eâ super re documenta quamprimum transmittere ad suos respective superiores generales, qui illa memoratae Congregationis cardinalium statim tradere debebunt.

Clausulae amplissimae.

§ 8. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iustâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac inexcogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac, quibuscumque iuris seu facti defectibus, qui adversus illas, etiam quorumvis a Sede praefatâ concessorum privilegiorum praetextu, ad effectum impediendi seu retardandi earum executionem, quovis modo, seu ex quavis causâ opponi seu obiici possent, minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, easque propterea, omnibus et singulis quomodolibet allatis seu afferendis impedimentis penitus et omnino reiectis ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S.R.E. cardinales, etiam de latere legatos et praefatae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, congregationum, institutorum, et societatum, etiam Iesu, ac quarumvis ecclesiarum, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus ac prae-

scriptionibus quantumcumque longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Ordinibus, congregationibus, institutis, et societatibus, etiam Iesu, ac ecclesiis, praedictis, aliisve quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, a Sede praedictâ, ex quacumque causâ, etiam per viam contractus et remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum etiam imperiali, regali, aliâve qualibet mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etc.[1]; ceterisque contrariis quibuscumque.

Formula iuramenti praestandi, ut supra.

§ 10. Formula autem iuramenti, sicut praemittitur, praestandi, est quae sequitur, videlicet:

Ego N. missionarius ad Sinas, *vel* ad regnum N., *vel* ad provinciam N., a Sede Apostolicâ, *vel* a superioribus meis iuxta facultates eis a Sede Apostolicâ concessas, missus, vel destinatus, praecepto ac mandato apostolico super ritibus et caeremoniis Sinensibus in constitutione SS. domini nostri domini Clementis divinâ providentiâ Papae XI hac de re editâ, qua praesentis iumenti formula praescripta est, contento, ac mihi per integram eiusdem constitutionis lecturam optime noto, plene ac fideliter parebo, illudque exacte, absolute ac inviolabiliter observabo et absque ullâ tergiversatione adimplebo; si autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim, toties quoties id evenerit, poenis per praedictam constitutionem impositis me subiectum agnosco et declaro. Ita, tactis sacrosanctis evangeliis, promitto, voveo et iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Ego N. manu propriâ.

Praesentium indicta transmissio et fides transumptorum.

§ 11. Ceterum volumus et expresse mandamus, ut eaedem praesentes litterae, seu earum exempla, etiam impressa, notificentur et intimentur omnibus et singulis memoratorum Ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, superioribus generalibus et procuratoribus generalibus, ad hoc ut tam suo quam praedictorum eis respective subditorum seu inferiorum nomine ipsas litteras fideliter exequi et observare spondeant, actumque sponsionis huiusmodi in scriptis reddant, earum vero exempla praedicta pluribus viis, quanto citius fieri poterit, transmittant ad eosdem suos subditos seu inferiores in Sinis aliisque regnis et provinciis supradictis degentes, cum arctissimis praeceptis easdem litteras et in eis contenta quaecumque plenario et integre, ac vere, realiter et cum effectu, in omnibus et per omnia, similiter exequendi et observandi. Quia vero difficile foret litteras huiusmodi originales ubique ostendi et publicari, volumus pariter et decernimus illarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem[1] tam in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX martii MDCCXV, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 19 martii 1715, pontif. anno XV.

1 Reliquae clausulae more solito (R. T.).

1 Edit. Main. legit *eadem* . . . *fides* (R. T.).

CCXVIII.

Indicitur iubilaeum universale contra Turcas[1].

Clemens Papa XI,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Ubi primum non sine gravissimo animi nostri dolore accepimus, nefarium Turcas tyrannum, tot et tantarum ante aliquot annos, cum immortali christiani nominis gloriâ, acceptarum cladium bene memorem, ac de iis vindictam sumere serio cogitantem, collectis tot provinciarum ac regnorum, quae tyrannide suâ opprimit, viribus, efferatiori quam unquam rabie bellum instaurare velle, maximisque tam maritimis quam terrestribus copiis christianorum fines formidabili suâ potentiâ irrumpere decrevisse, nos, imminentibus fideli populo periculis paternâ charitate vehementer commoti, primum quidem privatis nostris sacrificiis ad Deum toto corde clamare non cessavimus ut effunderet iram suam in gentes quae illum non noverunt et in regna quae nomen eius non invocaverunt[2], verba illa Iosaphat regis, cum ab Ammonitis et Moabitis impeteretur, humiliter usurpantes: *Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in caelo, et dominaris cunctis regnis gentium: in manu tuâ est fortitudo et potentia, nec quisquam tibi potest resistere: in nobis quidem non est tanta fortitudo ut possimus huic multitudini resistere, quae irruit super nos; sed, cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad te*[1]: indictis deinde publicis precibus christifideles, non solum in almâ Urbe nostrâ sed etiam in universâ Italiâ eique adiacentibus insulis degentes, ad iram Dei, quae peccatis hominum assidue lacessitur, per salutaris poenitentiae lamenta, ieiunia, eleemosynas sincerasque obsecrationes placandam excitare studuimus. Id ipsum nunc demum a toto christiano populo faciendum esse arbitramur, ut concordi charitatis fervore accedant omnes cum fiduciâ ad thronum gratiae, scissisque per veram poenitentiam cordibus, ac auctis per ieiuniorum labores et eleemosynarum largitiones viribus orationis, divinam opem in his urgentissimis Ecclesiae necessitatibus unanimiter implorare connitantur. Potens est enim oratio Ecclesiae supplicantis ad Dominum, qui pius est ac misericors et propitiatur invocantibus eum in veritate. Opportuno igitur recurrente tempore, quo divinus Spiritus repentino sonitu super apostolos venit, mentesque carnalium in sui amorem permutavit, et, foris apparentibus linguis igneis, facta sunt intus corda flammantia, Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis suppliciter invocemus, ut fideles suos, ac praesertim catholicos principes, verae charitatis indissolubili nexu firmiter vinciat, induatque illos fortitudine quae de caelo est; unde hostes christiani nominis, qui, in multitudine contumaci et superbiâ venientes, regna, provincias et principatus evertere cladibusque involvere meditantur, protegente Domino, in cuius manu est salvare in multis et in paucis, dissipentur et disperdantur, atque a christianorum cervicibus longe repellantur.

1 Idem iubilaeum indictum fuit ab Innocentio XI constit. edit. MDCLXXXIII, die 11 augusti, pontif. VII; item ab hoc Pontifice pro pace inter principes christianos constit. edit. MDCCVI, die 2 decembris, pontif. VII; et ab Innocentio XIII constit. edit. MDCCXXI, die 27 maii, pontif. I, indicitur iubilaeum initio sui pontificatus.

2 Ex psalm. LXXVIII, vers. 6.

1 *Paralipom.*, cap. XX, vers. 6 et 12.

Indictio iubilaei pro feriâ secundâ Pentecostes.

§ 1. Haec autem ut fructuosius ac promptius ab omnibus peragantur, ex prisco Romanae Ecclesiae omnium matris et magistrae more, caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae commisit divina dignatio, aperire et liberali manu erogare decrevimus. Itaque de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in praefatâ Urbe degentibus, qui solemni processioni, quam feriâ secundâ proximi festi Pentecostes a basilicâ Principis Apostolorum ad ecclesiam S. Spiritus in Saxia de eâdem Urbe, unâ cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis et episcopis, quos in Romanâ Curiâ adesse contigerit, ac christianorum regum et principum oratoribus apud nos existentibus, praelatis quoque et officialibus eiusdem Curiae, universoque clero et populo, benedicente Domino, de more agemus, devote interfuerint, vel S. Ioannis in Laterano, eiusdem Principis Apostolorum, et S. Mariae Maioris dictae Urbis ecclesias seu basilicas, vel earum aliquam, intra spatium duarum proximarum hebdomadarum a dominicâ infra currentem octavam Ascensionis inchoandarum, saltem semel, devote visitaverint, etc. (*Reliqua vide aliis locis*).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI maii MDCCXV, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 31 maii 1715, pontif. anno XV.

CCXIX.

Declaratur nulla appellatio et protestatio procuratoris fiscalis in regno Siciliae adversus binas constitutiones apostolicas, cum poenis in contravenientes[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Huiusmodi appellatio edita fuit post abolitionem monarchiae Siciliae et destinatum iudicium pro causis ecclesiasticis.

§ 1. Innotuit nobis nuper, quod, statim ac ad Siciliae regnum deferri contigit quasdam nostras X kalendas martii proxime praeteriti sub plumbo expeditas litteras, quibus, ob gravissimas in eis expressas rationes, praetensam apostolicam eiusdem regni legationem ac monarchiam nuncupatam eiusque assertum tribunal, unâ cum illius iudicis, notariorum, scribarum, ministrorum aliorumque officialium quorumlibet dignitatibus, officiis et ministeriis quibuscumque, omnique eorum titulo, essentiâ et denominatione, perpetuo extinximus, suppressimus et abolevimus, simulque etiam vulgatae ibidem fuerunt aliae nostrae in simili formâ Brevis litterae ad venerabiles fratres archiepiscopos et episcopos, necnon dilectos filios tam saecularem quam regularem clerum, reliquosque omnes christifideles regni praefati eâ ipsâ die videlicet XX februarii nuper elapsi directae, quibus, pro nostrâ erga illos populos charitate, certum praescripsimus modum, quo causae dicti regni ad forum ecclesiasticum pertinentes de cetero, etiam abolito monarchiae supradictae tribunali, cognosci et definiri possent ac deberent in ipsomet regno, donec aliâ ratione a nobis ac[2] Sede Apostolicâ indemnitati ac commodis nationis Siculae uberius consuleretur, ac aliâs, prout in ambabus nostris litteris praedictis

1 Laudatae constitutiones editae fuere MDCCXV, die 20 februarii, pontif. XV, quarum unâ abolitur monarchia Sicula, et alterâ praescribitur modus pro foro ecclesiastico; constitutione editâ MDCCXVII, die 20 octobris, pontif. XVII, declaratur nullum edictum saecularis potestatis in Sabaudiâ dominio Sanctae Sedis praeiudiciale.

2 Edit. Main. legit *a* (R. T.).

plenius continetur; saecularis potestatis in illo regno administri, in omnem sibi datam occasionem laedendi nostram et eiusdem Sedis auctoritatem semper intenti, dictarumque nostrarum litterarum vim et efficaciam, quantum in ipsis est, tametsi irrito conatu, eludere ac evertere satagentes, nullâ interpositâ morâ, sub nomine procuratoris fiscalis eiusdem regni, in civitate Panormitanâ edere, ibique, et forsan etiam in aliis ipsius regnis locis, pervulgare praesumpserunt super praemissis actum quemdam appellationis et protestationis typis impressum tenoris qui sequitur, videlicet:

Actus appellationis et protestationis refertur.

Atto di appellazione e protesta del regio procurator fiscale del regno di Sicilia. — Il regio procurator del regno di Sicilia, cui spetta invigilare per la difesa dei privilegî, regalie, diritti e consuetudini antiquate del re e del regno, avendo avuta notizia che nell'alma città di Roma, sotto li 20 febbraio del corrente anno 1715, si pubblicò una Bolla del sommo Pontefice Clemente XI, concernente l'abolizione della legazia della monarchia di questo regno, con termine di due mesi, ed un Breve che dona il sistema delle cause ecclesiastiche di essa legazia; e considerando che detti asserti Bolla e Breve furono emanati senza citazione ed audienza, ed inoltre che sono orrettizi e surrettizi, e vengono a levare al re ed al regno una prerogativa e giurisdizione posseduta ed esercitata per tempo immemorabile di tanti secoli, passata in legittima consuetudine, ed approvata non solo con la fama di antichissimo privilegio, ma anche confirmata colla Bolla del Pontefice Urbano II, e colli concordati così dal Pontefice Adriano IV, come nel tempo del santo Pontefice Pio V, e con più atti sussecuti, sì espressi che taciti, dalli Pontefici successori sino al regnante Pontefice Clemente XI nel 1705 ratificati, ed osservati per lo spazio di sei secoli, e non mai vulnerati, per essere stati concessi per causa onerosa (passata in forza di contratto) alla gloriosa memoria di quel grande eroe il conte Roggiero, nortmanno, conquistatore di questo regno di Sicilia dal potere degl' infedeli, e fondatore di tante belle basiliche, vescovati ed abbazie, con averle dotate della terza parte di esso, e che con tale osservanza e possessione si è sempre continuato, sendo li suoi popoli già connaturalizzati a questa forma di vivere, in maniera che con detti asserti Bolla e Breve vengono ad inferirsi gravissimi pregiudizî alla real corona ed a' regnicoli, e perchè la detta Bolla di abolizione, ed in conseguenza detto asserto Breve, come orrettizî e surrettizî, contengono in sè ingiustizia, privandosi il privilegiato delle riferite prerogative e giurisdizione godute per il corso di tanti secoli, motivo per il quale crede esso regio procurator fiscale che la mente del Sommo Pontefice non sia stata bene informata, e che, se fosse stata, non averebbe devenuta ad una tale risoluzione coll'abolizione di un diritto e consuetudine immemorabile comprovata colli cennati privilegî e concordati già inviscerati nei regnicoli: pertanto esso regio procurator fiscale, come quello a cui carico corre invigilare alla difesa delle regalie, diritti, consuetudini e privilegi della corona e del regno, ed al riflesso che variandosi il costume antiquato, disturberebbe la pubblica quiete e produrrebbe molti sconcerti, ha giudicato in vigore del presente atto, con tutti li rispetti dovuti alla Santa Sede ed al sommo Pontefice (di cui li popoli di questo fedelissimo regno sono ubbidientissimi figli), fare la presente supplica ed appellazione dal Sommo Pontefice male informato allo stesso Sommo Pontefice meglio informando, *seu* alla santa Sede Apostolica, *seu* a chi ed a'quali si possono fare li legittimi ricorsi ed appellazione secondo la disposizione delli sacri canoni, per la revocazione delli riferiti due asserti Bolla e Breve per riceverne la giustizia. E perchè, secondo la disposizione delle leggi, pendente l'appellazione non si deve innovar cosa alcuna; perciò, stante la presente supplica ed appellazione, s'intenda *ipso facto* sospesa la esecuzione di detti asserti Bolla e Breve; protestandosi esso regio procurator fiscale,

nel caso contrario, di tutte le cose lecite e permesse a protestarsi secondo la disposizione del diritto naturale, canonico e civile: *Implorans*, ecc. *Salvo iure*, ecc. *Cum potestate*, ecc. Onde per futura testimonianza, e per passare alla notizia di tutti li prelati secolari e regolari ed altri ecclesiastici e popoli di questo regno e d'ogni altro dove tocca, si è fatto il presente atto, in Palermo, oggi li 20 marzo 1715.

Die XX martii MDCCXV fuit et est redactus in actis magnae Curiae praesens actus supplicationis et appellationis et protestationis. — D. SALVATOR BISSO pro mag. not.

Declaratio nullitatis praedictae appellationis, cum eiusdem damnatione et poenis in praefatis constitutionibus contra parere detrectantes.

§ 2. Licet autem minime dubitemus, quin, absque ullius novae nostrae declarationis ope, satis omnibus perspectum exploratumque futurum sit, quantum praeinsertus appellationis et protestationis actus, solo eius tenore perpenso, sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum dispositioni adversetur, ideoque quam absonus, quam irregularis, quam scandalosus, ac prorsus inanis et nullus, nulliusque roboris et efficaciae existat, attentisque insuper tot derogatoriis aliisque amplissimis et efficacissimis clausulis ac decretis quae in praefatis nostris litteris leguntur, manifesto contemnendus ac nihili faciendus sit: nihilominus, ne intolerandam per eumdem actum nobis et huic Santae Sedi illatam iniuriam silentio praeterire ac quodammodo dissimulare videamur, ex iniuncto nobis divinitus apostolicae servitutis munere, memoratae saecularis potestatis Siculae abrogataeque monarchiae ministris omnem et quamcumque sub obtentu praeinserti actus in iniusto abolitae iurisdictionis exercitio continuandi ansam seu praetextum omnino tollere, illosque, si qui sint, qui ob appellationem ac protestationem huiusmodi praefatarum nostrarum litterarum effectum vel suspensum fuisse vel saltem suspendendum esse falso crederent, ab eiusmodi errore penitus eripere ac removere volentes, nec iis tantum quae hactenus gesta sunt congruum adhibere remedium, verum etiam aliis, quae eodem damnabili consilio tam a praedicto procuratore fiscali, quam ab aliis sive eiusdem saecularis potestatis Siculae sive etiam extinctae monarchiae officialibus et ministris quibuscumque deinceps attentari possent, quantum nobis ex alto conceditur, tempestive occurrere cupientes, omniumque ideireo et singulorum, quae in praemissis, vel circa ea, tam ab iis qui praeinsertum appellationis et protestationis actum ediderunt et pervulgarunt, quam ab aliis quibuscumque, sive in sequelam eiusdem actus, sive aliàs, ad eumdem finem impediendi seu suspendendi executionem praedictarum nostrarum litterarum, quovis modo decreta, iussa, ordinata et gesta fuerunt, seriem, causas et circumstantias, necnon quorumcumque iudicum, ministrorum, etiam principalium, seu supremorum, officialium, notariorum, scribarum et personarum quarumlibet in eisdem praemissis culpabilium qualitates, dignitates, nomina et cognomina, aliave quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et singillatim specificatis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, actum praeinsertum, ac quaecumque in eo contenta, aliaque omnia et singula, sive in illorum sequelam, sive eodem consilio, tam a memorato procuratore fiscali, quam ab aliis quibuscumque iudicibus, ministris, officialibus et personis dicti regni, etiam speciali ac individuâ mentione dignis, quovis modo forsan acta, gesta et or-

dinata, cum omnibus et singulis inde secutis et quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita, invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, nulliusque omnino roboris et momenti vel efficaciae esse et ab initio fuisse ac perpetuo fore, neque illa ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si unquam emanassent nec facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, ac si quae insuper a praedictis seu aliis praemissorum occasione, sive ad eumdem finem quoquomodo impediendi seu suspendendi executionem litterarum nostrarum praedictarum, quandocumque et quomodocumque (quod Deus avertat) de cetero similiter agi, geri et ordinari contigerit, harum serie reiicimus, damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus irritamus, annullamus, abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro reiectis, damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus ac omnino vacuis semper haberi volumus et mandamus. Sciant propterea archiepiscopi et episcopi supradicti, necnon uterque clerus tam saecularis quam regularis, ac reliqui omnes christifideles eiusdem regni, memorato appellationis et protestationis actu, sive alio quovis edicto, decreto, mandato seu praecepto, quod sive a saeculari potestate dicti regni, sive ab illius aut etiam abrogatae monarchiae ministris quibuslibet hactenus in re promulgatum esset vel in posterum promulgari contingeret, non obstante, sese teneri ac obligatos esse litteris nostris supradictis absque ullâ morâ, retardatione vel suspensione etiam minimâ, veram, integram et omnimodam obedientiam praestare atque exhibere, et, si secus fecerint, omnes et singulas poenas, in illis adversus contrafacientes praefinitas, sese noverint eo ipso incursuros. Praeterea, cum explorati iuris sit, non tam illos qui praeinsertum actum ediderunt ac promulgarunt, seu ei se subscripserunt, quam alios omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis quantumcumque excelsae ac sublimis fuerint, qui sive editionem et divulgationem eiusdem actus, sive alia eodem consilio, sicut praemittitur, quovis modo gesta mandarunt ac ordinarunt, seu illis consilium, auxilium, favorem vel quamvis aliam damnabilem operam praestiterunt, aut in eorum sequelam et executionem similiter gesta approbarunt et rata habuerunt, seu aliàs in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, non solum supradictas, sed etiam alias omnes censuras et poenas ecclesiasticas, contra similia perpetrantes a sacris canonibus, generalium conciliorum decretis, et apostolicis constitutionibus, ac praesertim litteris die Coenae Domini singulis annis legi et promulgari consuetis, inflictas, eo ipso incurrisse, illasque insuper etiam incursuros esse eos omnes qui similia ad eumdem finem quoquomodo impediendi seu suspendendi executionem earumdem nostrarum litterarum de cetero peregerint, ut praefertur. Noverint ideireo illi omnes, etiam specialissimâ mentione digni, a censuris et poenis huiusmodi, post debitam et condignam Ecclesiae realiter et cum effectu praestitam satisfactionem, nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras et poenas, eo ipso quo

Censurae in auctores S. Pontifici reservatae.

convaluerint) absolvi et liberari posse, prout earumdem tenore praesentium decernimus et similiter declaramus.

Clausulae. § 3. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis formali ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, redargui, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium impetrari vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo unquam posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et praefatae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus et singulis illis quae in binis nostris litteris supradictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Cum autem praesentes litterae in memorato regno Siciliae nequeant tute publicari, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII iunii MDCCXV, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 8 iunii 1715, pontif. anno XV.

CCXX.

Confirmantur constitutiones Instituti et Academiae scientiarum in Urbe Bononiensi, cum concessione privilegiorum et nonnullis ordinationibus[2].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Superni dispositione consilii, quo caelestia pariter ac terrena omnia providentissime gubernantur, in sublimi apostolicae dignitatis fastigio, meritis licet imparibus, collocati, inter multiplices pastoralis vigilantiae nostrae curas, excitandis ubilibet ac promovendis laudabilium disciplinarum bonarumque artium studiis libenter intendimus, per quae, depulsâ ignorantiae caligine, mortalium mentes luce veritatis illustrantur, populorum bonum augetur, iuventutis ingenia ab[1] otii torpedine vitiorumque illecebris avocantur, ac, ingenuis et reipublicae utilibus scientiis exculta, ad eam honoris amplitudinem aliquando perveniunt, ut non sibi tantum, sed suo etiam natali solo praeclaram nulloque annorum decursu abolendam nominis famam atque celebritatem concilient; peculiarem tamen pontificii mu-

1 Reliqua ut supra pag. 651 (R. T.).

2 Const. ed. MDCCXI, die 8 octobris, pontif. XI, confirmata fuere statuta Academiae pictorum, sculptorum et architectorum in dictâ urbe; et constitut. ed. MDCCXVIII, die 23 aprilis, pontif. XVIII, confirmantur constitutiones Academiae theologicae Romanae Urbis.

1 Male edit. Main. legit *ob* pro *ab* (R. T.).

neris nostri sollicitudinem adhibemus, ut ad eadem studia in illis praesertim locis impensius exerceantur et vigeant, quae ad optatum fructum producendum magis idonea ac opportuna esse possunt; sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam, ac huius Sanctae Sedis dignitatem, nostrorumque potissimum et eiusdem Sedis etiam in temporalibus subditorum decorem, commodum ac utilitatem, expedire in Domino arbitramur.

Laus urbis Bononiensis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius comes Philippus Aldrovandus, civitatis nostrae Bononiensis apud nos et dictam Sedem orator, quod non ita pridem in eâdem civitate (quae omni sane tempore multis magnisque refulsit ornamentis, in primis autem perantiquo nobilissimoque insignita gymnasio, doctorum et scholarium ex omnibus orbis christiani partibus illuc confluentium multitudine, necnon illustrium in omni doctrinarum artiumque genere virorum copiâ ita semper eximie floruit, quemadmodum, divinâ favente clementiâ, adhuc in praesens floret, ut honorificum illud ac plane gloriosum *Matris studiorum* vocabulum omnium consensu merito adepta fuerit; civesque praeterea genuit, in quibus tum singularis verae religionis cultus, tum etiam debita Romanis Pontificibus dictaeque Sedi fides atque devotio mirum in modum perpetuo eluxerunt) dilecti filii reformatores Status libertatis ipsius civitatis, nobis annuentibus, ac sub auspiciis nostris, erigendam curarunt, in aedibus ad id ex pecuniâ a nobis praescriptâ comparatis, Academiam, Institutum scientiarum nuncupatam, quae mathematicarum aliarumque ingenuarum disciplinarum, necnon philosophiae naturalis et experimentalis studiis et exercitiis ac observationibus praecipuam sedulamque navat operam; ac in eisdem aedibus collocari et opportune apteque disponi fecerunt magnam vim selectorum voluminum variarum, praesertim orientalium, linguarum, tam typis editorum quam manu conscriptorum, veteres insuper non paucas ex marmore ac aere statuas, artium munitionumque modulos, testacea, metallica et mineralia seu fossilia, aliaque plurima conspicui valoris utensilia, tum ad mathematicas disciplinas, tum etiam ad militarem architecturam physicaque experimenta rerum naturalium et ad cognitionem antiquitatis pertinentia, quae dilectus etiam filius comes Aloysius Ferdinandus Marsilius nobilis Bononiensis, ac dudum primus ex generalibus pontificiae nostrae militiae praefectis, summâ curâ ingentique sumptu hunc ipsum in scopum ex variis mundi regionibus a se conquisita, ac in unum collecta, pro singulari perpetuoque suo erga patriam et bonas artes studio, non sine magnâ sui nominis gloriâ, praedictae Academiae liberaliter dono dederat, ut in publicis eiusmodi donationis tabulis, die XI ianuarii MDCCXII per dilectos pariter filios Iacobum Antonium Bergamorum et Iosephum Caietanum Gardinum publicos dictae civitatis notarios confectis, uberius dicitur contineri; quia[1] etiam iidem reformatores, praefati donatoris voluntati inhaerentes, Academiae praesidem, secretarium, professores artium, et alios opportunos ministros elegerunt, a quibus praescripta studia laudabiliter exerceri iam coepta sunt; ac insuper ex ipsorum reformatorum numero coetum seu congregationem assumptorum nuncupatam deputarunt, quae eiusmodi Academiae studiorum salubri directioni, necnon illius bonorum et proventuum

1 Videtur legendum *quin* (R. T.).

quorumcumque, ac praesertim redditum quorumdam officiorum in eâdem civitate olim erectorum quae nos peculiari nostro chirographo die XVI februarii proxime praeterito expedito sub certis modo et formâ tunc expressis abolevimus, extinximus et suppressimus, eorumque emolumenta tam ordinaria quam extraordinaria, et alia quaecumque regimini seu magistratui eiusdem civitatis perpetuo applicavimus et assignavimus, eâ speciali adiectâ lege ut in usum, commodum et utilitatem praedictae Academiae, et alios usus, ex integro perpetuis futuris temporibus erogari debeant, rectae providaeque administrationi praeest et diligenter incumbit. Novissime vero praedicti reformatores, ut eadem Academia felicius in posterum gubernetur, et maiora in dies, benedicente Domino, suscipiat incrementa, nonnullas constitutiones seu statuta condi ac in unum volumen redigi fecerunt, eaque, maturâ praehabitâ deliberatione, subinde approbarunt peculiari decreto, cuius necnon earumdem constitutionum seu statutorum tenor est qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum MDCCXV editum.

Die XXIII *martii* MDCCXV, *congregatis illustrissimis dominis reformatoribus Status libertatis civitatis Bononiae in camerâ eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis legati in numero trigintaunius in eius praesentiâ, ac de ipsius consensu et voluntate, inter ipsos infrascriptum partitum positum et legitime obtentum fuit, videlicet:* « *Cum iam pridem et sub die* XII *mensis decembris anni* MDCCXI *ex senatusconsulto approbatae fuerint constitutiones et sanctiones tunc indictae pro novo scientiarum Instituto dirigendo, quod a primis usque suis exordiis sanctissimi domini nostri domini Clementis XI per plura Sanctitatis Suae diplomata liberalissime ornatum, et successive ad luculentiorem sui felicitatem maiusque in posterum incrementum paternae eiusdem munificentiae et amoris tutelâ noviscque semper beneficentiae monumentis cumulatum*[1], *in hac ipsâ civitate tali proposito erectum fuit, ut ex maiori semper scientiarum et disciplinarum ubertate in eâdem et priscae praestantiae permanerent et maioris semper in aevum ornamento tanto auspice augerentur; cumque pro explorato habitum fuerit ex illis nonnullas planiorem et ineluctabilem sibi ipsis adepturas observantiam, si vel illae in aliquâ parte clariores factae, vel aptiori dispositione suffectae, in aliquibus adauctae, in aliquibus repurgatae fuissent: patres conscripti per suffragia omnia affirmativa constitutiones et sanctiones praedictas ex collatis in ipsas studiis ubi earumdem ratio id exposcere visa fuit nonnullis in locis declarando, in nonnullis immutando, et sive etiam in aliis extendendo, in omnibus et per omnia ad infrascriptam methodum iuxta recentem ipsarum extensionem in pleno senatu reduxerunt et approbarunt* ».

Tenor vero ipsarum constitutionum, est qui sequitur, videlicet:

LE COSTITUZIONI DELL' ISTITUTO DELLE SCIENZE,

eretto in Bologna sotto li XII decembre MDCCXI.

Da tempi antichissimi fino alla nostra età avendo sempre avuta l'alma città di Bologna cura particolare di allevare nel suo grembo le scienze, e di esercitare una diligente cultura, conforme ha fatto conoscere nella fondazione e mantenimento del pubblico studio, quale avendo prodotti a benefizio di tutto il mondo moltissimi uomini celebratissimi per le virtù, per le dottrine, e per qualunque scienza, è stato degno di essere confermato e privilegiato dalle Bolle dei Sommi Pontefici e dai diplomi degli augustissimi imperatori, e conservando tuttavia per naturale istinto e benefica influenza de' cieli quest' indole generosa agli studî in tutti i suoi figli, e specialmente nel suo eccelso senato; andava questi con matura gravità consultando qualche opera memorabile, la quale manifestasse la sua magnifica liberalità e benevolenza alla filosofia, alle matematiche, e consecutivamente alle arti più cospicue della moderna meccanica: Proœmium.

Quando il generale conte Luigi Ferdi- Donatio amplarum rerum a

1 Edit. Main. legit *aemulatum* (R. T.).

conte Marsilio facta.

nando Marsili, nobilissimo cittadino di questa patria, che nelle sue cariche e frequenti spedizioni militari esercitate ed intraprese a varie e distanti parti d'Europa per ardui affari e di guerre e di pace in servigio della sagra cesarea maestà di Leopoldo I imperatore di gloriosa memoria e dipoi della santa Sede Apostolica, avendo avuto genio di raccogliere e di fornirsi con applicazione dispendiosa di molti rari istromenti per le matematiche e filosofia esperimentale, d'un museo di fossili, d'una storia de' semi e vegetazione delle piante terrestri e marittime, d'una lunga serie di testacei, di una biblioteca di libri delle migliori edizioni, di gran numero di manoscritti arabi, persiani, turchesci e greci, d'un museo d'antica erudizione, d'uno studio militare di modelli per fortificare e per fondere, d'istromenti necessarî a diverse arti, e di molte antiche statue di marmo, d'un sortimento di scelti caratteri per le stampe, e parecchi altri arnesi, con fine sempre da lui inteso di recare con l'uso loro utile e gloria alla sua amatissima patria ed agl'ingegni studiosi; ed avendo poc'anzi soddisfatto a questo suo desiderio con fare autentico dono al pubblico del complesso di tanti capitali da lui radunati;

Li padri conscritti hanno abbracciata questa congiuntura per mettere in esecuzione ed in vista di tutti i secoli avvenire le idee le quali andavano disegnando nelle loro menti, per beneficare principalmente le scienze e poi le arti. Ed avendo conosciuto che la migliore utilità che apportar si possa alle une e alle altre è quella d'illustrarle con le osservazioni, con le sperienze e con le pratiche opportune, e d'instruire tutti quelli, così proprî nazionali che forastieri, quali fossero volonterosi d'apprenderle;

Laudes Clementis XI et cardinalis Casoni legati.

Quindi è che col prudentissimo consiglio e benignissimo favore dell'eminentissimo cardinal Casoni, legato *a latere* di Bologna, insigne fautore de' studî, avendo essi fatto ricorso per mezzo del loro ambasciatore ordinario residente in Roma, conte Filippo Aldrovandi, alla Santità di nostro signore Papa Clemente XI, che Dio lungamente feliciti, perchè si degnasse d'approvare quelle strade che se le proponevano per condurre a questi lodevolissimi fini; e Sua Beatitudine, mossa da quella magnanima e beneficentissima propensione, per la quale ha restituito all'antico suo credito la celebre università dello studio d'Urbino, fomentata l'Accademia Romana degli arcadi letterati, esaltata a' suoi primi gradi l'Accademia di Roma delle tre arti liberali, pittura, scoltura ed architettura, e decoratane qui in Bologna altra simile coll'onore del suo nome, essendo clementemente condescesa a segnare in un suo chirografo spedito sotto li XVIII dell'ultimo passato luglio la grazia richiesta: hanno per senatoconsulto decretato d'aprire sotto li fausti auspicî d'un Pontefice massimo, fautore sì glorioso de' studî più insigni, e sopra il valido appoggio d'un legato apostolico, protettore sì benemerito de' studî medesimi, una nuova sede alle scienze, con profitto ancora delle arti, e di erigervi un Istituto, dove liberamente si possa mettere in uso la ricca suppellettile di tanti capitali scientifichi e meccanici donati dal general conte Luigi Ferdinando Marsili. Sono perciò passati all'elezione d'uomini per costumi e per dottrina riguardevoli, con l'assegnamento a ciascheduno di un congruo annuo stipendio; l'uno de' quali col nome di presidente avrà la generale sopraintendenza di tutto l'Istituto, l'altro come segretario terrà registro degli atti dell'Istituto, e li rimanenti, che si chiameranno professori, averanno l'officio di esercitarsi in quei titoli che professeranno, ed insegnare a chiunque volesse apprendere le scienze da loro professate.

Li titoli delle scienze e facoltà, ciascuna delle quali avrà il suo professore, saranno d'un astronomo, d'un matematico, d'un fisico sperimentale, d'un istorico della natura, d'un spargirico, e di un bibliotecario.

Ed affinchè dall'amplo apparato di tante cose, e dalla scelta di soggetti si accreditati, siasi certo di ritrarre quel giovamento universale che è stato il primario oggetto di questa nuova fondazione, dopo maturo esame si è venuto dall'eccelso senato alla

legittima approvazione ed intimazione dei seguenti capitoli, da osservarsi inviolabilmente tanto dal presidente e segretario, quanto dai professori ed officiali dell'Istituto delle scienze, e fino a tanto chè per miglior bene a lui piacesse di disporre altrimenti.

Cap. I. — *Del culto sagro.*

Sancti tutelares atque patroni.

I. Li professori, e qualunque persona si eserciterà in questo Istituto, dovranno riconoscere per autore Dio ottimo massimo, ed implorarne da lui, a maggior sua gloria, la conservazione e gli avanzamenti mediante l'intercessione della santissima vergine Maria; ed acciocchè si provi efficace protettrice di quest'opera, in tutti gl'istromenti e scritture si praticherà l'epoca *ab Incarnatione*; lasciando per altro che in ciò che riguardano le osservazioni astronomiche si usi la pratica e lo stile dell'èra corrente.

II. Saranno pure riconosciuti e venerati per protettori S. Tomaso d'Aquino, S. Carlo Borromeo, e la nostra S. Caterina de Vigri, e nella cappella domestica, che si erigerà nell'Istituto, dovrà solennizzarsi da' professori ed altri studenti la festa della SS. Annunziata colla celebrazione d'una messa in rendimento di grazia a S. D. M. de' beni che si ritraggono dall'Istituto, e delle [1] sue infinite misericordie usate specialmente in tal giorno al generale conte Luigi Ferdinando Marsili.

Cap. II. — *Dell'elezione del presidente, segretario e professori.*

Item de eorum officiorum duratione, confirmatione et amotione.

I. Tanto il presidente quanto il segretario dell'Istituto saranno eletti dal senato. I loro officî saranno vitalizî, purchè possano esercitare ed effettivamente esercitino il loro ministero in conformità delle presenti costituzioni, quando però non fossero impediti per giuste cagioni, da approvarsi dall'assunteria dell'Istituto, ed occorrendo, dal senato.

II. Li professori saranno eletti dal senato per un solo quinquennio. Nelle vacanze de' posti de' professori che succederanno, abbiano li medesimi professori facoltà di nominare e proporre tre soggetti abili al senato, quale ne scelga uno a suo arbitrio. Giudicando il senato di rigettarli tutti, si nominino dalli professori altri tre soggetti, e si presentino di nuovo al senato, quale similmente ne scelga uno a suo piacere; e stimando di doverli rigettare tutti tre, in tal caso poi l'elezione del soggetto resti in piena libertà del senato.

III. Due mesi avanti che spiri questo termine, dovranno li professori domandare al senato la conferma, e non domandandola, li posti s'intenderanno vacanti, e si aprirà il campo al concorso.

IV. Sarà però sempre in libertà del senato di rimuovere dall'Istituto qualunque soggetto che avesse notabilmente demerito.

Cap. III. — *Del presidente.*

Eius domicilium, studium et munus.

I. Dovrà il presidente tenere la sua abitazione dentro il palazzo dell'Istituto, per poter meglio assistere alle sue incombenze.

II. Invigilerà che fra tutti li professori passi reciproca corrispondenza, e procurerà che tutte le costituzioni vengano con bell'ordine e quiete esattamente osservate.

III. Regolarmente in fine d'ogni bimestre dovrà informare l'assunteria soprastante all'Istituto di tutto ciò che dalla medesima gli venisse richiesto.

IV. Se il presidente fosse ancora professore di alcun titolo, o custode speciale di alcun capitale dell'Istituto, dovrà osservare quei capitoli che competeranno a tale professione e custodia.

Cap. IV. — *Del segretario.*

De eius facultate, munere, debito et subiectione.

I. Il segretario avrà facoltà d'intervenire a tutti gli esercizî, e li professori dovranno in ogni tempo e ad ogni sua richiesta dargli comodo delle loro stanze.

II. Terrà memoria distinta di tutte le operazioni più rimarcabili che si fanno negli esercizî dell'Istituto, facendo menzione degli autori e principalmente manipolatori; ed a questo fine li professori dovranno dargli in iscritto raggnaglio delle operazioni

1 Edit. Main. legit *dalle* (R. T.).

che anderanno facendo ne' loro esercizî. Quando li professori esibiranno il foglio delle materie, come al capitolo v, il segretario porgerà in iscritto all'assunteria un distinto racconto del frutto ricavatosi dagli esercizî dell'anno antecedente, e di tuttociò che di rimarcabile sarà seguito.

III. Dovrà tenere aperto commercio con le Accademie oltramontane a nome dell'Istituto, e registro di tutte le lettere, osservando per le lettere e spedizioni quanto si è ordinato nell'articolo v del capitolo XII.

IV. Avrà, come tutti li professori, dipendenza dal presidente, e lo terrà esattamente ragguagliato di quello che succede.

V. Il segretario dell'Istituto servirà ancora di segretario l'Accademia delle scienze dell'Istituto.

Cap. V. — *De' professori.*

De eorum numero, rebus tradendis, socio eligendo, rebus sibi creditis, et libris evulgandis.

I. Li professori che dovranno esercitarsi in questo lodevole Istituto saranno sei, cioè un astronomo, un matematico, un fisico sperimentale, un istorico della natura, un spargirico e un bibliotecario, come si è accennato nel proemio.

II. Nel principio del mese di ottobre, il presidente e professori si raduneranno a congresso nella sala dell'Istituto, per conferire e divisare con comune consiglio le materie che ciascheduno di essi, secondo li suoi titoli, volesse trattare negli esercizî dell'imminente anno scolastico; e fattasi da ciascheduno scelta di quella materia che sarà da lui giudicata più profittevole e necessaria, circa la metà del suddetto mese si presenteranno tutti insieme all'assunteria dell'Istituto, e le proporanno le loro materie, con il figurato della spesa che separatamente crederanno siano per importare gli studî di ciascheduna, per riceverne la pubblica approvazione.

III. Essendo state approvate le materie dall'assunteria dell'Istituto, ciascun professore, ne' giorni ed ore prescritte al capitolo VI, dovrà trovarsi alla sua stanza dell'Istituto, per ivi operare intorno alla materia a lui spettante per lo spazio continuato delle due ore destinate, dimostrando amorevolmente a tutti quelli che vorranno imparare, siano cittadini o forastieri; s'incarica però loro d'usare una distinta parzialità per quelli della famiglia Marsili che bramassero d'esser istrutti.

IV. Averanno li professori particolare avvertenza di non fare negli esercizî alcun studio o discorso scientifico che convenisse alla formola d'una lezione, o che si potesse chiamare una vera lezione propria delle cattedre del pubblico studio, dovendo gli esercizî versare principalmente nella pratica delle osservazioni, operazioni, esperimenti, ed altre cose di simile natura: s'imputerà a gran colpa la trascuraggine di questo articolo.

V. Se il senato facesse istanza ai professori dell'Istituto di qualche esame, sperimento o altro, dovranno subito servirlo; e se da qualche cittadino, scolaro, artefice, forastiero, o altra persona privata fossero pregati di direzione ed assistenza in cose della loro professione, dovranno soddisfarli segretamente.

VI. Essendo ricercati li professori di somministrare il comodo per fare qualche esperimento creduto profittevole, dovranno compiacere l'istanza, ed assistere in persona all'esperimento; quando però l'esperimento fosse dispendioso, dovranno li professori chiedere licenza al presidente, quale avrà la facoltà di concederla fino alla somma di . . . . . ; se importasse maggior spesa, il presidente dovrà prendere licenza dall'assunteria dell'Istituto.

VII. Ogni professore dovrà eleggersi un compagno di sua soddisfazione, che l'assisterà negli esercizî. Eletto che l'abbia, dovrà darlo in nota al presidente, e pregarlo che sia da lui accettato; e seguendo l'accettazione, s'intenda il professore obbligato che per il suo compagno non patirà alcun danno l'Istituto. Non potrà mutare il compagno senza l'approvazione del presidente.

VIII. Ogni professore avrà la chiave delle proprie stanze, e l'inventario di tutte le cose contenute nella stanza o stanze destinate alla sua professione. Nel tempo delle vacanze estive dovrà rincontrarlo in com-

pagnia del presidente, ed ogni volta che gli fosse ordinato dall'assunteria dell'Istituto.

IX. Ogni professore goderà del comodo de' libri della biblioteca, e particolarmente di quelli che fossero pertinenti alla sua professione, salvo però la disposizione dell'articolo V del capitolo XIII.

X. Conserveranno li professori diligentemente nelle proprie stanze, a disposizione dell'assunteria dell'Istituto, tutte quelle opere che a spese dell'Istituto fossero state nell'esercizio da loro fabbricate, e di tali opere che facessero daranno in iscritto una nota distinta al segretario, che dovrà tenere un registro.

XI. Giudicandosi di comun consenso dei professori di pubblicare qualche opera alle stampe, dovrà prima essere riveduta dai censori che saranno stati destinati dall'assunteria dell'Istituto.

CAP. VI. — *De' giorni, ed ore degl' esercizi.*

Ubi de calendario et tabella.

I. Sarà officio del presidente l'avere formato, avanti il principio dell'anno scolastico, il calendario de' giorni degli esercizî dell'Istituto, regolando sempre in forma che ogni settimana abbia un esercizio in un giorno che non sia impedito dalle lezioni del pubblico studio, nè dalle radunanze dell'Accademia delle scienze. Il calendario sarà esposto nell'Istituto a comodo di tutti.

II. Oltre ai giorni che saranno stati assegnati nel calendario agli esercizî, ciascun professore dovrà eleggersi a suo piacimento un giorno della settimana per li suoi esercizî, ed avanti che termini l'esercizio del giorno elettivo avviserà li suoi studenti qual sarà il suo giorno elettivo per l'esercizio della settimana seguente, e lo noterà in una tabella che pubblicamente starà appesa, per avviso e comodo di tutti quelli che volessero intervenire.

III. Le ore degli esercizî saranno, dal principio dell'anno scolastico fino a Quaresima, dalla prima ora della notte in punto fino alle tre.

IV. Dal principio di Quaresima fino a tutto aprile, dalle ore ventiquattro fino alle due.

V. Dal principio di maggio fino all'Assunzione della beatissima Vergine, dalle ore venti fino alle ventidue.

CAP. VII. — *Delle vacanze.*

Vacationes ordinariae et extraordinariae.

I. Il presidente registrerà nel calendario i tempi delle vacanze, con avvertimento che quelle di Natale non principiano prima della festa di santa Lucia fino all'Epifania; quelle di carnevale dalla Settuagesima fino al secondo di di Quaresima; quelle di Quaresima dalla domenica delle Palme fino all'ottava di Pasqua; le estive dalla Madonna d'agosto fino a tutti i Santi.

II. Saranno ancora vacanti tutti quei giorni, ne' quali si facesse la notomia sul pubblico studio.

III. Se però in tempo di ferie o di vacanze, ed ancora nel corso degli esercizî, fossero li professori avvisati dal presidente a trasferirsi all'Istituto per servire qualche forastiero, o per qualche urgente bisogno o pubblico comando, dovranno essere pronti ad andarvi.

CAP. VIII. — *De' stipendi.*

Item de remunerationibus.

I. Dipenderà dall'arbitrio del senato il determinare lo stipendio da assegnarsi ai professori dell'Istituto, ed anco l'accrescerlo a proporzione del merito di ciascheduno, e si pagherà loro la rata dello stipendio ad ogni tre mesi compiti.

II. Non essendo permesso dalli tenui redditi dell'Istituto di stabilire presentemente que' stipendi che converrebbero alla fatiga e valore de' predetti professori, sarà atto proprio della provvidenza e benignità del senato di avere particolar riguardo alli medesimi professori nella destinazione delle letture del pubblico studio, e quando si distinguessero con osservazioni riguardevoli di cose nuove e con opere celebri, di premiarli nel modo più proporzionato, affinchè eccitati dalla speranza del premio fatichino più volentieri a pubblico beneficio, ed a maggior gloria e splendore dell'Istituto.

CAP. IX. — *De' negligenti.*

Negligentes removendi.

I. Se alcun professore o altro officiale

dell' Istituto mancherà a giudicio dell'assunteria notabilmente al debito suo, sarà dal senato rimosso perpetuamente dall'offizio, e surrogatovi altro soggetto.

Cap. X. — *De' custodi.*

Custodum munus, partes et debitum.

I. Quelli che saranno destinati a custodire que' capitali dell' Istituto che non cadono sotto l'uso de' titoli delle professioni, dovranno fedelmente e con pulitezza conservarli; dare, occorrendo, discreto comodo ai professori di prevalersene; mostrarli cortesemente alli forastieri ed alle persone di qualche distinta qualità.

II. Avranno presso di loro un inventario di tutte le cose commesse alla loro custodia, per riscontrarle con il presidente nel tempo delle vacanze estive, e sempre che gli fosse ordinato dall'assunteria dell'Istituto.

Cap. XI. — *Dell'Accademia delle scienze dell'Istituto bolognese.*

Unio Academiae cum Instituto, novum eius nomen, et praeses proprius.

I. Essendo che l'Accademia degl'Inquieti vada con molto onore di questa patria alevando uomini insigni in tutte le facoltà, si dichiara che debba essere aggregata ed unita in perpetuo a quest' Istituto.

II. Lasciando la sua prima denominazione di Accademia degl' Inquieti, dovrà chiamarsi Accademia delle scienze dell' Istituto bolognese, ed ivi farà liberamente le sue radunanze nel luogo che le sarà destinato.

III. Non dipenderà dal presidente dell' Istituto, ma solamente dal proprio presidente, anzi tanto il presidente quanto li professuri dell' Istituto dovranno far godere all'Accademia un comodo più speciale de' studiosi comodi dell' Istituto, ed in tutto assisterla e compiacerla, senza però mai derogare alla disposizione delle presenti costituzioni.

IV. Essendosi presentate al senato le seguenti leggi, formate per regolamento di detta Accademia delle scienze in futuro, la benignità del medesimo senato, dopo il dovuto esame, è favorevolmente condiscesa ad approvarle, e permettere che s' inseriscano nel corpo delle presenti costituzioni, affinchè siano in avvenire da tutti quelli a'quali appartengono inviolabilmente osservate, e come dal seguente altro senatoconsulto, cioè:

Decretum senatusconsulti, quo approbatae fuere sequentes leges.

Die XXIII martii MDCCXV. Congregatis illustrissimis dominis reformatoribus Status libertatis civitatis Bononiae in camerâ eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis legati in numero trigintaunius, in eius praesentiâ, ac de ipsius consensu et voluntate, inter ipsos infrascriptum partitum positum et legitime obtentum fuit, videlicet:

Institutum scientiarum in hac civitate, sanctissimo domino nostro Clemente XI benignissime annuente, imo etiam et munificentissime favente, locato. « Cum pro perspecto habitum fuerit, nihil magis congruum ad maiorem studiorum honorem huiusque patriae celebritatem, quam si et Institutum praedictum et Academia aliàs ordinata sociali ad invicem hospitalitate iungerentur, tali proposito iam ad effectum redacto, dictâque Academiâ scientiarum Bononiensis Instituti ad praesens nuncupatâ: patres conscripti leges illas, quae pro eâdem Academiâ ad perfectam cum eodem instituto normam redigendâ ex praescripto extensae et in senatu iam lectae fuerunt, per suffragia omnia affirmativa approbarunt: et quarum legum tenor est sequens, videlicet:

Leges Academiae scientiarum.

Academiae scientiarum Bononiensis Instituti leges. Bononiensis Instituti scientiarum Academiae in hac Urbe erectae, atque ab amplissimo Bononiae senatu in patrocinium susceptae, hae leges deinceps moderantur.

1. Academicorum quatuor classes sunt: Ordinarii, honorarii, numerarii, alumni.

Numerus academicorum.

2. Ordinarii duodecim sunt. Tituli eorum sex: Physici, mathematici, anatomici, medici, spargirici, naturae historici. Bini in singulos titulos.

3. Honorariorum nullus esto certus numerus; suntoque viri vel genere, vel doctrinâ, vel dignitate conspicui.

4. Numerarii vigintiquatuor sunto. Quaterni in singulos titulos. Quod Academiae praeses, rei litterariae ergo, iusserit, agunto.

5. Alumni duodecim sunto, singuli singulis ordinariis addicti.

De eorum, ac officialium ele-

6. In electionibus maior suffragiorum numerus plus valeto.

ctionibus, et manere.

7. Academiae praesidem ordinarii, honorarii et numerarii ex classe ordinariorum eligunto, qui annuus esto. Pro-praeses a praeside eligitur ex eâdem classe.

8. Ordinarii trium academicorum delectum habento, exque iis quem a secretis litterarii Instituti senatus asciverit, is et Academiae a secretis esto, inque officio semper maneto, senatu annuente. Idem et Instituti praeses ordinariorum iura tenento, onera libere subeunto.

9. Instituti professores inter ordinarios constanter sunto. Creatio ordinariorum, quum in professores ceciderit, senatui libera esto. At extra professores, ordinarii ordinarios creanto, cumque ex tribus duae creantium partes consenserint, creatio rata esto.

10. Quisquis ordinariorum ex propriâ classe exierit, statim in censum honorariorum refertor.

11. Electio honorariorum penes ordinarios et honorarios esto.

12. Numerarii ab Academiâ creantur sic. Ordinarii ex alumnis vel extra sodalium ordinem quos probaverint deligunto; ex iisque Academia numerarios creato.

De iure adeundi Academiam.

13. Alumnos singulos singuli ordinarii libere creanto, illorumque nemini Academiam adeundi ius non esto, etiam quas [1] ordinariorum ex propriâ classe exierit.

14. Ad illam quoque libere adeunto veteris *Inquietorum Academiae* socii, qui in academico [2] descripti sunto, idemque iuris quod numerarii tenento.

De academicis removendis et regularibus admittendis.

15. Quicumque ex ordinariis, numerariis, aut alumnis ab urbe diu abfuturus sit, aut quatuor continuis sessionibus non interfuerit, nec de iustâ causâ admonuerit, eius sedes vacua esto.

16. Regularium in Academiam adscisci petentium, qui doctrinâ rerum, quae in eâdem coluntur, celebris fuerit, eius adsciscendi [3] potestas esto, quatuor consentientibus e quinque suffragiorum partibus.

De rebus Academiae peragendis.

17. Litteraria negotia ordinarii soli peraguntо. De ceteris rebus praeses Academiae ad eas classes, quarum res fuerint, referto, cumque eisdem deliberato. Alumni neque deliberanto, neque deliberantibus praesentes sunto.

18. In quam sententiam maior deliberantium numerus venerit, ea rata esto.

De exercitationibus, sessionibus et vacationibus.

19. Litterariae exercitationes in Instituti aulâ Academiae adscriptâ obeuntor.

20. Exercitationum iustus numerus esto saltem duodecim in annos singulos, quae privatim aguntor.

21. Legitimae sessiones habentor die iovis, vel proximâ non impeditâ, a kalendis novembris [1] ab horâ primâ, a Paschate ad ferias aestivas horâ vigesimâ. Festis diebus, anatomes tempore, et in quam horam legitima lectio in publicis scholis inciderit, sessiones ne iubentor.

22. Academiae feriae sunto a die XX decembris ad VI ianuarii, baccanalia, hebdomada maior, paschale tempus, festa Corporis Christi. Æstivae feriae absolutis duodecim annuis sessionibus ineunto usque ad kalendas novembris. Eâ die academicus annus ineat.

23. Legitimae sessiones hanc rationem servanto. Primum e re academicâ quae fuerint, ea paucis aguntor. Mox recitantor epistolae ad Academiam scriptae, responsa decernuntor. Postremo habetor academica exercitatio.

24. Hanc illi ordinariorum obeunto, quorum vices fuerint. Postremâ anni sessione sortito statuuntor singulorum vices in sequentem annum, atque in album referuntor.

25. Ordinario qui non aderit, qua die vices eius erunt, curae esto scriptam dissertationem ad Academiam mittere, ut eamdem a secretis recitet. Praeses curato ne exercitatio sit vacua.

26. Experimenta, vel quae quis observaverit ad rem facientia, inter ipsam exercitationem vel post, si erit commodum, Academiae exhibentor; sin minus, Academia mittito, coram quibus experimenta fiant, quique de illorum exitu referant.

1 Forsan *etiam si quis;* ceterum corrigat lector scios (R. T.).

2 Forsan *academicos* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *adscindendi* (R. T.).

1 Videtur deesse *ad Pascha* (R. T.).

27. Absolutâ dissertatione, alia de rebus philosophicis in medium afferre academicis licitum esto, servato dignitatis ordine.

28. Iis etiam, quae [1] dicta fuerint, addere, demere, uti, et, veritatis ergo, aliquid amice opponere licitum est, servato, ut ante, dignitatis ordine; iurgia, cavillos et inutiles contentionum tricas praeses amoveto.

29. Alumnis, non permittente Academiae praeside, nullâ de re verba facere licitum est.

De iis, quae servanda et notanda eruut.

30. Dissertationes quicumque in sessionibus habuerint, eas vel earum summam scripto exaratam Academiae relinquunto.

31. Ea scripta a secretis ordine custodito, memoriaeque tradito dicta quaeque in sessionibus memoratu digna, et in singula nomen auctoris et tempus notato. At, ne ullius in manus, praesertim non academici, veniant, caveto. Bene autem ordinariis, honorariis, numerariisque ea scripta videre cupientibus ostendito; sed excribi ne unquam sinito, nisi si quando placuerit Academiae praesidi, scriptique auctori.

32. Epistolas item et litteraria quaecumque specimina ad Academiam missa, omnemque eius supellectilem, fide custodito.

33. Cum viris litterarum et absentibus academicis communicato per epistolas; communia etiam habeto academica studia et inventa.

34. Res cuiuscumque sessionis et academicos quotquot convenerint in actis describito.

35. Has etiam leges, et quidquid in posterum Academia statuerit, in decretum codice referto.

De libris editis et edendis.

36. Libros de re philosophicâ recenter editos praeses Academiae legendos dato uni pluribusve academicis, qui scitu digna candide et summatim referant; salibus et verborum aculeis neminem lacessant.

37. Librorum scriptorumve iudicium, quod quis interdum ab Academiâ quaesiverit, censores ferunto, quos secreto praeses eligito, eorumque censuram ad ordinarios referto. Nemo quidquam in lucem edito nomine academici, de quo non ante iudicium tulerint ordinarii, deque eo edendo consenserint.

38. Elucubrationum, quae totius anni cursu traditae fuerint ab academicis, delectus habetor, ut, quae lucem meruerint, in publicum emitti possint.

39. Porro si pro communi Academiae bono aliquid in his legibus addere, demere aut mutare censuerint academici, ius rectumque esto quidquid denuo statuerint. Contrariis haud obstantibus quibuscumque.

Loco † sigilli.

Ita est: Iacobus Antonius De Bergamoriis illustrissimi senatus Bononiae secretarius.

Cap. XII. — *Della sopraintendenza all'Istituto, ed amministrazione delle sue entrate.*

De incremento Instituti, regimine oeconomico et impensis.

I. Sopraintenderà al buon governo e regolamento dell'Istituto l'assunteria già deputata dal senato, la quale invigilerà con la dovuta attenzione, che ciaschedun professore ed officiale dell'Istituto compisca lodevolmente le proprie parti, ed a tal fine visiterà almeno ogni tre mesi una volta il palazzo dell'Istituto, e tutte le sue stanze ed officine e capitali che in esso si conservano.

II. Promoverà con ogni studio l'accrescimento, splendore e gloria dell'Istituto, e parteciperà al senato distinto racconto del frutto ricavatosi dagli esercizî che nel fine di ciascun anno si dovrà dar in iscritto dal segretario alla medesima assunteria, come altrove si è detto.

III. Il governo economico di tutti li fondi, proventi e capitali fruttiferi di qualsivoglia sorte, si amministrerà dall'assunteria, quale dovrà diligentemente invigilare alla conservazione e mantenimento de' medesimi capitali, e deputerà persone abili per tenere la scrittura e far le riscossioni necessarie.

IV. Per le spese che occorreranno negli esercizî dell'Istituto, l'assunteria soprastante spedirà li suoi mandati in testa del presidente, il quale, tenendo presso di sè il denaro riscosso, l'impiegherà in provvedere quanto farà di bisogno alli professori nei loro studî ordinarî.

V. Dovrà il presidente far riscuotere le

1 Edit. Main. legit *Is . . . qui* (R. T.).

lettere o stampe che fossero dirette all'Istituto o Accademia delle scienze, ed egli con il segretario aprirà li plichi e le lettere per vederne il contenuto; ed all'incontro farà francare e spedire quelle lettere o stampe, che dall'Istituto o dall'Accademia fossero indirizzate ad altri paesi.

Cap. XIII. — *De' capitali e delle suppellettili.*

De conservatione instrumentorum, supellectilium, aliorumque.

I. Conserverà il presidente un inventario generale di tutti li capitali e suppellettili dell'Istituto, e nel tempo delle ultime vacanze estive dovrà rincontrarlo diligentemente a capo per capo, ed avanti il principio degli esercizî riferirne lo stato all'assunteria dell'Istituto.

II. Sia però pronto a farne sempre il rincontro ogni volta gli venisse ordinato dalla suddetta assunteria.

III. Il presidente aggiungerà subito al suo inventario generale tuttociò che l'Istituto acquistasse, e lo farà subito aggiungere all'inventario particolare di quella professione, alla quale tal cosa acquistata appartenesse. Dell'acquisto fatto renderà immediatamente consapevole l'assunteria dell'Istituto.

IV. Se per alcun accidente mancasse alcun mobile, istromento, o altra cosa dell'Istituto, farà memoria in un libro a parte, e ne avviserà subito l'assunteria dell'Istituto.

V. Dalli professori non si trasporterà capricciosamente alcuna cosa da un luogo all'altro, ma solamente per uso de'medesimi, e per quel tempo che avranno bisogno; nel qual caso dovranno gli estranei lasciare una ricevuta in mano del professore o custode di quella stanza dalla quale si dovrà trasportare.

VI. Sotto qualsivoglia pretesto non si potrà mai portare alcun capitale o altro mobile fuori del palazzo dell'Istituto, senza espressa licenza del senato. Derogheranno però sempre a questa legge le riverite istanze del sig. generale Marsili, alle mani del quale avrà facoltà il presidente di consegnare personalmente e dare in prestito ciò che richiedesse, con prendere da lui un attestato in iscritto della sua ricevuta.

VII. Si permetterà pure al professore, che avrà la stanza delle statue, di fare all'Accademia Clementina della pittura il prestito di que' marmi che per suo studio domandasse, ma però coll'obligazione in iscritto de' principali officiali dell'Accademia di restituire il pigliato ad ogni richiesta di esso professore, e perchè l'Accademia Clementina si mostri grata all'Istituto, compiacendolo ricercata di qualche disegno o configurazione, essendo dovere, che fra l'una e l'altra passi una lodevole corrispondenza.

Cap. XIV. — *Del custode delle officine e del palazzo dell'Istituto.*

De eius electione, habitatione, munere et debito.

I. La sua elezione si farà dall'assunteria dell'Istituto. Dovrà tenere la sua abitazione nel quartiere che gli sarà destinato dentro il palazzo dell'Istituto.

II. Custodirà tutte le officine delle arti, facendo buon governo di tutti gli istromenti delle medesime. Serberà un inventario di tutte le cose commesse alla sua custodia, e ad ogni istanza del presidente o dell'assunteria sarà pronto a fare il rincontro.

III. Con la permissione del presidente, darà comodo a tutti li professori di poter adoprare gli istromenti delle officine, ma però dentro la stanza delle officine, e non fuori delle medesime.

IV. Desiderando qualche estraneo di prevalersi di tali officine, non potrà soddisfarlo senza licenza del presidente.

V. Dipenderà dagli ordini del presidente, che dovrà sempre puntualmente eseguire, e procurerà che siano serviti li professori nel tempo degli esercizî.

VI. Farà mettere in pronto le illuminazioni, e tutto ciò che per preparamento degli esercizî gli sarà ordinato dal presidente.

VII. Farà aprire e chiudere il palazzo ai debiti tempi.

VIII. Farà che si mantenga monda e pulita tutta l'abitazione dell'Istituto.

IX. Farà che siano portate le polizze ed avvisi alli professori, quando gli sarà comandato.

Cap. XV. — *Dell'osservanza delle presenti costituzioni.*

De observan-

I. Si dovranno le presenti costituzioni,

tià, mutatione et declaratione harum constitutionum.

tutte ed in ogni sua parte inviolabilmente far osservare dall'assunteria soprastante al presidente, segretario, professori, custodi ed officiali dell'Istituto, nè ad alcuno sarà mai lecito trasgredirle sotto qualsivoglia pretesto.

II. Sia nondimeno permesso al senato, con l'intervento del sig. cardinal legato *pro tempore*, di variarle e di abrogarle, come pure di aggiungere e scemare quel che giudicasse opportuno secondo le contingenze de' tempi futuri; ed in tal caso il presidente, il segretario, professori, custodi ed officiali suddetti saranno obbligati all'osservanza di quelle nuove costituzioni che venissero ad essi prescritte.

III. Incontrandosi nelle presenti costituzioni, o nelle future contingenti, qualche capitolo, articolo, paragrafo, o particella, o parola di dubbia intelligenza, spetterà unicamente all'assunteria dell'Istituto d'interpretarla e dichiararla; ed alle sue dichiarazioni ed interpretazioni tutti li ministri dell'Istituto dovranno quietarsi.

Contrariis haud obstantibus quibuscumque.

L. † *S.*

Ita est: IACOBUS ANTONIUS DE BERGAMORIUS illustrissimi senatus Bononiae secretarii ».

Petitur confirmatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tam reformatores quam Aloysius Ferdinandus comes praedicti constitutiones seu statuta praeinserta, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, ac aliàs desuper pastoralis providentiae nostrae partes interponi plurimum desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio praedicta.

§ 3. Nos igitur, qui praedictae Academiae prosperum statum et directionem ac uberiores in dies incrementa sinceris exoptamus affectibus, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutiones seu statuta praeinserta, omniaque et singula in eis contenta et expressa, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae atque irrefragabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, amplissime supplemus.

Electio praesidis clericalis in S. Sedis notarium.

§ 4. Praeterea memoratae Academiae seu Instituti scientiarum modernum praesidem dilectum filium Laelium Triumphettum, philosophiae doctorem, ac in dicto Bononiensi gymnasio simplicium medicinalium lectorem emeritum, hortoque publico praefectum, necnon collegiatae ecclesiae S. Mariae Maioris praedictae civitatis canonicum, eiusque futuros in eodem praesidis officio, quod ceteroquin ad vitam conferendum erit, successores, dummodo tamen in clericali statu constituti sint, ut ad idem officium laudabilius gerendum incitentur, specialis favore gratiae decorare volentes, eumdem Laelium, eiusque successores quoslibet, nostros dictaeque Sedis notarios, sine tamen praeiudicio dilectorum filiorum notariorum de numero participantium, cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, praerogativis et insignibus debitis et consuetis, creamus et constituimus, ac in numerum et consortium aliorum nostrorum et eiusdem Sedis notariorum referimus et conscribimus,

illisque, etiamsi habitum et rocchettum notariorum dictae Sedis iuxta decreta Lateranensis concilii novissime celebrati non deferant, ut omnibus et quibuscumque privilegiis et facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus ceteri omnes notarii nostri, etiam de numero participantium (citra tamen exemptiones a Concilio Tridentino sublatas, itaut, nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia, subiaceant Ordinariis, ac citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, et notarios seu tabelliones creandi, aliaque huiusmodi privilegia eisdem notariis de numero participantium concessa, seu ab eis praetensa, itaut illis nullibi uti valeant, ac irritum et inane existat quidquid secus per eos aut eorum quemlibet respective attentari contigerit) utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiae et indulta huiusmodi pro illis emanassent, uti, potiri et gaudere, ac omnibus et singulis apostolicis, aliisque litteris, instrumentis, et scripturis publicis et privatis deinceps eorum nomine conficiendis, notarios sese inscribere, et illis subscribere valeant, ac pro veris et non fictis notariis ab omnibus habeantur, nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis subscriptionibus subreptitium vel obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censeatur, auctoritate apostolicâ, earumdem tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Electio praesidis laici in equitem auratae militiae.

§ 5. Quod si eiusdem Academiae seu Instituti scientiarum pro tempore praeses in laicali statu constitutus reperiatur, ac in eo permanere velit, ipsum, statim ac ad eiusmodi officium assumptus fuerit, auratae militiae equitem facimus, constituimus et creamus, ac aliorum equitum militiae huiusmodi numero et consortio favorabiliter aggregamus, eique, ut torquem aureum ac ensem ac aurata calcaria gestare, necnon omninibus et singulis privilegiis, gratiis, indultis, exemptionibus et praerogativis, quibus alii equites huiusmodi de iure, usu vel consuetudine aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pari modo (citra tamen facultates a praedicto Concilio Tridentino sublatas) uti, frui et gaudere libere et licite valeat, auctoritate et tenore praedictis similiter indulgemus.

Praeceptum conficiendi singulis annis statum oeconomicum, et relationem observationum et experimentorum.

§ 6. Insuper, quo plenius ac uberius felici praedictae Academiae seu Instituti scientiarum statui atque gubernio, necnon rectae illius bonorum et proventuum quorumcumque administrationi perpetuis futuris temporibus consultum sit, harum serie statuimus et mandamus, ut a memorato coetu seu congregatione assumptorum nuncupatorum in fine cuiuslibet anni qua par est sedulitate ac fide conficiatur status oeconomicus eiusdem Academiae, necnon accurata exaretur relatio observationum ac experimentorum factorum, singularumque rerum memorabilium, quae in eâdem Academiâ eo anno contigerunt, ut fructus qui ex peractis studiis perceptus fuerit, constare possit. Eiusmodi vero statum oeconomicum et relationem ab eodem coetu seu congregatione assumptorum exhiberi subinde volumus antedictis reformatoribus, necnon moderno et pro tempore existenti in civitate et comitatu Bononiensi nostro dictaeque Sedis de latere legato, quibus iniungimus, ut tam statum oeconomicum quam relationem praedictam simul diligenter examinent

atque discutiant, et, si quid pro meliori dictae Academiae regimine corrigendum, praecipiendum seu statuendum esse censuerint, pro traditâ sibi a Domino prudentiâ corrigere, praecipere atque statuere non omittant, eiusque bonum, utilitatem et incrementa, quantum in ipsis erit, omni curâ, studio ac ope promoveant.

Clausulae. § 7. Decernentes, easdem praesentes litteras et constitutiones, seu statuta praeinserta, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis ac eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praedicti Lateranensis Concilii novissime celebrati de certo notariorum numero, cui per hoc aliàs derogare non intendimus, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, collegii dictorum notariorum ac praedictae civitatis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandatum emittendi professionem fidei per praesidem Academiae.

§ 8. Volumus autem, quod dictus Laelius modernus, ac pro tempore existens praedictae Academiae seu Instituti scientiarum praeses, antequam gratiâ creationis in nostrum et Sedis praedictae notarium, illi, ut supra, concessâ, perfrui valeat, in manibus alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae professionem fidei iuxta articulos pridem a dictâ Sede propositos expresse emittere et solitum fidelitatis iuramentum praestare omnino teneatur;

Transumptorum fides.

§ 9. Quodque earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII iunii MDCCXV, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 12 iunii 1715, pontif. anno XV.

CCXXI.

Confirmatur decretum capituli generalis monachorum Congregationis Fuliensis de mutatione sandaliorum in calceos[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Decretum praedictum cum eius causis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus a S. Catharina, prior pro-

1 A Paulo V const. ed. MDCVIII, die 28 martii, pontif. III, concessa fuit facultas conficiendi ceras Agnus Dei.

vincialis provinciae Aquitaniae monachorum Congregationis Fuliensis Ordinis Cisterciensis, quod, cum (habitâ in novissimo capitulo generali eiusdem Congregationis, anno proxime praeterito in abbatiâ S. Maximini prope civitatem Aurelianensem celebrato, super usu deferendi sandalia pluribus ab hinc annis in dictâ Congregatione introducto, maturâ deliberatione) compertum fuerit[1], usum sandaliorum huiusmodi, non solum generali monachorum ceterarum Congregationum monasticarum, ac praesertim Congregationis Reformatae S. Bernardi Ordinis praefati, qui calceos communiter gestant, consuetudini contrarium esse, verum ipsimet etiam regulae S. Benedicti, cap. LV, sub qua monachi primodictae Congregationis vivunt, adversari, plurimumque ipsorum monachorum valetudini obesse, aliaque multiplicia exinde incommoda in laudabilium supradictae Congregationis institutorum perniciem provenire; his omnibus in praedicto capitulo generali, sess. XIII et XIV, rite discussis et accurate perpensis, pro bono eiusdem Congregationis regimine, ac monasticae in eâ disciplinae progressu, carissimo etiam in Christo filio nostro Ludovico Francorum rege christianissimo id ipsum suadente, decretum fuit (reservato tamen nostro et huius Sanctae Sedis beneplacito) ut usus sandaliorum eiusmodi in usum calceorum deinceps commutaretur, sicque, sublato sandaliorum discrimine, inter utramque Congregationem praedictam memorati Ordinis Cisterciensis in usu ac delatione calceorum uniformitas induceretur. Quare praefatus Petrus prior provincialis nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Edit. Main. legit *fuisse* (R. T.).

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Nos igitur, ipsius Petri prioris provincialis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum pariter filium procuratorem generalem Congregationis et Ordinis praefatorum audiverunt, consilio, praenarratum decretum super commutatione usus sandaliorum in usum calceorum a dicto capitulo generali ut praefertur editum, ita tamen ut calcei per monachos Congregationis et Ordinis huiusmodi gestandi humilitatem et simplicitatem monasticam omnino praeseferant, auctoritate nostrâ apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis

nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis Fuliensis et Ordinis praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis, quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV iunii MDCCXV, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 13 iunii 1715, pontif. anno XV.

CCXXII.

Confirmantur declarationes, provisiones et decreta super sportulis, quae tribunalibus persolvi debent[1].

1 Hac de re vide infra allegata; in Benedicti vero XIII constit. editâ MDCCXXVI, die 3 februarii, pontif. II, extat quaedam ordinatio pro rectâ iustitiae administratione.

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae deputandi Congregationem particularem.

§ 1. Cum ad aures sanctissimi domini nostri plurimae pervenerint litigantium querelae super inobservantiâ reformationis tribunalium Urbis a felicis recordationis Paulo Papa V editae, necnon litterarum apostolicarum recolendae memoriae tum Innocentii Papae XI anno Incarnationis dominicae MDCLXXXIX, IV kalendas iulii, tum Innocentii Papae XII pridie nonas decembris anno praefatae Incarnationis MDCXCIII expeditarum, in eâ praesertim parte in qua iudicibus commissariis Rotae et aliis tribunalibus eiusdem Urbis taxantur sportulae, simulque delatum fuerit, quod, eâ de causâ, germanum praefatarum reformationis et litterarum apostolicarum intellectum et claram Romanorum Pontificum mentem fallacibus argumentis et minus veris interpretationibus vanisque subterfugiis ac praetextibus, non sine maximo ipsorum litigantium et praesertim pauperum dispendio, everti, eludi et retardari contingit; cumque Sanctitas Sua, eâ, qua ceteris indesinenter praeest, pervigili curâ, et eximiâ, qua pauperes prosequitur, charitate, Congregationem particularem plurium praelatorum ex senioribus Romanae Curiae, necnon de stylo seu praxi eiusdem Curiae apprime instructorum, specialiter, ut infra, ad id deputaverit, attributâ eis facultate, quibuscumque minus veris interpretationibus insubsistentibus titulis et praetextibus penitus sublatis et reiectis, praefatorum Pontificum litteras iuxta eorum mentem et sensum declarandi, interpretandi, et debitae, prout par est, executioni demandandi, reservatâ tamen sibi facultate easdem declarationes, provisiones et

decreta approbandi et confirmandi: eadem Congregatio, re mature discussâ, sub diebus x et XVIII februarii proxime praeteriti, et II iunii currentis, infrascriptas edidit declarationes, provisiones et decreta:

De sportulis, seu propinis in causis commissis.

I. In causis, in quibus iudices delegati et Urbis tribunalia procedunt vigore unius dumtaxat commissionis, non liceat eis exigere nisi unicam tantum propinam iuxta taxam in dictâ reformatione Pauli V editam ac in litteris Innocentii XI et Innocentii XII confirmatam, etiamsi in commissionibus fuerint expressa et inclusa diversa credita seu bona, diversae actiones et diversae personae; ac etiam non obstante quod, ad instantiam collitigantium vel alterius ipsorum, fuerint divisa et disputata diversa dubia, separatae prodierint decisiones, lataequae separatae sententiae.

In causis creditorum.

II. In causis, in quibus fuit in sententiâ declaratum constare de credito unius ex collitigantibus in aliquâ certâ et determinatâ summâ, reservatâ aliâ maiori summâ in monitorio seu commissione petitâ, discutiendâ in aliâ instantiâ seu iudicio, taxatio sportularum erit regulanda a ratâ summae in sententiâ definitae, non autem a totâ summâ in monitorio seu commissione petitâ.

In causis concursus eorumdem.

III. In causis concursus creditorum, non percipiatur nisi unica propina, habito respectu ad totam summam, solvenda tamen proportionabiliter ab omnibus creditoribus per contributum.

In causis pauperum.

IV. In causis, in quarum commissionibus fuit demandatum, ut, docto de paupertate unius ex collitigantibus, iudex procedat absque solutione sportularum seu propinae, nullo modo liceat exigere sportulas seu propinam ab ullâ ex partibus, quamvis divite aut sponte dante.

In expeditionibus causarum.

V. In expeditionibus causarum servetur in Rotae auditorio antiquus stylus, nec cogantur partes, eâdem die qua instant pro expeditione, tradere iudici vel notario cedulam sententiae, vel citationem pro decreto definitivo, ut statim et contemporanee in eâdem Rotâ, qua fuerit decreta expeditio causae, subscribatur sententia seu decretum definitivum huiusmodi; minusque cogantur ante emanatam resolutionem rotalem pro expeditione causae solvere aut deponere sportulas, sed liberum sit collitigantibus instare in Rotâ pro expeditione causae, etiam nullâ traditâ cedulâ, nec reproductâ, imo nec executâ citatione pro habendo decreto definitivo, nec ullo sportularum facto deposito, itant victori seu victoribus, etiam post editam resolutionem rotalem pro causae expeditione, liceat citare et reproducere citationes in die qua illae cadunt, ac tradere cedulam infra terminum *proservato*, et solvere seu deponere sportulas pro obtinendis subscriptione eiusdem cedulae sententiae seu decreto definitivo, prout iuxta antiquum laudabilem stylum seu consuetudinem practicari consuevit, dummodo tamen parti victae post decretam expeditionem rotalem semper et in quocumque casu remaneat tempus congruum saltem tridui ad renunciandum: non obstantibus quocumque decreto contrario, etiam eiusdem Rotae, et contrariâ praxi novissime introductâ.

In renunciatione litis.

VI. Factâ renunciatione litis, non liceat recipere quidquam pro sportulis seu propinâ, sub quovis praetextu, etiam taxationis expensarum: sublatis ac penitus revocatis quocumque decreto eiusdem Rotae, usu seu consuetudine contrariâ, et quibuscumque aliis in contrarium facientibus.

In causis earumdem sportularum.

VII. Quamvis in praeinsertis Innocentii XII litteris dispositum sit, ubicumque in hac sportularum materiâ quaestio aliqua emergeret super interpretatione, declaratione aut executione suarum et dictorum Pauli V ac Innocentii XI litterarum, standum esse iudicio et declarationi gubernatoris Urbis pro tempore, et duorum in ordine succedentium ex Congregatione reformationis tribunalium Urbis; nihilominus, quia experientiâ compertum est quam raro praefati gubernator et alii duo in ordine succedentes ex Congregatione reformationis convenire et congregari valeant ideo pro maiori et faciliori litigantium commoditate visum fuit consulendum Sanctissimo, ut, praeviâ revocatione

et abrogatione in hac dumtaxat parte supra relatae constitutionis Innocentii XII, tam praemissorum quam aliorum in praefatis litteris Pauli V, Innocentii XI et Innocentii XII dispositorum executionem mandet, deleget et committat suo et Pontificum successorum pro tempore auditori, ad quem facilior et quotidie patet aditus; quo vero ad earumdem litterarum declarationem et interpretationem, mandet stari iudicio et declarationi eiusdem auditoris, necnon decani pro tempore tum signaturae gratiae tum signaturae iustitiae, quovis alio recursu et appellatione penitus sublatis.

Confirmatio relatorum omnium.

Et factâ sanctissimo domino nostro declarationum, provisionum et decretorum praemissorum relatione, Sanctitas Sua ea approbavit, et ab omnibus iudicibus commissariis, Rotâ, aliisque tribunalibus Urbis omnino servari mandavit, revocatis et reprobatis quocumque decreto, etiam eiusdem Rotae, usu et consuetudine contrariâ, et aliis quibuscumque in contrarium facientibus. Ac insuper, praeviâ derogatione litteris Innocentii XII in hac parte tantum, suo et Pontificum successorum pro tempore auditori illarum executionem, prout etiam eidem auditori et decanis pro tempore signaturae gratiae et iustitiae earumdem interpretationem ac declarationem specialiter commisit et delegavit, omni et quacumque appellatione et recursu reiectis et sublatis, eâ tamen adiectâ declaratione, quod Sanctitas Sua non intendit, per huiusmodi declarationum, provisionum et decretorum approbationem seu confirmationem, quoquomodo liberare seu eximere eos qui in aliquo contrafecerunt seu contravenerunt dispositis in reformatione Pauli V et memoratis suorum praedecessorum litteris, a restitutione summae, si qua[1] ab illis foret indebite exacta, nec ab illis poenis per eos quomodolibet incursis. Datum hac die XXII iunii MDCCXV.

PROSPER episcopus Cyrenensis sanctissimi domini nostri auditor.

Dat. die 22 iunii 1715, pontif. anno XV.

Nomina autem eorum, qui praedictae Congregationi interfuerunt, sunt haec:

R. P. D. Ferdinandus Nuntius, archiepiscopus Nicaenus, sacrae Congregationis episcoporum et regularium secretarius.

R. P. D. Vincentius Petra, archiepiscopus Damascenus, sacrae Congregationis Concilii secretarius.

R. P. D. Silvius de Cavaleriis, archiepiscopus Athenarum, sacrae Congregationis de Propagandâ Fide secretarius.

R. P. D. Prosper Marefuscus, episcopus Cyrenensis, sanctissimi domini nostri auditor.

R. P. D. Fattinellus de Fattinellis, reverendae Camerae Apostolicae clericus.

R. P. D. Prosper de Lambertinis, utriusque signaturae referendarius, et promotor fidei.

R. P. D. Gaspar Turchus, reverendae Camerae Apostolicae commissarius generalis.

SALVATOR PAPAROZZIUS, A. C. et sacri palatii apostolici notarius.

1 Edit Main. legit *si quae* (R. T.).

CCXXIII.

Confirmatur decretum magistri generalis Ordinis Praedicatorum pro abolitione alternativae in electione provincialis provinciae S. Antonini novi regni Granatensis [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Refertur dicta alternativa a magistris generalibus instituta eiusque abolitionis causae.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Ioannes de Olarte, definitor et procurator necnon fratres provinciae S. Antonini novi regni Granatensis in Indiis

1 Const. ed. MDCCXII, die 2 iulii, pontif. XII, concessum fuit suffragium singulis prioribus dictae provinciae; et Innocentii XIII, const. ed. MDCCXXII, die 24 aprilis, pontif. I, conceduntur octo gradus magisterii pro provinciâ Mexicanâ.

Occidentalibus, Ordinis Praedicatorum, quod, cum, occasione confirmationis actorum capituli provincialis anno MDCCX super electione prioris generalis celebrati, nonnullae difficultates super executione alternativae a dilecto filio Antonino Cloche, magistro generali dicti Ordinis, ad favorem fratrum filiorum conventus de Tunza nuncupati provinciae et Ordinis praedictorum concessae, tam pro parte eorumdem exponentium, quam etiam dilectorum itidem filiorum fratrum S. Fidei, et Carthaginensis, ac eiusdem de Tunza conventuum Ordinis praedicti memorato Antonino magistro generali representatae, eique alia inconvenientia circa novam et antiquam alternativam allegata fuissent, ad hoc ut ipse circa praemissa, pro suâ prudentiâ, illud, quod in Domino expedire censeret, decerneret: praedictus Antoninus magister generalis quamcumque alternativam pro electione dicti prioris provincialis, tam a se quam a praedecessoribus suis magistris generalibus, et praesertim a bonae memoriae Ioanne Thoma Roccaberti, dum vixit, archiepiscopo Valentinensi, qui in minoribus constitutus magistri generalis dicti Ordinis officio functus fuerat, stabilitam, abolevit, cassavit et revocavit, ac observari minime voluit et praecipit; itaut in posterum ii solum, qui ex filiis cuiuscumque conventus dictae provinciae digniores et aptiores ad provincialatus munus observandum iudicabuntur, nullo habito respectu filiationis huius vel alterius conventus, in priores provinciales eligantur: et aliàs, prout uberius continetur in ipsius Antonini magistri generalis decreto desuper edito, tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum magistri generalis

In Deo[1] filiis sibi dilectis reverendis admodum patribus magistris, prioribus, praesentatis, praedicatoribus generalibus, ceterisque patribus et fratribus provinciae nostrae S. Antonini de novo regno Granatensi Ordinis Praedicatorum, frater Antoninus Cloche, sacrae theologiae professor, ac eiusdem Ordinis humilis magister generalis et servus. Cum, occasione novae alternativae in favorem filiorum conventus de Tunza pro electione provincialis servandae, et a nobis concessae in confirmatione actorum capituli provincialis anni MDCCX, nobis exponatis plures difficultates occurrere in illius concessionis executione, ac pro parte filiorum conventus S. Fidei, filiorum conventus de Carthagena, ac filiorum conventus de Tunza, circa alternativam tam novam quam antiquam, aliqua allegata sint, ut, nostro iudicio relinquentes, quod magis expediens fuerit, resolveremus; ideo bono provinciae regimini[1] et gubernio providere volentes, visis et consideratis pro utrâque parte allegatis, ac ipsarum petitionibus, tenore praesentium, nostrâque auctoritate officii, abolemus omnem et quamcumque alternativam pro electione provincialis in vestrâ provinciâ stabilitam, sive a nobis, sive a praedecessoribus nostris, praesertim bonae memoriae reverendissimo[2] de Roccabertis, illamque omnino revocamus, ac in posterum non observari volumus; itaut in provinciales eligantur ii solum, qui, ex filiis cuiuscumque sint conventus, digniores et aptiores ad praedictum officium iudicabuntur, nullo habito respectu filiationis huius vel alterius conventus. Sic de cetero fieri praecipimus sub poenâ nullitatis electionis, si aliter fiat, imponentes partibus super huiusmodi negotio perpetuum silentium. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Non obstantibus dictis concessionibus, et aliis quibuscumque. In quorum fidem, etc. Datum Romae, in conventu nostro S. Mariae super Minervam, die XIII augusti MDCCXV. — Frater ANTONINUS CLOCHE, magister Ordinis. — Frater THOMAS RIPOLL, magister provincialis Terraesanctae et socius. *Locus † sigilli. Registrat. fol.* VIII.

pro abolitione praefatae alternativae anno MDCCXV editum.

1 Male edit. Main. legit *Dei* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *regimine* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *reverendissimum* (R. T.).

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodelibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium, qui dilectum filium modernum procuratorem generalem dicti Ordinis super praemissis audiverunt, consilio, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, conventuum, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II octobris MDCCXV, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 2 octobris 1715, pontif. anno XV.

CCXXIV.

Confirmatur constitutio Innocentii XI approbans statuta cardinalis protectoris pro reformatione provinciae Pedemontanae fratrum Carmelitarum reformatorum [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis divinitus pastoralis officii ratio postulat, ut illis, quae, ad confovendum religiosorum virorum, eorum praesertim qui arctioris vitae zelo

1 Laudatam const. vide infra citatam. Eadem statuta confirmata fuere pro provinciâ Poloniae ab eodem Innocentio XI. In Benedicti XIII, const. ed. MDCCXIV, die 27 iulii, pontif. I, instituitur reformatio in provinciâ S. Alberti regni Siciliae; et const. ed. MDCCXXVIII, die 26 martii, pontif. V, extant quaedam ordinationes pro reformatione dictae provinciae Pedemontanae.

ducti primaevum religionis suae rigorem servare laudabiliter satagunt, propositum, iuvandaque eorum religiosa studia, et in viâ Domini progressus, ab hac Sanctâ Sede pie prudenterque emanarunt, quo firmius subsistant, apostolici muniminis nostri patrocinium adiungamus, sicut in Domino expedire arbitramur.

Innocentii XI constitutio.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Innocentius Papa XI praedecessor noster nonnulla decreta pro reformatione tunc existentium fratrum provinciae Pedemontanae Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo a bonae memoriae Palutio, dum vixit, S. R. E. cardinali de Alteriis nuncupato, dicti Ordinis apud eumdem Innocentium praedecessorem et Sedem praefatam protectore[1] edita per suas litteras in simili formâ Brevis confirmavit, tenoris qui sequitur, videlicet:

Innocentius Papa XI, ad futuram rei memoriam, Exponi nobis, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII martii MDCLXXXII, pontificatus nostri anno XI.

Confirmatio praedictae constitutionis Innocentii XI

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii fratres dictae provinciae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi duos conventus, ultra tres alios quos possident, eidem provinciae uniri obtinuerint, ac proinde praeinsertas Innocentii praedecessoris litteras, quo serventur exactius et regularis observantia in eâdem provinciâ firmius solidetur, apostolicae confirmationis nostrae praesidio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super disciplinâ regulari deputatorum consilio, praeinsertas memorati Innocentii praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus et innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis Innocentii praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides

1 Edit. Main. legit *protectorem* (R. T.).

2 Reliqua vide tom. XIX, pag. 751 (R. T.).

ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXVI octobris MDCCXV, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 26 octobris 1715, pontif. anno XV.

CCXXV.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium quo denegatur separatio quinque coenobiorum a provinciâ Aragoniae fratrum Ordinis B. M. de Mercede [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Species facti. § 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, in causâ dilectorum filiorum fratrum Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, instantibus religiosis quinque conventuum regni Navarrae dicti Ordinis pro gratiâ separationis et dismembrationis dictorum quinque conventuum a provinciâ Aragoniae eiusdem Ordinis eorumque erectionis in particularem separatam ac novam provinciam pro tempore existenti magistro generali Ordinis huiusmodi subiectam, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacrae Congregationis decretum. In causâ fratrum Ordinis beatae Mariae de Mercede, instantibus religiosis quinque conventuum regni Navarrae pro gratiâ separationis et dismembrationis dictorum quinque conventuum a provinciâ Aragoniae, eorumque erectionis in particularem separatam ac novam provinciam patri generali Ordinis existenti pro tempore subiectam, sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentâ relatione eminentissimi Ottoboni eiusdem Ordinis apud Sanctam Sedem protectoris, et audito patre procuratore generali, referente eminentissimo Paracciano, distulit resolutionem, et censuit exquirendum votum capituli generalis. Romae, VI septembris MCCIX.

Iterum propositâ causâ, et viso voto capituli generalis, necnon perpensis rationibus per utramque partem informantem deductis, referente eminentissimo Cursino in locum eminentissimi Paracciani suffecto, sacra eadem Congregatio rescripsit negative, et causam huiusmodi amplius non proponi mandavit. Romae, XXIX novembris MDCCXV. — F. cardinalis DE ABDUA. — F. archiepiscopus Nicaenus, secretarius.

Confirmatio relati decreti. § 2. Cum autem, sicut pro parte dilecti etiam filii magistri Francisci Mariae Bichi, vicarii et prioris generalis dicti Ordinis, nobis subinde expositum fuit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum Franciscum Mariam vicarium et procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de-

1 Const. edit. MDCCII, die 29 martii, pontif. II, confirmatum fuit decretum cardinalis protectoris pro reformatione constitutionum; et constit. edit. MDCCXIX, die 6 decembris, pontif. XX, confirmatur decretum super habitu fratrum Donatorum Congregationis Hispaniae.

cretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI octobris[1] MDCCXV, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 16 octobris 1715, pontif. anno XVI.

1 Tum ex notâ marginali ed. Main., tum ex ordine, legendum *decembris* (R. T.)

CCXXVI.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua etiam pro defunctis in ecclesiâ Montis B. M. V. monachorum Congregationis Montis Virginis[1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidelitati nostrae commisit divina dignatio, libenter erogamus, cum id ad augendam fidelium religionem et animarum salutem speramus in Domino profuturum. Proœmium.

§ 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni procuratoris generalis Congregationis Montis Virginis monachorum Ordinis S. Benedicti nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus ad ecclesiam monasterii dicti Montis B. Mariae Virgini[2] Constantinopolitanae nuncupatae dicatam peregrinantibus, qui vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, ecclesiam huiusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, semel in anno, quo praemissa peregerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam animabus fidelium defunctorum, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Perpetuis futuris temporibus valituris. Concessio indulgentiae.

§ 2. Volumus autem ut earumdem Clausulae.

1 Alexandri VII constit. edita MDCL, die 27 iunii, pontif. IV, est contra ambientes; et in Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVIII, die 26 martiii pontif. V, agitur de delinquentibus extra claustra.

2 Edit. Main. legit *Virginis* (R. T.).

praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II aprilis, MDCCXVI, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 2 aprilis 1716, pontif. anno XVI.

CCXXVII

Adscribitur Beatorum catalogo servus Dei Franciscus Regis Societatis Iesu, cum officio et missâ [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Viros gloriosos, qui, divites in virtute adepti sunt gloriam in conversatione gentis, hoc est sanctos et electos Domini, quos clarioribus multiformis suae gratiae charismatibus exornavit divina dignatio, laudandos esse monet Spiritus Sanctus; decet siquidem eis, quos aeternus iudex immarcescibilis gloriae coronâ donat in caelis, et quorum sanctitatem sequentibus signis testatam facit in terris, debitae venerationis cultum etiam a fidelibus exhiberi, ut sapientiam ipsorum narrent populi et laudem eorum nuntiet Ecclesia.

1 Clementis X const. ed. MDCLXX, die 16 augusti, pontif. I extat indultum de officio et missâ B. Stanislai Kostkae; Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVII, die 7 septembris, pontif. VI, confirmata fuit electio S. Ignatii in patronum regionis Cantabriae; a Benedicto XIII const. ed. MDCCXXV, die 21 iunii, pontif. II, conceditur scholaribus facultas eligendi B. Aloysium Gonzagam in patronum; et const. ed. MDCCXXIV, die 4 iunii, pontif. I, est canonizatio S. Francisci Borgiae.

Epitoma virtutum et meritorum dicti servi Dei.

§ 1. Hos inter cum longe lateque refulserit Dei servus Ioannes Franciscus Regis sacerdos professus Societatis Iesu, qui nimirum virtute indutus ex alto, portansque iugum ab adolescentiâ suâ, poenitentiae austeritatem cum innocentiae candore usquequaque coniunxit, ac iugiter dilatante cor eius Spiritu Sancto, in omnibus exhibuit se ipsum sicut Dei ministrum in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in scientiâ, in suavitate, praecipue vero in charitate non fictâ, qua in Deum et proximos mirabiliter aestuavit; apostolici muneris, quod nos, viribus licet et meritis longe impares, gerere voluit Altissimus, ratio exigit, ut illius honorem ac venerationem, ad omnipotentis Dei gloriam, catholicae Ecclesiae decus, christianique populi spiritualem aedificationem, quantum nobis ex alto conceditur, promovere studeamus.

Iudicium Congregationis Rituum et preces quamplurium, praesertim regis Francorum, pro beatificatione.

§ 2. Cum itaque, mature diligenterque discussis atque perpensis per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus, rite ac recte confectis super vitae sanctitate et virtutibus heroicis, quibus idem servus Dei Ioannes Franciscus multipliciter claruisse, necnon miraculis quae ad eius intercessionem et ad manifestandam hominibus illius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur, eadem Congregatio coram nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu unâque voce censuerit, posse, quandocumque nobis videretur, praedictum servum Dei Beatum declarari cum consuetis indultis: hinc est quod nos, piis atque enixis quamplurium venerabilium fratrum archiepiscoporum et episcoporum regni Galliarum, ac potissimum provinciae Occitaniae, necnon dilectorum filio-

rum magistratuum, procerum et populorum provinciae huiusmodi, ac totius insuper Societatis Iesu supradictae supplicationibus (quas dudum etiam clarae memoriae Ludovicus XIV, dum viveret, Francorum rex christianissimus devotarum suarum precum accessione roboraverat) nobis super hoc humiliter porrectis paternâ benignitate annuentes, de memoratorum cardinalium consilio pariter et assensu, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus ut idem Dei servus Ioannes Franciscus Regis in posterum Beati nomine nuncupetur eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, ac de eo recitetur officium et missa celebretur de Confessore non Pontifice, singulis annis, iuxta rubricas breviarii et missalis romani, die XXIV maii, cum dies XXXI decembris, qua ipse servus Dei spiritum Creatori reddidit, et aliae plures illam subsequentes, ut notum est, impeditae reperiantur. Porro recitationem officii, et missae celebrationem huiusmodi, fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet: in oppido de *Foncouverte*, Narbonensis dioecesis, in quo dictus servus Dei natus est; in pago *Lalovesci* Viennensis dioecesis in Delphinatu, unde ad caelos evolavit, et ubi venerabile eius corpus requiescit, ac in civitate Aniciensi, in qua plurium annorum spatio et pene usque ad suum obitum habitare consuevit, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus, tam saecularibus quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, necnon in universâ Societate praefatâ, et, quantum ad missam attinet, etiam a sacerdotibus ad ecclesias eiusdem Societatis confluentibus. Praeterea primo dumtaxat anno a datis hisce litteris, et quoad Indias a dic quo eaedem litterae illuc pervenerint, inchoando, in ecclesiis oppidi, pagi, civitatis et Societatis huiusmodi respective solemnia beatificationis eiusdem servi Dei, cum officio et missâ sub ritu duplici maiori, die ab Ordinariis respective constitutâ, et intra sex menses promulgandâ, postquam tamen in basilicâ Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re supradictam diem XXIV currentis mensis maii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii praedictae Congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae. Clausulae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII maii MDCCXVI, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 8 maii 1716, pontif. anno XVI.

CCXXVIII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium super associatione cadaverum ad ecclesias regularium pro provinciâ S. Ioannis Baptistae Ordinis fratrum Praedicatorum in regno Peruviano, contra parochos et clerum saecularem[1].

1 Idem concessum fuit Societati Iesu a Clemente X, const. ed. MDCLXXII, die 3 augusti, pontif. III; Innocentii XII const. ed. MDCXCIX, die 9 octobris, pontif. IX, mandata fuit observantia constitutionum circa fratres coniunctos dictae provinciae; et Benedicti XIII const. ed.

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Species facti. § 1. Nuper, pro parte dilecti filii Bernardini Solorzani procuratoris generalis provinciae S. Ioannis Baptistae Ordinis Praedicatorum regni Peruani in Indiis Occidentalibus, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod aliàs praedicta Congregatio die VII decembris MDCXL, instante tunc existente commissario Curiae fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, declaraverat, parochos et presbyteros terrae de Lauretano, ac alios dioecesis Brundusinae, accipere non posse maiorem eleemosynam pro defunctis qui in ecclesiis dictorum fratrum sepeliebantur, quam accipiebant pro iis qui in ecclesiis dictorum parochorum et presbyterorum saecularium; similiter die XXXI augusti anni MDCLVIII, instantibus fratribus provinciae Dalmatiae eiusdem Ordinis, decreverat functiones generales super cadaveribus defunctorum, quae itidem sepeliebantur in ecclesiis regularium, postquam ipsa cadavera ad ecclesias ipsorum regularium pervenissent, ad eosdem regulares, non autem ad parochos pertinere; eodemque modo die XVI decembris MDCLXI pariter declaraverat, super controversiis quae inter parochos civitatis Placentinae et monachos monasterii S. Sixti Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti occasione funerum exortae fuerant, prout statuerat et decreverat die XVII decembris MDCLXXI[1] ad instantiam tunc existentis procuratoris generalis eorumdem fratrum S. Francisci parochis qui associabant cadavera defunctorum quae in ecclesiis regularium pariter sepeliebantur, non licere eâ occasione ingredi ecclesias regularium, sed a ianuis ipsarum ecclesiarum dimittere debere cadavera huiusmodi, et solum posse benedicere et dare ultimum vale, officia vero et alia munia, quae in similibus fieri solebant a regularibus non autem a parochis fieri debere; his vero non obstantibus, cum parochi in partibus Hispaniarum et Indiarum aliter in ecclesiis presbyterorum seu clericorum regularium Societatis Iesu in grave eorum praeiudicium praetenderent, tunc pariter existens procurator generalis earumdem Hispaniarum et Indiarum eiusdem Societatis memoratae Congregationi tunc existentium eiusdem S. R. E. cardinalium die VI maii MDCLXXII supplicaverat, ut, ad removenda omnia et quaecumque scandala, benigne declararet, supradicta omnia decreta et declarationes ad unguem in ecclesiis suarum domorum et collegiorum servanda fore, ac si ad ipsius Societatis instantiam emanassent; dicta vero Congregatio cardinalium indulserat decernendo, dandas esse praedictas declarationes aliàs editas, easque in dictis ecclesiis Societatis omnino servandas esse; eiusque decretum postmodum per felicis recordationis Clementem PP. X praedecessorem nostrum per quasdam suas in simili formâ Brevis expeditas litteras confirmatum, ac pro earumdem[1] litterarum ac pro decreti huiusmodi executione monitorium a tunc etiam existente causarum Curiae Camerae apostolicae generali auditore expeditum fuerat: et in eâdem expositione subiuncto quod dilecti filii parochi eiusdem regni Peruani in praedictis Indiis praetensiones dictis decretis et resolutionibus contra-

MDCCXXIV, die 22 septembris, pontif. I, extenditur privilegium liberandi animas a Purgatorio ad omnes sacerdotes Ordinis.

1 In datis huiusmodi certe error irrepsit (R. T.).

1 Edit. Main. legit *eorumdem* (R. T.).

rias et oppositas habebant in ecclesiis domorum et conventuum dictae provinciae S. Ioannis Baptistae, et signanter oppidi de Potosi et civitatis de Cuquisache respective nuncupatorum, nempe exigendi maiorem eleemosynam[1] pro defunctis qui in ecclesiis parochorum et presbyterorum saecularium ibidem sepeliebantur, ac rursus peragendi super[2] ipsos functiones generales super defunctorum cadaveribus quae in eorumdem fratrum ecclesiis tumulabantur, postquam ipsa cadavera ad eorum ecclesias pervenerant, et tandem ingregiendi suas ecclesias occasione dictorum funerum et aliorum similium: ideoque, ad removenda scandala assiduasque discordias quae in dies oriebantur, pro parte eiusdem Bernardini procuratoris generalis eidem Congregationi cardinalium supplicato ut super praemissis in omnibus et singulis ecclesiis supradictae suae provinciae eodem modo, quo ad favorem eorumdem presbyterorum seu clericorum Societatis praedictae in partibus Hispaniarum et Indiarum provisum fuerat, ut praefertur, provideret, decretaque, ad eorum et aliorum favorem edita, ad dictas ecclesias memoratae provinciae S. Ioannis Baptistae, et signanter oppidi de Potoso et civitatis de Cuquisache provinciae et Ordinis huiusmodi, in posterum eâdem formâ exacte ac si ad eorumdem fratrum Praedicatorum provinciae, oppidi ac civitatis praedictorum favorem emanassent, extendi ac observari ac executioni demandari praeciperet: emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum MDCCXVI quo extenduntur relata decreta etiam ad provinciam S. Ioannis Baptistae.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, ac referente eminentissimo S. Priscae, censuit ac decrevit danda esse decreta aliàs edita, et signanter illud emanatum sub die VI maii MDCLXXII ad instantiam D. Alonsi de Alarcos, procuratoris generalis Hispaniarum et Indiarum Societatis Iesu, videlicet: « Sacra, etc., oratoris precibus benigne indulgens, censuit dandas esse petitas declarationes saepe aliàs editas, easque etiam in praenarratis ecclesiis Societatis esse observandas, nimirum parochis in associatione sive occasione associationis cadaverum non licere ingredi ecclesias regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad ianuam ecclesiarum, ibique solum posse benedicere et dare ultimum vale; officia vero et alia munia, quae in huiusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis regularibus peragi debere, non autem a parochis; episcopos seu Ordinarios locorum permittere non debere, ut parochi, aliique de clero saeculari, maiorem eleemosynam sibi attribui faciant ab haeredibus defunctorum, qui in ecclesiis regularium sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent, si in parochiali seu aliâ ipsius cleri saecularis ecclesiâ sepeliri voluissent; functiones funeralium super cadavera defunctorum quae in ecclesiis regularium contigit sepeliri, postquam ad easdem ecclesias pervenerint, ad ipsos regulares, non ad parochos pertinere ».

Contrariis quibuscumque circa suprascripta omnia minime obstantibus. — Romae, XXIV aprilis MDCCXVI. — F. cardinalis DE ABDUA archiepiscopus Damascenus, secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Bernardinus procurator generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Bernardini procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis,

1 Videtur deesse *quam* (R. T.).
2 Forsan *per* pro *super* (R. T.).

censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III iunii MDCCXVI, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 3 iunii 1716, pontif. anno XVI.

CCXXIX.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua in festo S. Petri de Alcantara pro ecclesiis fratrum Minorum Conventualium[1].

1 Haec indulgentia pro ecclesiis totius Ordinis concessa fuit a Clemente X constit. editâ MDCLXX, die 11 maii, pontif. I; item ab Innocentio XII const. ed. MDCXCV, die 18 augusti, pontif. V, alia plenaria pro ecclesiâ civitatis Assisiensis; et a Benedicto XIII const. ed. MDCCXXIV, die iunii, pontif. I, ubi de canonizatione B. Catharinae a Bononiâ.

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Iniunctae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio postulat, ut caelestium munerum thesauros dispensationi nostrae a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris Sanctorum in caelis cum Christo regnantium venerationem, excitandamque et confovendam erga illos fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum. Exordium.

§ 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni procuratoris generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque conventuum dicti Ordinis, tam hactenus erectis quam in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, die festo S. Petri de Alcantara, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Concessio praedictae indulgentiae.

Clausulae. § 2. Volumus autem, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX iulii MDCCXVI, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 29 iulii 1716, pontif. anno XVI.

CCXXX.

Uniuntur tres parochiales ecclesiae de iurepatronatus regis Portugalliae regiae capellae in civitate Ulyssiponensi, cum nonnullis ordinationibus[2].

Clemens Episcopus, servus servorum Dei, Dilectis filiis venerabilium fratrum nostrorum archiepiscopi Bracarensis et episcopi Lamacensis officialibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. In supremo apostolicae dignitatis solio, divinâ favente clementiâ, meritis licet imparibus, constituti, ad ea, per quae quarumdam collegiatarum ecclesiarum, quae inter praecipuas universi orbis ecclesias, utpote regio nomine insignitas, ac alicui ex divis apostolis dicatas, conspicuo honore illustrantur et frequenti nobilium interventu atque regalium personarum praesentiâ decorantur, gloriae et ornamento et ecclesiasticorum ministrorum in illis divini cultus insistentium indigentiis consulitur, pastoralis officii nostri sollicitudinem favorabiliter interponimus, ut eisdem ecclesiis, ubi debita venerationis officia eâ qua par est curâ, religione et reverentiâ praestantur, additis maioribus redditibus, ipsorumque ecclesiasticorum ministrorum adauctis commodis et utilitatibus pro maiori illorum decore onerumque illis incumbentium supportatione, ad uberiorem aeterni nominis gloriam divinus cultus ac fidelium pietas latius in diem multiplicetur.

Regiae capellae erectio memoratur. § 1. Aliàs[1] siquidem nos regiam capellam divo Thomae dicatam regii palatii civitatis Ulyssiponensis, totius Portugalliae et Algarbiorum regnorum metropolis, in saecularem et insignem collegiatam ecclesiam sub eiusdem divi Thomae invocatione, et in eâ decanatum, primam et principalem, cuius octogintaocto cum duobus tertiis, computatis vero distributionibus quotidianis, ducentorum et sexagintasex, ac alias quinque dignitates et octodecim canonicatus totidemque praebendas, quarum et quorum cuiuslibet sexagintasex cum duobus tertiis, computatis vero distributionibus quotidianis, ducentorum, necnon duodecim perpetua simplicia personalemque residentiam requirentia beneficia ecclesiastica, quorum cuiuslibet trigintatrium ducatorum auri de Camerâ cum uno tertio alterius ducati similia[2], computatis vero eisdem distributionibus quotidianis, centum ducatorum auri similium respective fructus, redditus et proventus valorem annuum non excederent, pro totidem clericis seu presbyteris futuris in eâ respective dignitatibus ac canonicatibus et praebendis et beneficiis huiusmodi, ad nominationem infrascripti Ioannis regis et eius in dictis regnis successorum regum, per Ordinarium loci aut aliàs instituendis, qui apud dictam collegiatam ecclesiam residere, illique in divinis, ac aliàs, deservire deberent, apostolicâ auctoritate

1 Vide ut supra pag. 703 *b* (R. T.).

2 Alexandri VIII const. ed. MDCXC, die 10 aprilis, pontif. I, erecta fuit ecclesia de Pekim et Nankim de iurepatronatus dicti regis; Innocentii XII const. ed. MDCXCVI, die 15 octobris, pontif. VI, separatae fuere quaedam provinciae a dictis dioecesibus; et huius Pontificis const. ed. MDCXVI, die 17 novembris, pontif. XVI, erigitur patriarchalis ecclesia Ulyssiponensis de iurepatronatus regio.

1 Male edit. Main. legit *Aliam* (R. T.).

2 Vel *similium* vel *similis* legendum (R. T.).

ereximus et instituimus; eidemque infrascripto Ioanni regi, eiusque in dictis regnis successoribus regibus praefatis, deputandi nonnullos clericos mansionarios nuncupatos ad eius eorumque respective nutum amovibiles, qui eidem collegiatae ecclesiae unâ cum dignitatibus, canonicis et beneficiatis praefatis inservire tenerentur, facultatem tribuimus; et, pro maiori dictae collegiatae ecclesiae, ubi rex et regina quotidie functionibus ecclesiasticis assistunt, decore et honore et magnificentiâ, alia indulta, privilegia et praerogativas concessimus; pro mensae vero capitularis eiusdem collegiatae ecclesiae ac dignitatum et canonicatuum et praebendarum necnon beneficiorum huiusmodi dote, nonnullos tunc expressos redditus et proventus applicavimus et appropriavimus.

Preces regis pro unione trium ecclesiarum regiae capellae ut in rubrica.

§ 2. Nuper vero carissimus in Christo filius noster Ioannes modernus Portugalliae et Algarbiorum regnorum rex, animadvertens, fructus, redditus et proventus mensae capitulari dictae collegiatae ecclesiae, ut praefertur, applicatos et appropriatos, ob illius conspicuitatem et splendorem, impares existere, eique de illis, quantum in se est, providere anhelans, ad hoc ut capitulum dictae collegiatae ecclesiae se honorificentius manutenere valeat, ac dignitates et canonicatus et praebendas necnon beneficia huiusmodi nunc et pro tempore obtinentes in functionibus ecclesiasticis peragendis et divinis officiis celebrandis Altissimo Deiparaeque virgini Mariae divoque Thomae quotidie et assidue etiam honorifice et splendide praestent famulatum, et provide considerans, quod, si una S. Petri de Alfan Degada Fee, cuius septingentorum et sex, unâ vero cum incertis, septingentorum et quadraginta unius, super quibus una nonaginta duorum, et alia S. Bartholomaei oppidi de Villassor Bracharensis, cuius septingentorum et vigintisex cum duobus tertiis, unâ vero cum incertis, septingentorum et octoginta unius, super quibus altera pensiones annuae, antiquae, perpetuae, centum et triginta ducatorum auri de Camerâ cum uno tertio alterius ducati huiusmodi olim dictae capellae regiae in collegiatam erectae apostolicâ auctoritate reservatae, post vero erectionem et institutionem praefatas mensae capitulari praefatae collegiatae ecclesiae huiusmodi assignatae respective reperiuntur, quae per praesentem gratiam extinctae et cum fructibus ut infra applicandis consolidatae remanebunt, necnon reliquae parochiales ecclesiae S. Iacobi oppidi de Leomil Lamacensis respective dioecesis, cuius et illis forsan respective annexorum etiam respective fructus, redditus et proventus tercentorum et novem, unâ vero cum incertis, tercentorum et quinquagintaunius insimul, deductâ congruâ pro infrascriptis vicariis, mille sexcentorum et nonagintaquatuor ducatorum auri de Camerâ cum duobus tertiis alterius ducati similis, secundum communem aestimationem, valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, et quae, sicut accepimus, de iurepatronatus praefati Ioannis regis ex fundatione vel dotatione aut privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscuntur, et ad praesens primo et secundo dictae videlicet per obitum illorum ultimorum possessorum extra Romanam Curiam defunctorum, tertio dictae[1] vero parochiales ecclesiae huiusmodi, certo modo extra eamdem Curiam vacantes, praeviâ illarum et cuiuslibet earum tituli collativi suppressione et extinctione, de consensu eiusdem Ioannis regis eidem men-

1 Potius lege *tertiodicta* (R. T.).

sae capitulari dictae collegiatae ecclesiae auctoritate nostrâ apostolicâ perpetuo unirentur, ex hoc profecto decori maiorique splendori praefatae ecclesiae collegiatae et divini cultus in eâ augmento consuleretur: quare pro parte dicti Ioannis regis, et, eius nomine, dilecti filii nobilis viri Roderici Annes de Saa Almeida et Menezes, marchionis de Fontes, praefati Ioannis regis apud nos oratoris extraordinarii, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus collegiatae ecclesiae praefatae venustati et decori in praemissis providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit Pontifex.

§ 3. Nos igitur, qui collegiatarum ecclesiarum quarumlibet, praesertim in regiis palatiis erectarum, statum felicem et manutentionem sinceris promovere desideramus affectibus, ipsumque Ioannem regem specialis gratiae favore prosequi volentes, verumque et ultimum dictarum ecclesiarum vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio[1] etiam in corpore iuris clausa resultet, praesentibus pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis omnibus qui fuerint evocandi, parochiales ecclesias praefatas (sive praemisso, sive alio quovis modo, aut ex aliorum quorumcumque personis, seu per liberas resignationes dictorum defunctorum, et quoad tertiodictam parochialem ecclesiam, illius ultimi possessoris, vel quorumvis aliorum de illis in dictâ Curiâ vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factas, aut constitutionem felicis recordationis Ioannis Papae XXII praedecessoris nostri quae incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici ordinariâ auctoritate collati, vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod earum collatio, iuxta Lateranensis statuta Concilii, ad Sedem praefatam legitime devoluta, dictaeque parochiales ecclesiae dispositioni apostolicae specialiter reservatae existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso,[1]), illarumque titulum collativum, statum et essentiam et denominationem, eâdem auctoritate nostrâ, etiam perpetuo supprimatis et extinguatis (ita quod illae ex nunc collativae esse desinant, et uti tales in titulum collativum quavis auctoritate conferri et de illis disponi quovis modo amplius nequeant, et, si illas deinceps conferri, aut impetrari, aut aliàs de illis disponi contigerit, collationes, provisiones et quaevis aliae dispositiones de illis quovis modo faciendae, nullae et invalidae existant, nullique suffragentur, nec cuiquam coloratum titulum possidendi tribuat), necnon dictarum parochialium ecclesiarum respective fructus, redditus et proventus, iura, obventiones, bona, proprietates, aliaque emolumenta quaecumque, in quibuslibet rebus consistentia et undecumque provenientia, cum infrascriptis tamen legibus et conditionibus, mensae capitulari dictae collegiatae ecclesiae pro decanatus et aliarum dignitatum ac canonicatuum et praebendarum necnon beneficiorum huiusmodi dotis et distributionum quotidianarum augmento (ita quod liceat decano aliisque dignitatibus et canonicis, necnon beneficiatis praedictis, eorum ac dictae mensae capitularis nomine, corporalem, realem et actualem possessionem bonorum, iurium et pertinentiarum et annexorum quorumcumque ad parochiales ecclesias praefatas spectantium et pertinentium libere appre-

1 Male edit. Main. legit *generalis, reservalis* (R. T.).

1 Desunt verba *pendeat indecisa* (R. T.).

hendere, et apprehensam perpetuo retinere, illarumque omnium et singularum fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere et levare, ac in eorumdem dignitates ac canonicatus et praebendas ac beneficia huiusmodi pro tempore obtinentium communes usus et utilitatem, modo tamen infra dicendo, ac salvis infrascriptis, convertere, dioecesani locorum vel quorumvis aliorum licentiâ desuper minime requisitâ) dictâ auctoritate nostrâ etiam perpetuo uniatis, annectatis et incorporetis.

Erectio trium vicariarum loco parochiarum de iurepatronatus regio cum assignatione congruae.

§ 4. Necnon in primodictâ[1] unam, et in secundodictâ aliam, ac tertiodictâ parochialibus ecclesiis uniendis praefatis reliquam perpetuas vicarias (pro tribus presbyteris futuris parochialium ecclesiarum uniendarum huiusmodi vicariis perpetuis in eis ad praesentationem dicti Ioannis regis eiusque in dictis regnis successorum regum praefatorum per Ordinarium loci instituendis, et per eumdem Ordinarium prius examinandis et approbandis, qui apud parochiales ecclesias, ut praefertur, uniendas huiusmodi continuo personaliter residere, ac omnia et singula munia et onera parochialia eisdem parochialibus ecclesiis ut praefertur uniendis et earum cuilibet quomodolibet incumbentia subire et adimplere respective debeant et teneantur) etiam perpetuo erigatis, instituatis; illisque sic erectis et institutis, pro illarum congruâ et competenti dote, easque pro tempore obtinentium congruâ substentatione, ex parochialium ecclesiarum uniendarum praefatarum fructibus, redditibus et proventibus supradictis, primo et secundo dictis videlicet summam centum millium regalium monetae Portugalliae pro qualibet, tertiodictae vero vicariis erigendis huiusmodi congruam portionem, aliàs rectori tertiodictae parochialis ecclesiae in actu applicationis[1] illius fructuum, redditum conventui villae de Bathala Ordinis fratrum sancti Dominici Praedicatorum nuncupatorum Ulyssiponensis dioecesis, pro illius reparatione, ad certum tunc expressum tempus, auctoritate nostrâ, et ob lapsum temporis huiusmodi iam cessatae, assignatam, videlicet octoginta millium regalium dictae monetae Portugalliae cum pede altaris, summam centum ducatorum auri de Camerâ respective constituentium, quotannis per capitulum et canonicos praefatos respective persolvendam, et per vicarias erigendas huiusmodi pro tempore obtinentes annuatim respective percipiendam, exigendam et levandam, ac in cuiuslibet eorum respective usus et utilitatem convertendam, etiam perpetuo applicetis et approprietis: ita tamen quod dictarum parochialium ecclesiarum ut praefertur uniendarum fructus, redditus et proventus, a die vacationis cuiuslibet earum usque et per totam diem XXII mensis octobris anni Domini MDCCXI decursi, in paramentorum ecclesiasticorum sacrorumque suppellectilium emptionem seu illorum sarcitionem ac pro fabricâ aliisque necessitatibus et indulgentiis dictae collegiatae ecclesiae erogari debeant; reliqui vero post dictam diem XXII octobris dicti anni usque nunc etiam decursi, necnon annui redditus dictarum parochialium ecclesiarum ut praefertur uniendarum (deductâ tamen ex eis supradictâ congruâ centum millium pro qualibet ex primo et secundodictis, ac octoginta millium respective regalium dictae monetae pro tertiodictâ vicariis ut praefertur erigendis) insimul mille sexcentorum nonagintaquatuor ducatorum auri similium valorem annuum,

1 Male edit. Main. legit *primodictam* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *applicationi* (R. T.).

ut praefertur, non excedentes[1], pro illorum sextâ parte, videlicet pro summâ ducentorum octogintaduorum ducatorum auri de Camerâ huiusmodi et iuliorum octo monetae, pro praebendarum dotis augmento (ita quod decano et aliis quinque dignitatibus et canonicis praefatis novem ducati auri huiusmodi et iulii septem monetae cum uno tertio alterius iulii pro quolibet; cuilibet vero ex dictis beneficiatis quatuor ducati auri huiusmodi cum dimidio alterius ducati paris et iulii tres monetae cum dimidio alterius iulii similis, annuatim respective obveniant), residuum vero pro distributionum quotidianarum etiam augmento inter decanum aliasque dignitates, canonicos et beneficiatos praefatos eodem modo proportionabiliter dividendum respective distribuatur[2].

Clausulae amplissimae.

§ 5. Et ad dictas vicarias, sic ut praefertur erigendas, tam hac primâ vice ab earum primaevâ erectione et institutione ut praefertur faciendis vacantes, quam quoties ex tunc deinceps aliàs quovis modo (etiam ex quorumcumque personis etiam nostri et Romani Pontificis pro tempore existentis seu cuiusvis etiam S. R. E. cardinalis etiam tunc viventis familiarium[3] continuorum commensalium seu Sedis praefatae notariorum, protonotariorum nuncupatorum et aliorum Romanae Curiae officialium et conclavistarum curialiumque, et aliorum quorumcumque specialissimas qualitates habentium per quas ex uno vel pluribus capitibus tam personalibus quam realibus quaecumque reservatio vel affectio apostolica inducatur, etiam ex vacatione apud Sedem Apostolicam, et in quibusvis mensibus nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti Sedique praedictae per quascumque constitutiones apostolicas aut Cancellariae Apostolicae regulas nunc et pro tempore reservatis, seu ordinariis collatoribus, etiam per constitutiones et regulas easdem seu litteras alternativarum aut alia privilegia et indulta hactenus concessa et in posterum concedenda aut aliàs de iure quomodolibet competentia) ubicumque, qualitercumque et quomodocumque vacare contigerit, iuspatronatus et praesentandi ad vicarias erigendas huiusmodi personas idoneas, per Ordinarium loci instituendas, praefato Ioanni regi eiusque in dictis regnis successoribus regibus praedictis eâdem apostolicâ auctoritate, eo quo ante ad dictas parochiales ecclesias ut praefertur uniendas competebat modo, similiter perpetuo reservetis, concedatis et assignetis; ac iuspatronatus et praesentandi huiusmodi praefato Ioanni regi eiusque in dictis regnis successoribus regibus praefatis, non ex privilegio apostolico, sed uti ex verâ, primaevâ, reali et actuali, plenâ, integrâ et omnimodâ fundatione et perpetuâ dotatione laicali ex bonis mere laicalibus regiique patrimonii redditibus factis tantum competere, et uti tale sub derogatione iurispatronatus, ex privilegio apostolico vel consuetudine aut praescriptione acquisiti, nullatenus comprehendi, nec illi ullo unquam tempore etiam cuiusvis litis pendentiae vel vacationis praefatarum vicariarum apud Sedem eamdem, etiam ex resignationis causâ, permutationis, aut alio quocumque praetextu, ex quavis aliâ causâ quantumvis urgentissimâ et legitimâ, etiam per nos et quoscumque Romanos Pontifices successores nostros pro tempore existentes derogari posse decernatis; ac easdem praesentes, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod causae, propter quas praemissa omnia et sin-

1 Male edit. Main. legit *excedentium* (R. T.).
2 Legerem *distribuantur* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *familiarum* (R. T.).

gula facta fuerint, coram Ordinariis locorum, tamquam Sedis praefatae delegatis, vel aliàs examinatae, verificatae, approbatae, iustificatae non fuerint, ac quicumque in praemissis ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis, seu aliâ specificâ et individuâ mentione digni existant, eisdem praemissis eorumque singulis non consenserint, seu ad ea vocati seu auditi fuerint, etiamsi consentire seu vocari et audiri debuissent, aut ex aliâ quantumvis iuridicâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, et quovis alio colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, aliove quolibet etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, infringi, et in controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari nullatenus posse; [1] suosque plenarios et integros et irrevocabiles perpetuosque effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et quandocumque pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, Sedisque praefatae nuncios, iudicari et definiri debere; et [2], si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane, eâdem auctoritate nostrâ decernatis. Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae praefatae regulis de iure quaesito non tollendo, ac de unionibus aliisque similibus gratiis ad partes committendis, vocatis iis qui fuerint evocandi, ac de exprimendo vero annuo valore, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, et aliis apostolicis, etiam in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis, editis vel edendis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque clausulis et decretis, in contrarium praemissorum concessis; quibus omnibus etc.[1]

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXVI, XIV kalendas septembris, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 19 augusti 1716, pontif. anno XVI.

1 Desunt verba *sed ipsas praesentes litteras, etc.*, ut alibi (R. T.).

2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

CCXXXI.

Confirmantur nova statuta Congregationis musicorum Romanae Urbis [2].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Ad pastoralis dignitatis fastigium, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae sapientiae atque clementiae abun- Exordium.

1 Reliquae clausulae de more solito (R. T.).

2 Antiqua statuta confirmata fuere ab Innocentio XI, const. ed. die 18 maii, pontif. ...; ab Innocentio XII const. ed. MDXCIX, die 16 iulii, pontif. IX, approbata fuere quaedam decreta collegii cantorum capellae pontificiae; ab hoc Pontifice const. ed. MDCCXII, die 12 maii, pontif. XII, confirmata fuerunt statuta universitatis barbitonsorum Urbis; et const. ed. MDCCXVIII, die 23 aprilis, pontif. XVIII, approbantur constitutiones Academiae theologicae Romanae Urbis.

dantiam evecti, illa, quae pro felici societatum quarumlibet, praesertim in almâ Urbe nostrâ, ex qua bonorum operum exempla in omnes christiani orbis partes promanant, institutarum, uberesque pietatis et christianae charitatis fructus, adiuvante et incrementum largiente Domino, proferre laudabiliter satagentium, regimine et directione provide constituta atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata permaneant, apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Statuta sequentia approbata fuere a Congregatione anno MDCCXI et MDCCXV.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum Congregationis musicorum sub titulo seu invocatione sanctae Ceciliae in Urbe praedictâ canonice ut asseritur erectae, suasque functiones in ecclesiâ S. Caroli ad Catenarios nuncupatâ de eâdem Urbe Congregationis clericorum regularium S. Pauli Decollati Barnabitarum nuncupatorum de praesenti exercentis, nobis expositum fuit, quod ipsi pro salubri directione rectâque administratione dictae Congregationis musicorum et piorum operum, quibus incumbit, ultra statuta, quae a felicis recordationis Innocentio Papa XI praedecessore nostro per quasdam suas desuper in simili formâ Brevis die XVIII maii expeditas litteras confirmari obtinuerunt, cum plenâ approbatione supradictae eorum Congregationis, ac subscriptione dilecti filii nostri Petri S. R. E. cardinalis Ottoboni nuncupati, dictae Congregationis musicorum apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, aliorumque huiusmodi Congregationis officialium, facta fuerunt nonnulla alia nova decreta et statuta tenoris qui sequitur, videlicet:

Ab omnibus, exceptis musicis pontificiis, servari debent haec et alia statuta

I. Si è stabilito, inerendo al capitolo VIII de' nostri statuti, che qualunque persona, tanto ecclesiastica quanto secolare, che al presente esercita ed in avvenire eserciterà la suddetta professione della musica, si nelle cappelle di servizio continuo, come in ogni altra chiesa di Roma, debba osservare li statuti della nostra Congregazione, ed ubbidire non solo a' presenti decreti, ma a tutti gli altri ordini e decreti da farsi in avvenire dalla medesima, sotto le pene che si diranno in appresso, volendo che il presente decreto comprenda indifferentemente i maestri di cappella, organisti, cantori ed istrumentisti, intendendosi però sempre eccettuati li musici della cappella pontificia, li quali formano tra di loro un collegio affatto distinto dalla nostra Congregazione, e però non sono nè devono essere mai compresi sotto alcuni de' passati e de' presenti infrascritti decreti, e questa dichiarazione e protesta s' intenda sempre ripetuta in ciascheduno delli seguenti capitoli.

sub poenis infra designandis.

De iis qui Congregationi sunt adscribendi.

II. Per miglior dichiarazione del primo capitolo de' nostri statuti, ove si diceva che non debba ammettersi in Congregazione se non quelli che hanno servigio o servono cappelle ferme, si stabilisce, che anche quelli che non hanno il servigio fermo di simili cappelle possano essere ricevuti in arbitrio della Congregazione, e quando non fossero ammessi, pur si possa dall' istessa Congregazione dar loro licenza di poter cantare nelle musiche ogni volta che si obbligheranno di osservare li nostri statuti; ma se un professore sarà stato permanente in Roma un anno senza essersi fatto aggregare nostro fratello, e senza aver pagato nell' ingresso una libbra di cera alla nostra Congregazione, non possa più essere ammesso a musiche ecclesiastiche, sotto pena al maestro di cappella, che l' inviterà o riceverà a dette musiche, di pagare scudi tre del proprio, da applicarsi in opere pie solite farsi dalla nostra Congregazione.

De numero sodalium pro firmitate congregationum.

III. Ampliando il suddetto capitolo de' nostri statuti, ove si dice che per esser valida la congregazione generale dovrà passare il numero di quaranta, e tra questi dovranno esser presenti due guardiani almeno, e sia in arbitrio dell'eminentissimo protettore o di monsignor primicerio supplire all'assenza degli altri due guardiani, come se fossero

stati presenti tutti quattro; si stabilisce e si aggiunge che sia in facoltà dell'eminentissimo protettore o primicerio suddetti di supplire anco al numero delli suddetti quaranta professori quando ne mancassero due, o tre, ed anche quattro, ma non più, di modo che colla dispensa o approvazione di uno delli suddetti superiori basti l'intervento di due guardiani e di trentasei professori per fare che sia valida la suddetta congregazione generale.

De quatuor guardianis eligendis.

IV. Per migliore esecuzione del capitolo II de' nostri statuti, dove si dice che dovranno esservi ogni anno quattro guardiani, cioè un maestro di cappella, l'altro organista, l'altro cantore, e l'altro istrumentista; si determina, che delli quattro guardiani due ne debbano restare confermati nell'anno seguente per miglior istruzione delli due nuovi che si eleggeranno, e così di anno in anno; e però essendo stati nel presente anno confermati il maestro di cappella ed il musico, nell'anno seguente si confermeranno l'organista ed istrumentista, e così in avvenire.

Professores in tabella describendi.

V. Si è stabilito che si debbano descrivere in una tabella tutti li professori di musica aggregati alla medesima Congregazione, e detta tabella debba stare esposta perpetuamente nella stanza dell' archivio della nostra Congregazione.

De renuentibus suscipere officia.

VI. Che ciascheduno fratello sia tenuto accettare l'officio che gli sarà conferito dalla Congregazione, e ricusandolo senza giuste cause da approvarsi dalla medesima, se sarà officio di festarolo, sia penato di scudi tre, se di guardiano, sia penato di una piastra, e se altro officio, sia penato di due libbre di cera, da applicarsi le dette pene come sopra.

Qui interesse debeant congregationibus generalibus.

VII. Che da ciascheduna cappella si debba eleggere la metà de' musici provisionati, li quali siano obbligati intervenire a tutte le congregazioni generali, e quelli che saranno di congregazione segreta siano tenuti tanto all'una come all'altra; e mancando alcuno senza causa legittima, da allegarsi in tempo almeno appresso uno delli guardiani, debba pagare per ogni volta una libbra di cera alla Congregazione. Terminato l'anno dell'esazione, succeda l'altra metà all'obbligo medesimo, o più o meno che saranno in caso di numero dispari, e così vicendevolmente si continui anno per anno, eleggendo la metà de' maestri di cappella ed organisti col medemo obbligo, e con l'alternativa di un anno per ciascheduno, così anche gli istrumentisti, che si eleggeranno fino al numero di ventiquattro, cioè tra violini, viole e bassi, ed altri istromenti, la metà dei quali abbia li medesimi pesi e pena come sopra.

De tempore congregationum.

VIII. Così anche si è risoluto che ogni mese si abbia da fare la congregazione particolare o segreta, per sopraintendere alle cose che occorreranno.

De annua et mensrua eleemosyna.

IX. Inerendo agli altri decreti fatti per l'addietro sopra l'osservanza del pagamento dell'annua elemosina, nuovamente si decreta, che tutti li maestri di cappella di Roma ed altri, quali sono di congregazione generale e professori, dovranno pagare mezzo grosso il mese, non eccettuando alcuno, tanto istrumentista di arco, come di fiato e timpani, e di qualunque altra sorte; così per ordine dell'eminentissimo e reverendissimo signor cardinale protettore, dato in voce a tutti li maestri di cappella, li quali dalla Congregazione sono perpetuamente dichiarati camerlenghi delle loro cappelle per l'esazione di quanto si comanda in questo decreto, con obbligo di dover renderne conto al camerlengo generale, da deputarsi dalla Congregazione d'anno in anno, dovendo questo denaro servire alle opere pie ed altri obblighi della Congregazione; e perchè gl'istrumentisti non sono provisionati mensualmente nelle cappelle di Roma, si provvede anco a questo, deputandosi dalla Congregazione anno per anno quattro di essi per l'esazione suddetta, li quali dovranno render conto al camerlengo generale, come sopra, il quale sarà sindicato ogni anno.

De professoribus pauperibus.

X. E perchè si è stabilito e si vuole che detta elemosina si paghi indispensabilmente da tutti quelli che esercitaranno in qualsivoglia modo la nostra professione, e potrebbe darsi il caso che ci fosse alcuno così

povero, il quale non potesse corrispondere a questa benchè tenue contribuzione, in tal caso non sia tenuto farla del proprio, ma si ritenga nell'elemosina che alli professori poveri si distribuisce dalli guardiani *pro tempore*, e non altrimente.

De libris decretorum.

XI. Si è decretato, che li fogli ove si scrivono i decreti e risoluzioni della Congregazione, detti comunemente *stracciafogli*, si debbano sottoscrivere almeno da uno delli guardiani; e subito che saranno registrati al libro della segretaria, si portino e si lascino nell'archivio della Congregazione.

De servando congregationis secreto.

XII. Che tutti quelli di congregazione segreta non possano nè palesare nè discorrere de' trattati che si sono fatti, e delle risoluzioni che si sono prese, se non con chi sarà stato presente: e contravvenendo, sia penato ad arbitrio della congregazione segreta.

De officialibus munus explentibus.

XIII. Che gli officiali che ritengono appresso di loro denari, libri, scritture e cose simili della nostra Congregazione, dentro il termine di un mese dal giorno che usciranno dall'officio, debbano farne la consegna al successore; ed in caso di contravvenzione, siano puniti ad arbitrio della congregazione segreta, come sopra.

De munere ac debito camerarii.

XIV. Che il camerlengo *pro tempore* debba tenere un libro in buona forma, nel quale dovrà notare tutti li nomi e cognomi delli maestri di cappella, cantori, istrumentisti e professori, come sopra, nel quale dovrà diligentemente registrare tutti li denari che si esigeranno per la suddetta annua elemosina, in modo tale che, portandosi detto libro nella congregazione, si possa da ciascheduno vedere chi avrà pagato e soddisfatto, e così pure debba tenere il conto a parte delle pene che si saranno riscosse ed esatte in tutto l'anno, con rendere dopo finito l'anno il conto delli suddetti denari.

In quae erogandi Congregationis proventus.

XV. In fine d'ogni anno, tutto il denaro che avanzerà dell'esigenza, dopo avere il camerlengo *pro tempore* pagati tutti li pesi, spese ed ogni bisognevole per la medesima Congregazione, si debba immediatamente impiegare in estinguere il debito, caso che la Congregazione ne abbia.

XVI. E dopo che la Congregazione sarà libera dalli suddetti pesi ovvero debiti, tutti li denari che sopravanzeranno, detratte le spese necessarie, siano depositati al sagro Monte di Pietà o banco di Santo Spirito di Roma dal camerlengo *pro tempore*, in credito della Congregazione, a disposizione dei guardiani e congregazione segreta; li quali denari non si possano riscuotere senza mandato sottoscritto dalli guardiani suddetti, ed i medesimi mandati sieno spediti in congregazione segreta con il consenso della medesima congregazione, perchè così, ecc.

Quando officiales mutandi.

XVII. Che la mutazione degli offiziali si debba fare nella congregazione generale più prossima avanti la festa di santa Cecilia, ed in tal forma osservarsi d'anno in anno nel modo che prescrivono li nostri statuti.

De festis solemnibus.

XVIII. Trovandosi stabilito nel capitolo IX degli antichi statuti, che per il buon regolamento delle feste solenni della nostra Congregazione si eleggano due prefetti delle feste, comunemente detti *festaroli*: dichiarando ed ampliando il suddetto statuto, si determina che li suddetti festaroli debbano essere sei, acciocchè, ripartito fra più persone, sia minore l'incomodo e la spesa; e nella solennità di santa Cecilia, alli due vesperi ed alla messa solenne, debbano trovarsi in chiesa pronti li guardiani per incontrare e ricevere li signori cardinali che vengono ad onorare la festa, e si abbia da procurare che le feste e le funzioni riescano con il maggior decoro possibile.

De servitio praestando capellae S. Ceciliae et ecclesiae S. Caroli ad Catenarios.

XIX. In ordine poi al servigio che tutti siamo tenuti prestare alla nostra cappella di S. Cecilia ed alla chiesa di S. Carlo alli Catenari, ove abbiamo fabbricata detta cappella, si debba eleggere ed avvisare per tempo chi dovrà operare nelle nostre solennità, tanto maestro di cappella, quanto organisti, cantori ed istrumentisti, affinchè ognuno si possa preparare, e tale elezione debba farsi dalla congregazione segreta, come di già si prescrive negli antichi statuti al capitolo IX; ed i destinati ed intimati per tempo, in caso che manchino al loro obbligo, siano indispensabilmente penati dalla medema congregazione segreta, cioè il maestro di cappella in pena di scudi sei,

l'organista di scudi tre, ed il musico ed istrumentista di giulî quindici, e per incorrere detta pena basti l'attestazione del mandataro della nostra Congregazione di averli intimati, ed in caso che nel tempo dell' intimazione vi fosse o dopo sopraggiungesse legittimo impedimento, debbano detti intimati mandare l'avviso per tempo alli guardiani, acciò si possa accettare la scusa se sarà legittima, o pure procedere alla pena, ed intanto in caso d' imminente funzione che mancasse il maestro di cappella, supplisca il primo guardiano, come si dispone anco negli antichi statuti al capitolo IX, e ciò si è stabilito da osservarsi inviolabilmente per evitare in avvenire lo scandalo nel quale ci siamo altre volte trovati in occorrenza di funzioni, non essendosi potuto nè principiare nè proseguire, con pubblico disordine e scandalo.

Pro dicto servitio professorum numerus stabiliendus.

XX. Che per le suddette musiche della nostra chiesa si debba stabilire un numero fisso, tanto delli maestri di cappella, come de'musici ed istrumentisti, a guisa di turno, ripartendosi egualmente le parti, e si debbano avvisare tutti con viglietti o bollettino, il qual viglietto ciascheduno debba portarlo seco, e venire al servizio della nostra chiesa, e consegnarlo al camerlengo, mandataro, o altri che sarà deputato a tale effetto, acciocchè possa rincontrarsi chi sarà mancato; e volendo alcuno mandare un altro in suo cambio, debba scrivere dall'altra parte del medesimo bollettino il nome di chi manderà, acciò si riconosca se sarà stato equivalente; e niuno possa partire dal servizio senza licenza del maestro di cappella; e chi trasgredirà sia penato di una libbra di cera.

Nemo musicam in Urbis ecclesiis exerceat nisi a quatuor magistris approbatus.

XXI. Inerendo al decreto fatto sotto li 13 gennaro 1686, come nel libro de'decreti approvati dalla congregazione generale e sottoscritti dall'eminentissimo protettore in quel tempo, ecc., si è stabilito e nuovamente decretato che in avvenire non sia più lecito ad alcun musico o istrumentista di qualsisia sorte di fare musiche nelle chiese di Roma senza essere stato prima abilitato ed approvato per idoneo dalli quattro maestri di cappella che a quest'effetto si eleggeranno dalla Congregazione ogni anno, dovendo la medesima invigilare, che nelle musiche, che si faranno dalli maestri di cappella ed abilitati come sopra, siano le composizioni di vero stile ecclesiastico ed in tutto uniforme alla mente del regnante Sommo Pontefice Clemente XI ed agli editti emanati sopra le musiche; e per togliere ad ognuno che non sia approvato ed abilitato, come sopra, il modo di poter far musiche, si dichiara che ogni cantore o istrumentista, il quale andrà a cantare o suonare alle musiche di questi non approvati, sia penato in scudi tre per ciascheduna volta che anderà a cantare e suonare a dette musiche; e perchè si potrebbe far fraude, e uno non abilitato potrebbe pregare un maestro di cappella, o abilitato, che gli prestasse il nome e facesse la battuta in sua vece, scoprendosi ciò, sia penato tanto il professore quanto il maestro di cappella, o abilitato, ad arbitrio della congregazione segreta.

De nondum approbatis a Congregatione.

XXII. E perchè presentemente vi sono molti che già ritengono posti, e da molto tempo in qua sono tollerati e fanno musiche, senza essere stati abilitati dalla congregazione suddetta, se ne sono considerati dodici, i nomi de'quali si terranno per ora esposti in catalogo a parte nell'archivio della nostra Congregazione, e ad effetto di non recare alli medesimi pregiudizio nè danno in levar loro detti posti, che da molto tempo in qua già ritengono, la detta Congregazione ha stabilito e decretato che vengano in detta nostra Congregazione a domandare la licenza di poter operare, che gli sarà concessa subito *gratis*, e questa grazia che farà la nostra Congregazione, s'intenda fatta solamente per li suddetti; ma per l'avvenire non si darà più licenza a persona alcuna, se prima non saranno abilitati ed approvati dalli signori maestri di cappella a tale effetto deputati, come si è detto di sopra.

De iis, qui alicui capellae addicentur.

XXIII. Che ciaschedun cantore o istrumentista che entrerà o passerà in alcuna cappella di servizio fermo, debba pagare nel suo ingresso o passaggio una libbra di cera

a benefizio della Congregazione, e se sarà maestro di cappella, ne paghi due.

De eleemosynâ a sodalibus persolvenda, poenasque exigendi ratione.

XXIV. Essendosi negli antichi statuti, e respettivamente ne' presenti nuovi decreti, stabilita l'elemosina di un grosso il mese per ciaschedun professore, e così pure essendosi stabilite diverse pene pecuniarie contro chi ricusa gli officì o manca alle destinate funzioni, o in altro modo contraviene agli antichi e nuovi decreti, quali elemosine e pene sono la maggiore e quasi l'unica entrata della nostra Congregazione per mantenimento del nostro altare di santa Cecilia, e per le solennità e funzioni e spese che occorrono, si stabilisce e determina che ogni anno debba pagare puntualmente le suddette elemosine decorse o pene incorse come sopra, senza eccezione o dilazione alcuna; altrimenti, passati otto giorni dopo finito il mese, o dopo incorsa la pena, si procederà all'esecuzione senza citazione o intimazione alcuna, ma solamente si porti nell'offizio di uno de' notari dell'eminentissimo cardinal vicario la nota delli contravenienti, firmata da due guardiani e sottoscritta dal camerlengo, e secondo la detta nota esibita in detto offizio, senz' altra citazione, si spedisca e si eseguisca il mandato per le somme e contro le persone in detta nota contenute irremissibilmente, perchè si tratta di elemosina e di causa pia, e così si è a pieni voti stabilito; e se qualche professore, per abitar in qualche riguardevole corte, o per avere familiarità di qualche gran personaggio, o per rispetto che in altra maniera esigesse dalli esecutori, volesse con ciò esimersi dall'elemosina e pene suddette, in odio di questa sua ostinata contumacia di non voler fare quello che gli altri fanno, sia cassato dalla Congregazione, nè possa alcun maestro di cappella chiamarlo in avvenire ad alcuna musica, sotto pena di scudi sei; e se il contumace fosse maestro di cappella, nessun musico o istrumentista possa andare a servirlo, sotto pena di scudi tre da applicarsi in benefizio del nostro altar come sopra, ecc.

Approbatio accensitorum statutorum.

XXV. Tutti li sopraddetti decreti sono stati approvati a viva voce per congregazione generale sotto li 9 ottobre 1711 coll' intervento di sessantadue congregati, e poi di nuovo sotto li 13 di marzo 1715 coll'approvazione ancora dell'eminentissimo signor cardinale Ottoboni nostro degnissimo e zelantissimo protettore, e si è ordinato che tanto gli antichi statuti, quanto questi nuovi decreti debbano inviolabilmente osservarsi ed eseguirsi sotto le pene in essi contenute, sebbene si spera che ognuno sarà per esattamente osservarli, non già per la soggezione e per il riguardo di queste piccole pene, ma bensì per il solo amore della virtù e per il buon regolamento della nostra Congregazione, e per mantenere ed accrescere sempre più il culto e la devozione verso la nostra [1] vergine e martire S. Cecilia, nostra protettrice nel cielo.

Pietro card. Ottoboni protettore.
L. Sergardi, uditore.
Pietro Paolo Bencini, guardiano.
Io Biagio Icarci, guardiano.
Gio. Domenico Graziani, guardiano.
Giuseppe De Carolis, guardiano.
Domenico Antonio Mancini, segret.

Confirmatio relatorum statutorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes statuta et decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio,

1 Forsan *santa* pro *nostra* (R. T.).

et attentâ relatione per praedictum Petrum cardinalem protectorem eidem Congregationi cardinalium super praemissis factâ, omniaque et singula statuta et decreta praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, etc.[1].

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis musicorum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, etc.[2].

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[3].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX septembris MDCCXVI, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 9 septembris 1716, pontif. anno XVI.

CCXXXII.

Reservatur summo Pontifici dispensatio a voto perseverantiae pro Congregatione clericorum Doctrinae Christianae[4].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii praepositus, definitores ac presbyteri Congregationis Doctrinae Christianae de Urbe, quod ipsi, ad augendam et conservandam eorum Congregationem, in capitulo generali die XIV maii anni proxime praeteriti habito, illique praesidente dilecto filio nostro Francisco Maria Casini tituli S. Priscae S. R. E. presbytero cardinali S. Priscae nuncupato, visitatore apostolico Congregationis huiusmodi a nobis deputato, decreverunt ut de cetero novitii, post probationis annum, votum stabilitatis, cuius dispensatio nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti reservata sit, emittere teneantur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Reservatio dictae dispensationis pro ingressuris tantum secundum Congregationis Concilii decretum.

§ 1. Nos igitur, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum (qui, ad dubium propositum an et quomodo praefatorum exponentium precibus esset indulgendum in casu, etc., affirmative pro ingressuris tantum responderunt) consilio, dispensationem super dicto voto perseverantiae nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium reservamus, et, quatenus e dictâ Congregatione sine dispensatione huiusmodi egrediantur, ab exercitio sacrorum ordinum suspensi remanere

1 Reliqua ut supra a pag. 703 *a* (R. T.).

2 Reliqua ut ibidem (R. T.).

3 Reliqua de more solito (R. T.).

4 De dispensatione voti ac iuramenti horum clericorum vide Innocenti XII const. ed. MDCXCIX, die 23 iunii, pontif. VIII; de suffragio deliberativo pro definitore adiuncto, vide huius Pontificis const. ed. MDCCXIV, die 11 iunii, pontif. XIV; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXIII, die 24 novembris, pontif. I, extat eadem reservatio pro Congregatione in regno Neapolitano.

debeant: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 2. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, etc.[1].

Contrariorum derogatio. § 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis Doctrinae Christianae, etiam iuramento, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII septembris MDCCXVI, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 28 septembris 1716, pontif. anno XVI.

CCXXXIII.

Conceditur provinciae Silesiae monachorum Cisterciensum communicatio indulgentiarum totius Ordinis et monasteriorum superioris Germaniae[3].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, debitum exigit, ut, paternam christifidelium divinis obsequiis sub suavi monasticae vitae iugo mancipatorum curam gerentes, felicibus eorum in viâ Domini progressibus, quantum nobis ex alto conceditur, consulere iugiter studeamus.

Concessio quoad indulgentias tantum. § 1. Cum itaque, sicut dilecti filii moderni visitator et vicarius generalis aliique praelati provinciae Silesiae Ordinis Cisterciensis nobis nuper exponi fecerunt, ipsi privilegia, gratias et indulta, quibus dictus Ordo Cisterciensis eiusque monachi Germaniae superioris fruuntur, sibi ac omnibus dictae provinciae monasteriis, quemadmodum aliis monasteriis Ordinis huiusmodi a Sede Apostolicâ concessum fuisse memoratur, a nobis communicari plurimum desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti etiam filii moderni procuratoris generalis dicti Ordinis super praemissis eisdem cardinalibus factam attenderunt, consilio, enarratam communicationem privilegiorum, quoad indulgentias tantum, praedictis praelatis et monasteriis provinciae Silesiae huiusmodi, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 2. Decernentes ipsas litteras semper firmas, etc.[1].

Contrariorum derogatio. § 3. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).

2 Reliqua ut ibidem (R. T.).

3 Eamdem communicationem, quinimo ampliorem, vide concessam pluribus provinciis const. ed. MDCCXV, die 7 martii, pontif. XV; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVIII, die XXV ianuarii, pontif. V, confirmantur privilegia Ordinis.

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).

octobris MDCCXVI, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 8 octobris 1716, pontif. anno XVI.

CCXXXIV.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de alternativâ inter duas filiationes fratrum eremitarum S. Augustini Discalceatorum Congregationis SS. Conceptionis M. V. in regnis Lusitaniae et Algarbiorum servandâ [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Epitome duarum constitutionum Clementis XI de regimine vicarii generalis ad triennium contracto, superiorumque electione.

§ 1. Aliàs nos, ad supplicationem carissimi in Christo filii nostri Ioannis Portugalliae et Algarbiorum regis illustris, gubernium sexennale vicarii generalis Congregationis SS. Conceptionis B. M. Virginis Immaculatae fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis eremitarum sancti Augustini in regno Portugalliae ad triennale, cum vacante triennali, in futurum reduximus, omnesque eius superiores generales constituimus et deputavimus, cum solitis tamen vacantiis postquam iidem superiores in eorum respective officiis spatium sex annorum explevissent; ac superioribus generalibus, sic a nobis electis et constitutis, alios superiores subalternos, nempe priores, subpriores, magistros novitiorum et lectores eiusdem Congregationis (servatâ tamen formâ circa eorumdem officiorum vacationem constitutionis felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri quae incipit *Circumspecta*, etiam pro fratribus Discalceatis provinciae Italiae dicti Ordinis editae) substituendi facultatem elargiti fuimus, eâ tamen lege ut triennium dominicâ sextâ post Pascha Resurrectionis dominicae proximae[1] praeteritum incipere deberet, et aliàs, prout in binis nostris, primis quidem die XIV septembris anni proxime praeteriti, novissimis vero die XXXI martii currentis anni, desuper in simili formâ Brevis respective expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Et subinde, pro parte ipsius Ioannis regis nobis exposito quod ipse, pro perpetuo eiusdem Congregationis, quae decem conventibus et quatuor vicariis constabat, stabilimento, duas particulares filiationes in eâdem Congregatione, nempe unam in *Extremadurae*, alteram vero in *de Alenteio et Algarbiorum* respective provinciis nuncupandas, assignando unicuique ex eis quinque conventus et duas vicarias introduci desiderabat, quemadmodum fratribus eiusdem Ordinis Eremitarum sancti Augustini et sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum ac Tertii Ordinis eiusdem sancti Francisci respective nuncupatorum per nos concessum fuisse memorabatur, itaut eidem provinciae Extremadurae regius Conceptionis Montis Oliveti Ulyssiponensis, caput totius Congregationis, itidem regius B. M. V. de Pietate de Santarem, Assumptionis eiusdem B. M. Virginis de Sobreda, Boni

Preces regis pro triplici filiatione instituenda.

1 Const. ed. MDCCII, die 24 novembris, pontif. II, extat prohibitio ne duo consanguinei suffragentur; const. edit. MDCCVIII, die 14 augusti, pontif. VIII, abolita fuit alternativa in provincia B. M. de Gratia; constit. ed. MDCCXV, die 14 septembris, pontif. XV, et const. ed. MDCCXVI, die 31 martii, pontif. XVI, statutum fuit tempus vicarii generalis huius Congregationis; in Innocentii XIII, const. edit. MDCCXXIII, die 20 septembris, pontif. III, extat moderatio constitutionis de consanguineis; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVII, die 27 februarii, pontif. II, extenditur praedicta alternativa.

1 Videtur legendum *proxime* (R. T.).

Iesu Villae Portus de Mos, Beatae Mariae de *bon hora* Curiae et dictae civitatis Ulyssiponensis respective nuncupati conventus, necnon de Palma civitatis Bahiensis Omnium Sanctorum in Brasilia, S. Iacobi insulae S. Thomae vicariae ac provinciae de Alenteio et regni Algarbiorum, de Beira, Mintro, et de Frans de Montes, B. M. de Mercede civitatis Elborensis, praedictae provinciae de Alteio metropolis, eiusdem Beatae Mariae de Orada, de Mansaras, B. M. V. de Consolatione villae de Extremos, Conceptionis eiusdem B. M. V. villae de Monte Mox *il Novo*, S. Mariae civitatis Portalegrensis, etiam respective nuncupati conventus, necnon eiusdem B. M. V. *della bona hora* villae de Setubal, ac eiusdem B. M. Virginis *dei Poveri* villae de Laulae regni praedicti Algarbiorum vicariae concedantur; utque prima filiatio, unâ cum suis conventibus etiam insularum, adiuncta cum supradicto regio conventui Conceptionis Montis Oliveti Ulyssiponensis, secunda vero filiatio provincia de Alenteio et Algarbiorum nuncupatae memorato conventui eiusdem B. M. V. de Mercede addictae esse debeant, atque in celebratione capituli generalis alternativa inter dictas duas filiationes servetur, itaut vicarius generalis pro uno ex primâ, altero vero triennio ex secundâ filiatione huiusmodi, prout ceteri superiores generales, priores, vicarii superiores, magistri novitiorum, et lectores, servatâ tamen aequalitate officiorum inter religiosos dictarum filiationum dividendorum, assumantur; si autem vicarium generalem ante ultimum annum triennii sui gubernii praemori contigerit, cum novus vicarius iuxta constitutionum apostolicarum dispositionem eligendus sit, ex câ filiatione, cuius erat defunctus, eligi debeat, idque etiam in casibus magni momenti, vel renunciationis aut depositionis ab officiis dicti vicarii generalis, aliorumque superiorum generalium, priorum, subpriorum, magistrorum novitiorum et lectorum servandum sit; si vero, progressu temporis, novos conventus in posterum in eâdem Congregatione augeri contigerit, primus scilicet primae filiationi Extremadurae, alius vero erigendus conventus huiusmodi alteri filiationi de Alenteio accrescat, et si conventus huiusmodi in provinciâ de Beyta Minho et *de tras dos Montes* nuncupatâ numero quatuor vel plures essent, tertia filiatio uni ex huiusmodi conventibus erectis addicta, ubi filii dictarum provinciarum congregabuntur, fiat, et tunc turnus seu circulus tripartitus conficietur, ita ut tunc vicarius generalis in uno ex Conceptionis, in altero ex Beatae Mariae de Mercede, et in reliquo triennio ex novâ filiatione auctâ eligetur, idque etiam in aliorum officiorum subalternorum repartitione servari debeat; ideoque pro parte eiusdem Ioannis regis nobis supplicato ut pro communi eiusdem provinciae pace et tranquillitate ac perpetuâ constitutionum apostolicarum observantiâ alternativam praedictam confirmare dignaremur: nos supplicem nobis super praemissis porrectam[1] ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam: eadem vero Congregatio decretum edidit tenoris sequentis, videlicet:

Decretum Congregationis pro duplici dumtaxat filiatione et bipartitâ alternativa.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam SS. D. N. supplicem hunc libellum benigne remisit, attentis narratis, referente eminentissimo

1 Deesse videtur *supplicationem transmisimus* (R. T.).

S. Priscae, petitam gratiam alternativae inter duas filiationes existentes benigne impertita est; in reliquis instantiam reiecit. Romae, XXV septembris MDCCXVI. — F. cardinalis DE ABDUA. — R. archiepiscopus Damascenus, secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte eiusdem Ioannis regis nobis subinde expositum fuit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, piis eiusdem Ioannis regis votis annuere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictorum conventuum, Congregationis et Ordinis, etiam iuramento etc.[1] quibus omnibus et singulis etc.; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI octobris MDCCXVI, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 26 octobris 1716, pontif. anno XVI.

1 Reliqua more solito ut supra (R. T.).

CCXXXV.

Erigitur insignis collegiata in palatio regis Portugalliae in archiepiscopalem et patriarchalem ecclesiam Ulyssiponensem occidentalem, cum plurimis privilegiis et ordinationibus[1].

Clemens Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ab officio gratias elargiendi principibus de catholicâ religione optime meritis.

In supremo apostolatus solio, meritis licet imparibus, divinâ dispositione constituti, pastoralis officii nostri partes circa ea libenter interponimus, per quae orthodoxis regibus aliisve de Apostolicâ Sede et catholicâ religione optime meritis principibus illustria grati animi nostri argumenta exhibere possimus, illosque prae ceteris, qui validis subsidiis communem christianae reipublicae causam adversus teterrimos illius hostes adiuvare satagunt, praecipuis ac vere singularibus pontificiae largitatis gratiis prosequimur.

Adversus Turcarum apparatus preces Deo oblatae fuerunt ab hoc Pontifice, catholicique principes excitati.

§ 1. Sane, cum immanissimus Turcarum tyrannus, postquam, divinis omnibus, ut notum est, atque humanis legibus infractis, dirum atroxque bellum superiori anno dilectis filiis nobilibus viris duci et dominio Venetorum nequissime intulerat, felici ac celeri Peloponnensi expugnatione summopere elatus, ac nihil iam sibi impervium fore con-

1 Huic ecclesiae unitae fuere tres ecclesiae parochiales const. ed. MDCCXVI, die 19 augusti, pontif. XVI; et const. ed. MDCCXVII, die 18 februarii, pontif. XVII, confirmantur acta delegati apostolici pro executione praesentis constitutionis.

fidens, non Venetas tantum, sed alias christianorum principum provincias, ingenti et forsan antehac inaudito terrestrium maritimarumque copiarum apparatu, hoc praesenti anno aggredi, ac cladibus involvere, potissimum vero insulam et civitatem Corcyrae, securitatis italicae propugnaculum, oppugnare moliretur; nos, tot tantisque Ecclesiae ac Reipublicae, imo et temporalis nostrae ditionis periculis vehementer commoti, primum quidem ad Eum, qui potens est in praelio, toto corde clamavimus, ut secundum multitudinem miserationum suarum redimeret nos a malis, nec daret haereditatem suam in opprobrium; deinde vero catholicos principes omni paternae charitatis contentione hortari non praetermisimus, ut labenti rei christianae opem ferrent, ac eademmet, quibus nuper inter se digladiati fuerant, arma in barbaros converterent. Cum autem inter illos carissimus in Christo filius noster Ioannes Portugalliae et Algarbiorum rex illustris, eximiae non minus suae pietatis stimulis, quam officiis nostris adductus, in primis vero clarissimis maiorum suorum Portugalliae regum de orthodoxae fidei tuitione ac propagatione meritissimorum exemplis excitatus, nullis incommodis nullisque expensis quantumvis gravissimis parcens, summo zelo summâque ac pene incredibili liberalitate et alacritate in auxilium christianae classis validissimum quamplurium bellicarum munitissimarumque navium subsidium quam citissime transmiserit: nos, probe scientes praedictum Ioannem regem, pluribus abhinc annis pio desiderio motum habendi in suo palatio regio Ulyssiponensi unam cathedralem ecclesiam, summopere exoptasse ut saecularis ac insignis collegiata ecclesia in eodem palatio, sub invocatione divi Thomae apostoli, aliàs a nobis erecta et instituta, in cathedralem ecclesiam huiusmodi, sub invocatione Assumptionis beatissimae Mariae Virginis erigatur, propterea que civitas et dioecesis Ulyssiponenses in duas partes dividantur, et in eis duo archiepiscopatus constituantur, civitatem vero Ulyssiponensem praedictam, Lusitaniae metropolim, tum ob maritimum portum, continuam frequentiam omnium gentium et nationum, omnigenam mercaturam ac divitiarum abundantiam, tum ob ingentem numerum ecclesiarum, monasteriorum et conventuum, tam virorum quam mulierum, confraternitatum, hospitalium aliorumque locorum piorum, tum denique ob plurimas nobilissimas familias multosque viros in illustribus gradibus constitutos et tam litteris quam armis conspicuos, toto orbe terrarum celeberrimam esse, proindeque huiusmodi praerogativâ summopere dignam, ipsasque civitatem et dioecesim Ulyssiponenses tam ob laicalem populum quam ob clerum saecularem et regularem valde numerosas, necnon fructus redditus et proventus mensae archiepiscopalis Ulyssiponensis, cuius ecclesia ad praesens pastoris solatio destituta, ut accepimus, existit, ad duorum archiepiscoporum, postquam civitas et dioecesis Ulyssiponenses huiusmodi in duas partes divisae fuerint, et in praedictis duabus partibus, mediante unius novi archiepiscopatus erectione, duo archiepiscopatus constituti fuerint, commodam congruamque substentationem sufficientissimos existere:

Prae ceteris claruit rex Portugalliae.

Eius desiderio erigendi novum archiepiscopatum in capellâ regiâ propensus est Pontifex.

§ 2. Volentes eidem Ioanni regi aliquod singulare nostri grati animi argumentum praebere, ad maiorem Dei gloriam et divini cultus augmentum, attentâ amplitudine eiusdem dioecesis Ulyssiponensis, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis

Divisio civitatis Ulysiponensis et dioecesis in partem orientalem pro antiquo archiepiscopatu orientali nuncupando, et in partem occidentalem pro altero novo et occidentali.

instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, civitatem et diocesim Ulyssiponenses praefatas in duas partes dividimus, ac unam tam civitatis quam dioecesis divisarum huiusmodi partem versus orientem antiquo archiepiscopatui Ulyssiponensi relinquimus, alteram vero partem versus occidentem novo archiepiscopatui per nos, ut infra, erigendo assignamus; itaut in posterum perpetuis futuris temporibus pro tempore existens archiepiscopus Ulyssiponensis, qui medietatem civitatis necnon medietatem dioecesis Ulyssiponensis versus orientem habuerit, archiepiscopus Ulyssiponensis orientalis, futurus vero ac pro tempore existens archiepiscopus Ulyssiponensis, qui medietatem civitatis itidemque medietatem dioecesis Ulyssiponensis versus occidentem pariformiter habuerit, archiepiscopus[1] Ulyssiponensis occidentalis respective nuncupari debeant. Divisionem autem praedictae civitatis Ulyssiponensis in duas partes ut infra faciendam esse decernimus, prout vigore praesentium facimus, unamque partem ab alterâ dividimus et separamus, itaut civitas Ulyssiponensis antiquior, cum suo castello et suburbio orientali, ad pro tempore existentem archiepiscopum Ulyssiponensem orientalem, suburbium vero occidentale, quod nova Ulyssipo nuncupatur, ad futurum et pro tempore existentem archiepiscopum Ulyssiponensem occidentalem, respective nuncupandos, respective pertineant, unaque pars ab alterâ distinguatur per antiquiores muros civitatis, nempe per murum civitatis portae Consolationis, per murum Costae de Castello, ac per murum et portam S. Andreae; et, quidquid inde est cum civitate antiquiori in parte orientali, unâ cum parochialibus aliisque ecclesiis, monasteriis, conventibus et locis piis quibuscumque, ad orientalem, quidquid vero existit in parte occidentali, seu novâ Ulyssipone, similiter cum parochialibus aliisque ecclesiis, monasteriis, conventibus, pariterque locis piis quibuscumque, ad occidentalem, respective nuncupandum[1], archiepiscopum pro tempore existentem spectare et pertinere debeat. Dioecesim vero Ulyssiponensem pariformiter in duas partes dividimus, ac partem dioecesis Ulyssiponensis versus orientem pro tempore existenti archiepiscopo Ulyssiponensi orientali, partem vero eiusdem dioecesis Ulyssiponensis versus occidentem futuro ac pro tempore existenti archiepiscopo Ulyssiponensi occidentali respective nuncupandis subiicimus et assignamus. Linea autem divisoria dictae dioecesis Ulyssiponensis incipiet a locis de Arroios, Campogrande, Povoa S. Adriani et Arruda, cum toto territorio de Alenquer, qua parte terminat cum territorio villarum de Ribateio, et exinde Moinhonovo, Otta, Cercal, Sancheira, cum Coutos de Alcobaza, usque ad confinia episcopatus Leyriensis, includendo omnia praedicta loca, oppida et villas, cum suis territoriis, dependentiis, terris, populationibus, omniaque alia, quae intra hanc lineam et littora maris Oceani reperiuntur, ad pro tempore existentem archiepiscopum Ulyssiponensem occidentalem nuncupandum spectare et pertinere debeant; cetera vero loca, oppida et villae[2], quae ex hac lineâ exclusive reperiuntur usque ad ripas Tagi et confinia iurisdictionis de Thomar, cum omnibus suis territoriis, districtibus et dependentiis, ad pro tempore existentem archiepiscopum Ulyssiponen-

1 Edit. Main. legit *archiepiscopatus* (R. T.).

1 Aptius ut supra lege *nuncupandos* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *villas* (R. T.).

sem orientalem pariter nuncupandum spectare et pertinere debeant: ex alterâ autem parte Tagi, territorium de Setual qua se extendit intra flumina Sado et Canha usque ad confinia archiepiscopatus Elborensis, cum omnibus locis, oppidis et villis eorumque territoriis et dependentiis, ad pro tempore existentem archiepiscopum Ulyssiponensem occidentalem; territorium vero de Sanctarem ultra Tagum intra flumina Divor et castellum de Almourol ad usque confinia episcopatus Portalegrensis, etiam cum locis, oppidis et territoriis, ad pro tempore existentem archiepiscopum Ulyssiponensem orientalem, respective nuncupandos, similiter respective spectare et pertinere debeant.

Erectio archiepiscopatus occidentalis in capella regia.

§ 3. In praedictis autem parte civitatis ac parte dioecesis Ulyssiponensis versus occidentem, pro futuro archiepiscopo Ulyssiponensi occidentali nuncupando sic ut praefertur constitutis et assignatis, novum archiepiscopatum Ulyssiponensem occidentalem nuncupandum pro uno vero et futuro archiepiscopo Ulyssiponensi occidentali nuncupando, ad nominationem praedicti Ioannis regis, eiusque in Portugalliae et Algarbiorum regnis successorum regum pro tempore existentium, ut infra, eidem archiepiscopatui Ulyssiponensi occidentali nuncupando apostolicâ auctoritate praeficiendo (qui novus archiepiscopus Ulyssiponensis occidentalis nuncupandus in nullo penitus alteri archiepiscopo Ulyssiponensi orientali nuncupando aliisque quibuscumque archiepiscopis, praelatis et superioribus quocumque nomine nuncupatis subiectus sit, sed ab eis eorumque iurisdictione et superioritate penitus et omnino exemptus, ac dumtaxat Sedi Apostolicae immediate subiectus existat), erigimus et instituimus; dictamque saecularem et insignem collegiatam ecclesiam sub invocatione divi Thomae apostoli in praedicto palatio regio ut praefertur existentem, praevià suppressione denominationis et tituli insignis collegiatae ecclesiae eiusdem divi Thomae apostoli, in veram archiepiscopalem sedem et ecclesiam metropolitanam Ulyssiponensem occidentalem nuncupandam sub invocatione Assumptionis beatissimae Virginis Mariae pariformiter erigimus et instituimus, ac nomine archiepiscopali et metropolitano Ulyssiponensi occidentali insignimus et decoramus; ac volumus, quod ipsa collegiata ecclesia (quae ex sex dignitatibus, octodecim canonicatibus, totidemque praebendis, quas et quos obtinentes illius capitulum constituebant, necnon ex duodecim perpetuis beneficiis ecclesiasticis constituebatur), in cathedralem erecta, eodem numero dignitatum, canonicatuum et praebendarum, quas et quos etiam obtinentes illius capitulum similiter constituant, necnon eodem numero beneficiorum constituatur, quorum tamen canonicatuum tres in poenitentiarium, theologalem et doctoralem respective canonicatus per ipsum Ioannem regem designandi erunt, servatis tamen in praesentatione, collatione et institutione canonicatuum poenitentiarii, theologalis et doctoralis huiusmodi, tam circa aetatem quam circa idoneitatem aliasque qualitates, Concilii Tridentini decretis. Cumque dicta cathedralis ecclesia Ulyssiponensis occidentalis nuncupanda, olim ut praefertur collegiata ecclesia, nunc ad huiusmodi sublimitatem honorificamque excellentiam sublimata existat, dictusque Ioannes rex, ut accepimus, in eâ dignitates et canonicos habere, qui certas et peculiares qualitates habeant, ad hoc ut ad altiores dignitates et cathedralium ecclesiarum regimina promoveri seu praesentari pos-

sint, summopere desideret, eidem Ioanni regi, ut nonnullos, ex dignitates et canonicatus et praebendas huiusmodi ac beneficia praefata nunc obtinentibus, pro hac vice tantum ab eis removere, aliosque in eorum locum subrogare, dummodo tamen prius indemnitati eorum, qui sic remoti fuerint, saltem aequivalenter consultum fuerit, libere et licite possit et valeat (et sic[1] remoti a dignitatibus aut canonicatibus et praebendis seu beneficiis huiusmodi, quavis ratione et sub quovis praetextu etiam triennalis possessionis iuvari non possint, nec remotioni huiusmodi contradicere et se opponere valeant, de[2] pro remotis apostolicâ auctoritate haberi volumus et mandamus), tenore praesentium, motu pari, concedimus et indulgemus.

Iurisdictio et facultas archiepiscopi Orientalis.

§ 4. Ad hoc autem ut tam archiepiscopus Ulyssiponensis orientalis quam archiepiscopus Ulyssiponensis occidentalis, pro tempore existentes, ultra[3] propriam et distinctam dioecesim ac proprium et distinctum territorium cum proprià, verà et particulari auctoritate, iurisdictione et potestate in cuiusque eorum subditos et dioecesanos habere valeant, archiepiscopo Ulyssiponensi orientali pro tempore existenti, ut auctoritatem, iurisdictionem et superioritatem in clerum et populum, in castra, oppida, villas, territoria, districtus, ecclesias et personas tam saeculares quam ecclesiasticas existentes et existentia in medietate civitatis et medietate dioecesis Ulyssiponensis versus orientem, ei, ut praefertur, assignatis, habere debeat, et eas libere et licite exercere valeat, ac loca et personas huiusmodi eius iurisdictioni, subiectioni, visitationi et correctioni semper et perpetuo subiecta remaneant (citra tamen praeiudicium personarum seu locorum forsan habentium privilegia exemptionis ab huiusmodi visitatione, quae firma et illaesa remanere, et ut antea ab huiusmodi visitatione exempta respective esse debeant); necnon eidem pro tempore existenti archiepiscopo Ulyssiponensi orientali, ultra iurisdictionem et auctoritatem in personas et loca in medietate civitatis et medietate dioecesis Ulyssiponensis huiusmodi versus orientem, sic ut praefertur ei assignatis, collationes, provisiones et omnimodas alias dispositiones dignitatum, canonicatuum et praebendarum, personatuum, administrationum, officiorum, ceterorumque omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ ac praesentationes, electiones ad illa, confirmationes et institutiones in eisdem antea in totâ civitate et totâ dioecesi Ulyssiponensi praedefunctis archiepiscopis Ulyssiponensibus competentes (salvis tamen et illaesis semper remanentibus reservationibus et affectionibus apostolicis, et absque praeiudicio praesentationis beneficiorum iurispatronatus regii et laicalis), in posterum pro medietate tantum civitatis Ulyssiponensis et medietate dioecesis Ulyssiponensis huiusmodi versus orientem, sic ut praefertur sibi assignatis, relinquimus et assignamus; eidemque pro tempore existenti archiepiscopo Ulyssiponensi orientali, Egitaniensem, Portalegrensem, Promontorii Viridis, S. Thomae, et Congensem episcopales ecclesias, modernosque et pro tempore existentes illarum respective praesules seu administratores, pro suis et pro tempore existentis archiepiscopi Ulyssiponensis orientalis suffraganeis, qui tamquam membra capiti pro tempore existenti archiepiscopo Ulyssiponensi orientali iure metropolitico

1 Male edit. Main. legit *si* pro *sic* (R. T.).
2 Videtur legendum *sed* pro *de* (R. T.).
3 Videtur legendum *vere* pro *ultra* (R. T.).

subsint, designamus et deputamus (ita quod idem pro tempore existens archiepiscopus Ulyssiponensis orientalis in eisdem Egitaniensi, Portalegrensi, Promontorii Viridis, S. Thomae, et Congensi civitatibus et dioecesibus ius metropoliticum sibi vindicet, et Egitaniensis, Portalegrensis, Promontorii Viridis, S. Thomae, et Congensis pro tempore existentes episcopi eidem pro tempore existenti archiepiscopo Ulyssiponensi orientali ad omnia et singula teneantur et sint adstricti, ad quae suffraganei quicumque suis metropolitis ecclesiis et metropolitanis iuxta canonicas sanctiones tenentur et obligati existunt); ac eidem pro tempore existenti archiepiscopo orientali praedictos suos suffraganeos consecrandi, provinciales synodos evocandi, ac cum eisdem suffraganeis ecclesiastica negocia agendi et definiendi, causas quarumcumque appellationum sive querelas, iuxta sacrorum canonum et Concili Tridentini decreta, cognoscendi, omniaque alia et singula quaecumque, quae de iure, usu, consuetudine, aut aliàs quoquomodo ad archiepiscopos et archiepiscopale munus spectare et pertinere solent, et praecise ad antiquum archiepiscopum Ulyssiponensem antea spectabant et pertinebant, in medietate tantum civitatis Ulyssiponensis versus orientem et medietate tantum dioecesis Ulyssiponensis huiusmodi etiam versus orientem sic ei pro suis archiepiscopatu et territorio a nobis per praesentes relictis et assignatis, gerendi et exercendi, plenam, liberam et omnimodam facultatem et auctoritatem relinquimus pariter et assignamus.

Iurisdictio et facultas archiepiscopi occidentalis, qui esse debet sacellanus maior regiae capellae.

§ 5. Pro tempore vero existenti archiepiscopo Ulyssiponensi occidentali, qui semper esse debeat sacellanus maior dictae regiae capellae, ut (ultra gratias, privilegia, praerogativas et indulta, quibus frui debebit uti sacellanus maior dictae capellae, et praecise ultra iurisdictionem spiritualem et temporalem, quae ei competere debebit super familiaribus regiis aliisque personis, iuxta formam et tenorem privilegiorum eidem sacellano maiori aliàs concessorum, ubicumque domicilium habentibus, seu habituris) etiam ipse iurisdictionem et auctoritatem in clerum, populum, castra, oppida, villas, territoria, districtus, ecclesias et personas, tam saeculares quam ecclesiasticas et regulares, existentes, et existentia in medietate civitatis et medietate dioecesis Ulyssiponensis huiusmodi versus occidentem ei sic ut praefertur assignatis, habere debeat, ac eas libere et licite exercere valeat, ac loca et personae huiusmodi eius subiectioni, visitationi et correctioni semper et perpetuo subiecta remaneant (citra tamen praeiudicium personarum seu locorum forsan habentium privilegia exemptionis ab huiusmodi visitatione, quae firma pariter et illaesa remanere, et ut antea ab huiusmodi visitatione exempta respective esse debeant); necnon eidem pro tempore existenti archiepiscopo Ulyssiponensi occidentali, ultra iurisdictionem et auctoritatem in personas et loca in medietate civitatis et medietate dioecesis Ulyssiponensis huiusmodi versus occidentem sic ut praefertur ei assignatis, collationes, provisiones et omnimodas alias dispositiones dignitatum, canonicatuum et praebendarum, personatuum, administrationum, officiorum, ceterorumque omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, ac praesentationes, electiones ad illa, confirmationes et institutiones in eisdem, antea in totâ dioecesi Ulyssiponensi praedefunctis archiepiscopis Ulyssiponensibus competentes (salvis tamen et semper illaesis pariter rema-

nentibus reservationibus et affectionibus apostolicis, et absque praeiudicio praesentationis beneficiorum iurispatronatus regii et laicalis), in posterum pro medietate tantum civitatis Ulyssiponensis ac medietate tantum dioecesis Ulyssiponensis versus occidentem sic ut praefertur pro tempore existenti archiepiscopo Ulyssiponensi occidentali assignatis, similiter concedimus et respective indulgemus; eidemque pro tempore existenti archiepiscopo Ulyssiponensi occidentali Leyriensem, Lamacensem, Funchalensem et Angrensem episcopales ecclesias, modernosque et pro tempore existentes illarum respective praesules seu administratores, pro suis et pro tempore existentis archiepiscopi Ulyssiponensis occidentalis suffraganeis, qui, tamquam membra capiti, eidem pro tempore existenti archiepiscopo Ulyssiponensi occidentali iure metropolitico subiaceant, eique obedientiam et reverentiam, tamquam proprio metropolitano, praestare debeant, similiter designamus et deputamus, ita quod idem pro tempore existens archiepiscopus Ulyssiponensis occidentalis in eisdem Leyriensi, Lamacensi, Funchalensi et Angrensi civitatibus et dioecesibus ius metropoliticum habeat et habere debeat, et Leyriensis, Lamacensis, Funchalensis et Angrensis episcopi eidem pro tempore existenti archiepiscopo Uiyssiponensi occidentali ad omnia et singula teneantur et sint adstricti, ad quae suffraganei quicumque de iure, usu aut consuetudine tenentur et obligati existunt; ipsique pro tempore existenti archiepiscopo Ulyssiponensi occidentali praefatos suos suffraganeos consecrandi, provinciales synodos evocandi, ac cum eis etiam ecclesiastica negocia agendi et terminandi, causas quarumcumque appellationum sive querelas, iuxta sacrorum canonum statuta et Concilii Tridentini decreta, cognoscendi, omniaque alia et singula, quae similiter de iure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet ad archiepiscopos et archiepiscopale munus spectare et pertinere solent, et praecise ad antiquum archiepiscopum Ulyssiponensem antea in totâ civitate et dioecesi Ulyssiponensi spectabant et pertinebant, in posterum in medietate tantum civitatis et medietate tantum dioecesis Ulyssiponensis huiusmodi versus occidentem, sic ei pariter pro suis archiepiscopatu et territorio a nobis per praesentes assignatis, gerendi et exercendi, plenam et omnimodam facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

Taxa pro expeditione litterarum apostolicarum, ac reditus utriusque archiepiscopatus et capituli.

§ 6. Ut autem tam archiepiscopus Ulyssiponensis orientalis quam archiepiscopus Ulyssiponensis occidentalis pro tempore existentes, in actu expeditionis litterarum apostolicarum super eorum promotione ad dictos Ulyssiponensem orientalem et Ulyssiponensem occidentalem archiepiscopatus, ad nominationem dicti Ioannis regis eiusque successorum regum praefatorum ut infra faciendam, taxam fixam et invariabilem in libris Camerae Apostolicae ac certos et distinctos fructus habere valeant, cum taxa antiqui archiepiscopatus Ulyssiponensis in libris Camerae Apostolicae ad bis mille florenos auri descripta reperiatur, et aequum sit, quod, sicuti dividuntur civitas et dioecesis, ita etiam dividantur fructus et onera, volumus et ordinamus quod in posterum fructus archiepiscopatus Ulyssiponensis orientalis ad alios mille florenos similes respective in libris Camerae Apostolicae taxati respective existant. Unicuique autem ex praedictis duobus archiepiscopis Ulyssiponensibus orientali et occidentali pro tempore existentibus illi fructus ex decimis et aliis quibuscumque redditi-

bus, proventibus, bonis stabilibus, censibus et aliis huiusmodi provenientes obveniant, qui provenire poterunt ex illâ medietate civitatis et medietate dioecesis Ulyssiponensis ei sic ut praefertur assignatis; et, ne antiquum capitulum Ulyssiponense ex hac divisione et dismembratione ac novi archiepiscopatus Ulyssiponensis occidentalis erectione, quoad infrascriptos fructus et alia emolumenta ei, ut infra, spectantia, aliquod detrimentum patiatur, tam fructus quam decimae et alia emolumenta, quae antea eidem antiquo capitulo spectabant et pertinebant, etiam post divisionem civitatis et dioecesis Ulyssiponensis ac novae metropolitanae ecclesiae huiusmodi erectionem, ut antea, spectare et pertinere debeant, absque eo quod capitulum et canonici novae metropolitanae ecclesiae praefatae ex praedictis decimis, fructibus et emolumentis, ad antiquum capitulum Ulyssiponense ut praefertur spectantibus, quidquam exigere seu praetendere valeant, etiamsi fructus, decimae et emolumenta huiusmodi ex quibuscumque bonis, rebus et personis in medietate civitatis et medietate dioecesis Ulyssiponensis versus occidentem existentibus quomodolibet proveniant.

Statuta nonnulla pro pace conservanda inter utrumque archiepiscopum

§ 7. Ad effectum vero ut ex divisione civitatis et dioecesis Ulyssiponensis praefatarum, et existentiâ duorum archiepiscopatuum intra limites eiusdem antiquae civitatis eiusdemque dioecesis, discordiae et dissensiones non oriantur, cupientes pacem et tranquillitatem inter personas ecclesiasticas summopere consentaneam confovere, omnia et singula infrascripta, quae iurisdictionem, superioritatem, aliaque pro quiete et concordiâ amborum archiepiscopatuum respicere possunt, perpetuis futuris temporibus tam ab archiepiscopo Ulyssiponensi orientali quam ab archiepiscopo Ulyssiponensi occidentali, eorumque respective vicariis, officialibus et ministris quocumque nomine nuncupandis, ac quavis auctoritate, superioritate, iurisdictione et facultate pollentibus, necnon subditis et dioecesanis tam saecularibus quam ecclesiasticis, firmiter et inviolabiliter observari debere mandamus. I. Videlicet, quod confessarii et concionatores, si a proprio ex duobus praedictis archiepiscopis pro tempore existentibus approbati et idonei reperti fuerint ad confessiones audiendas et verbi Dei praedicationes faciendas in unâ parte civitatis et dioecesis Ulyssiponensis in qua existit dictus proprius archiepiscopus, tunc et eo casu, exhibendo coram altero archiepiscopo approbationem proprii archiepiscopi, possint in alterâ parte civitatis Ulyssiponensis eiusque districtu confessiones audire et verbum Dei praedicare absque ullo examine aliâque approbatione, sed habitâ tantum licentiâ ab archiepiscopo loci in quo confessiones huiusmodi audire et verbum Dei praedicare voluerint. II. Quod omnes et quicumque casus, qui in uno ex praedictis duobus archiepiscopatibus erunt reservati, vel in posterum reservabuntur, pariformiter sint et esse debeant etiam reservati in alio ex praedictis duobus archiepiscopatibus, ne subditi unius ex praefatis duobus archiepiscopatibus huiusmodi committentes excessus, qui in suo archiepiscopatu sint reservati, facile absolvi possint in alio ex praefatis duobus archiepiscopatibus, in quo similes casus reservati non fuerint. III. In eventum sepeliendi aliquem defunctum unius partis civitatis vel dioecesis in alterâ parte eiusdem civitatis vel dioecesis, vel quia in hac alterâ parte sibi elegerit sepulchrum, vel quia in hac alterâ parte sepulchrum maiorum et consanguineorum existat,

tunc parochus defuncti associare debeat cadaver usque ad limites illius archiepiscopatus, in quo decessit, illudque exinde associabitur a parocho intra cuius limites sita est parochia sive ecclesia in qua cadaver praedictum erit sepeliendum, dividendo tamen inter utrumque parochum emolumenta debita ratione funeris. IV. Religiones et laicorum confraternitates totius civitatis, quae ad praesens in eâdem civitate reperiuntur, in posterum associando cadavera et in aliis quibuscumque functionibus, tam eundo quam redeundo, incedere possint per totam civitatem processionaliter eisdem modo et formâ quibus ad praesens incedunt; illae vero religiones et laicorum confraternitates, quae in futurum de novo fundatae et institutae fuerint, ad hoc ut in praedictis functionibus incedere possint per totam civitatem processionaliter, ab utroque archiepiscopo licentiam petere debeant et facultatem. V. Quotiescumque opus fuerit facere denunciationes super matrimoniis contrahendis et super ordinibus conferendis pro personis in dictâ civitate Ulyssiponensi commorantibus, denunciationes huiusmodi, quamvis matrimonium contrahere et ad ordines huiusmodi promoveri volentes unius partis dictae civitatis ut praefertur divisae habitatores existant, non solum in eorum parochiali ecclesiâ, verum etiam in unâ ex parochialibus ecclesiis alterius partis eiusdem civitatis ut praefertur divisae, ad hoc ut fraudibus obviari possit, fieri debeant, nec ullo unquam tempore matrimonia contrahi ac ordines tam minores quam sacri conferri possint absque fide notariorum, vulgo *folha corrida* nuncupatâ, utriusque archiepiscopatus, in qua expresse caveatur, quod, tam illi qui matrimonia contrahere voluerint, quam illi qui ad ordines praefatos erunt promovendi, nullo canonico impedimento irretiti existant, nullâve criminis infamiâ quoad ordines huiusmodi laborent. VI. Quod publicae processiones, tam in die solemnitatis Corporis Christi ab utrâque cathedrali faciendae, quam quae ex consuetudine vel voto aliis diebus fiunt, vel de cetero fieri poterunt, nequaquam fieri valeant extra limites proprios unius archiepiscopatus, absque expressâ licentiâ et facultate alterius archiepiscopi. VII. Ministri et officiales unius archiepiscopatus non possint nec debeant in aliâ parte et in alio dominio et territorio alterius archiepiscopi deferre insignia denotantia iurisdictionem et iustitiam, nec facere per se ipsos executiones, aut aliquem quamvis sibi subditum in carceribus coniicere, sed adhibendae erunt litterae hortatoriae iuxta stylum regni Portugalliae; excepto tamen casu, quo rei reperti fuerint vel in actu fugae vel in fragranti crimine, in quibus casibus rei consignandi erunt officiali illius archiepiscopi, in cuius ditione capti fuerint, ad hoc ut iste vel eos puniat, si de iure ei competat facultas illos puniendi, vel eos remittat ad iudicem suum, qui de iure debebit procedere ad cognitionem criminis a reis huiusmodi commissi. VIII. Omnes et quaecumque litterae apostolicae, tam sub plumbo quam sub annulo Piscatoris in posterum expediendae, et tam gratiam quam iustitiam simul vel separatim concernentes, quae pro illarum exequutione committendae erunt archiepiscopo seu officiali Ulyssiponensi, quotiescumque ex eisdem litteris non constabit an illarum exequutio archiepiscopo seu officiali Ulyssiponensi orientali aut archiepiscopo seu officiali Ulyssiponensi occidentali commissa fuerit, tunc et eo casu huiusmodi exequutio commissa esse

intelligatur illi archiepiscopo, qui iurisdictionem habuerit vel supra personam, si materia sit personalis, vel supra rem, si realis. IX. Omnes et quaecumque causae et litium controversiae, quae ad praesens introductae et indecisae reperiuntur, continuari et terminari debeant usque ad sententiam definitivam coram eisdem officialibus seu iudicibus, coram quibus introductae fuerunt; exequutiones vero faciendae erunt ab officiali illius archiepiscopi, cui iuxta praedictam divisionem spectabunt, mediantibus tamen solitis litteris hortatoriis iuxta stylum regni Portugalliae; illae vero lites et controversiae, quae de novo movendae et introducendae erunt, indicari et definiri debebunt ab officiali illius archiepiscopi Ulyssiponensis, aut orientalis seu occidentalis, qui debebit de iure eas cognoscere et super eis iudicari, vel ratione personae ei subiectae, vel ratione rei in suo archiepiscopatu et in suâ dioecesi existentis. X. Novus archiepiscopus Ulyssiponensis occidentalis poterit creare et eligere omnes et singulos officiales, qui ibidem creari solent, aut confirmare et approbare iam creatos et electos, cum eisdem iurisdictione et potestate aliis officialibus in parte civitatis et dioecesis sibi assignatâ competentibus; nec per hoc officiales antiqui archiepiscopatus Ulyssiponensis aliquam relevationem praetendere possint, praeterquam in casu quo officia ab eis empta fuissent, quia tunc novus archiepiscopus Ulyssiponensis occidentalis decernere debebit quod officiales ab eo noviter electi reficiant damna quae officiales antiqui archiepiscopatus Ulyssiponensis ex hac novâ erectione et electione officialium pati possent, et infrascripti iudices exequutores summarie, et solâ facti veritate inspectâ, pretium eisdem antiquis officialibus debitum persolvere faciant. XI. Quia in utrâque parte civitatis et dioecesis Ulyssiponensis tam orientalis quam occidentalis reperiuntur dignitates, canonicatus et beneficia, quae personalem residentiam requirunt, ne, ob praedictam civitatis et dioecesis Ulyssiponensis divisionem, dignitates, canonicatus et beneficia huiusmodi pro tempore obtinentes in aliquo praeiudicentur, volumus quod, si professores[1] dignitatum, canonicatuum et beneficiorum in unâ parte civitatis seu dioecesis huiusmodi habitaverint, nihilominus habeantur et reputari debeant praesentes in loco dignitatum, canonicatuum et beneficiorum huiusmodi; ipsi vero, non tamen eorum familiae et familiares, subditi illius archiepiscopi existant, in cuius civitate seu dioecesi dignitates aut canonicatus seu beneficia huiusmodi extiterint. XII. Quod omnes et singulae controversiae, quae in posterum occasione huiusmodi divisionis ac novi archiepiscopatus erectionis oriri poterunt, summarie absque strepitu et figurâ iudicii, ac solâ facti veritate inspectâ, ab eisdem infrascriptis iudicibus exequutoribus definiri et iudicari debeant. Insuper quod ex omnibus supradictis nullum praeiudicium inferatur, nec ullo unquam tempore in futurum inferri possit, iurisdictioni iam competenti novo archiepiscopo Ulyssiponensi occidentali uti sacellano maiori capellae regiae Ulyssiponensis, quae iurisdictio semper et omni tempore immunis et illaesa remaneat in suo primaevo statu, exercenda tamen a dicto novo archiepiscopo Ulyssiponensi occidentali uti praesule dictae capellae super familiâ regiâ, eâdemque capellâ et eius officialibus ac familiaribus ipsius Ioannis regis, ad formam indultorum et privilegiorum apostolicorum usque nunc concessorum

1 Videtur legendum *possessores* (R. T.).

ad favorem sacellani maioris pro tempore existentis, quibus nullo modo derogatum seu praeiudicatum intelligatur, sed novus archiepiscopus Ulyssiponensis occidentalis, uti capellanus maior dictae regiae capellae, ad formam indultorum et privilegiorum apostolicorum huiusmodi, privative quoad omnes alios iudices seu superiores quavis auctoritate et dignitate fungentes suam iurisdictionem sacellani maioris absque ullâ diminutione et controversiâ exercere valeat.

Erectio dicti archiepiscopatus occidentalis in patriarchatum.

§ 8. Denique considerantes praedictam metropolitanam ecclesiam Ulyssiponensem occidentalem, sic, ut praefertur, a nobis per prèsentes erectam et institutam, in regio palatio Ulyssiponensi constitutam [1] existere, inibique ipsas personas regias functionibus ecclesiasticis saepissime adesse posse, valde congruum existimamus ut eadem metropolitana ecclesia Ulyssiponensis occidentalis, eiusque pro tempore existens archiepiscopus Ulyssiponensis occidentalis, uberioribus indultis, privilegiis et praerogativis ex speciali nostrâ et Sedis Apostolicae indulgentiâ condecorentur. Hinc, praedictum Ioannem regem amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes (firmis tamen et illaesis remanentibus supradictis omnibus et singulis indultis et privilegiis eidem capellae regiae, eiusque sacellano maiori, sic, ut praefertur, a nobis et Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessis, necnon citra ullum praeiudicium seu diminutionem auctoritatis, iurisdictionis, praeeminentiarum ac iurium quorumcumque, etiam honorificorum et mere caeremonialium, nunc et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in Portugalliae et Algarbiorum regnis nuncio seu alteri eiusdem Sedis in eisdem regnis pro tempore similiter existenti legato competentium [1], quae nuncius et legatus supradicti, quoad dictum archiepiscopum Ulyssiponensem occidentalem, pariformiter et absque ullâ prorsus differentiâ ac quoad alios archiepiscopos et episcopos dictorum regnorum exercere possint ac debeant) motu, scientiâ et potestate similibus eamdem saecularem et insignem collegiatam ecclesiam, sic a nobis in archiepiscopalem ecclesiam Ulyssiponensem occidentalem erectam et institutam, nomine et titulo et praerogativâ patriarchalis ecclesiae, eiusque archiepiscopum Ulyssiponensem occidentalem pro tempore existentem similiter nomine et titulo et praerogativâ patriarchae Ulyssiponensis occidentalis, ad instar venerabilis fratris nostri moderni patriarchae Venetiarum, quoad provinciam tamen archiepiscopatus Ulyssiponensis occidentalis tantum, insignimus et decoramus, cum facultate utendi insigniis et stemmate propriae ecclesiae archiepiscopalis Ulyssiponensis occidentalis aliisque ornamentis, quibus idem patriarcha Venetiarum de iure, usu et consuetudine utitur, necnon in eisdem Portugalliae et Algarbiorum regnis deferendi crucem et rocchettum apertum, populum benedicendi, thronum et baldachinum habendi, pontificalia exercendi, infrascriptas indulgentias concedendi, et supra Bracharensem, Ulyssiponensem orientalem, ac Elborenses archiepiscopos, necnon Portugallensem, Colimbriensem, Visensem, Miradensem, Lamacensem, Egitaniensem, Leiriensem, Funchasensem, Angrensem, Promontorii Viridis, S. Thomae, Congensem, Algarbiensem, Portalegrensem et Eluensem episcopos, aliosque omnes et singulos regnorum huiusmodi praelatos, in omni-

1 Edit. Main. legit *constituta* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *competenti* (R. T.).

bus actibus et functionibus, etiam in eorum ecclesiis, praecedentiam habendi, quorum nullus, etiam in eorum ecclesiis, eo presente, aliquem iurisdictionis, honoris vel facultatis actum gerere possit, quem coram legato praedictae Sedis Apostolicae non valeret; quo vero ad alias iurisdictiones et facultates aliis patriarchis seu praedictae Sedis legatis competentes, nullas idem pro tempore existens archiepiscopus Ulyssiponensis occidentalis patriarcha nuncupatus habere seu exercere possit, exceptis supradictis, nisi alia iurisdictio seu facultas huiusmodi prius per nos aut successores nostros Sedemque praefatam declarata et respective ei concessa fuerit, necnon utendi pallio non solum in diebus, festivitatibus et functionibus in pontificali romano descriptis et designatis, sed etiam in Conceptionis beatae Mariae Virginis, in Inventionis et Exaltationis S. Crucis, S. Iosephi, S. Annae, S. Michaëlis archangeli, S. Vincentii civitatis Ulyssiponensis protectoris, S. Elisabethae reginae Portugalliae, S. Antonii Ulyssiponensis, S. Angeli Custodis et S. Georgei regni Portugalliae defensorum festivitatibus, quae omnes in ipsâ collegiatâ ecclesiâ in cathedralem et metropolitanam ecclesiam Ulyssiponensem occidentalem erectâ[1] et in toto regno Portugalliae solemniter celebrantur, necnon in qualibet aliâ die, si quae fuerit solemnior in ecclesiâ, in qua per totum regnum praedictus archiepiscopus Ulyssiponensis occidentalis patriarcha nuncupatus pontificalibus usus fuerit, ac in benedictionibus nuptiarum et in solemni baptismate filiorum et descendentium regiorum, ac in aliis similibus et solemnibus regis[2] functionibus, quae intra vel immediate post missarum solemnia celebrabuntur; quodque praedictus pro tempore existens archiepiscopus Ulyssiponensis occidentalis patriarcha nuncupatus, sic a nobis per praesentes creatus et institutus, ac nomine et praerogativâ patriarchae decoratus, habitu purpureo, ad instar venerabilis etiam fratris nostri moderni archiepiscopi Salisburgensis, indui possit, easque indulgentias concedere valeat, quas nostri et praedictae Sedis Apostolicae nuncii in praedictis Portugalliae et Algarbiorum regnis, eiusdem Sedis auctoritate, concedere solent; videlicet, centum aut plures alios dies, non tamen ultra annum, necnon, in uno festo dumtaxat, a primis usque ad secundas vesperas et occasum solis diei festi huiusmodi, quinque annos et quinque quadragenas, aut infra, ita tamen, ut semel tantum pro unâ ecclesiâ vel capellâ fiat, etiam concedimus et indulgemus.

Privilegia capitulo occidentali concessa.

§ 9. Capitulo vero dictae collegiatae ecclesiae, sic a nobis in cathedralem et metropolitanam ecclesiam erectae, ac titulo, denominatione et praerogativâ patriarchalis ecclesiae decoratae, eiusque dignitatibus et canonicis, ut ipsi in posterum habitum praelatitium violacei coloris serici aut lanei supra rocchettum ubique terrarum, extra tamen Romanorum curiam, et ubi non fuerit Romanus Pontifex, ad instar canonicorum ecclesiarum patriarchalium de Urbe, quodque ipsi, qui iam vigore indulti apostolici habent usum cappae magnae violacei coloris, in posterum hyemali cappam etiam magnam rubeam, aestivo vero temporibus, mozzettam supra rocchettum similiter rubeam, ad instar canonicorum ecclesiae Pisanae, respective in singulis horis canonicis, missis et aliis divinis officiis, necnon processionibus tam intra quam extra eorum ecclesiam peragendis, necnon

1 Edit. Main. legit *erectam* (R. T.).
2 Videtur legendum *regiis* (R. T.).

actibus capitularibus publicis et privatis, gestare et deferre possint; quodque capitulum et canonici dictae ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, tam habitu praelatio quam canonicali induti, et capitulariter existentes seu incedentes, omnia capitula, etiam in eorum ecclesiis, omnesque canonicos quarumcumque cathedralium et collegiatarum ecclesiarum totius regni Portugalliae, similiter si unus vel plures dictae ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis cum aliò vel aliis, dignitate seu canonico, aut dignitatibus seu canonicis alterius cuiusque ecclesiae regni Portugalliae incedent, seu in aliquâ functione ecclesiasticâ aderunt, etiam in eorum ecclesiis praecedere debeant; necnon ut ipsi, eorumque in dignitatibus ac canonicatibus et praebendis huiusmodi successores, perpetuis futuris temporibus, ac tam in parte civitatis et dioecesis Ulyssiponensis occidentalis, quam in toto regno et dominiis, praesente rege, eoque absente, de licentiâ Ordinarii, in missis ac horis canonicis solemniter decantandis et persolvendis, ac etiam in processionibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum, et fontis baptismalis, ac in reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, praesente vel absente archiepiscopo, mitrâ aliisque indumentis vel paramentis, ad instar abbatum usum mitrae habentium, uti, necnon in eorum armis et insigniis gentilitiis mitram apponi [1] facere ad instar dignatum et canonicorum archiepiscopalium ecclesiarum Beneventanae et Mediolanensis, quodque ipsius ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis dignitates et canonici praefati, eorumque successores, indumenta et paramenta, aliasque res ecclesiasticas, in quibus sacri olei vel chrismatis unctio non requiritur, non tamen calices neque patenas, benedicere, ad instar canonicorum ecclesiae Neapolitanae; eisdemque praedictae ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis canonicis causae quaecumque et super quibuscumque litibus et controversiis motae vel movendae committi, respective, libere et licite possint et valeant, etiam concedimus et indulgemus.

1 Edit. Main. legit *opponi* (R. T.).

Ius nominandi et praesentandi archiepiscopum occidentalem regi reservatum.

§ 10. Ulterius, firmo remanente iure patronatus regio, et praesentandi, ut antea, ad dignitates, canonicatus et praebendas, ac beneficia dictae collegiatae ecclesiae, sic a nobis in metropolitanam ecclesiam Ulyssiponensem occidentalem erectae, ad archiepiscopatum Ulyssiponensem occidentalem, tam hac primâ vice a primaevâ illius erectione huiusmodi vacantem, quam in posterum in quibuscumque aliis vacationibus quandocumque et quomodocumque etiam apud Sedem Apostolicam occurrentibus, iuspatronatus [1] regium et nominandi et praesentandi personam idoneam nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti, ac per nos et eumdem Romanum Pontificem pro tempore existentem dicto archiepiscopatui Ulyssiponensi occidentali apostolicâ auctoritate et mediantibus litteris apostolicis praeficiendam [2], praedicto Ioanni regi eiusque in dictis regnis successoribus regibus similiter perpetuo reservamus, concedimus et assignamus, ac iuspatronatus et praesentandi huiusmodi praedicto Ioanni regi, eiusque in dictis regnis successoribus regibus praefatis, non ex privilegio apostolico, sed uti ex verâ, primaevâ, reali et actuali, plenâ, integrâ et omnimodâ fundatione et perpetuâ dotatione laicali, ex bonis mere laicalibus factis, competere et pertinere,

1 Male ed. Main. legit *iuris patronatus* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *praeficiendum* (R. T.).

et uti tale sub derogatione iurispatronatus ex privilegio apostolico vel consuetudine aut praescriptione acquisiti nullatenus comprehendi, aut illi nullo unquam tempore, etiam ex causâ vacationis apud Sedem praefatam, aut quocumque alio praetextu, aut ex quacumque aliâ causâ, quantumvis legitimâ, etiam per nos et praedictos Romanos Pontifices successores nostros pro tempore existentes[1], motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus decernimus.

Firmitas archiepiscopatus et patriarchatus in dictâ regia capellâ.

§ 11. Denique, ut in eventum, in quem praedictus Ioannes aut pro tempore existens Portugalliae et Algarbiorum rex, eiusque successores, alibi curiam, eorumque regias personas, vel perpetuo, vel per aliquod temporis spatium, respective transtulerint, nihilominus firma et illaesa remanere debeant, tam cathedralitas dictae collegiatae ecclesiae, sic a nobis in metropolitanam et patriarchalem ecclesiam Ulyssiponensem occidentalem erectae, quam omnia et singula privilegia et indulta eidem cathedrali ecclesiae Ulyssiponensi occidentali sic ut praefertur concessa, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, decernimus et declaramus.

Designatio executorum praesentium litterarum, cum mandato asservandi plantam divisionis in cancellariis et compescendi contradictores per censuras.

§ 12. Ad hoc autem ut omnia et singula supradicta a nobis concessa et ordinata, ac in praesentibus contenta et expressa, debitae exequutioni demandentur, ac perpetuis futuris temporibus ab omnibus et singulis firmiter et inviolabiliter observentur, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, venerabilibus fratribus nostris Elvensi, Algarbiensi et Miradensi, eisque deficientibus seu impeditis, Angulensi et Lamacensi episcopis, tenore praesentium mandamus, quatenus ipsi, vel unus eorum, per se, vel alium, seu alios, etiam quatenus[1] difficultate occurrente et a nobis non praevisâ, quae effectum earumdem praesentium minime retardare valeat, easdem praesentes litteras, nullâ interpositâ morâ, debitae exequutioni demandent seu demandari faciant, ac unam partem tam civitatis quam dioecesis Ulyssiponensis praefatae versus orientem pro proprià dioecesi ac proprio territorio archiepiscopatus Ulyssiponensis orientalis, alteram vero partem civitatis et dioecesis Ulyssiponensis huiusmodi versus occidentem similiter pro proprià dioecesi et proprio territorio archiepiscopatus Ulyssiponensis occidentalis constituant et assignent, ac plantam cum confinibus et mensuratione per peritos faciendam, iuxta formam a nobis desuper praescriptam, tam partis civitatis et dioecesis Ulyssiponensis orientalis, quam partis civitatis et dioecesis Ulyssiponensis occidentalis huiusmodi, tam in cancellariâ eorum episcopatuum, quam in cancellariis archiepiscopatus Ulyssiponensis orientalis ac archiepiscopatus Ulyssiponensis occidentalis, ad perpetuam rei memoriam, reponere et asservare debeant, quodque, ultra divisionem praefatam sic ut praefertur factam, omnia et singula supradicta ab omnibus et singulis, perpetuis futuris temporibus, per censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, et quacumque appellatione remotâ, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, adimpleri et inviolabiliter observari faciant.

Clausulae amplissimae et particulares.

§ 13. Decernentes propterea, easdem praesentes litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite vel qualibet causâ, quantumvis legitimâ

1 Desunt verba *derogari non posse, nec derogatum censeri*, aut similia (R. T.).

1 Forsan *qualibet* leg. pro *quatenus* (R. T.).

et iuridicâ, etiam ex eo quod sedes archiepiscopalis Ulyssiponensis ad praesens vacet, et proprio pastore et defensore destituta existat, ipsiusque capitulum et canonici, seu quicumque alii cuiuscumque dignitatis, gradus, conditionis et praeeminentiae, in praemissis et circa ea quomodolibet, et ex quavis causâ, ratione et actione vel occasione, ius vel interesse habentes aut habere praetendentes, illis non consenserint, aut ad id vocati et auditi, et causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis seu invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut ius vel interesse habentium consensus[1], aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato et inexcogitabili ac specificam et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in praemissis, eorumque aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, a iure vel facto, aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissimae totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione vel causâ, etiam in corpore iuris clausâ, occasione, aliâve causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ et aliis superius expressis nullibi appareret seu aliàs probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam vreocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, vel gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet, etiam motu simili concesso aut impetrato vel emanato, uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse; neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, et Sedem Apostolicam praefatam, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis ed decretis, etiamsi in eis de eisdem praesentibus earumque toto tenore ac datâ specialis mentio fiat, pro tempore factis et concessis, ac faciendis et concedendis, comprehendi, sed, tamquam ad maius bonum tendentes, semper et omnino ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, quandocumque eligendâ, concessas esse et fore, sicque, et non aliàs, in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, ac alios quoscumque, quavis auctoritate, potestate, praerogativâ et privilegio ac honore et praeeminentiâ fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque iudicio et in quacumque instantiâ iudicari et definiri debere; et, si secus

1 Male edit. Main. legit *consensu* (R. T.).

super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Contrariorum derogatio.

§ 14. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum editis vel edendis, etiam in synodalibus provincialibus universalibusque conciliis, specialibus vel generalibus, ac, quatenus opus sit, etiam illae Pauli Papae II similiter praedecessoris nostri de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac antiquae cathedralis ecclesiae Ulyssiponensis aliarumque ecclesiarum et aliorum locorum piorum antiquae dioecesis Ulyssiponensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, ac locis quibuscumque, etiam specificâ et expressâ ac individuâ mentione dignis, sub quiscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu pari, ac consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, etiamsi in eis caveatur expresse, quod illis per quascumque litteras apostolicas etiam motu simili pro tempore concessas, quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes, derogari non possit, neque censeatur eis derogatum; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et causas, etiam quantumvis praegnantes, pias et privilegiatas, praesentibus pro plene et sufficienter, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, expressis et specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium validissimum effectum, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime, ac sufficienter, necnon specialiter et expresse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri motusproprii, ac divisionis, assignationis, erectionis, institutionis, concessionis, indulti, reservationis, declarationis, mandati, voluntatis, decreti et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXVI, VII idus novembris, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 7 novembris 1716, pontif. anno XVI.

CCXXXVI.

Suspenduntur, ad Sanctitatis Suae beneplacitum, privilegia omnia a Sanctâ Sede facultati sacrae theologiae Parisiensis concessa [1].

1 Innocentii XII const. ed. MDCXCIV, die 27 aprilis, pontif. III, confirmata fuere privilegia

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exordium a studio Romanorum Pontificum erigendi collegia ac universitates, easque privilegiis ornandi.

Circumspecta Romanorum Pontificum providentia, e sublimi universae domus Dei speculâ longe lateque prospiciens quantam catholicae Ecclesiae utilitatem atque ornamentum afferant sacrarum eisque ancillantium bonarum litterarum studia, per quae, depulsâ ignorantiae caligine, hominum mentes luce veritatis illustrantur, ut ad ea christifideles vehementius incenderet adiuvaretque, scholas pluribus in locis instituere, doctorum hominum collegia excitare, necnon studiorum generalium universitates erigere consuevit, ubi sanâ fidei doctrinâ optimisque morum praeceptis atque institutis imbuendae iuventuti daretur opera, simul vero contra deterrima haeresum monstra, veluti armamentaria constituerentur, unde episcopi, qui in partem pastoralis sollicitudinis vocati sunt, ad suos greges tuendos arma capere atque expedire facile possent. Ubi vero saluberrima haec laudabilium disciplinarum gymnasia, vel eorumdem episcoporum curâ, vel principum liberalitate, vel etiam privatorum largitorum beneficentiâ, condita fuisse cognovit, novis ea proventibus auxit, gratiis et privilegiis decoravit, aliisque apostolicae benignitatis muneribus, prout in Domino censuit, prosecuta est.

Universitati Sorbonae plura privilegia concessa fuere, eaque in Sanctae Sedis clientelam suscepta.

§ 1. Hinc plures ex iisdem Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, quibus compertum erat celeberrimam universitatem studii generalis Parisiensis, in eâque praecipue sacrae theologiae facultatem, adeo in dies magis florere praestanti ingenio eximiâque doctrinâ viris, ut ad eos audiendos e remotissimis etiam regionibus ingens undique discipulorum multitudo confluereret, tanto quoque erga Apostolicam Sedem cultu et veneratione commendari, ut hoc potissimum nomine excellere gloriaretur, eam maximis hisce virtutum laudibus ornatam in suam et beati Petri peculiarem clientelam susceperunt, datis ac saepius confirmatis immunitatibus et exemptionibus ab aliâ quacumque ecclesiasticâ iurisdictione liberam esse voluerunt, aliisque insuper quamplurimis gratiis ac favoribus cumularunt, quemadmodum ex pluries editis, innovatisque a multis retro saeculis eâ de re apostolicis litteris aperte dignoscitur. Quin etiam haud semel facultatem eamdem, variis aerumnarum acerbitatibus molestiisque conflictatam, in huius omnium fidelium matris Ecclesiae sinum confugientem, eiusque praesidium humiliter implorantem, patrocinio munire, necnon paternâ salutarique severitate in eos, qui malum eidem pararent, animadvertere consueverunt.

Decretum dictae universitatis contra receptionem Bullae *Unigenitus*.

§ 2. Haec dum nobiscum animo reputamus, eo graviori doloris ictu perculsi sumus, cum, frequentibus litteris et famâ ubique gentium cum incredibili fidelium scandalo diffusâ, ad apostolatus nostri notitiam pervenit, quod, postquam aliâs, videlicet mense martio anni MDCCXIV, in lucem prodierat decretum quoddam nomine dictae facultatis promulgatum, ac publicis litteris consignatum, per quod testatum omnibus fiebat eamdem facultatem die quintâ eiusdem mensis martii constitutionem nostram, quae incipit *Unigenitus Dei filius, etc.*, anno Incarnationis dominicae MDCCXIII, sexto idus septembris, a nobis editam, summâ cum reverentiâ atque obsequio recepisse, ac in suas tabulas referri iussisse, ut ab omnibus et singulis magistris, doctoribus, baccalaureis

collegii Scotorum Parisiensis, et huius Pontificis const. ed. MDCCXXI, die 19 martii, pontif. I, confirmantur privilegia universitatis Urbinatensis.

et candidatis suis pari obsequio coleretur et observaretur, non ita pridem nonnulli praedictae facultatis doctores, maiorem forsan sed certe minime saniorem sui coetus partem constituentes, non minus antiquae eiusdem coetus gloriae perpetuaeque in hanc Sanctam Sedem observantiae, quam insignium ab eâ ipsi universitati collatorum beneficiorum ac privilegiorum immemores, quinimo ipsius etiam sui doctoratus gradus, quo apostolicâ auctoritate donati fuerunt, prorsus obliti, nullâ famae reverentiâ, nullâ demum illius iurisiurandi quo in consortium dictae facultatis cooptati, initio omnium actuum, se nihil unquam dicturos scripturosve quod pontificiis decretis repugnaret, diserte spoponderunt, religione commoti, frustra reclamantibus aliis bonam causam strenue tuentibus, eò impudentiae processerunt, ut decretum supradictum falsum, adulterinum, commentariis eradendum esse declaraverint; non obscure, sic agendo, ostendentes, se aut debitam memoratae constitutioni nostrae obedientiam praestare contumaciter nolle, quippe quam se nunquam praestitisse acerrime contenderunt, aut verius ab eâ, quam pro muneris sui debito praestiterunt, turpiter descivisse; utcumque vero se res habuerit, semper a maiorum suorum, quos religionis non minus quam sapientiae claritas commendavit, vestigiis aberrasse, qui videlicet, ab ipsis scholae Parisiensis exordiis, Apostolicae Sedis reges accipere, suarum confirmationem expectare, oracula petere, iudicia subire, decretis obtemperare, poenas exequi, sanctionibus acquiescere, verbis factisque toties professi sunt, maximoque sibi honori inconcussâ devotione duxerunt, prout ex ipsius universitatis tabulis et publicis etiam documentis constare notum est. Ad haec, inquieti homines praefati minime veriti sunt, tum privatis collocutionibus, tum publicis etiam toto suorum adstante conventu habitis sermonibus, moderno praesertim syndico viam aberrantium praeeunte, praedictam constitutionem nostram multiformiter impetere atque proscindere, necnon clarissimos collegas suos a veritatis semitâ non recedentes, adeoque ab eis dissentientes, quos non paucos divina providentia ad reproborum contumeliam servare voluit, plurimum divexare, perinde ac si morem Apostolicae Sedi gerendo gravi aliquo se crimine commaculassent. Praeterea nonnullorum venerabilium fratrum Galliae episcoporum decreta, quibus a perversâ eiusmodi ipsorum agendi ratione sese abhorrere palam edixerant, abiudicare[1] et despicere, quin etiam publice impugnare non erubuerunt; quod utique ingenti animum nostrum moerore confodit, quippe qui, in summo episcopatus vertice a Domino constituti, episcopalem in primis auctoritatem dignitatemque defendere omnino tenemur, idque maxime Ecclesiae Dei, maxime etiam religionis intersit.

Causae sequentis suspensionis.

§ 3. Multa haec et tam gravia mala cum iamdiu invaluerint, nos tamen, ut amantissimus pater, quem delirantium filiorum miseret, in patientiâ et longanimitate diutius, quoad fieri potuit, expectandum existimavimus, an forte filii isti desertores, conscientiâ commissi sceleris, aut saltem verecundiâ, ad se sponte redirent, vel alieno tandem impulsu atque operâ revocarentur. Verum, cum videamus lenitate nostrâ morbum quotidie magis magisque ingravescere, ne poenas a nobis neglectae curationis repetat supremus Ecclesiae auctor ac vindex, salubri aliquo canonicae severitatis remedio vulnus istud tractandum

1 Edit. Main. legit *abiudicare* (R. T.).

suscipimus, ut, quod plane cupimus, cicatricem ducat et praevaricatores revertantur ad cor; parati profecto, si secus accidat, quod absit, ulcisci omnem inobedientiam, et, iuxta traditam nobis a Domino potestatem, ad ulteriora procedere. Specialem itaque curam eiusdem Parisiensis scholae sub immediatâ B. Petri protectione a tot saeculis, ut praefertur susceptae, nobis et eidem Apostolicae Sedi retinentes (neque enim boni pastoris est infirmas oves deserere, sed vigilantius custodire) ut illius bono, ut[1] utilitati salubrius et efficacius consulamus, simulque animo reputantes reliquas omnes gratias, quibus ipsa sacrae theologiae facultas a Sede praedictâ cumulatissime ornata fuit, ob tot ac tanta, ut praefertur, in eâ perperam gesta, iam non in Fidei favorem, Ecclesiae decus, episcoporum adiumentum, fideliumque aedificationem, ut mens profecto concedentium fuerat, sed in errorum potius fomentum, memoratae Sedis iniuriam, atque episcopalis dignitatis imminutionem fore cessuras, omnium et singulorum privilegiorum, facultatum, gratiarum et indultorum dictae facultati theologicae Parisiensi a quibuscumque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessorum litterarumque apostolicarum tam sub plumbo quam in simili formâ Brevis ab eis desuper emanatarum tenores et datas, etiam veriores, aliaque omnia et singula, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis et expressis ac specificatis habentes, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super hac re specialiter a nobis deputatorum consilio, omnia et singula privilegia (praefato immediate subiectionis huic Sanctae Sedi dumtaxat excepto), immunitates, libertates, praerogativas, facultates, indulgentias, gratias et indulta quaecumque, sive a nobis sive a quibusvis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris praedictae facultati theologicae Parisiensi, sive eius doctoribus, magistris, decano, syndico, aliisve ministris, officialibus et personis quibuscumque, tam coniunctim quam divisim, quandocumque, quomodocumque et ex quacumque causâ concessa, ac etiam pluries confirmata et innovata, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, ad nostrum et dictae Sedis beneplacitum suspendimus, ac suspensa esse et fore decernimus et declaramus. Neminem propterea in posterum, eiusmodi suspensione durante, ad magisterii seu doctoratus, licentiae, baccalaureatus, seu quemvis alium gradum in eâdem facultate per cancellarium supradictae universitatis, sive alium ipsius facultatis ministrum seu officialem quemcumque, promoveri, eidemque facultati aggregari ullo modo posse; nec, ita forte promotum seu aggregatum, a nobis et Sede praedictâ, eiusve officialibus et ministris, aut a quovis alio praelato ecclesiastico saeculari vel regulari, eorumve pariter officialibus et ministris ubique gentium existentibus, ullo modo admitti debere; neque demum, praefatorum graduum vigore, ad quasvis ecclesias, dignitates, beneficia aliaque munera ecclesiastica, gradus huiusmodi requirentia, idoneum censeri, aut ad illa recipi quoquomodo posse, auctoritate et tenore praedictis similiter declaramus. Ceterum, quia Romani Pontificis, aequi bonique supremi assertoris, est iustitiae limites non praetergredi, ne videamur virgam peccatorum relinquere super sortem iustorum, magistros omnes, doctores, bac-

Suspensio privilegiorum quod contradictores tantum.

1 Forsan legendum *bono et* (R. T.).

calaureos, aliosque quocumque nomine nuncupatos supradictae facultatis alumnos, qui praedictae constitutioni nostrae debitam obedientiam praestiterunt, aut in futurum praestiterint, praesenti gratiarum et privilegiorum suspensione minime affici volumus, perinde ac si quoad illos eaedem praesentes litterae prorsus non emanassent. Quinimo eosdem, ut veros obedientiae filios, ac germanos egregiae facultatis alumnos, paternae charitatis sinu complectentes, hortamur in Domino, ut, apostolicum illud sedulo cogitantes: *Si quid patimini propter iustitiam, beati*, in suscepto tuendae sanae doctrinae proposito gloriosâ stabilitate perseverent, quodque vere christiani doctoris est, eos, qui contradicunt, arguere, pro traditâ sibi a Domino sapientiâ, non vereantur; certi divinam sibi retributionem atque huius Sanctae Sedis protectionem et gratiam minime defuturam.

Clausulae. § 4. Decernentes pariter, ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos quovis modo spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ubique iudicari et definiri debere, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ac irritum et inane esse si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII novembris MDCCXVI, pontificatus nostri anno XVI.

1 Reliqua de more solito (R. T.).

Dat. die 18 novembris 1716, pontif. anno XVI.

CCXXXVII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium approbans decretum capituli fratrum Praedicatorum provinciae Portugaliae super immoderatis expensis fieri solitis a monialibus in earum officiis[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Epitome decreti capituli provincialis MDCCXIV celebrati.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum Dominici a S. Thoma vicarii generalis et definitorum capituli provinciae Portugalliae Ordinis fratrum Praedicatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, cum ipsi mature considerassent damnum ac scandalum, quod ex causâ immoderatarum expensarum, quae per moniales eiusdem Ordinis in ipsarum officiis, ultra id eis permissum, fieri solebant, oriebatur, in eorum capitulo anno MDCCXIV celebrato prohibuerant, sub poenâ excommunicationis maioris ab ipsis monialibus incurrendâ, ne ipsae plus illo, quod per eas in eorumdem officiorum exercitio, excepto tamen illo sacristanae, quoad expensas ad cultum divinum spectantes, viginti ab illinc annis impendebatur, erogarent, et aliàs, prout in decreto dicti capituli, ab iisdem exponen-

1 Innocentii XI constit. edit. MDCLXXXV, die 22 februarii, pontif. IX, confirmatae fuere constitutiones monialium recollectarum SS. Trinitatis in Hispaniâ; et Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVIII, die XIX septembris, pontif. IV, prohibentur monialibus S. Radegundae Mediolanensis musici concentus figurati.

tibus die XXIV aprilis eiusdem anni subscripto, tenoris sequentis, videlicet:

Decretum praedictum quo prohibentur sub maiori excommunicatione expensae excedentes eas fieri solitas viginti ab hinc annis.

Fr. Domenico di S. Tommaso, maestro in sacra teologia, consultore di sant'Officio, e vicario generale di questa provincia di Portogallo, con li padri definitori del capitolo celebrato in quest'anno MDCCXIV. Havendo noi considerato li perniciosi effetti che ne nascono di spendere le monache nelli loro officî più di quello che possono e che si costumava, senza riguardo al voto della povertà, e con scandalo de' secolari, ed altri danni, alli quali dobbiamo dar rimedio, comandiamo, sotto precetto formale e di scomunica maggiore *ipso facto incurrenda*, che veruna religiosa di questa nostra provincia spenda nelli officî più di quello che si costumava spendere venti anni sono, per il che non gli sia sufficiente pretesto ricevere dalli loro padri o parenti ed amici quello che vorrebbero spendere di più, eccettuato però nell'officio e carica di sagrestana per quello appartiene al culto divino, e sotto il medemo precetto e censura comandiamo alle superiore che facciano osservare questa disposizione e ordine, e sappiano non essere eccettuate dalla medema legge per quello appartiene a' loro officî. Dato in questo nostro convento di S. Domenico di Lisbona, li XXVI aprile MDCCXIV. — Fr. DOMENICO di S. Tommaso, priore e vicario generale; fr. GALUTO, maestro e definitore; Fr. EMMANUELE DE AGUIAR, maestro e definitore; Fr. GIOVANNI DI S. MARIA, dottore e definitore; Fr. ANTONIO DE SACRAMENTO, dottore e definitore. — *Registrat. fol.* 102. — Fr. GIO. DI S. ALBERTO, secretario e complimentario. *Loco † sigilli.*

Petitur praedicti decreti confirmatio.

Ideoque pro parte dictorum exponentium eidem Congregationi cardinalium supplicato ut praedictum decretum, sub eisdem censuris vel privationis vocis activae et passivae poenis Sedi Apostolicae vel praedictae Congregationi cardinalium reservatis, confirmaret, prohibendo insuper, ne ullus superior regularis, nec quidem noster et pro tempore existens nuncius apostolicus in illis partibus, super praemissis, nisi id ei a Sede praedictâ permissum fuisset, dispensare valeret: emanavit, ad eorumdem exponentium supplicationem, a praedictâ Congregatione cardinalium decretum tenoris sequentis, videlicet:

Decretum Congregationis confirmans recensitum decretum

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, auditâ relatione nuncii apostolici Ulyssipone residentis, ac attentis narratis, praefatum capitulare decretum patris vicarii generalis et definitorum Ordinis Praedicatorum in omni suâ parte benigne approbavit et confirmavit, et moderno patri provinciali provinciae Portugalliensis eiusque pro tempore successoribus iniungit, ut pro omninodâ illius observantiâ invigilent. — Romae XXV septembris MDCCXVI. — F. cardinalis DE ABDUA. — R. archiepiscopus Damascenus.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte eorumdem exponentium nobis nuper expositum fuit, ipsi secundodictum decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum praefatae Congregationis cardinalium decretum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis cardinalium. Decernentes, ipsas praesentes

litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etc.[1], derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDCCXVI, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 17 decembris 1716, pontif. anno XVII.

CCXXXVIII.

Declaratur nulla postulatio de principe Ernesto acatholico in episcopum Osnabrugensem facta a capitulo et canonicis, cum quibusdam ordinationibus[2].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Post mortem administratoris dictae ecclesiae princeps acatholicus postulatus fuit in episcopum a capitulo absque ullâ iusta causa.

§ 1. Non sine animi nostri molestiâ, vel potius horrore, novissime nobis innotuit, quod aliàs, videlicet postquam bonae memoriae Carolus a Lotharingia, dum vixit, electus Trevirensis, S. R. I. princeps elector, necnon ecclesiae Osnabrugensis administrator, debitum naturae persolverat, capitulum et canonici eiusdem Osnabrugensis ecclesiae, ad quos, occurrente eius vacatione, electio personae idoneae illi ad electionem huiusmodi per Romanum Pontificem pro tempore existentem praeficiendae, iuxta concordata dudum inter Sedem Apostolicam et inclytam nationem Germanicam inita, spectare dignoscitur, pro futuri episcopi electione die ad id praefixâ convenientes in unum, non modo sacrarum legum, sed sui etiam officii, imo et ipsius, quam profitentur, orthodoxae religionis prorsus immemores, novo et hactenus inter catholicos inaudito detestandoque exemplo, principem Ernestum Augustum e Brunswicensi ac Luneburgensi domo notorium acatholicum, caelesti ad id Sancti Spiritus ope sacrilege invocatâ, in episcopum memoratae Osnabrugensis ecclesiae concordibus suffragiis postulare non erubuerunt, et mox illius postulationem solemni ritu, et maiori qua fieri potuit celebritate, in sacrosanctae et individuae Trinitatis nomine, temere promulgarunt. Deinde vero, iuxta illud Prophetae, *multiplicarunt altaria ad peccandum, factaeque sunt eis arae ipsae in delictum*, cum, propemodum servire facientes Dominum in peccatis suis, de huiusmodi exe-

1 Reliqua ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

2 Constit. edit. MDCCIX, die 24 augusti, pontificatus IX, nulla declarata fuit electio gubernatoris ecclesiae Abulensis; constit. edit. MDCCXVII, die XXII ianuarii, pontif. XVII, conceditur nuncio Hispaniae facultas absolvendi a censuris; Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXV, die 21 februarii, pontif. I, nulla declaratur electio episcopi Ultraiectini; et constit. edit. MDCCXXVI, die 8 iulii, pontif. III, agitur de punitione canonicorum cathedralis Papiensis.

crando scelere, quod patrarunt, omnipotenti Deo publicas in ecclesiâ gratias agere hymnumque cantare de canticis Sion veriti nequaquam fuerunt. Quae omnia quanto cum catholicorum moerore ac offensione, quantâque ex opposito cum heterodoxorum exultatione ac triumpho contigerint, nemo est qui ignoret. Neque enim capitulum et canonici praedicti ad tanti facinoris iniquitatem ac turpitudinem obtegendam causari poterant malorum metum sibi et ecclesiae ceteroqui impendentium; illorum quippe in cordibus fervere debebat charitas Christi, quae foras mittit timorem; aut, si quid illis timendum erat, id unum timere debebant, ne apud Deum et homines redargui iure possent, ecclesiae dignitati, loco et honori suo, ac debitae sacris legibus reverentiae turpiter defuisse.

Causae sequentis declarationis.

§ 2. Porro, quamvis explorati iuris sit, hac occasione gesta seu verius attentata ab eisdem capitulo et canonicis, tamquam sacris sanctionibus, oecumenicis conciliis, apostolicis constitutionibus, imo et ipsius catholicae religionis principiis aperte refragantia, fuisse ac esse per se manifesto irrita, inania, invalida, nulliusque prorsus roboris ac momenti, adeoque speciali improbatione et cassatione nostrâ nequaquam indigere; nihilominus nos, qui aequi bonique ac quorumcumque ecclesiasticorum iurium supremi assertores in terris a Domino constituti sumus, simulque omnium ecclesiarum ac christifidelium curam et sollicitudinem supernâ dispositione gerimus, catholicae fidei, divino cultui, animarum saluti praefataeque potissimum ecclesiae Osnabrugensis iurium indemnitati, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, necnon omnium et singulorum, quae in praemissis seu illorum occasione quovis modo acta et gesta fuerunt, seriem, causas et circumstantias etiam aggravantes, aliave quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem ac expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac exacte specificatis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praenarratum antedicti principis Ernesti Augusti postulationem ad ecclesiam Osnabrugensem, a capitulo et canonicis supradictis factam et publicatam ut praefertur, aliaque omnia et singula, tam ab ipsis capitulo et canonicis, quam a memorato principe Ernesto Augusto, postulationis huiusmodi vigore seu praetextu, per se vel alios quoscumque, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignos, in praemissis vel circa ea quomodocumque et qualitercumque acta, facta, gesta, mandata, decreta, ordinata vel disposita, ac forsan in futurum (quod Deus avertat) agenda, gerenda, facienda, mandanda, decernenda et ordinanda, cum omnibus et singulis inde quovis modo secutis et quandocumque secuturis, ipso iure nulla, invalida, inania, irrita, temeraria, iniqua, iniusta, damnata, reprobata, viribusque ac effectu penitus et omnino vacua ab ipso initio fuisse, et esse, ac perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri; imo nec illa ullatenus a quoquam observari potuisse ac debuisse aut posse et debere, neque ex illis cuiquam aliquod ius vel actionem, aut titulum, etiam coloratum, aut possidendi seu quasi possidendi vel praescribendi causam acquisitam vel acquisitum fuisse vel esse, aut quandocumque acquiri vel competere posse, neque illa ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent nec facta fuis-

Declaratio ut in rubrica.

sent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium decernimus et declaramus. Et nihilominus, ad abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, motu, scientiâ, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, tamquam catholicae fidei, divino cultui, animarum saluti, ecclesiaeque Osnabrugensis iuribus praeiudicialia, et sacris sanctionibus ac apostolicis constitutionibus adversantia, harum serie improbamus, rescindimus, damnamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, et contra illa, deque eorum nullitate, coram Deo protestamur; necnon praedictam Osnabrugensem ecclesiam ut prius vacantem declaramus pariter ac pronunciamus, et pro vacanti ab omnibus haberi volumus et mandamus.

Iniungitur nuncio apostolico, ut declaret canonicos incurrisse in censuras et poenas, ab hisque absolvendi super irregularitate dispensandi, et ad omnia rehabilitandi facultas conceditur.

§ 3. Praeterea venerabili fratri Hieronymo archiepiscopo Tarsensi, nostro et huius Sanctae Sedis ad tractum Rheni et partes inferioris Germaniae nuncio, earumdem tenore praesentium iniungimus, ut praedictis capitulo et canonicis Osnabrugensis ecclesiae incunctanter denunciet, eos propter praemissa incidisse in censuras et poenas a sacris canonibus et apostolicis constitutionibus contra talia perpetrantes inflictas, illosque propterea serio moneat ut propriae conscientiae securitati quamprimum consulant. Quod quidem si fecerint, suoque agnito excessu, verae poenitentiae signa ostenderint, nos, iuxta eiusdem Sedis morem quae tamquam pia mater recurrentibus post lapsum cum humilitate filiis se propitiam exhibere solet et benignam, eidem Hieronymo archiepiscopo et nuncio per ipsas praesentes committimus et mandamus, ut quoscumque ex illis, qui eadem praemissa peregerunt, seu aliàs in eis quovis modo culpabiles fuerunt, ad se recurrentes, ac de praemissis huiusmodi dolentes, si hoc ab illo humiliter petierint, et factâ prius per eos declaratione quod ipsi praesentibus litteris ac omnibus et singulis, quae in illis continentur, plenâ, sincerâ ac debitâ obedientiâ in omnibus et per omnia se submittunt, necnon factâ itidem promissione quod in futurum a similibus abstinebunt, et, quidquid eis ulterius praescriptum aut iniunctum fuerit, priusquam infrascriptae absolutionis beneficium obtineant, observabunt et adimplebunt, a censuris et poenis ecclesiasticis quibuslibet, quas propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri, vel praetendi possent, iniunctâ cuique pro modo culpae poenitentiâ salutari, et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, similiter iniunctis, in utroque foro auctoritate nostrâ apostolicâ in formâ Ecclesiae consuetâ absolvat et totaliter liberet, dictasque poenas eis et eorum cuilibet gratiose remittat et condonet, ac cum illis super irregularitate per eos, qui, a censuris huiusmodi propter praemissa innodati, missas et alia divina officia (non tamen in contemptum clavium) forsan celebrarunt, seu aliàs in suis ordinibus ministrarunt, quomodolibet contractâ, ad quemcumque effectum in utroque pariter foro dispenset; ipsosque et eorum quemlibet ad famam, gradus, dignitates, necnon beneficia et officia ecclesiastica quaecumque, ceteroqui tamen canonice per eos obtenta, ac aliàs in pristinum et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum adversus eadem praemissa rehabilitet, restituat, reponat et plenarie reintegret: nos enim quamcumque necessariam et opportunam ad haec facultatem, quam etiam aliis, prout sibi opportunum vi-

debitur, communicare et subdelegare valeat, eidem Hieronymo archiepiscopo et nuncio harum serie auctoritate praedictâ tribuimus et impertimur.

Clausulae. § 3. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras, etc.[1]

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, legibus quoque etiam imperialibus et municipalibus, necnon praedictae ecclesiae Osnabrugensis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, etc.[2]

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, etc.[3]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII decembris MDCCXVI, pontificatus nostri anno XVII.

Concessa fuit praedicta absolutio a diversis subdelegatis quatuordecim canonicis, variis temporibus.

Promulgato in illis partibus, ac alibi, praedicto Brevi apostolico, statim ac eius tenor capitulo et canonicis cathedralis ecclesiae Osnabrugensis innotuit, ipsisque insuper a domino nuncio apostolico ad tractum Rheni et alias inferioris Germaniae partes serio denunciatum fuit eos ob praemissa incidisse in censuras et poenas a sacris canonibus et apostolicis constitutionibus contra talia perpetrantes inflictas, illico iidem domini canonici, propriae conscientiae securitati consulere satagentes, absolutionem a praefatis censuris et poenis humiliter petierunt. Quocirca antedictus dominus nuncius apostolicus illorum supplicationi benigne annuens, ac utens facultate a summo Pontifice in memorato Brevi sibi attributâ, subdelegavit ad hunc affectum dominum Hyacinthum Petit episcopum Heliopoliensem, ecclesiae Osnabrugensis suffraganeum, qui duodecim ex praefatis canonicis id humiliter flagitantes et facti poenitentes a censuris et poenis ecclesiasticis quibuslibet, in quas propter praemissa quomodocumque incurrerant, auctoritate apostolicâ in utroque foro in formâ Ecclesiae singillatim absolvit, iniunctâ unicuique congruâ poenitentiâ salutari, et exactâ ab ipsis promissione quod in futurum a similibus abstinebunt, necnon super irregularitate per eos quomodolibet contractâ in utroque pariter foro dispensavit, ac tandem illos ad famam, gradus, dignitates, beneficia et officia quaecumque ecclesiastica canonice obtenta restituit ac plenarie reintegravit infrascriptis diebus, videlicet I, XVIII, XX et XXIII decembris anni MDCCXVIII, et IV, XX et XXIII ianuarii, II et XXIV februarii, XIII aprilis, XXXI maii et I iulii anni MDCCXIX. Defuncto postmodum antedicto domino episcopo Heliopoliensi in eius locum dominus nuncius Coloniensis subrogavit reverendum patrem Octavianum Venlonensem guardianum fratrum Capuccinorum Cliviae, et dominum Teodorum L. B. a Wacthendock, canonicum Osnabrugensem, qui eâdem apostolicâ auctoritate alteri ex praefatis canonicis Osnabrugensibus absolutionem a censuris dispensationem super irregularitate, et reintegrationem[1] ad officia et beneficia, ut supra, concesserunt die V octobris MDCCXIX. Denique idem dominus nuncius Coloniensis reverendo patri Petro Schimitman Societatis Iesu exprovinciali facultatem subdelegavit absolvendi, ut supra, alium canonicum Osnabrugensem, qui pariter iuxta modum cum aliis servatum rite absolutus fuit die XXII novembris MDCCXIX. Quatuordecim itaque canonici praefatae cathedralis Osnabrugensis ecclesiae absolutionem, dispensationem et reintegrationem ob praemissa humiliter petierunt ac obtinuerunt, ut supra, quemadmodum aperte constat ex authenticis instrumentis eâ de re confectis, quae adiuncta et annexa singulis exemplis praelo editis antedicti Brevis a memorato domino nuncio apostolico ad Sanctitatem Suam transmissa fuere. Ea tamen hîc inserere supervacaneum visum est, cum

1 Vide supra pag. 609 *b* (R. T.).
2 Vide supra, pag. 610 *a* et *b* (R. T.).
3 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *reintegratione* (R. T.).

omnia sub eâdem formulâ concepta ac exarata sint. Unum nihilominus ad historiae fidem subiicietur, et est tenoris sequentis, videlicet:

Instrumentum absolutionis concessae uni canonico ab episcopo Heliopolensi subdelegato.

« Coram reverendissimo domino Hyacintho Petit episcopo Heliopoliensi Ordinis Carmelitarum ecclesiae Osnabrugensis suffraganeo, ab illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo Tarsensi, sanctissimi domini nostri et sanctae Sedis Apostolicae ad tractum Rheni aliasque inferioris Germaniae partes nuncio, ad hunc casum specialiter subdelegato, meque notario infrascripto, comparuit reverendissimus et perillustris dominus N. N. ecclesiae Osnabrugensis canonicus, etc., et exposuit, quod aliàs, postquam bonae memoriae Carolus a Lotharingia, dum vixit, electus Trevirensis, S. R. I. princeps elector, necnon ecclesiae Osnabrugensis administrator, debitum naturae persolverat, capitulum et canonici eiusdem Osnabrugensis ecclesiae pro futuri episcopi electione die ad id praefixâ convenientes in unum inaudito exemplo principem Ernestum Augustum e Brunswicensi ac Luneburgensi domo acatholicum in episcopum memoratae Osnabrugensis ecclesiae concordibus suffragiis postulaverint; cum autem praedictus reverendissimus et perillustris dominus N.N. divinâ afflante misericordiâ in se reversus agnoverit et agnoscat se ob concursum habitum cum ceteris canonicis in postulatione in episcopum supradicti principis acatholici, et in aliis actibus concomitanter subsecutis, incidisse in censuras et poenas a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis sancitas, ac nuperrime de illarum incursu fuerit benigniter et misericorditer admonitus a sanctissimo domino nostro Papa Clemente XI per litteras in formâ Brevis expeditas Romae apud S. Mariam Maiorem sub die XVII decembris MDCCXVI: hinc est quod humiliter petit [1] absolvi a censuris et poenis quomodolibet ex causis praemissis incursis. Quibus precibus auditis per supradictum reverendissimum dominum episcopum Heliopoliensem ecclesiae Osnabrugensis suffraganeum, iniunxit eidem reverendissimo et perillustri domino N. N. poenitenti ut faceret, prout fecit, declarationem quod ipse praerecensitis litteris in formâ Brevis, ac omnibus et singulis quae in eis continentur, sincerâ ac fideli obedientiâ se submittit [1], et quod promitteret, prout promisit, quod in futurum a similibus abstinebit, et quod quidquid ei ulterius praescriptum et iniunctum fuerit, exacte observabit et exequetur. Quibus sic adimpletis, idem reverendissimus episcopus Heliopoliensis, ecclesiae Osnabrugensis suffraganeus, utendo in hac parte facultatibus sibi per dictum illustrissimum et reverendissimum dominum nuncium attributis, vigore specialis subdelegationis inferius registrandae, eumdem reverendissimum et perillustrem dominum N. N. genuflexum denuo humiliter instantem pro absolutione a censuris et poenis ecclesiasticis quibuslibet, quas propter praemissa incurrit aut incurrisse praetendi posset, auctoritate apostolicâ sibi ut supra subdelegatâ in utroque foro in formâ Ecclesiae consuetâ absolvit et liberavit, iniungendo eidem, ut pro poenitentiâ salutari decem imperiales in pauperes erogaret, omnesque poenas ex relatis causis incursas eidem reverendissimo et perillustri domino N. N. poenitenti gratiose remisit ac condonavit, ac ulterius super irregularitate per eumdem reverendissimum et perillustrem dominum N. N., quia [2] censuris huiusmodi ob praemissa innodatus divina officia (non tamen in contemptum clavium) forsan celebravit, seu aliàs in suis ordinibus ministravit, quomodolibet contractâ, ad quemcumque effectum in utroque pariter foro dispensavit, ipsumque ad famam, gradus, dignitates, necnon beneficia et officia quaecumque ecclesiastica per eum canonice obtenta rehabilitavit, restituit et plenarie reintegravit. Quibus ita adamussim peractis, saepememoratus reverendissimus episcopus Heliopoliensis, dictae ecclesiae Osnabrugensis suffraganeus, iniunxit mihi supra recensito et infrascripto notario, ut de praemissis publicum conficerem instrumentum regi-

1 Videtur legendum *petiit* (R. T.).

1 Forsan legendum *se submitteret*, *prout se submisit* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *qui* pro *quia* (R. T.).

strandum, prout registravi, in pede annexi exemplaris Brevis impressi ad perpetuam rei memoriam ».

« Tenor autem subdelegationis factae per supradictum illustrissimum et reverendissimum dominum nuncium in personam pluries memorati reverendissimi suffraganei ecclesiae Osnabrugensis est prout sequitur, videlicet :

Subdelegatio memorato episcopo facta.

« *Hieronymus, Dei et Apostolicae Sedis gratiâ archiepiscopus Tarsensis, sanctissimi domini nostri domini Clementis divinâ providentiâ Papae XI praelatus domesticus et assistens, eiusdemque ac dictae sanctae Sedis Apostolicae ad tractum Rheni aliasque inferioris Germaniae partes cum potestate legati de latere nuncius, reverendissimo domino Hyacintho Petit episcopo Heliopoliensi Ordinis Carmelitarum ecclesiae Osnabrugensis suffraganeo salutem.*

« Noverit reverendissima dominatio tua fuisse ad nos transmissas litteras apostolicas in formâ Brevis (annexae sunt eae huic instrumento) ad quarum litterarum apostolicarum executionem procedere, et ea, quae nobis a sanctissimo domino nostro commissa fuerunt, prout tenemur, adimplere volentes, de integritate, zelo, prudentiâ et doctrinâ, quibus reverendissimam dominationem tuam insignitam novimus, plurimum in Domino confisi, vigore facultatum nobis in praeinserto Brevi hac in parte concessarum, nos, praedictus Hieronymus archiepiscopus Tarsensis, reverendissimae dominationi tuae per praesentes committimus, ut omnibus et singulis canonicis Osnabrugensis ecclesiae catholicam fidem profitentibus, vel quibuscumque aliis, qui de excessibus in supradicto Brevi expressis quoquomodo culpabiles sese reverendissimae dominationi tuae denunciaverint, ac propterea humiliter absolutionis beneficium a censuris praemissis de causis incursis imploraverint, factâ prius per eos vel quemlibet eorum declaratione, quod ipsi praememorato [1] Brevi, ac omnibus et singulis quae in eo continentur, sincerâ ac debitâ obedientiâ in omnibus et per omnia se submittunt, ac factâ itidem promissione, quod in futurum a similibus abstinebunt, et quidquid eis ulterius iniunctum fuerit, observabunt et adimplebunt, a censuris et poenis ecclesiasticis quibuslibet, quas propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri aut praetendi possent, iniunctâ cuique pro modo culpae poenitentiâ salutari, in utroque foro, auctoritate apostolicâ nobis ut praefertur a Sanctissimo delegatâ, in formâ Ecclesiae consuetâ absolvat et totaliter liberet, dictasque poenas eis et eorum cuilibet gratiose remittat, condonet, ac cum illis super irregularitate per eos, quia censuris huiusmodi propter praemissa innodati missas et alia divina officia (non tamen in contemptum clavium) forsan celebrarunt, aut aliàs in suis ordinibus ministrarunt, quomodolibet contractâ, ad [1] quemcumque effectum, in utroque pariter foro dispenset, ipsosque, et eorum quemlibet, ad famam, gradus et dignitates, necnon beneficia et officia ecclesiastica quaecumque per eos canonice obtenta rehabilitet, restituat et plenarie reintegret. Iniungimus praeterea reverendissimae dominationi tuae, ut, tam de adimplemento conditionum, quod, ut praemisimus, praecedere debet absolutionem eorum qui in praefatis excessibus se culpabiles accusaverint, quam de ipso effectivo actu absolutionis eisdem concessae, publicum per notarium aut cancellarium, ad id per reverendissimam dominationem tuam specialiter deputandum, mandes confici instrumentum registrandum in pede annexi exemplaris Brevis, quod ad nos postmodum in formâ probanti transmittes. Datum Coloniae, XXX septembris MDCCXVIII, pontificatus sanctissimi domini nostri anno XVIII ».

Ita actum est I *decembris* MDCCXVIII.

HYACINTHUS episcopus Heliopoliensis, suffraganeus et vicarius generalis Osnabrugensis ad hoc subdelegatus, manu propria.

Loco † *signi.*

N. N. canonicus Osnabrugensis.

Loco † *signi.*

Actum coram me, ut supra, I *decembris* MDCCXVIII *in curiâ episcopali illustrissimi et reverendissimi domini mei Hyacinthi episcopi*

1 Edit. Main. legit *praememorati* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *et* pro *ad* (R. T.).

Heliopoliensis suffraganei et vicarii generalis Osnabrugensis ad hunc specialem casum subdelegati ab illustrissimo et reverendissimo domino domino archiepiscopo Tarsensi ad partes Rheni et Germaniae inferioris nuncio apostolico. , *Loco † signi.*

NATALIS DENIS, notarius apostolicus iuratus, manu propriâ.

CCXXXIX.

Conceditur nuncio Hispaniarum facultas absolvendi a censuris et poenis eos qui libertatem, immunitatem et iurisdictionem ecclesiasticam violarunt [1].

Venerabili fratri Pompeio archiepiscopo Neocesariensi, nostro et Apostolicae Sedis in Hispaniarum regnis nuncio,
Clemens Papa XI.
Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Constitutio Clementis XI aliàs lata.

§ 1. Dudum a nobis emanarunt litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam. Aliàs ad apostolatus nostri, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII [3] octobris MDCCXI, pontificatus nostri anno XI.

Concessio nuncio apostolico facultatis absolvendi petentes, servatis servandis, a censuris et poenis, dispensandi super irregularitate, et in statum pristinum restituendi.

§ 2. Cum autem, sicut nuper accepimus, plerique ex eis qui excessus in praeinsertis nostris litteris relatos sive eorum aliquem commiserunt, aut aliàs quoquomodo in illis culpabiles fuerunt, ad cor reversi, ac probe agnoscentes se propter praemissa censuras et poenas ecclesiasticas a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis adversus similia perpetrantes damnabiliter incurrisse, absolutiones a censuris et poenis huiusmodi petere, ac, quicquid eis pro illâ obtinendâ praescriptum fuerit, exacte adimplere parati sint: nos, veterem Apostolicae Sedis morem, quae tamquam pia mater recurrentibus ad eam post excessum cum humilitate filiis propitiam se solet exhibere ac benignam, servare volentes, fraternitati tuae, de cuius fide, integritate ac prudentiâ plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, ut, si et postquam tibi constiterit super omnibus et singulis in praeiudicium libertatis, immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae, atque auctoritatis apostolicae quovis modo perpetratis, quae in praeinsertis litteris enunciantur, plene ac congrue, quemadmodum tibi significavimus, Ecclesiae et Sedi praedictae satisfactum fuisse, omnes et singulos praedictos, qui praemissa peregerunt, aut aliàs in illis quovis modo culpabiles fuerunt, sive laicos sive clericos, tam saeculares quam regulares, ad te recurrentes, cuiuscumque status, ordinis, gradus, dignitatis et conditionis existant, ac eorum quemlibet, si hoc a te humiliter petierint, et vera poenitentiae signa ostenderint, factâque prius per eos promissione quod in futurum a similibus abstinebunt, et, quicquid eis praescriptum et iniunctum fuerit, priusquam infrascriptae absolutionis beneficium obtineant, observabunt et adimplebunt, a censuris et poenis ecclesiasticis quibuslibet, quas propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri vel praetendi possent, iiunctâ cuique pro modo culpae poenitentiâ salutari, et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, iiunctis, in utroque foro, auctoritate nostrâ apostolicâ, absolvas et totaliter liberes,

1 Casus harum censurarum vide in constitutione, quae hic citatur; et Benedicti XIII constit. ed. MDCCXXVIII, die 17 maii, pontif. V, conceditur absolutio a quodam voto pro magistratu Pampilonensi.

2 Reliqua vide supra pag. 450 *b* et *seq.* (R.T.).

3 Supra legitur *XXVII* (R. T.).

dictasque poenas eis et eorum cuilibet gratiose remittas et condones, ac cum illis, qui clerici seu etiam presbyteri, imo et in episcopos consecrati fuerint, super irregularitate per eos, quia censuris huiusmodi propter eadem praemissa innodati missas seu alia divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebrarunt, seu aliàs in suis ordinibus ministrarunt, quomodolibet contractâ, ad quemcumque effectum in utroque foro dispenses, ipsosque et eorum quemlibet ad famam, gradus, dignitates, necnon beneficia et officia ecclesiastica quaecumque ceteroqui tamen canonice per eos obtenta, aut aliàs in pristinum et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum et adversus eadem praemissa rehabilites, restituas, reponas et plenarie reintegres; nos enim tibi quamcumque necessariam et opportunam ad id facultatem, quam etiam aliis, prout tibi opportunum videbitur, communicare et subdelegare valeas, dictâ auctoritate, harum serie, tribuimus et impertimur.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus litteris nostris praeinsertis, necnon omnibus et singulis illis, quae in eis voluimus non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII ianuarii MDCCXVII, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 12 ianuarii 1717, pontif. anno XVII.

CCXL.

Confirmantur litterae patentes commissarii generalis Indiarum Occidentalium Ordinis Minorum de Observantiâ de visitatore provinciae Chilensis [1].

1 Const. edit. MDCCXIII, die 16 iunii, pontif. XIII, concessum fuit suffragium superioribus cuiuscumque coenobii; constit. edit. MDCCXVII, die 7 septembris, pontif. XVII, agitur de deputatione visitatorum pro provinciâ fluminis Ianuarii; et Benedicti XIII const. edit. MDCCXXIV, die 20 decembris, pontif. I, de visitatore pro provinciâ Tucumanis.

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Species facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Musillo, frater expresse professus ac custos et procurator provinciae Chilensis in Indiis Occidentalibus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod aliàs dilectus etiam filius Iosephus Sanz, commissarius generalis provinciarum earumdem Indiarum, ad parcendum innumeris expensis, quae pro visitatoribus euntibus ad visitandos conventus supradictae provinciae Chilensis requiruntur, per suas patentes litteras desuper emanatas praecepit, ut in posterum non admittatur nec recipiatur in provinciâ huiusmodi aliquis visitator ex aliâ provinciâ, nisi solum ex illâ Assumptionis beatae Mariae Virginis Tucumanis, prout continetur in ipsius Iosephi commissarii generalis litteris praedictis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Litterae praedictae anno MDCCXV editae de recipiendo solo visitatore provinciae Assumptionis B. M. Tucumanis, vel commissario generali Peruviano.

Frater Iosephus Sanz, Ordinis sancti patris nostri Francisci regularis observantiae lector iubilatus, examinator synodalis archiepiscopi Toletani, theologus regis catholici in Immaculatae Conceptionis Deiparae congressu, exprovincialis provinciae Castellae, pater eiusdem et provinciarum Aragoniae et Cataloniae, ac commissarius generalis omnium Occidentalium Indiarum cum plenitudine potestatis, et servus, etc., reverendo patri provinciali et venerabili definitorio nostrae provinciae SS. Trinitatis de Chile, salutem et pacem in Domino nostro Iesu Christo, etc. Cum certiorati simus de excessivis expensis, quibus gravantur illae nostrae praefatae provinciae, quando reverendi patres visitatores ad eas visitandas nominantur ex aliis longinquis provinciis, et quod

sint illae gravissimae et magnae expensae indispensabiles et necessariae propter longissima itinera per regiones desertas, ut fiat transitus ex unâ ad alias provincias, ut experientiâ notum est; et cum, propter praefatae nostrae provinciae SS. Trinitatis paupertatem, nequeant fieri illae magnae expensae necessariae ad conducendum visitatores ex longinquis provinciis; nos propterea, desiderantes ut in praedictâ nostrâ provinciâ evitentur tam graves sumptus seu expensae, necnon et adhaerendo constitutioni generali praecipienti eligi visitatores ex propinquioribus provinciis, ideoque virtute harum nostrarum litterarum, nostro nomine et propriâ manu subscriptarum (et quas sigillo maiori nostri officii sigillamus et per nostrum secretarium attestamur) praecipimus et ordinamus, ut deinceps non admittantur nec recipiantur [1] in praefatâ nostrâ provinciâ aliquis visitator ex aliâ provinciâ, nisi solum ex illâ Assumptionis Virginis Mariae Tucumanis quae proximior est, ut hoc modo occurratur damnis quae evenire possunt ob excessivas expensas, et ut observetur generalis constitutio nostri Ordinis; quapropter mandamus, ut, statim ac ipsae nostrae litterae patentes accipiantur in praefatâ nostrâ provinciâ, intimetur nostrum mandatum in eis contentum reverendo patri commissario generali nostrarum provinciarum regni Peruani, ut de illo sit admonitus; cui insuper mandamus virtute sanctae obedientiae et Spiritus Sancti, quod nullo modo nec sub aliquo praetextu se opponat, nec contradicat nostro mandato et dispositioni, nisi solum in casu quo sua paternitas reverendissima velit suâ propriâ personâ praedictam provinciam visitare. Datis in hoc conventu S. Francisci Matriti, die XXXI iulii MDCCXV. — Frater IOSEPH SANZ, commissarius generalis Indiarum. — *Loco † sigilli.* — De mandato paternitatis reverendissimae, frater CLEMENS ZURITA secret. gen. Indiarum.

Confirmatio relatarum litterarum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes procurator praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Ioannem procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum pariter filium modernum procuratorem generalem dicti Ordinis super praemissis audiverunt, consilio, praeinsertas patentes litteras a memorato Iosepho commissario generali Indiarum expeditas, ut praefertur, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, etc. [1] Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, etc.[2]; quibus omnibus et singulis, etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV

1 Potius lege *admittatur nec recipiatur* (R. T.).

1 Clausulae ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

2 Reliqua ut ibidem (R. T.).

ianuarii MDCCXVII, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 25 ianuarii 1717, pontif. anno XVII.

CCXLI.

Confirmantur acta a delegato apostolico pro executione litterarum apostolicarum de erectione novae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis Occidentalis [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Sollicita pastoralis officii vigilantia, qua, divinà suffragante clementiâ, catholicae Ecclesiae praesidemus, enixe efflagitat, ut ea, quae per nostras litteras motu proprio emanatas, ac piis et rationabilibus causis adducti, aliàs concessimus et indulsimus, suum sortiantur effectum, proindeque actus, qui ab earumdem litterarum exequutoribus pro ipsarum validitate et observantiâ facti fuisse dicuntur, apostolico firmitatis munimine roboremus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Acta a delegato praedicto contra capitulum ecclesiae Ulyssiponensis orientalis, renuens se nuncupare capitulum orientale.

§ 1. Exponi sane nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum et canonici patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis, quod, dum a venerabili fratre moderno episcopo Algarbiensi exequutioni demandabantur litterae apostolicae in formâ nostri motusproprii expeditae super divisione civitatis et dioecesis Ulyssiponensis et erectione novae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, aliarumque omnium gratiarum et indultorum quae in praefatis litteris continentur, comparuit coram praefato episcopo Algarbiensi procurator dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, eidemque exposuit, quod capitulum ecclesiae Ulyssiponensis orientalis, tunc et ad praesens pastoris solatio destitutae, deputaverat eorum procuratorem ad effectum interessendi exequutioni earumdem litterarum, et cognoscendi an divisio civitatis et dioecesis Ulyssiponensis praefatarum, aliaque in praefatis litteris contenta, exequutioni demandarentur ad formam praefati motusproprii, et absque eorum praeiudicio, et[1] deputando secundodictum procuratorem non se inscripserunt capitulum orientale; quamobrem exponentes praefati coram eodem episcopo Algarbiensi insteterunt, quatenus moneret praefatum capitulum orientale, ut ab huiusmodi et aliis similibus perturbationibus se abstineret, ac mandatum procurae supradicto modo exaratum penitus et omnino reiiceret. Idem episcopus Algarbiensis, animadvertens quod praefatum mandatum procurae a capitulo et canonicis ecclesiae Ulyssiponensis orientalis conflatum non fuerat cum declaratione et denominatione capituli Ulyssiponensis orientalis, mandavit dilecto filio Emmanueli Duarte Franco, notario publico, ut, mediante publico monitorio, praefatum capitulum Ulyssiponense orientale sub nonnullis poenis moneret, ut in posterum in nullo penitus perturbarent inrisdictionem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, sed inviolabiliter observarent omnia et singula in praefato motuproprio contenta et expressa, seque decanum, dignitates et canonicos ecclesiae Ulyssiponensis orientalis nuncuparent. Dictusque Emmanuel die II mensis ianuarii proxime praeteriti in sacristiâ dictae ecclesiae Ulyssiponensis orientalis, coram dilectis etiam filiis Carolo Perim praesidente ac pluribus dictae ecclesiae Ulyssipo-

1 Laudatae litterae extant const. edit. MDCCXVI, die 7 novembris, pontif. XVI; et constit. edit. MDCCXVII, die 12 martii, pontif. XVII, ampliantur indulta dictae ecclesiae patriarchalis.

1 Videtur legendum *at* pro *et* (R. T.).

nensis orientalis canonicis, altâ et intelligibili voce legit et publicavit monitorium, in quo praefati episcopi mandatum continebatur; dictoque monitorio lecto et publicato, praesidens et canonici praefati ecclesiae Ulyssiponensis orientalis praefatae responderunt quod se monitos habebant[1], dictoque monitorio obediebant, seque iam capitulum et canonicos ecclesiae Ulyssiponensis orientalis nuncupaverant[2].

Confirmatio actorum a delegato apostolico cum impositione silentii.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, exponentes praefati, pro maiori subsistentiâ firmiorique observantiâ omnium et singulorum in praefatis litteris contentorum, plurimum cupiant omnia et singula supradicta, cum omnibus et quibuscumque in vim dicti monitorii subsequutis, per nos confirmari et approbari: nos igitur, exponentes praefatos specialis gratiae favore prosequi volentes, necnon eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, porrectis nobis pro eorumdem exponentium parte super hoc supplicationibus inclinati, omnia et singula supradicta, per dictum episcopum sic ut praefertur facta pro observatione et exequutione praefatarum litterarum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque perpetuae apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnibus et singulis tam ecclesiasticis quam saecularibus personis, etiam speciali notâ dignis, qui contra praefatas litteras apostolicas et in eis contenta quaecumque aliquid iam forsan attentaverint, seu in posterum attentare voluerint, perpetuum silentium imponimus.

Clausulae.

§ 3. Sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII februarii MDCCXVII, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 18 februarii 1717, pontif. anno XVII.

1 Ed. Main. legit *habeant* pro *habebant* (R.T.).
2 Forsan *nuncuparent* (R. T.).

CCXLII.

Prohibetur, ne superiores provinciae Portugalliae fratrum Carmelitarum antiquae observantiae permittant fratres musicos canere in alienis ecclesiis[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Quomodo introductus huiusmodi abusus et mala lodo exorta.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Andreas de Cerquiera provincialis Ordinis fratrum beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo antiquae observantiae provinciae Portugalliae, quod, cum in praedictâ provinciâ et praesertim in conventu Ulyssiponensi mos inoleverit aliquos pueros ad habitum regularem admittendi, ipsosque musicam et musicalia instrumenta edocendi, ut divina officia melius concinantur, et festivo

1 Const. ed. MDCCVII, die 31 augusti, pontif. VII, revocatae fuere facultates manendi extra coenobia dictis musicis concessae; et Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVI, die 14 ianuarii, pontif. III, concessum fuit indultum super quodam onere missarum.

concentu solemnes festivitates celebrentur, ac in id assequendo dictus conventus immodicas pecuniae summas consumat; praedicti vero iuvenes, sic ad habitum regularem huiusmodi admissi et edocti, postquam suam statuto tempore professionem per fratres dicti Ordinis emitti consuetam expresse emiserint regularem, ac in sacro presbyteratus ordine constituti sint, multiplici praetextu hanc Sanctam Sedem eiusque pro tempore existentes in Portugalliae et Algarbiorum regnis nuncios pro obtinendis indultis et gratiis adeant, ut, retento habitu regulari huiusmodi, vel praetextu quod parentibus pauperie laborantibus subveniant, aut sororibus neptibusque eleemosynas e musico exercitio collectas contribuant, alii autem[1] servitio ecclesiarum cathedralium, inservientibus[2] et id ipsum postulantibus locorum Ordinariis, se mancipari faciant; et ita, relaxatâ disciplinâ regulari, spretâque superiorum obedientiâ, sine sociis vagentur, pecuniasque retentas in pessimos usus convertere, et, si forte superior religionis id eis impedire praetendat, statim recursus non solum ad eosdem nuncios, sed etiam ad tribunalia saecularia interponant; ex quibus omnibus non solum praefato conventui maximum detrimentum sed et Ordini praedicto inexplicabile dedecus, cum notoriâ ac pessimâ vitae regularis votorumque emissionis relaxatione et obedientiae iacturâ, afferri soleat: ipse Andreas prior provincialis, tot malis occurrere exoptans, praelatis superioribus et localibus conventuum prioribus provinciae et Ordinis praedictorum praesentibus et futuris, sub excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae necnon officiorum poenis eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, ne de cetero fratribus musicis licentiam exeundi e monasterio ad festivitates celebrandas in aliis ecclesiis quam praedicti Ordinis, exceptâ capellâ regiâ, vel quando communitas ipsa cum cruce ad eas peragendas accedit, concedere audeant seu praesumant, per nos prohiberi, et indulta habitûs retenti aliasque gratias similes tam a Sede praedictâ quam ab illius nunciis desuper obtenta revocari plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Probibitio praedicta sub privationis vocis et officiorum poenâ tantum.

§ 2. Nos igitur, ipsius Andreae prioris provincialis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium[1], qui relationem dilecti pariter filii moderni procuratoris generalis Ordinis huiusmodi super praemissis ad eosdem cardinales transmissam attenderunt, consilio, superioribus quibuscumque praedicti Ordinis, sub poenis, ut petitur, exceptâ illâ excommunicationis, ne deinceps licentiam super praemissis ullatenus concedant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, prohibemus et interdicimus: salvâ

1 Videtur aliquid deesse, ex. g., *alii quidem in alienis ecclesiis canant, alii autem, etc.* (R.T.).

2 Forsan *scientibus* (R. T.).

1 Deest vox *praepositorum* (R. T.).

Derogatio contrariorum.

tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis earumdem cardinalium.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae, Ordinis et conventuum praedictorum, etiam etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII februarii MDCCXVII, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 22 februarii 1717, pontif. anno XVII.

CCXLIII.

Ampliantur indulta capituli patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis[2].

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a sollicitudine decorandi maioribus privilegiis insigniores ecclesias.

Ineffabili divinae maiestatis providentiâ in supremo apostolicae dignitatis culmine constituti, tamquam de excelso monte ad irriguum militantis Ecclesiae agrum nostrae considerationis aciem, more vigilis et operosi pastoris, iugiter convertimus, et circa ea, per quae ecclesiae, praesertim patriarchali dignitate insignitae et in conspictis civitatibus erectae, sublimioribus privilegiis ac maioribus praerogativis decorari valeant, peculiari sollicitudine intendimus, prout, earumdem civitatum qualitatibus rerumque et temporum circumstantiis debite pensatis, ad divini cultus incrementum ipsarumque ecclesiarum honorificentiam et ministrorum ecclesiasticorum decorem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ab hoc Pontifice erecta fuit patriarchalis ecclesia Ulyssiponensis cum concessione plurium indultorum.

§ 1. Cum itaque nos nuper, ex iustis et rationalibus causis adducti, et quemadmodum carissimi in Christo filii nostri Ioannis Portugalliae et Algarbiorum regis illustris constantis fidei et sincerae devotionis affectus iure promerebatur, eiusque pia et laudabilia vota efflagitabant, civitatem et dioecesim Ulyssiponensem in duas partes diviserimus, ac unam tam civitatis quam dioecesis huiusmodi partem versus orientem antiquo archiepiscopatui Ulyssiponensi orientali nuncupando reliquerimus, in alterâ vero parte versus occidentem patriarchalem ecclesiam Ulyssiponensem occidentalem nuncupandam erexerimus, ipsiusque patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis patriarchae ac dignitatibus et canonicis pro tempore existentibus, pro maiori eiusdem patriarchalis ecclesiae maiestate dictorumque dignitatum et canonicorum honorificentiâ, plura hucusque privilegia et indulta tam quoad habitum quam quoad praecedentiam aliasque praerogativas concesserimus, prout in nostris litteris in formâ nostri motusproprii desuper expeditis plenius continetur; cumque, sicut accepimus, patriarchalis ecclesia praedicta, sic a nobis ut praefertur erecta, et singulari ipsius Ioannis regis dilectione et regiâ plane munificentiâ pluribus ac pretiosis suppellectilibus sacris pro ecclesiasticis functionibus decenter obeundis opulenter ornata, et undique ad singularem excellentiam sublimata existat, ipseque Ioannes rex praecipuis ac indefessis studiis patriarchalem ecclesiam prae-

Causae praesentis concessionis.

1 Reliqua ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

2 Constit. editâ MDCCXVII, die 18 februarii, pontif. XVII, confirmata fuere acta delegati pro erectione dictae ecclesiae, et const. ed. MDCCXVII, die 11 iulii, pontif. XVII, confirmatur decretum delegati super distributione orationis quadraginta horarum; Benedicti XIII const. ed. MDCCXXIV, die 23 maii, pontif. I, confirmatur erectio metropolitanae ecclesiae Urbinatensis; const. editâ MDCCXXIV, die 20 iulii, pontif. I, conceditur altare privilegiatum ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis et cathedralibus; et constit. editâ MDCCXXIV, die 6 septembris, pontif. I, usus mitrae et indumentorum capitulo Caputaquensi.

fatam praeclari amoris ac religiosae pietatis significationibus prosequi in dies non praetermittat, et ad elegantiorem structurae maiestatem exornare, piaque opera propediem inibi augere, sacrarumque caeremoniarum usum et divinarum laudum cantum ad perfectiorem sublimitatem elevare intendat: nos, aeternae divinae bonitatis maiestati, quod tam pia tamque praeclara operosae religionis studia ad christianae pietatis augmentum et maiorem divini nominis gloriam a sollicitâ dicti Ioannis regis pietate ecclesiasticis functionibus iugiter intenti promanaverint[1], eaque quam magnificenter et sumptuose adaucta fuerint, gratias agentes, ac volentes, quantum in Domino possumus, maiori dictae patriarchalis ecclesiae decoris incremento consulere, necnon dignitates et canonicos ac beneficiatos et capellanos eiusdem patriarchalis ecclesiae amplioris gratiae favore et excellentioris honoris titulo sublimare, eosque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, firmis et illaesis remanentibus omnibus et singulis privilegiis, indultis, gratiis et praerogativis, aliàs a nobis eidem patriarchali ecclesiae illiusque dignitatibus et canonicis praedictis iam ut praefertur concessis, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine: sex dignitatibus et octodecim canonicis praedictae patriarchalis ecclesiae, nunc et pro tempore existentibus (quibus nuper ut ipsi hyemali cappam magnam rubeam cum pellibus armellinis, aestivo vero, temporibus, mozzettam similiter rubeam gestare et deferre valerent, concessimus et indulsimus), ut ipsi in posterum perpetuis futuris temporibus etiam subtanam seu vestem talarem rubeam; duodecim vero eiusdem patriarchalis ecclesiae beneficiatis, similiter nunc et pro tempore existentibus (quibus aliàs, antequam ecclesia praedicta in patriarchalem ecclesiam sic a nobis erecta fuisset, ut etiam ipsi hyemali cappam magnam violaceam cum pellibus cinericiis, aestivo autem, temporibus, loco pellium, cum fodere serico violacei coloris, etiam gestare et deferre possent, similiter concessimus et indulsimus), ut ipsi quoque etiam perpetuis futuris temporibus hyeme eamdem cappam magnam violaceam cum pellibus tamen armellinis, aestate vero vel eamdem cappam magnam vel mozzettam etiam violaceam cum fodere serico rubei coloris; capellanis autem amovibilibus (qui ad praesens numerum trigintaduorum non excedunt, etiamsi numerus huiusmodi in servitio dictae patriarchalis ecclesiae, arbitrio pro tempore existentis patriarchae Ulyssiponensis, creverit vel decreverit), ut etiam ipsi capellani amovibiles cappam magnam violaceam cum pellibus armellinis hyemali, aestivo vero, temporibus, vel eamdem cappam magnam vel mozzettam etiam violaceam cum simili fodere serico eiusdem coloris rubei, tam in choro quam extra illum, ac etiam processionibus omnibusque aliis actibus capitularibus, tam publicis quam privatis, ac etiam in praesentiâ quorumcumque archiepiscoporum et episcoporum, ac pro tempore existentis patriarchae Ulyssiponensis, ac nostrorum et Sedis Apostolicae nunciorum, nec non venerabi-

Novorum indultorum concessio.

1 Edit. Main. legit *promanaverit* (R. T.).

lium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, etiam de latere legatorum, et aliorum quorumcumque quavis auctoritate et potestate fungentium ac honore et praeeminentiâ fulgentium, respective gestare et deferre, illisque uti libere et licite possint et valeant, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Clausulae amplissimae et particulares.

§ 2. Ac dignitates et canonicos, necnon beneficiatos et capellanos eiusdem patriarchalis ecclesiae nunc et pro tempore existentes, super gestatione et delatione vestium, capparum et mozzettarum huiusmodi, per quaecumque capitula quarumcumque aliarum ecclesiarum episcopalium, archiepiscopalium vel primatialium, et quasvis personas, quavis auctoritate, dignitate et praeeminentiâ praeditas, quovis praetextu, colore vel ingenio, publice vel occulte, directe vel indirecte, impediri, molestari, inquietari vel perturbari nullatenus posse, neque debere; praesentes quoque semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos quomodolibet nunc spectat et spectabit in futurum, firmiter et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore, ex quocumque capite vel qualibet causâ, quantumvis legitimâ et iuridicâ, etiam ex eo quod capitula cathedralium et collegiatarum ecclesiarum quarumlibet, earumque dignitates et canonici, vel quilibet alii, cuiuscumque dignitatis, gradus, conditionis et praeeminentiae sint, in praemissis et circa ea quomodolibet, et ex quavis causâ, ratione, actione vel occasione, ius vel interesse habentes aut habere praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi fuerint, et causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis seu invaliditatis vel intentionis nostrae aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, inexcogitabili ac specificam et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione vel causâ, etiam in corpore iuris clausâ, occasione aliâve causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret[1], aut quod de voluntate nostrâ et aliis superius expressis nullibi appareret seu aliàs probari posset, notari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu simili concesso aut impetrato vel emanato uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, et Sedem Apostolicam, etiam motu pari, et consistorialiter, ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum

1 Edit. Main. legit *forent* (R. T.).

tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi de eisdem praesentibus earumque toto tenore ac datâ specialis mentio fiat, pro tempore factis et faciendis, ac concessis et concedendis, minime comprehendi, sed tamquam ad maius divini cultus augmentum semper et omnino ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per nunc et pro tempore existentes dignitates, canonicos, beneficiatos et capellanos dictae patriarchalis ecclesiae quandocumque eligendâ concessas esse et fore, sicque et non aliâs per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictae sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativâ et privilegio fungentes, ac honore et praeeminentiâ fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque iudicio et in quacumque instantiâ iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Deputatio executorum.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus nostris modernis et pro tempore existentibus Elvensi, Algarbiensi et Mirandensi, eisque deficientibus seu impeditis, Angolensi et Lamacensi episcopis per easdem praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dignitatum, canonicorum, beneficiatorum et capellanorum praedictorum aut alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos nunc spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, necnon eosdem modernos ac pro tempore existentes dignitates, canonicos, beneficiatos et capellanos praedictos illis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos aut eorum aliquem desuper quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio. Nos enim modernis et pro tempore existentibus Elvensi, Algarbiensi et Mirandensi, eisque deficientibus seu impeditis, Angolensi et Lamacensi episcopis praedictis, et eorum cuilibet, quoscumque molestatores, perturbatores, contradictores et rebelles, etiam per edictum publicum, constito summarie de non tuto accessu, citandi, eisque, et quoties inhibendum fuerit, etiam per simile edictum, quoad primates, archiepiscopos et episcopos sub interdicti ingressus ecclesiae, quo vero ad alios inferiores etiam sub censuris ecclesiasticis et etiam pecuniariis eorum arbitrio imponendis, moderandis et applicandis poenis, inhibendi, necnon eos, quos censuras et poenas praedictas incurrisse constiterit, eas incurrisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarandi, ac legitimis, super litteris habendis, servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus

aggravandi, reaggravandi et interdicendi, plenam et liberam, motu, scientiâ, auctoritate et tenore praemissis, concedimus facultatem.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, quibusvis legibus, statutis, stylis, consuetudinibus et prohibitionibus, si quae forsan adsint de gratiis ad instar non concedendis, ac de vestibus rubeis non deferendis, ac etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae patriarchalis aliarumque ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque superioribus et personis, ac locis quibuscumque, etiam speciali, specificâ, expressâ et individuâ mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu pari, ac consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium eorumdem praemissorum concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, etiamsi in eis caveatur expresse quod illis per quascumque litteras apostolicas etiam motu simili pro tempore concessas, quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes, derogari non possit, neque censeatur eis derogatum; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiamsi in eis caveatur expresse quod illis nullatenus aut nonnisi sub certis modo et formâ derogari possit, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime et plenissime, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, earumdem tenore praesentium, motu simili, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri motusproprii, ac absolutionis, concessionis, indulti, decreti, commissionis, mandati et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXVII, IV idus martii, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 12 martii 1717, pontif. anno XVII.

CCXLIV.

Confirmantur binae resolutiones capituli generalis Congregationis presbyterorum Piorum Operariorum de celebratione eiusdem capituli [1].

1 Constitutiones huius Congregationis confirmatae fuere a Gregorio XV const. ed. MDCXXI, die 1 aprilis, pontif. I, et ab Urbano VIII const. ed. MDCXXXIV, die 6 novembris, pontif. XII; huius Pontificis const. editâ MDCCXII, die 3 ianuarii, pontif. XII, concessa fuit ecclesia et collegium S. Mariae Montium de Urbe, et Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVI die 3 iunii, pontif. II, interdicitur omnibus sibi assumere nomen Piorum Operariorum.

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Resolutiones praefatae referuntur.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii praepositus et capitulum generale Congregationis presbyterorum Piorum Operariorum nuncupatorum, quod in eorum constitutionibus inter cetera potissimum ex cap. XX eruitur, quod capitulum dictae Congregationis singulis annis cogi, omniaque eiusdem Congregationis officia ad annum esse debeant; itidem in capitulo III earumdem constitutionum constituitur, quod in receptione vocalium omnes, qui decennale tyrocinium in ipsâ Congregatione laudabiliter expleverint, admittantur; et aliàs, prout praedictis constitutionibus, quae a felicis recordationis Gregorio XV et Urbano VIII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris apostolico munimine in formâ specificâ roboratae, atque ab eiusdem Congregationis initio hucusque servatae fuerunt, uberius asserunt contineri. Quoniam vero iampridem compertum fuit, praedictas ipsius Congregationis constitutiones, quae primum in civitate Neapolitanâ ortum habuit, et subinde quoque extra regnum adolevit, in eius exordio optime accomodatas, nunc aliquo modo progressum et bonum ipsius regimen impedire; ideoque anno proxime praeterito in capitulo generali statutum fuit ut idem capitulum futuris temporibus nonnisi triennio expleto celebraretur, dictaque officia deinceps triennalia forent, utque vocales ad numerum tricenarium reducerentur, ita ut in casu vacationis tantum alii iuxta formam praescriptam admittantur, prout in resolutionibus desuper habitis fusius asseritur etiam contineri. Porro, cum die XXIV mensis iulii proxime praeteriti, ad enixas preces dilecti filii moderni procuratoris generalis ipsius Congregationis, dictae duae resolutiones in infrascriptâ Congregatione cardinalium relatae fuissent, ipsa cardinalium Congregatio die XXV septembris dicti anni illas confirmandas esse censuit. Verum, quia quidam praedictae Congregationis Piorum Operariorum presbyteri, qui huic Congregationi ad praescriptum primitivae regulae nomen dederunt, eorum praeiudicium quoad restrictionem vocalium deduxerunt, praedicta resolutio ita moderata fuit, ut, sine illorum, qui memoratam Congregationem ante publicationem decreti huiusmodi ingressi fuerunt, praeiudicio, procederet. Sed adversus praedictas duas resolutiones nonnullis ex eisdem Piis Operariis reclamantibus negotium iterum ad eamdem Congregationem cardinalium deductum fuit, et partibus utrinque voce et scriptis acerrime informantibus, dicta Congregatio cardinalium stetit in decisis.

Confirmatio resolutionum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipsi exponentes, binas resolutiones huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, plurimum desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, binas resolutiones praedictas a memorato capitulo generali factas, ut praefertur, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apo-

stolicà, tenore praesentium, pro nunc confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvà tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, etc.[1].

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis Piorum Operariorum praedictorum, etiam iuramento, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 1 aprilis MDCCXVII, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 1 aprilis 1717, pontif. anno XVII.

CCXLV.

Confirmantur privilegia et decreta Congregationis episcoporum et regularium, ne quis vetet eleemosynam quaerere fratribus Discalceatorum sancti Francisci Strictioris Observantiae[3].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Expositio petitionis. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres Discalceati provinciae S. Iosephi Matritensis omniumque regnorum tam in Hispaniis quam conventuum ubique existentium Ordinis sancti Francisci Strictioris Observantiae nuncupati, quod ipsi privilegia eis a felicis recordationis Sixto PP. IV praedecessore nostro in § VIII Bullae aureae concessa, necnon decreta a Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositi pluries emanata ac ad alios regulares extensa, per quae decernitur quod fratres Ordinum Mendicantium ab Ordinariis locorum seu ab aliis regularibus prohiberi minime possint quin per se ipsos, in locis ubi habent conventus, eleemosynas quaerant, sed tantum, si extra loca, ubi conventus reperiuntur, quaeritare voluerint, suorum superiorum licentiam Ordinario ostendere teneantur, per nos confirmari plurimum desiderent. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii moderni procuratoris generalis dicti Ordinis super praemissis ad eosdem cardinales transmissam viderunt, consilio, privilegia et decreta supra recensita et respective extensa, auctoritate apostolicà, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvà tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis cardinalium. Confirmat ut in rubrica.

1 Reliqua ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

2 Reliqua ut ibid. (R. T.)

3 Innocentii XII const. ed. MDCXCVII, die 4 maii, pontif. VI, declarata fuere quaedam privilegia fratrum Strictioris Observantiae; Benedicti XIII const. ed. MDCCXXV, die 10 decembris pontif. II, confirmantur privilegia Mendicantium, et const ed. MDCCXXVII, die 20 septembris, pontif. IV, provinciae reformatae Vallis de Mazzara conceditur receptio eleemosynae pro missis.

Clausulae.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes etc.[1].

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, etc.[2].

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die VIII iulii MDCCXVII, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 8 iulii 1715, pontif. anno XVII.

CCXLVI.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de divisione provinciae S. Ioannis Evangelistae insularum Azzorum et Terseirae fratrum Minorum de Observantiâ[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Causae plures dividendi dictam provinciam.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum modernorum ministri provincialis atque definitoris, omniumque fratrum provinciae S. Ioannis Evangelistae insularum Azzorum et Terseirae respective nuncupatarum, aliarumque insularum maris Oceani temporali ditioni carissimi in Christo filii nostri Ioannis Portugalliae et Algarbiorum regis illustris subiectarum, Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod praedicta provincia, magno conventuum et religiosorum numero abundans, quippe quae, ultra parvos conventus, seu hospitia, oratoria et monasteria monialium, quae retinebat, ab aliis septemdecim conspicuis conventibus constituebatur, et quingentos et ultra religiosos numerabat, difficillime et non sine magno eiusdem provinciae praeiudicio ac deplorabili regularis observantiae discrimine et relaxatione ab uno tantum ministro provinciali regi, gubernari et visitari poterat, nam, cum praedictae insulae et signanter supradicta de Terseira aliaequae adiacentes adeo longâ maris intercapedine ab aliis insulis Azzorum disiungerentur ut minister provincialis pro tempore existens pro explendâ visitatione de conventu ad conventum iter aliquando centum quadraginta leucarum per mare Oceanum aggredi opus haberet, hinc eveniebat quod aut nunquam aut raro omnium et singulorum conventuum visitatio per illum compleri valebat, et, si aliquando aliquis, ob disciplinae regularis zelum, in tam vastum pelagum se committere ausus fuerat, saepe saepius zelum suum sibi exitialem expertus fuerat, nam aut vorticibus absorptus, aut a pyratis deprehensus, nullam utilitatem, sed sibi exitium, provinciae luctum, et subsequentibus ministris provincialibus exemplum ne similia tentarent, induxerat; quinimo nedum minister provincialis, sed quamplures etiam alii religiosi, dum de insulâ in magis distantem insulam, vigore obedientiae, aut ob exercenda religionis officia, transfretaverant, consimilia infortunia passi fuerant, nam aut perierant in mari, aut pyratarum Algerinorum mancipia evaserant; his etiam accedebant innatae animorum aversiones et antipathiae, quibus religiosi nationales alii alios inse-

1 Ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

2 Ut supra ibid. (R. T.).

1 Innocentii XII const. ed. MDCC, die 10 iulii, pontif. IX, confirmata fuit alternativa in dictâ provinciâ; in huius Pontificis const. ed. MDCCXII, die 23 decembris, pontif. XIII, revocata fuit dismembratio coenobiorum a provinciâ Neapolis fratrum Discalceatorum; et Innocentii XIII const. ed. MDCCXXII, die 22 iunii, pontif. II, extat commissio nuncio Neapolis super dictâ dismembratione.

ctabantur, unde mutua discrimina et continuae dissensiones inter religiosos insularum S. Michaëlis et S. Mariae unam nationem, ac alios insulae Terseirae reliquarumque adiacentium aliam factionem[1] respective constituentes dimanabant, adeoque huiusmodi dissidia ita excreverant, ut, miscentibus sese illis etiam saecularibus utriusque nationis, tantum scandalis non obruta fuisset, dum prae ceteris conventus dictarum duarum insularum S. Michaëlis et S. Mariae ab eodem ministro provinciali, qui ex praedictâ insulâ Terseira fuerat, se subtraxerant, utque magis illa non exardescerent, minister generalis dicti Ordinis dictam perniciosissimam rebellionem mediante deputatione unius commissarii cum iurisdictione et superioritate in eosdem conventus tolerare coactus fuerat: ideoque, ut tot praeiudicia, incommoda et scandala praefatae provinciae de medio tollerentur, ac in illâ debita quies et regularis disciplina restituerentur, debitumque gubernium per superiores exerceri valeret, pro parte eorumdem exponentium eidem Congregationi cardinalium supplicato ut illam scindere et separare, constituendo quidem ex decem conventibus et aliis exiguis domibus, seu oratoriis, vel hospitiis, ac monasteriis monialium, quae sunt in insulâ praefatâ de Terseira, et aliis quinque adiacentibus, cum tercentorum viginti religiosorum numero, unam provinciam cum retentione eiusdem nominis provinciae S. Ioannis Evangelistae, ac cum eodem sigillo, titulis et praerogativis, quibus a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro erecta fuerat; ex aliis vero septem conventibus, cum eorum hospitiis, monasteriis monialium, et aliis parvis conventibus, si qui in duabus insulis S. Mariae et S. Michaëlis essent, unam custodiam sub titulo et denominatione custodiae Conceptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae insulae eiusdem S. Michaëlis, ab uno custode et duobus definitoribus regendam et gubernandam, quae dilecto etiam filio moderno et pro tempore existenti ministro generali subiecta esse deberet, concurrente in id praedicti Ioannis regis beneplacito, erigere et creare dignaretur: emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris sequentis, videlicet:

Decretum sacrae Congregationis approbans recensitam divisionem.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster supplicem hunc libellum benigne remisit, visis relatione patris procuratoris generalis Ordinis ac iuribus deductis, reque mature perpensâ, referente eminentissimo de Abdua, oratorum precibus indulsit iuxta petita. — Romae, xv ianuarii MDCCXVII. — F. cardinalis DE ABDUA — R. archiepiscopus Damascenus, secret. — *L.* † *S.*

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte ministri provincialis definitoris ceterorumque fratrum praedictorum nobis subinde expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et

1 Forsan *nationem* (R. T.).

approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, etc.[1].

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII iulii MDCCXVII, pontificatus nostri an. XVII.

Dat. die 8 iulii 1717, pontif. anno XVII.

CCXLVII.

Confirmatur decretum delegati apostolici de distributione orationis Quadraginta Horarum inter ecclesias patriarchalem et metropolitanam aliasque Ulyssiponenses[3].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a zelo, ut pax inter ecclesiasticas potissimum personas conservetur. Regis pacifici vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, inter cetera cordis nostri desiderabilia illud sinceris semper exoptamus affectibus, ut christifideles, praesertim patriarchali dignitate insigniti, aliaeque dignitates et canonicatus in archiepiscopalibus ecclesiis pro tempore obtinentes, iuxta eorum dignitatem aut gradum divinis obsequiis famulantes, vota sua in pacis amoenitate Altissimo reddant, ac unanimes et uno ore Deum glorificent. Quapropter, si quae, pro litibus et controversiis, inter eos, superseminante humani generis hoste zizania, exortis, extirpandis penitusque evellendis, simulque pro conservatione iurium et praeeminentiarum ad favorem patriarchalium ecclesiarum iuxta pia catholicorum regum vota per nostras litteras concessarum, ab ecclesiarum praelatis earumdem litterarum exequutoribus facta fuisse comperimus, illa, ne in recidivae contentionis et controversiae vitium denuo prolabantur, apostolicae nostrae confirmationis munimine roboramus, ac aliàs desuper pastoralis officii nostri partes, quantum nobis ex alto conceditur, sedulo impendimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Epitome constitutionum Clementis XI quibus concessa fuit indulgentia plenaria pro ecclesiae Ulyssiponensi tempore dictae orationis; et civitas divisa in duas partes, quarum una pro archiepiscopali, altera vero pro patriarchali ecclesiâ.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte venerabilis fratris moderni patriarchae Ulyssiponensis occidentalis petitio continebat, quod aliàs nos omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui in quacumque ecclesiâ civitatis Ulyssiponensis, ubi oratio Quadraginta Horarum, ad instar illius quae ex institutione felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri in almâ Urbe nostrâ Româ assidue celebratur, indicta fuisset, et devote eo temporis spatio, quod illis commodum visum fuisset, orassent, plenariam peccatorum suorum indulgentiam concessimus, prout in litteris apostolicis in formâ Brevis sub annulo Piscatoris, die XXIV mensis augusti anni Domini MDCCXVI, pontificatus nostri anno XVI, expeditis, plenius contineri dicitur: deinde vero nos, ex iustis et rationabilibus causis moti, ac quemadmodum pia carissimi in Christo filii nostri Ioannis Portugalliae et Algarbiorum re-

1 Ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

2 Ut supra ibid. (R. T.).

3 Constit. edit. MDCCXVII, die 24 augusti, pontif. XVI, concessa fuit indulgentia plenaria tempore dictae orationis; constit. edit. MDCCXVII, die 12 martii, pontif. XVII, ampliata fuere privilegia dictae ecclesiae patriarchalis; et Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXIV, die XX iulii, pontif. I, conceditur altare privilegiatum omnibus Ordinariis.

gis illustris vota exoptabant, civitatem et dioecesim Ulyssiponensem in duas partes divisimus, et unam civitatis et dioecesis Ulyssiponensis divisarum huiusmodi partem versus orientem antiquo archiepiscopatui Ulyssiponensi in posterum orientali nuncupando reliquimus; in alterâ vero earumdem civitatis et dioecesis ut praemittitur divisarum parte versus occidentem patriarchalem ecclesiam Ulyssiponensem occidentalem nuncupandam ereximus; ac patriarchali ecclesiae praedictae sic erectae alteram civitatis et dioecesis divisarum huiusmodi partem versus occidentem assignavimus, illiusque patriarchae, dignitatibus, ac capitulo, et canonicis, pro tempore existentibus, plura privilegia pluresque praerogativas ac praeeminentias, super omnia capitula omnesque etiam primatiales, archiepiscopales et episcopales ecclesias regni Portugalliae, concessimus, prout in aliis etiam nostris litteris in formâ nostri motusproprii sub datum apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXVI, VII idus novembris, pontificatus nostri anno XVI, sub Bullâ aureâ expeditis, in quibus pro illarum executione venerabiles fratres Elvensis, Algarbiensis et Mirandensis episcopi deputati fuerunt, etiam plenius contineri dicitur. Cumque postmodum, dum ultimodictae litterae a praedicto episcopo Algarbiensi, cui praesentatae fuerant, exequutioni demandabantur, attentâ divisione civitatis praedictae, orta fuerit controversia, in qua ex duabus ecclesiis, patriarchali scilicet Ulyssiponensi occidentali et archiepiscopali Ulyssiponensi orientali, supradicta oratio Quadraginta Horarum celebrari et indici deberet, et in tabulâ typis demandandâ, in qua omnes ecclesiae utriusque partis civitatis divisae huiusmodi, in quibus praedicta oratio celebrari debeat, describendae erant, an[1] primo loco poni deberet dicta ecclesia patriarchalis Ulyssiponensis occidentalis vel potius praedicta ecclesia archiepiscopalis Ulyssiponensis orientalis, idem episcopus Algarbiensis, tam dicto patriarcha Ulyssiponensi occidentali, quam capitulo et canonicis ecclesiae archiepiscopalis Ulyssiponensis orientalis, illius sede archiepiscopali vacante, legitime intimatis, eisque, mediantibus eorum legitimis procuratoribus, auditis, et consideratis utriusque partis rationibus et fundamentis, decrevit, statuit et declaravit, ut praedicta oratio Quadraginta Horarum incipere deberet a dictâ patriarchali ecclesiâ Ulyssiponensi occidentali, et, dum inibi completa fuisset, subsequenter in archiepiscopali ecclesiâ Ulyssiponensi orientali praedictâ celebraretur, in ceteris vero ecclesiis utriusque partis civitatis divisae huiusmodi oratio praedicta iuxta distributionem earumdem ecclesiarum ab officiali patriarchae Ulyssiponensis occidentalis ac a vicario capitulari ecclesiae Ulyssiponensis orientalis concorditer faciendam, etiam fieri et adimpleri deberet, prout in decreto ab eodem episcopo Algarbiensi desuper facto, tenoris prout sequitur:

Decretum delegati apostolici pro ecclesia patriarchali, in quo etiam committitur praedictarum ecclesiarum vicario distributio reliquarum ecclesiarum.

Perpensis rationibus, quae tam ex parte patriarchalis quam Ulyssiponensis orientalis ecclesiarum adductae fuerunt super dubiis continuationis Quadraginta Horarum orationis emanantibus a divisione antiqui huius archiepiscopatus et ex motuproprio Sanctitatis Suae super eâdem divisione, perspecto ad nos spectare illa omnia decidere et absolvere, expressumque esse in eodem motuproprio ut in omni peculiari casu, et ubi se offerat occasio, semper mitra seu ecclesia patriarchalis sit praeferenda Ulyssiponensi orientali ecclesiae, neque posse in mentem Sanctitatis Suae cadere, quod, pro huius civitatis divisione, eius

1 Edit. Main. legit *ac* pro *an* (R. T.).

catholicos fideles orbare velit gratiis et indulgentiis in indulto memoratarum Quadraginta Horarum contentis; illud etenim est impertite[1] indistincte pro omnium beneficio, a cuius comprehensione illos iuxta iuris regulas non excludit futurae separationis et divisionis civitatis eventus; quoniam personae, quibus concessa fuit gratia, adhuc insimul omnes commorantur, seu sunt membra illius corporis, quod Sanctitas Sua, praedictam concessionem elargiendo, in mentem habuit, quamvis per accidens subiectum inveniatur alii iurisdictioni: quamobrem edicimus ut in catalogo in lucem edi solito primum recenseatur sancta patriarchalis ecclesia, ut ab illâ supramemorata Quadraginta Horarum oratio incipere debeat dominicâ paschatis Pentecostes, quae erit decimasexta currentis maii, dies in qua dandum est initium catalogo noviter edendo; et elapsis solitis horis, in quibus sacratissimum Christi Corpus est exponendum in dictâ parochiali ecclesiâ, quae enumerari debent a meridie dominicae Paschatis usque ad eamdem horam subsequentis feriae tertiae, tunc exponetur cum eodem iubilaeo in cathedrali Ulyssiponensi orientali; et ita decernimus ut adimpleat et adimplere faciat reverendum capitulum eiusdem orientalis ecclesiae, sub poenâ, ni ita exequatur, solvendi ex suâ capitulari mensâ quingentos nummos aureos Camerae Apostolicae pro expensis belli contra Turcas: item, quoad distributionem seu designationem aliarum ecclesiarum, ut ex utrâque parte conveniant reverendi vicarii generales, ac inter se statuant formam et modum, qui servari debeat, sub poenâ, nisi ita unusquisque illorum perpetret, nos decreturos et dispositurosque esse dictam designationem, sicuti nobis expedire videbitur, ne huiusmodi spirituali bono priventur dicti catholici fideles quibus concessum fuit, et quo sine iustissimâ causâ illos privare nequeunt eorum Ordinarii: et huic formae standum ex utrâque parte decernimus. — Ulyssipone occidentali, XIV maii MDCCXVII. — IOSEPHUS episcopus Algarbiensis:

plenius continetur.

1 Videtur legendum *impertitum* (R. T.).

Confirmatio amplissima praefati decreti, cum extinctione litis et impositione silentii.

§ 2. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus patriarcha Ulyssiponensis occidentalis, pro maiori subsistentiâ firmiorique observantiâ omnium et singulorum in praedicto decreto contentorum, necnon conservatione iurium et praeeminentiarum dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, plurimum cupiat decretum praedictum, cum omnibus et singulis in eo contentis et expressis, omniaque et singula in vim dicti decreti subsequuta, per nos et Sedem Apostolicam confirmari: nos igitur, qui privilegia et indulta, praesertim vero circa praeeminentiam et superioritatem, aliàs a nobis eidem patriarchali ecclesiae concessa, conservare et promovere, ac pacem et tranquillitatem inter quoslibet christifideles ac praesertim ecclesiasticas personas confovere sinceris desideramus affectibus, eumdem patriarcham Ulyssiponensem occidentalem specialis gratiae favore prosequi volentes, necnon a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum tantum praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, controversiamque praedictam ad nos avocantes, illamque penitus et omnino extinguentes, omnibus et singulis personis, cuiuscumque dignitatis et qualitatis, et speciali notâ dignis, super eâdem controversiâ perpetuum silentium imponimus, ac bene per dictum episcopum Algarbiensem decretum fuisse declaramus, necnon decretum huiusmodi, ab eo sic ut praemittitur factum et promulgatum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae

firmitatis robur adiicimus, ac a capitulo et canonicis dictae ecclesiae archiepiscopalis Ulyssiponensis orientalis et aliis quibuscumque et quavis auctoritate et potestate fungentibus observari debere, ipsosque ad eiusdem decreti observantiam teneri et obligatos esse et fore, nec contra illud aliquid fieri, innovari seu attentari sub quovis colore vel praetextu, nec capitulum et canonicos dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis ex praedictâ aliisque de causis per capitulum et canonicos praedictae ecclesiae archiepiscopalis Ulyssiponensis orientalis imposterum indebite inquietari, molestari et perturbari posse, praemissaque omnia et singula ac easdem praesentes validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac a capitulo et canonicis dictae archiepiscopalis ecclesiae Ulyssiponensis orientalis, aliisque quibuscumque, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari et adimpleri, sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, et causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, et de latere legatos, vicelegatos, ac nostrum etiam Sedis Apostolicae modernum pro tempore existentem nuncium in regno Portugalliae commorantem, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non stylis, usibus et consuetudinibus forsan aliàs observatis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, ac pluries confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores etiamsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum validissimum effectum hac vice dumtaxat et harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI iulii MDCCXVII, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 11 iulii 1717, pontif. anno XVII.

CCXLVIII.

Conceditur translatio indulgentiae plenariae perpetuae in festo S. Scholasticae in diem translationis festi pro Congregatione monachorum Bursfeldensium in Germaniâ [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Petitio et causae concessionis.

§ 1. Cum dudum felicis recordationis Clemens Papa X, praedecessor noster, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque monasteriorum tam monachorum quam monialium regulam S. Benedicti profitentium eâtenus erectis et imposterum quandocumque erigendis, ac ubicumque

1 Haec indulgentia concessa fuit a Clemente X const. ed. MDCLXXI, die 19 decembris, pontif. II; eadem translatio permissa fuit in festo S. Benedicti ab Innocentio XI constit. ed. MDCLXXIX, die 26 septembris, pontif. III.

locorum existentibus, die festo S. Scholasticae, sororis eiusdem S. Benedicti, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, annis singulis, devote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concesserit, prout in ipsius Clementis praedecessoris litteris die XIX decembris MDCLXXI expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur; et, sicut pro parte dilectorum filiorum monachorum Congregationis Bursfeldensis in Germaniâ Ordinis S. Benedicti nobis nuper expositum fuit, festum eiusdem S. Scholasticae, quod die X februarii celebratur, aliquando in aliquam ex dominicis sive Septuagesimae, Sexagesimae Quinquagesimae et Quadragesimae, vel in diem Cinerum incidat, eâque de causâ in alium diem transferatur; ac propterea dicti exponentes opportune super hoc a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desiderent: nos, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut quandocumque memoratum festum S. Scholasticae ex causâ praenarratâ ad alium diem transferatur, christifideles praedicti, qui aliquam ex ecclesiis supradictae Congregationis Bursfeldensis, eo die ad quem translatio huiusmodi facta fuerit, devote pariter visitaverint, ceteraque omnia in litteris praedictis praescripta adimpleverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, a praefato Clemente praedecessore sicut praemittitur concessam, consequantur, in omnibus et per omnia, perinde ac si praemissa omnia in ipso festo non translato adimplevissent, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, in perpetuum concedimus et indulgemus.

Concessio ut in rubricâ.

§ 2. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum tramsumptis, etc.[1].

Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI iulii MDCCXVII, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 31 iulii 1717, pontif. anno XVII.

CCXLVIII.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua in festo S. Raymundi de Peñafort et Petri Nolasci pro ecclesiis Ordinis B. M. de Mercede[2].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Iniunctae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio postulat, ut caelestium

Exordium

1 Reliqua ut pag. 704 *a* (B. T.).

2 In Alexandri VIII const. ed. MDCXC, die 28 iulii, pontif. I, extat communicatio privilegiorum et indulgentiarum aliorum regularium; et Benedicti XIII constit. ed. MDCCXXVIII, die 14 iulii, pontif. V, confirmatur cultus immemorabilis B. Serapioni exhibito.

munerum thesauros dispensationi nostrae a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris Sanctorum in caelis cum Christo regnantium venerationem, excitandamque et confovendam erga illos fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum.

Concessio praedictae indulgentiae ob preces procuratoris generalis.

§ 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni procuratoris generalis Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex quorumcumque conventuum dicti Ordinis, tam hactenus erectis quam in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, die festo S. Raymundi de Peñafort, eiusdem Ordinis unâ cum S. Petro Nolasco fundatoris, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, annis singulis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae.

§ 2. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV augusti MDCCXVII, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 4 augusti 1717, pontif. anno XVII.

1 Reliqua ut supra pag. 704 *a* (R. T.).

CCL.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de suffragio exprovincialium, exzelosorum et excollegarum Ordinis S. Francisci de Paula [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Decreta capitulorum generalium.

§ 1. Aliàs pro parte dilecti filii Bertrandi Monsinat procuratoris generalis Ordinis fratrum S. Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum nobis exposito, quod in comitiis generalibus dicti Ordinis anno MDCCIII Massiliae coactis pro feliciori Ordinis huiusmodi regimine omnibus vocalibus visum fuerat necessarium porrigere nobis supplicationem, quatenus cuilibet exprovinciali nullâ sententiâ irretito vocem in omnibus capitulis tam provincialibus quam definitoriis, etiam in casu mortis seu depositionis aut renunciationis, concedere dignaremur; quod quidem propositum, tamquam divinae gloriae incremento, regularis observiae nervo, ac virorum insignium promotioni proficuum, fratres pro celebratione capituli generalis eiusdem Ordinis Valentiae novissime congregati nedum laudaverant, sed etiam, post maturam et accuratam rei inquisitionem, illud idem privilegium pari ratione ad fratres exzelosos et excollegas generales eiusdem Ordinis unanimi consensione extendendum esse iudicaverant: nos supplicem libellum nobis super praemissis porrectum, ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam remisimus; dicta vero Congregatio decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet:

1 Const. ed. MDCCX, die 6 februarii, pontif. X, concessa fuit alternativa tripartita pro provinciâ Messanensi.

Decretum Congregationis anno MDCCXVII editum approbans statuta praedicta.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus Dominus noster supplicem hunc libellum remisit, visâ relatione patris correctoris generalis Ordinis, referente eminentissimo Gualterio, censuit ac decrevit suprascripta duo decreta capituli generalis esse confirmanda, prout praesentis decreti vigore confirmat. Non obstantibus constitutionibus ipsius Ordinis, ac aliis quibuscumque in contrarium facientibus, etc. — Romae XXX iulii MDCCXVII — F. cardinalis De ABDUA — I. archiepiscopus Damascenus.

Confirmatio Pontificis.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Bertrandus prior generalis tam suo quam totius Ordinis huiusmodi nomine nobis denuo nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum Bertrandum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras etc. [1].

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, etc. [1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII augusti MDCCXVII, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 12 augusti 1717, pontif. anno XVII.

1 Clausulae ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

1 Ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

CCLI.

Conceditur facultas eligendi commissarios visitatores ex eâdem provinciâ pro provinciâ Conceptionis B. M. fluminis Ianuarii fratrum Minorum de Observantiâ Reformatorum [2].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Expositio motivorum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antonius a Plagis, procurator provinciae Conceptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae fluminis Ianuarii Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, quod aliàs quondam Petrus Marinus Sormanus, dum vixit, minister generalis dicti Ordinis, incommodis, expensis, gravissimisque molestiis, quae ex deputatione commissariorum europaeorum, ad visitandas personas [3] et S. Antonii Bahiensis eiusdem Ordinis provincias in Brasiliâ earumque capitulis praesidendum mitti solitorum, proveniebant, simulque vagationibus fratrum, qui

2 De huiusmodi commissariis vide Innocentii XI const. infra citatas; in huius Pontificis const. ed. MDCCXVII, die 25 ianuarii, pontif. XVII, confirmatae fuere litterae de visitatore provinciae Chitensis; const. ed. MDCCXVII, die 20 augusti, pontif. XVII, revocantur indulta personalia concessa dictae provinciae Conceptionis et S. Antonii; et Benedicti XIII const. ed. MDCCXXIV, die 20 decembris, pontif. I, agitur de visitatore provinciae Assumptionis B. M. Tucumanis.

3 Legerem *praedictam* sc. *provinciam* (R.T.).

propter causas appellationum longissimis itineribus se committere cogebantur, opportunis rationibus occurrere volens, nonnullas ordinationes in dictis provinciis servandas fecit per quasdam suas patentes litteras die XXIX martii MDCLXXXII expeditas, per quas praecepit ne imposterum ad dictas provincias commissarii visitatores europaei mitti, sed ipsi ex eisdemmet provinciis assumi deberent modo sequenti, nempe ut in quolibet capitulo provinciali secundodictae provinciae S. Antonii novum definitorium tres religiosos ex primodictâ provinciâ Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae in commissarios visitatores eiusdem provinciae S. Antonii eligeret, eorumque nominatio ad dictum ministrum generalem, datâ primâ occasione discessûs alicuius navis ad partes europaeas, sub poenâ suspensionis a divinis, tam a ministro provinciali quam ab aliis, qui praemissa neglexissent, incurrendâ, mitteretur, itaut visitatores commissarii unius provinciae ex aliâ reciperentur; et aliàs, prout in praedictis litteris patentibus, per quasdam felicis recordationis Innocentii PP. XI die XIII[1] maii dicti anni desuper in simili formâ Brevis expeditas confirmatis, uberius dicitur contineri. Postmodum vero, cum quondam Philippus a Matre Dei, procurator dictae provinciae S. Antonii, bonae memoriae Alderano, dum vixit, episcopo Ostiensi S. R. E. cardinali Cybo nuncupato, tunc dicti Ordinis apud Sedem Apostolicam protectori, exposuisset, quod dicti commissarii visitatores, sive ex Portugalliae sive ex fluminis Ianuarii provinciis huiusmodi selecti fuerant, ex se ob magnam distantiam commissum sibi munus minime adimplere poterant, ipse Alderanus episcopus cardinalis et protector, de consensu et approbatione definitorii generalis et ministri generalis praedicti Ordinis, die XI augusti MDCLXXXVIII per suum decretum praecepit et mandavit, ut de cetero in capitulis provincialibus praedictae provinciae S. Antonii tres religiosi seligi possent, iisque[1] ministris vel commissariis generalibus pro tempore existentibus proponi deberent, ad hoc ut unum ex his in commissarium visitatorem eiusdem provinciae constituerent et deputarent, et, in defectum primi, alterum subrogarent, quam quidem deputationem ad eamdem provinciam quamprimum remittere deberent ad hoc ut commissarius visitator intra tempus a constitutionibus Ordinis huiusmodi praescriptum visitationem assumere et complere posset; et aliàs, prout in eiusdem Alderani episcopi cardinalis et protectoris decreto ac litteris apostolicis in simili formâ Brevis die XXVIII eiusdem mensis augusti super illius confirmatione emanatis, quorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Sicque praedicta provincia S. Antonii hucusque gubernata fuit.

Concessio dictae facultatis pro provincia Fluminis Ianuarii.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, memoratus Antonius procurator, quo praedictis inordinationibus, quibus dicta provincia sua de praesenti obnoxia reperitur, occurrere valeat, praedictae suae provinciae eamdem facultatem, quae provinciae S. Antonii concessa fuit, a nobis concedi plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut in infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsius Antonii procuratoris votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excom-

1 Male edit. Main. legit 3 (R. T.).

1 Potius lege *iique* (R. T.).

municationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationes iam defuncti procuratoris generalis et dilecti filii moderni vice-prioris generalis dicti Ordinis Discalceatorum et Recollectorum super eisdem praemissis dictis cardinalibus factas audiverunt, consilio, fratribus definitorii primodictae provinciae facultatem eligendi in eorum capitulis provincialibus tres religiosos benemeritos, et quos magis idoneos iudicaverint, eosque ministris vel commissariis generalibus pro tempore existentibus proponendi, ad hoc ut ex iis tribus unum commissarium visitatorem eiusdem provinciae constituant et deputent, et, in defectum primi, alterum subrogent, ac deputationem ad eamdem provinciam quamprimum remittere debeant ut commissarius visitator intra tempus a constitutionibus praescriptum visitationem assumere et complere possit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, etc.[1].

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII septembris MDCCXVII, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 7 septembris 1717, pontif. anno XVII.

1 Reliqua ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

2 Reliqua ut ibid. (R. T.).

CCLII.

Confirmantur nova capitula regiminis civitatis Recineti[1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Paterna cura, quam de nostris et S.R.E. etiam quoad temporalia subditis gerimus, circa nos urget atque impellit, ut ea, quae pro felici civitatum et terrarum ditionis temporalis eiusdem Sedis regimine et gubernio provide constituta esse noscuntur, quo firma semper et illibata persistant, apostolici muniminis praesidio roboremus, ut in Domino salubriter expedire arbitramur.

Nova capitula in generali consilio approbata cum abrogatione antiquorum, ut infra. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas et homines ac regimen civitatis nostrae Recinetensis, quod, cum ipsi, ob rerum ac temporum varietatem, antiqua capitula, ad bussolum ipsius regiminis spectantia, quae aliàs, nempe usque ab anno MDCIII, a consilio tunc existente dictae civitatis facta fuerunt, provide removere existimassent, per quatuor deputatos, cum facultatibus necessariis et opportunis ad id electos, quaedam nova capitula de cetero servanda formari et stabiliri, illaque subinde in publico eiusdem civitatis consilio die XXII iunii

1 Antiqua capitula edita fuere anno MDCIII, et hac de re vide Alexandri VI const. ed. MCDXCIII, die 20 maii, pontif. I; Innocentii XII constit. ed. MDCXCVIII, die 9 augusti, pontif. VIII, reformantur constitutiones pro regimine civitatis Lauretanae; et Benedicti XIII constit. ed. MDCCXXV, die 12 decembris, pontif. II, extenditur quaedam constitutio ad ornatum civitatis Beneventanae spectans.

proxime praeteriti accurate examinari ac omnium suffragiis approbari curarunt, prout continetur in scripturâ desuper confectâ tenoris qui sequitur, videlicet:

In nomine Domini. Amen. Haec est copia, etc.

Novi capitoli ed ordini per lo reggimento della città di Recanati.

Causa et observantia eorum capitulorum.

Giacchè, variato il sistema delle cose, insorge la necessità di nuove disposizioni, mentre le diverse età richiedono diversi costumi, e le leggi, quali furono una volta necessarie per il buon ordine e maneggio de' pubblici interessi, cangiandosi i tempi, esigono ancor esse mutazione; si stabilisce che per benefizio del pubblico si osservino inviolabilmente nelle rinnovazioni del bussolo li seguenti capitoli, che dovranno per l'avvenire servire per regola, riservandosi l'approvazione della sacra Consulta, attesi gli ordini precedenti della medesima, che l'anno 1675 e l'anno 1690 ordinò che niente s'innovasse, per essere stati in quel tempo concepiti in forma totalmente innovativa e pregiudiziale, sì anche per maggior fermezza di essi, salva però sempre la facoltà che dallo statuto si dà al consiglio nel libro I, rubr. VIII, e lib. IV delle rifermanze, fol. 209.

De redditibus aggregandorum ad regimen.

I. Essendo convenevole che il gentiluomo possieda tanto quanto sia sufficiente per mantenere decentemente il suo grado, li signori di magistrato non possano nè debbano proporre per aggregare al reggimento alcuno de'nostri cittadini o forastieri (gli antenati de'quali per linea paterna non vi sono mai stati aggregati, che siano però nati di legittimo matrimonio, onorati, che siano vissuti e vivano civilmente, e che supplichino *in scriptis* di esservi ammessi, sottoscritta la supplica di proprio carattere in forma autentica), se prima non si proverà che possieda in beni stabili e fruttiferi, in censi o in simili capitali, il valore tutto suo libero almeno di scudi duemila nel nostro territorio, o altrove, non compresovi il valore della casa della sua propria abitazione, quando questa sia di sua propria ragione, e detratti i debiti ed ipoteche: dichiarandosi però, che quando la medesima casa è capace non solo da abitarsi dal padrone, ma che, oltre il bisogno di esso, potesse anche affittarsene una parte, in tal caso quella porzione, che potrà affittarsi, debba computarsi nel capitale delli suddetti scudi duemila a giudizio de'periti, come anche debba computarsi in simile capitale la dote, quando questa fosse pingue, in maniera tale, che nel caso della restituzione, con il lucro dotale, resti sempre a favore dell'aggregando il predetto capitale di scudi duemila, ed inoltre paghi per la sua ammissione scudi duecento di moneta romana, da erogarsi in pubblico benefizio a disposizione ed arbitrio del generale consiglio, a cui però rimanga sempre la libertà d'aggregazione di quei soggetti, che per giusti motivi fossero giudicati meritevoli, senza lo sborso predetto.

De artibus eisdem permissis.

II. Non possa il magistrato proporre quelli di qualunque famiglia, si aggregata che da aggregarsi, quali esercitassero arti vili e meccaniche, che secondo il *ius* comune derogano alla nobiltà che porta seco il nostro reggimento, e se l'esercitassero dopo la loro ammissione, restino *ipso iure et ipso facto* senz'altra dichiarazione rasi e cassi dal reggimento; preceduta però monizione del generale consiglio per atto pubblico e rogito del nostro segretario, ovvero che tale unica monizione venga fatta per ordine del magistrato *pro tempore* residente, assegnandosi a chi contravenisse a quest'ordine il termine di giorni quindici ad emendarsi; nel bussolo però sussequente si possano proporre in loro luogo i di loro figli, quando non avessero anch'essi il medesimo ostacolo, nel qual caso militi l'istessa disposizione per l'inabilitazione come sopra: conforme anche si possano proporre i di lui più prossimi parenti dalla linea paterna, ma con le medesime circostanze e cautele che si contengono in questo e nell'antecedente capitolo: non siano però compresi in questo divieto quelli che avessero esercitato o esercitassero la mercatura nella maniera e forma permessa dalla santa memoria di Cle-

mente Papa X, giacchè in tal modo non rimane pregiudicata la loro nobiltà.

De numero consiliariorum.

III. Che il numero de'consiglieri non possa essere minore di sessanta, a fine di potere con facilità adunare i consigli per i pubblici interessi in numero sufficiente di trenta; resti però in arbitrio e libertà del medesimo consiglio di augumentare il sopraddetto numero di sessanta per giusti motivi che a ciò l'inducessero, senza però pregiudizio delle famiglie presentemente aggregate.

De doctoribus magistratibus adscribendis.

IV. Sebbene i dottori delle famiglie che sono ammesse non sono stati per ragione del loro dottorato capaci di godere di questo magistrato per le proibizioni antiche che vi erano, ad ogni modo che in avvenire anche loro possano ammettersi, giacchè per li maneggi de' pubblici interessi possono i medesimi considerarsi con fondamento più che idonei.

De adscribendorum onere.

V. Ed acciocchè le cose passino con quiete, e quelli che tenteranno d'essere ammessi di reggimento, o che saranno ammessi per altra via che per la forma sopra espressa e da esprimersi più a basso ne' presenti capitoli, siano anch'essi tenuti di pagare al pubblico scudi duecento, come sopra, e nulladimeno non s'intenda passare questa dignità ne' figli e successori.

De eorum capitulorum observantia.

VI. E perchè nessuno alleghi ignoranza di questi ordini, in ogni refezione del bussolo si debbano leggere ad alta voce nel consiglio dal segretario, avanti di celebrarlo, de' quali i signori di magistrato ed ognuno de' consiglieri dovrà giurare l'osservanza.

De aetate regiminis adscribendorum.

VII. E non essendo l'esperienza in chi non sono gli anni, nessuno, o sia della città o forastiere, possa ammettersi di reggimento, se non averà compiti li diciotto anni di sua età, da provarsi legittimamente.

De renovatione urnae et indigentibus.

VIII. Si appartenga al magistrato dell'ultima palla la rinnovazione del bussolo, il consiglio di cui sia valido e sufficiente con numero di trentacinque consiglieri, compresovi li signori di magistrato, quale dovrà intraprenderla prima che passi il quinto giorno del bimestre, con far esprimere dai banditori essere il consiglio da celebrarsi per rinnovare lo stesso bussolo, e prima non si possa far consiglio d'altri negozi; e dandosi il caso che per mera colpa d'esso magistrato dell'ultima palla, o de'consiglieri che non intervenissero, non potessero effettuarsi, si stabilisce ed ordina, che tanto contro il detto magistrato che mancasse alle sue diligenze, quanto contro li consiglieri che non intervenissero senza legittimo impedimento, debba esigersi la pena di scudi quattro per ciascheduna volta contro ognuno del magistrato e contro ognuno de' consiglieri che avesse mancato come sopra, da esigersi *manu regiâ* e senza alcuna citazione dal camerlengo *pro tempore;* qual pena incorsa dovrà subito porsi dal segretario della città al libro di esso camerlengo, ed applicarsene la metà in scomputo e diminuzione de' pesi camerali, e l'altra metà in benefizio e ristoro del pubblico palazzo, con la pena ancora al segretario di uno scudo per ciascuna volta, e per ciascun soggetto che omettesse nella detta descrizione, da applicarsi similmente come sopra.

De electione capitum priorum et narratorum, vulgo *dicitori*, necnon regiminis adscribendis.

IX. In ogni rinnovazione di bussolo si osservi quest'ordine. Si estraggano prima da' soliti bussoli quattro capopriori, quattro dicitori, e quattro consiglieri, uno per quartiere, li quali subito estratti vadano insieme con li signori di magistrato nella camera dove deve farsi lo scrutinio segreto, senza parlare a nessuno degli altri rimanenti, e le schedole estratte di quelli che fossero assenti, siano lacerate.

Modus electionis describitur.

X. Giunti in detta camera, tutti li sopraddetti, ed anche il segretario, giurino prima di tener segreto ciò che è per farsi e discorrersi, e di osservare quanto si dispone ne' presenti capitoli; dopo di che i signori di magistrato propongano prima i legittimi successori de' loro antenati defunti, e non mai i figli di famiglia, viventi i di loro padri, salvo se non fossero figli legittimi e naturali di persone ecclesiastiche, quali legittimi successori dovranno passarsi solamente nella sala del generale consiglio per la maggior parte de' voti favorevoli, e successivamente le suppliche di quelli da aggregarsi di famiglie non più aggregate, con la regola già detta; indi propongano quei

consiglieri che giudicano degni d'essere promossi alli gradi del capo-priorato e dicitorato, e se li proposti in uno de' suddetti casi riporteranno due terzi de' voti favorevoli, vadano li suddetti elettori a riproporli nella sala del consiglio, dove basterà che ottengano per la maggior parte de' voti favorevoli, avvertendosi di non conservare alcuna memoria di quelli che nello scrutinio secreto fossero perduti, anzi si abbrucii dal secretario alla presenza di tutti gli astanti per togliere ogni amarezza ed odiosità; per il quale effetto e ad ogni altro buon fine fu indotto il suddetto giuramento *de secreto observando;* ed inoltre, seguita ogni ballottazione, il secretario debba nel solito bacile mostrare i voti prima a' signori di magistrato e successivamente a tutti gli elettori.

De ordine inter consiliarios.

XI. Li signori di magistrato residenti non possano in quel bussolo proporre sè stessi nè alcuno degli elettori assistenti per capo-priore o per dicitore, e quando si scrutina alcuno nella camera, sì per l'aggregazione come per li predetti gradi, debbano uscire i suoi prossimi parenti, cioè padre, avo, suocero, genero, fratello, cognato, zio e nepoti carnali, e riportandosi poi nella sala, oltre i soprannominati parenti, debba anche uscire chi si scrutina, e succedendo per qualche straordinario provvedimento l'aggregazione d'alcun nostro cittadino o forastiere fuori di tempo della rinnovazione del bussolo, s'osservino inviolabilmente le solennità e regole sopra espresse.

De praecedentiis.

XII. Per togliere i dispareri e le discordie che potessero nascere per le precedenze nel sedere e nell'andare, benchè tutto il consiglio formi un solo corpo di una stessa qualità e natura, e perciò non vi sarebbe bisogno di disporre; si osservi tuttavia per ogni buon fine quest'ordine, cioè il primo luogo sia del capo-priore, il secondo del dicitore, poi gli altri priori precedano fra di loro secondo la maggiore età, alla riserva però di quelli nuovi che fossero estratti per la prima volta, quali dovranno avere per quel bimestre l'ultimo luogo, senza attendere l'età suddetta.

De reliquis peragendis in renovatione urnae.

XIII. Finiti che saranno gli scrutinî, si licenzii il consiglio generale, ma restino li signori di magistrato e gli elettori suddetti a compire il bussolo, nè possano partirsi dal palazzo finchè non l'averanno chiuso, restando però la facoltà libera al magistrato di concedere licenza a qualcuno de' medesimi che per giusta causa non potesse trattenersi; e nel formare le schedule, ed ivi nell'unire i nomi de' consiglieri, si posponga il proprio comodo ed interesse al pubblico benefizio.

De forma schedularum in pilulis includendarum.

XIV. Si dovranno perciò formare tante palle che siano proporzionate al numero de' consiglieri, alla ragione di quattro per palla, in ognuna delle quali si descriva il nome di un capo-priore, di un dicitore e di due altri priori, avvertendosi di non accoppiare in alcuna di dette palle quelli che fossero tra di loro parenti carnali sopranominati; e perchè difficilmente potrà riuscire il numero giusto per fare le palle a quattro per ciascuna, si possano anco fare, secondo il bisogno, di cinque e di tre. Ed in evento che dentro lo scrutinio secreto o in sala del generale consiglio respettivamente fossero perduti tutti i soggetti proposti da' signori di magistrato per capo-priori o per dicitori, i medesimi con li signori elezionarî ritornino nello scrutinio segreto per empire quei luoghi, servate però le disposizioni e leggi stabilite nel capitolo X; quindi ogni schedula s' involga in una palla di cera dorata o inargentata, le quali si rinchiudano per mano del segretario nel solito bussolo con il sigillo pubblico, da riporsi poi nella solita cassa del reggimento, per estraerne una in ogni bimestre alli 12 del secondo mese, il che però non dovrà aver luogo quando succedesse di farsi il bussolo dopo il tempo suddetto, mentre in tal caso bisognerà accomodarsi alla necessità per l'estrazione della prima palla.

De electione reliquorum officialium.

XV. Accomodate che siano tutte le palle del magistrato, si venga alla refezione degli altri bussoli, cioè del bussolo de' spicciolati capi-priori, de' spicciolati dicitori, e de' spicciolati de' quartieri, da estraersi di magistrato al suo tempo in luogo degl' impediti, per formare li quali si numerino tutti quelli che non sono nè capi-priori, nè dicitori, e

divisi in quattro parti, se ne riponga una parte per ciascun bussolo, come pure del bussolo degli anziani che devono assistere in tutti li consigli generali, ancorchè non fossero consumati. Ma li bussoli degli elettori, ossiano elezionarî, de' sindicatori del magistrato, e de' deputati della terza chiave, non si rinnovino finchè non sono affatto consumati, alla riserva delli due bussoli degli elezionarî, capo-priori e dicitori, se in ognuno di essi bussoli ne fossero rimasti meno di quattro, nel qual caso si estraggano quelli che si trovano, come si è detto al paragrafo IX, e poi si rifaccia immediatamente il bussolo nuovo di detti capipriori e dicitori, per estrarne subito quanti ne mancassero per compire il numero di quattro.

De regimini adscriptis absentibus.

XVI. Venendo il caso che qualunque degli aggregati non abitasse nella nostra città, venga ammesso in tutti li bussoli come gli altri, purchè però l'assenza non passi il decennio, nel qual caso sia descritto il suo nome in ogni refezione del bussolo nel catalogo de' consiglieri e nel bussolo de' spicciolati, ma non già nelle palle suddette, ove verrà rescritto alla prima refezione del bussolo dopo che sarà ritornato ad abitare.

De precibus et gratiarum actione in consilio.

XVII. E perchè ogni grand' affare deve cominciare e finire col nome di Dio, perciò prima di dar principio al consiglio già adunato per la rinnovazione del bussolo, si dica ad alta voce l' inno dello Spirito Santo con la sua orazione; e finito che sia il bussolo, si dica il *Te Deum laudamus, etc.;* terminato il quale, al suono delle trombe e delle campane della nostra torre, si riponga la detta cassa del reggimento, accompagnata davanti dalla famiglia di palazzo, e dietro da' signori di magistrato, elettori e segretario, sino al luogo dove dovrà conservarsi.

De poenis in contravenientes.

XVIII. Quando li signori di magistrato ed elettori non osservassero interamente in tutto o in parte quanto si dispone ne' presenti capitoli, ovvero che da alcuno dei consiglieri si operasse che dette disposizioni non si osservassero, incorra, ciascuno di essi signori di magistrato, elettori e consiglieri che delinquessero, nella pena di scudi cinquanta e nella privazione di tutti gli offizî onorevoli, anche del magistrato, per cinque anni, da applicarsi la pena pecuniaria per la metà per la fabbrica del palazzo, e per l'altra in diminuzione de' pesi camerali, come si è disposto al § VIII.

De aliis non eligendis.

XIX. Non si possa proporre nel bussolo, nè per priore, nè per dicitore, quello che nel bussolo finito non avesse preso l'offizio di magistrato.

De confirmatione horum capitulorum et abrogatione contrariorum.

XX. Che con i presenti capitoli s'intenda derogato non meno a quelli del 1603 che alla Bolla di Alessandro VI dell'anno 1493 che comincia *Etsi;* al quale effetto si dovrà procurare la conferma accennata nel principio della sacra Consulta, *facto verbo cum Sanctissimo*, ed anche un Breve confirmatorio della Santità di nostro signore, con la deroga espressa alla detta Bolla del Pontefice Alessandro VI, ed a qualsivoglia cosa in contrario.

GIOVANNI COWDULMARI, uno de' capo-priori, deputato.

GIROLAMO CONFALONIERI, uno de' dicitori, deputato.

GIOVANNI FELICE ANGELITA, uno de' dicitori, deputato.

MARC' ANTONIO MASSUCCI, deputato.

Capitula praedicta ut supra reformata per dominos deputatos fuerunt lecta, accurate examinata et approbata a generali concilio celebrato sub die XXII *iunii* MDCCXVII, *quadraginta novem suffragiis favorabilibus, nemine penitus discrepante.* Ita est: Franciscus Liberatus, notarius publicus de Visso Spoletanae dioecesis, ad praesens illustrissimae communitatis civitatis Recineti a secretis, etc. *In fidem, etc., hac die* XXV *iunii* MDCCXVII *Salvâ, etc.*

Approbatio Congregationis Consultae.

In causâ Recinetensi reformationis capitulorum sacra Consulta habita sub die XIV *iulii proxime praeteriti, occasione recursus, visâ relatione gubernatoris Marchiae, rescripsit, prout infra, videlicet:* Pro approbatione capitulorum iuxta resolutionem consilii. *In quorum fidem, etc. Datum Romae, hac die* XI *augusti* MDCCXVII. — A. BANCHERIUS, *secretarius.*

Confirmatio apostolica relatorum capitulorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipsi exponentes, ne de praemissorum validitate ab aliqui-

bus dubitari contingat, illa apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, ipsos exponentes specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium super consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici huiusmodi deputatorum consilio, omnia et singula capitula noviter condita praedicta, confectamque desuper scripturam praeinsertam, cum omnibus et singulis in eâ contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae particulares.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, etc.[1].

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus quibusdam felicis recordationis Alexandri Papae VI praedecessoris nostri litteris desuper XIII kalendas iunii MCDXCIII, pontificatus sui anno I, sub plumbo expeditis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae civitatis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX septembris MDCCXVII, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 20 septembris 1717, pontif. anno XVII.

1 Reliqua ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

CCLIII.

Declaratur nullum edictum a saeculari potestate Sabaudiae et Pedemontii editum in praeiudicium supremi dominii S. Sedis in quibusdam locis mensae episcopalis Astensis[2].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Ob molestias subditis et feudatariis illatas intimatum fuit monitorium de non alio recognoscendo domino praeter Sedem Apostolicam.

§ 1. Aliàs (ad retundendas graves et frequentes molestias, quas ministri saecularis potestatis in ducatu Sabaudiae et principatu Pedemontii subditis et feudatariis huius Sanctae Sedis locorum Montafiae, Cisternae et Cortansae, Astensis dioecesis, non sine manifesto directi et supremi dominii ad nos et eamdem Sedem in praedictis locis unice et privative spectantis praeiudicio, iampridem intulerant, novasque, quas illis inferre minabantur), instante tunc existente commissario generali Camerae nostrae Apo-

1 Reliqua ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

2 Hac de re vide Pii V constit. edit. MDLXVIII, die 8 maii, necnon MDLXIX, die 19 aprilis; Pauli V const. ed. MDCXII, die 10 februarii; Alexandri VI const. ed. MDCLVIII, die 20 augusti. In huius Pontificis const. ed. MDCCVII, die 17 maii, pontif. VII, et constit. edit. MDCCXIII, die 8 iulii, pontif. XIII, nullum declaratum fuit edictum sub nomine ducis super quibusdam censuris; et constit. edit. MDCCXIX, die 17 augusti, pontif. XIX, nullum declaratum fuit edictum senatus Taurinensis in praeiudicium ecclesiasticae libertatis.

stolicae, per dilectum filium nostrum Ioannem Baptistam S. R. E. cardinalem Spinulam nuncupatum eiusdem S. R. E. camerarium die VIII augusti MDCCII expeditum atque transmissum et eorumdem feudorum syndicis praesentatum necnon feudatariis eo quo licuit modo intimatum fuit monitorium, quo districte prohibebatur ne alium supremum dominum praeter Sedem Apostolicam et Romanam Ecclesiam recognoscere auderent. Cumque subinde, ad patrimonialis generalis nuncupati dictae saecularis potestatis requisitionem, mense septembris eiusdem anni per cameram, quam vocant, computorum ducatus ac principatus praedictorum publicatum et respective intimatum fuisset quoddam edictum, seu decretum, quo, praeviâ declaratione nullitatis et invaliditatis praedicti monitorii, tam ipsis feudatariis (qui catenus Sedem praefatam tamquam dominam directam eiusque supremam auctoritatem constanter recognoverant, ipsâ etiam saeculari potestate id approbante) quam syndicis universitatum atque vassallis, sub gravissimis poenis, praecipiebatur quod de cetero supremam tantum eiusdem saecularis potestatis auctoritatem recognoscerent; et ad huius edicti publicationem praefatarum universitatum syndicos vi metuque praefati ministri compellere tentassent, omnibusque renuentibus, nonnulli, in civitate Astensi deprehensi, carceribus mancipati, alii vero, qui ad illam accedere recusaverant, militaribus copiis a dictis feudis violenter extracti, similiter detenti fuissent, morte etiam sclopo illatâ alteri ex ipsis, qui fugâ sibi consulere studuerat: nos, praedictos aliosque multiplices ac detestabiles eiusdem saecularis potestatis abusus diutius dissimulare non valentes, praefatum aliaque plurima edicta seu decreta, ordinationes et mandata, et alia quaelibet a senatibus, magistratibus, iudicibus, officialibus, aliisve ministris dictae saecularis potestatis, in praeiudicium libertatis, immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae atque auctoritatis apostolicae respective quovis modo emanata et gesta, cum omnibus et singulis inde secutis et quandocumque secuturis, per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras, die XVII maii MDCCVII desuper expeditas, nulla, irrita, invalida, damnata et reprobata esse et ab initio fuisse ac perpetuo fore declaravimus, et, quatenus opus esset, ea omnia et singula damnavimus, reprobavimus, revocavimus, annullavimus, abolevimus; et aliàs, prout in nostris litteris supradictis, quarum tenorem praesentibus, pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur. Ceterum, cum, post earumdem nostrarum litterarum publicationem, adhuc praefati ministri a vexandis subditis et feudatariis memoratorum locorum minime destitissent, quinimo, prioribus molestiis novas maioresque in dies adiicientes, non solum praedictos, sed etiam subditos et feudatarios loci de Cortanzerio eidem Sedi pariter subiectos variis etiam contributionibus aliisque oneribus non minus iniuste quam temere gravare praesumpsissent, ad huiusmodi intolerabiles ausus reprimendos plura alia successive monitoria, ad tunc pariter existentis commissarii generalis dictae Camerae Apostolicae instantiam, ab eodem Ioanne Baptista cardinali et camerario die XXIV iulii, VII augusti et VII octobris MDCCXI, ac postremo die XXIII maii MDCCXVI etiam de speciali mandato nostro edita ac respective intimata fuerunt, quibus, innovatâ feudatariis et subditis praefatorum locorum memoratâ prohibitione de non recognoscendo alium in supremum dominum

quam Sedem praefatam, ipsis sub gravium poenarum comminatione inter alia iniungebatur, ne contributiones aliave onera sibi a dictâ saeculari potestate imposita vel imponenda persolvere seu persolvi facere auderent, aut quoquo modo praesumerent; et aliàs, prout in praefatis monitoriis, quorum tenores praesentibus pro plene itidem et sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur.

Edictum regium quo recensita attentata defenduntur et praefata monitoria contemnuntur.

§ 2. Cum autem, sicut nuper non sine ingenti animi nostri molestiâ accepimus, ad eiusdem patrimonialis generalis supplicationem sub nomine praedictae saecularis potestatis prodierit quoddam praeceptum sive edictum typis impressum, quod unâ cum supplicatione huiusmodi non alio quidem quam illud penitus et omnino damnandi et reprobandi animo praesentibus inserendum duximus, tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacra real maestà. Rappresenta il consigliere e patrimoniale generale di V. M., essersi nel mese scorso pretesi pubblicare asserti monitorî sotto nome del signor cardinale Spinola nei luoghi d'indubitato dominio di V. M. estistenti nel contado d'Asti, Cisterna, Cortanze, Montafia e Cortanzone, tendenti li medemi a rimovere li sudditi ed abitanti, come pure li vassalli di esse terre, dall'obbligo che a' medemi corre di non riconoscere altri in loro signore e sovrano che V. M. e suoi reali successori, in data li predetti monitorî delli 23 maggio scaduto, sotto pretesto che siano sotto l'immediato dominio della Santa Sede, e ciò in conformità di altri monitorî già pretesi di pubblicare negli anni 1702, 1707 e 1711. E quantunque l'esponente sia persuaso essersi già da V. M. sufficientemente provisto in difesa delle indubitate ragioni che le competono in detti luoghi e feudi, tanto in dipendenza di detto contado che d'altri titoli irrefragabili, oltre l'antico e indubitato possesso comprovato da continuati e successivi atti possessorî, come resta notorio con aver lassato li rescritti camerali sotto li 11 settembre 1702 e 9 maggio 1702 [1], proibitivi tanto alli vassalli che sudditi e abitanti in essi luoghi d'ubbidire alli detti monitorî, con specifico precetto a' medemi di non dover riconoscere nè ubbidire ad altri in qualità di sovrano signore, che ad essa V. M. e suoi reali successori, sotto le pene in essi rescritti comminate, e come meglio dal contenuto in essi si vede; tuttavia, acciocchè, sotto pretesto de' suddetti asserti nuovi monitorî, quantunque evidentemente invalidi, nulli, abusivi, orretizî e surretizî, nessuno de' suddetti vassalli, sudditi e abitanti abbia l'ardire di declinare dall'obbligo loro vassallizio e sudditale verso V. M., e far cosa pregiudiciale al servizio della medema, ha pensato per ogni maggior precauzione aver ricorso da vostra sacra real maestà, supplicandola umilmente degnarsi di dichiarare, come ne' precedenti rescritti sopra riferiti del 1702 e 1709, non aver potuto nè potere li suddetti asserti monitorî, e qualunque altra provisione di consimile natura, come nulli, surrepiti et orrepiti, invalidi, insussistenti, ed evidentemente abusivi, recar verun pregiudicio alle suddette ragioni ed esercizio dell'alto dominio e sovranità di V. M., meno indurre alcun obbligo di non dover riconoscere in essi feudi e loro territorio, nè ubbidir ad altri in qualità di sovrano signore che V. M. e suoi successori, sotto gravi e gravissime pene, eziandio corporali, da incorrersi irremissibilmente dai trasgressori; dichiarando l'esecuzione da farsi in persona de' respettivi vassalli o domestici loro, e per pubblicazione e affissione di copia agli albi pretorî della città di Asti e di detti luoghi valere, e che alla copia stampata dallo stampatore di V. M. si debba prestar tanta fede come al proprio originale, il che, ecc. Il patrimoniale generale di V. M. Vittorio Amedeo, per grazia di Dio re di Sicilia, di Gerusalemme e di Cipro, ecc., duca di Savoia e Monferrato, ecc., principe di Piemonte, ecc. — Veduta nella Camera nostra de' conti l'allegata supplica

1 Videtur legend. *1709*, ut paulo post (R. T.).

sottoscritta dal patrimoniale nostro generale con li precedenti rescritti ivi riferiti e designati, ed il tenor del tutto ben considerato, per le presenti col parere e partecipazione d'essa Camera dichiariamo, come in detti precedenti rescritti del 1702 e 1709, non aver potuto nè potere li asserti monitorì, di cui si tratta, e qualunque altra provisione di consimil natura, come nulli, surrepiti, orrepiti, invalidi, insussistenti, ed evidentemente abusivi, recar verun pregiudicio alle ragioni ed esercizio dell'alto dominio e sovranità nostri, meno indurre alcun obbligo alli vassalli, sudditi de' luoghi narrati d'ubbidire alli precetti portati da' suddetti monitorì; anzi facciamo positivo precetto a' medesimi di non dover riconoscere in quei feudi e loro territorio, nè ubbidire ad altri, in qualità di sovrano signore, che a noi e nostri reali successori, sotto gravi e gravissime pene eziandio corporali da Incorrersi irremissibilmente da'transgressori; dichiarando l'esecuzione di queste da farsi al modo supplicato valere, e che alla copia stampata dallo stampator nostro si debba prestar tanta fede come al proprio originale, chè tal è nostra mente. Dato in Torino, li 31 agosto 1716. — Per S. M., a relazione di detta Camera, il secretario della medema Camera. — In Torino, stampato dallo stampatore di S. M., 1716 [1].

Docetur memorata loca pertinere ad episcopum Astensem, adeoque subesse pontificio dominio, quod plures pontifices vindicarunt.

Memorata vero et plura alia loca, variis temporibus a tunc existentibus episcopis Astensibus in feudum concessa diversis personis, ad eosdem episcopos Astenses eorumque mensam episcopalem ex liberâ et irrevocabili donatione imperatorum, regum ac piorum fidelium, aliisque legitimis titulis, non autem ad alium quemcumque spectasse et spectare dignoscantur; ac proinde ambigi aut inficiari nequeat, quin illa sub alto et supremo dominio ac superioritate nostris et S. R. E., non autem dictae saecularis potestatis aut alterius cuiuscumque, fuerint ac sint, et censeri debeant, necnon feudatarii, vassalli et homines eorumdem locorum nullius alterius praeterquam nostrae et dictae Sedis superioritati fuerint ac sint vere subiecti; et, quemadmodum ipsi nullum alium in supremum dominum recognoscere tenentur vel debent, ita nemini, nisi nobis et eidem Sedi, licuerit vel liceat iura superioritatis et supremi dominii in loca, vassallos et homines huiusmodi exercere; nec minus compertum sit Romanos Pontifices praedecessores nostros, dictae ecclesiae Astensis iuribus ac Sedis praefatae superioritati et dominio huiusmodi tuendis et conservandis iugiter intentos, non omisisse ea a quorumcumque ausibus et attentatis, si quandoque impeti aut violari contigit, peculiari studio ac sollicitudine asserere et vindicare (satis namque perspectum esse novimus, quod dudum felicis recordationis [1] Papa V praedecessor noster bonae memoriae Emmanuelem Philibertum, dum vixit, Sabaudiae ducem ac Pedemontii principem, qui quaedam onera tunc existentibus feudatariis et subditis eorumdem locorum nulliter et de facto indixerat, post praetensorum iurium ac rationum, sub quorum obtentu idem Emmanuel Philibertus dux ad eiusmodi onerum impositionem devenisse dicebatur, coram commissario specialiter a praedicto Pio praedecessore ad id deputato pro parte ipsius Philiberti ducis deductorum, maturam discussionem, ac demum, compertâ eorum insubsistentiâ, reiectionem, a coeptis apostolici muneris ministerio desistere compulerit; prout etiam notum est quod recolendae memoriae Paulus PP. V etiam praedecessor noster expetitum suum ac Sedis praefatae beneplacitum super qua-

1 Edit. Main. legit *1706* (R. T.).

1 Deest *Pius* (R. T.).

dam concessione nonnullorum ex praefatis aliisque locis dictae mensae episcopalis per bonae memoriae Stephanum, dum vixit, episcopum Astensem bonae etiam memoriae Carolo Emmanueli, dum pariter vixit, eiusdem Sabaudiae duci et Pedemontii principi titulo permutationis sub beneplaciti apostolici huiusmodi reservatione factâ tamquam ecclesiae ac mensae episcopali Astensi damnosâ et praeiudiciali, ac superioritatis Sedi praefatae in illis locis competentis[1] laesivâ, non modo non concesserit, sed expresse et solemniter denegaverit, ipsamque concessionem ac instrumentum desuper confectum et in eo contenta quaecumque reprobaverit, annullaverit et cassaverit; ac denique similis memoriae Alexander PP. VII itidem praedecessor noster quoddam praeceptum seu edictum nomine eiusdem Caroli Emmanuelis ducis die II iunii MDCLVIII[2] evulgatum, in quo ipse Carolus Emmanuel dux supremus dominus aliquot praefatorum locorum perperam enunciabatur, nullum et invalidum cum eiusmodi enunciativis et assertionibus declaraverit, quemadmodum in eorumdem Pii, Pauli et Alexandri praedecessorum litteris, prioribus quidem die VIII maii MDLXVIII et die XIX aprilis MDLXIX, alteris die X februarii MDCXII, novissimis vero die XX augusti MDCLVIII in simili formâ Brevis desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur): hinc est quod nos, qui in supremo iustitiae solio a Domino constituti universarum orbis ecclesiarum gerimus curam, quique tam illarum quam Sedis Apostolicae iurium assertores sumus, ne, in tam apertâ eorum et apostolicae auctoritatis oppugnatione, pastorali[1] officio nostro quoquomodo deesse videamur, memoratorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, in primis vero praenarrata monitoria cum omnibus et singulis in eis contentis approbantes ac confirmantes, et, quatenus opus sit, innovantes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, edictum seu praeceptum praeinsertum, et in eo enunciata et contenta quaecumque, cum omnibus et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita, invalida, erronea, damnata, reprobata, inania, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque roboris et momenti vel efficaciae fuisse et esse, ac perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec a quoquam observari potuisse vel debuisse, neque per illa ullum vel minimum praeiudicium iuribus nostris et dictae Sedis ac ecclesiae Astensis eiusque episcopis ac Romanis Pontificibus illatum fuisse vel esse, aut inferri potuisse, nec ullo unquam tempore posse, earumdem tenore praesentium decernimus et declaramus. Et nihilominus, pro maiori et abundantiori earumdem Sedis et ecclesiae Astensis cautelâ, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis perpetuo haberi volumus et mandamus, ita

Declaratio nullitatis relati edicti regii.

1 Edit. Main. legit *competenti* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *1608* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *pastoralis* pro *pastoralis* (R. T.).

ut, illis minime non obstantibus, iura nostra et Apostolicae Sedis dictaeque ecclesiae Astensis semper et omni tempore remaneant, sint et serventur, ac censeri debeant sarta, tecta, integra, illaesa et illibata, in omnibus et per omnia, quemadmodum erant ante editionem praefati edicti seu praecepti ceterorumque praemissorum, et perinde ac si illa nunquam emanassent, nec facta fuissent, neque unquam fierent seu evenirent. Decernentes sic et non aliter in praefatis omnibus et singulis censeri per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac nostram Cameram praedictam, eiusque officiales quomodocumque nuncupatos, et eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon legibus imperialibus et municipalibus, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac piae memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri constitutione de gratiis, qualecumque interesse Camerae Apostolicae concernentibus, in eâdem Camerâ praesentandis et registrandis, itaut praesentes litterae, etiamsi in eâdem Camerâ nullo unquam tempore praesententur et registrentur, nihilominus valeant plenamque roboris firmitatem obtineant, necnon dictae ecclesiae Astensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem ecclesiae illiusque praesuli, capitulo et quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium publicatio et fides.

§ 4. Cum autem eaedem praesentes litterae in locis ditioni praedictae saecularis potestatis subiectis nequeant tute publicari, ut hactenus experientiâ compertum est et nobis notorie constat, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent: utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX octobris MDCCXVII, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 20 octobris 1717, pontif. anno XVII.

1 Reliqua de more solito, ut pag. 704 a (R.T.).

CCLIV.

Confirmantur constitutiones Academiae theologicae in Archigymnasio Romano, cum deputatione protectorum et concessione privilegiorum [1].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a sollicitudine promovendi sacrarum litterarum ac praesertim theologicae facultatis studia.

Inscrutabili divinae bonitatis atque sapientiae providentiâ ad Ecclesiae catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimen, meritis licet imparibus, evecti, inter multiplices pastoralis vigilantiae nostrae curas, sacrarum litterarum ac praesertim theologicae facultatis studia, per quae, depulsâ ignorantiae caligine, mortalium mentes luce veritatis illustrantur, ad supernae deitatis essentiam veraciter contemplandam iter panditur, sana doctrina asseritur, catholicae fidei puritas ab haeresibus pravisque dogmatibus gladio spiritus vindicata enitescit, illiusque et divini cultus propagationi ac aliis christianae reipublicae commodis consulitur, ubique locorum, ac praecipue in hac almâ Urbe nostrâ, ex qua doctrinae et bonorum operum exempla in reliquas christiani orbis partes assidue promanant, quantum nobis ex alto conceditur, promovere, excitare et confovere studemus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiaeque decus et praesidium, ac christifidelium utilitatem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Institutio, locus et laudes huius Academiae sub auspiciis Sanctitatis Suae.

§ 1. Cum itaque aliàs, nempe ab ipsis pontificatus nostri primordiis, quaedam Academia theologica nuncupata, in qua plures in eâ facultate versati, ac etiam magistri seu doctores aut aliàs graduati, ad pleniorem et sublimiorem sacrarum divinarumque rerum cognitionem adspirantes, sacrae theologiae necnon historiae ecclesiasticae disciplinis praecipuam sedulamque operam laudabiliter hactenus navarunt, et adhuc indefessis studiis navare non desistunt, sub auspiciis nostris, ac nobis annuentibus, in Urbe praefatâ erecta seu instituta sit, eique usum loci in aedibus publici gymnasii Sapientiae nuncupati eiusdem Urbis pro suis conventibus habendis et functionibus peragendis, sub certis modo et formâ tunc expressis, assignaverimus et concesserimus; et, sicut plurimorum virorum praestantium testimonio, imo etiam nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, qui litterariis ipsius Academiae exercitationibus et disceptationibus saepius interfuerunt, relatione accepimus, dilecti filii academici, eidem Academiae adscripti, notabiles in praefatis disciplinis progressus iam fecerint, et in dies facere pergant, unde non obscura spes affulgeat, fore ut dicta Academia, benedicente Domino, non solum maiora in posterum suscipiat incrementa, verum etiam suavissimos uberesque fructus in Ecclesiâ Dei quandoque proferat; in eumque finem praedicti academici pro recto ac felici Academiae huiusmodi gubernio nonnullas constitutiones seu statuta, quae per bonae memoriae Thomam Mariam, dum vixit, eiusdem S.R.E. cardinalem Ferrarium S. Clementis nuncupatum iussu nostro revisa et subinde approbata fuerunt, iampridem condide-

1 Const. edit. MDCCXV, die 12 iunii, pontif. XV, confirmata fuere statuta Academiae Scientiarum Bononiensis; const. edit. MDCCXVI, die 18 novembris, pontif. XVI, suspensa privilegia facultatis theologicae Parisiensis; const. edit. MDCCXXI, die 19 martii, pontif. XXI, confirmantur privilegia universitatis et collegii Urbinatensis; in Benedicti XIII const. edit. MDCCXXIV, die 20 aprilis, pontif. I, erigitur collegium theologorum in civitate Caesenatensi; et const. edit. MDCCXXVI, die 6 maii, pontif. II, confirmatur et ampliatur praesens constitutio.

rint, quorum tenor est qui sequitur, videlicet:

Constitutiones Academiae theologicae.

Constitutiones a cardinali Ferrario approbatae.

Academiam theologicam solum illis patere volumus, qui theologiae saltem quadriennio sedulam operam navarunt.

Horum ingeniis exercendis, perfectâque doctrinâ imbuendis, bis in hebdomadâ, scilicet feriâ tertiâ et sextâ, de sacris divinisque rebus disputabitur. Alternis theologica, alternis historica disputatio erit; identidem vero vel ad nostrae religionis dogmata pertinentes controversiae vel ad sacras litteras disceptabuntur.

Ab exercitationibus vacatio erit a dominicâ Sexagesimae ad dominicam Quadragesimae; a die Palmarum ad diem dominicam in Albis; et a XVI kalendas octobris ad XV kalendas decembris.

Ex universâ theologiâ atque historiâ ecclesiasticâ praecipuae quaestiones a censoribus selectae triennii disputationibus absolventur. Eorumdem iudicio, quae in contrarias partes disputari possunt, quaeve in alteram tantum, decernetur. Ordo in theologicis ad *Summam* divi Thomae; in historicis ad seriem temporum accommodabitur.

In quocumque conventu academicus, cui id fuerit iniunctum, primum ea quae in quaestione versantur, breviter ac luculenter explicabit. Tum duo cum eo solidam horam disceptando decertabunt, ille eorum argumenta et conquisitas rationes acute refellet et confutabit.

Quilibet academicus exacto anno solemnem disputationem habebit; sex horas, tres ante, tres post meridiem, disputabit.

Omnes academicorum munia triennio saltem obibunt, et labores, qua disputando, qua in solemnibus disputationibus accurate disceptando, sustinebunt. Completo triennio, proximum a censoribus locum ac sedem, honoris ergo, habebunt. De omnibus, quae ab academicis consciscentur, suffragium ferent.

Quicumque sex annos academici munia obierit et labores subierit, inter censores referendus.

De controversiis disceptandis censoris iudicium erit. Unus minus solemnibus, tres solemnibus disputationibus praesidebunt; quid de illis sentiat [1], iudicabunt. Suffragia occulta erunt, soli academico a secretis nota, ut possit, cum fuerit opportunum, doctrinae eiusque [2] testimonium perhibere.

Academicus a secretis, qui et censor erit, cunctis solemnibus disputationibus unâ cum duobus aliis censoribus praeerit; non solemnibus, tunc cum censorem non adesse contigerit, diem, solemnibus disputationibus statuet. Eum pro iis habendis designabit, quem integrum annum in Academiâ exegisse constabit; annum autem non dierum, sed laborum cursu metimur. Certiores faciet censores de quaestionibus, quarum disceptationibus debebunt praesidere: eas academicis omnibus, adiecto die ad disputandum destinato, scriptas tradet; controversias disceptandas quolibet mense in tabellâ descriptas exponet; scriptoresque, qui de illis uberius et luculentius disserunt, indicabit. Acta omnium quae gerunt, conficiet; academicorum nomina in albo describet, et tempus, quo adscripti fuerint, adnotabit; academicorum doctrinam, labores, censorum iudicio probatas disputationes, publicis litteris pro cuiusque meritis testabitur.

Petitur confirmatio.

§ 2. Ac proinde, sicut memorati academici exponi nobis nuper fecerunt, ipsi non minus eiusdem Academiae erectionem seu institutionem, perpetuique usus loci ei, sicut praemittitur, assignati, concessionem, quam constitutiones et statuta praeinserta, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, et aliàs super paternae providentiae nostrae partes interponi plurimum desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio institutionis Academiae, conces-

§ 3. Nos igitur, qui Academiae praedictae prosperum statum et directionem

1 Potius lege *sentiant* (R. T.).

2 Potius *cuiusque* (R. T.).

sionis loci, et relatarum constitutionum, cum nova institutione et concessione.

uberioraque incrementa sinceris exoptatis affectibus, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas[1] fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem et institutionem Academiae supradictae perpetuique usus loci ei in aedibus dicti gymnasii ut praefertur assignati concessionem praefatam, necnon constitutiones et statuta praeinserta, cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, sine tamen universitatis studii generalis eiusdem Urbis ac cuiusquam alterius praeiudicio, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur et praesidium adiicimus, ac quoscumque iuris et facti defectus, si qui in praemissis quomodolibet intervenerint, amplissime supplemus. Et nihilominus dictam Academiam theologicam, quatenus opus sit, auctoritate et tenore similibus itidem perpetuo erigimus et instituimus, eique perpetuum usum loci praefati denuo concedimus et assignamus.

Lectores theologiae in gymnasio Sapientiae constituuntur censores.

§ 4. Porro, ne unquam in eâdem Academiâ perpetuis futuris temporibus censores, qui academicorum disputationibus praesint, aliasque eis per constitutiones et statuta praeinserta demandatas functiones obire valeant, desiderari contingat, volumus, et eâdem auctoritate decernimus, ut praeter et ultra eos in eiusmodi statutis et constitutionibus designatos, omnes et singuli sacrae theologiae in eodem gymnasio lectores, nunc et pro tempore existentes, qui collegium theologorum inibi constituunt, officium censorum in dictâ Academiâ pariter obtineant. Praeterea, ut academici, nunc et pro tempore similiter existentes, mercedis laborum suorum aliquando recipiendae spe excitati, memoratis disciplinis eo impensius solertiusque incumbant, eosdem academicos, qui cuncta Academiae munia sedulo ac laudabiliter adimpleverint, in dignitatibus, personatibus, canonicatibus et praebendis, aliisque beneficiis ecclesiasticis, ac iis praesertim, quibus cura imminet animarum, per collationem vel electionem in cuiusque ipsorum patriis respective providendis, aliis omnibus, ceteris paribus, tam in Romanâ Curiâ, quam extra eam praeferri volumus et mandamus; serio idcirco requirentes et monentes venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos et episcopos, necnon dilectos filios nostros et Apostolicae Sedis nuncios, ceterosque praelatos seu locorum Ordinarios, ac quoscumque beneficiorum eiusmodi collatores et collatrices, ut academicos praefatos, quorum multi exteri et ex diversis nationibus existunt, cum eos in suas regiones reverti contigerit, si sese supradictae Academiae adscriptos in eâque diu cum laude versatos fuisse legitimis probationibus, atque in primis litteris testimonialibus manu secretarii eiusdem Academiae subscriptis eiusque sigillo munitis, docuerint, in collatione eorumdem beneficiorum, quatenus ipsi redditibus ad congruam sui sustentationem sufficientibus caruerint, aliis omnibus, ceteris paribus, similiter praeferant. Quia vero etiam nonnulli regulares praedictae Academiae adscripti plurimum ei

Privilegia academicorum.

1 Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

adiumenti atque splendoris hucusque attulerunt, et, ut in Domino confidimus, deinceps quoque allaturi sunt, ideirco eos itidem peculiari favore gratiae prosequi cupientes, earumdem tenore praesentium decernimus, ut, postquam iidem regulares, Academiae praefatae adscripti et in futurum adscribendi de superiorum suorum consensu, omnes academicorum partes per sexennium recte ac diligenter expleverint, id eis et eorum cuilibet suffragari debeat in omnibus et per omnia, perinde ac si sacram theologiam in suis respective monasteriis, conventibus seu domibus regularibus per triennium actu legissent, ita tamen ut duo dumtaxat et non plures regulares huiusmodi ex unoquoque monasterio, conventu seu domo regulari de Urbe praefatâ, ubi studia vigeant, et actu sacra theologia legatur, a suis respective superioribus deputentur, ad hoc ut Academiae huiusmodi adscribi et in eâ cuncta academicorum munera exercere valeant; iis autem, transacto sexennio, alii duo et non plures subrogentur, sicque de sexennio in sexennium servari debeat. Demum, ut eiusdem Academiae conservationi bonoque regimini necnon academicorum commodis et utilitatibus uberius consultum sit, promptumque et paratum eis suppetat praesidium, dilectos filios nostros Ioannem Baptistam S. Caesarei Spinulam, Ioannem Dominicum S. Anastasiae Parraccianum, Carolum Augustinum S. Augustini Fabronum, Ioannem Baptistam S. Stephani in Monte Caelio Ptolomaeum, titulorum presbyteros, necnon Annibalem S. Mariae in Cosmedin diaconum Albanum, nuncupatos, nostrum secundum carnem ex germano fratre nepotem, praedictae sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, memoratae Academiae protectores et defensores constituimus et deputamus, quorum consilio, ope ac patrocinio tam supradicta quam quaecumque alia ad constitutionum et statutorum praefatorum observantiam, academicorum admissionem et expulsionem, secretarii et censorum deputationem et amotionem spectantia, ac generaliter omnia et singula, quae ad salubrem Academiae directionem, illiusque progressum, decus et ornamentum tendere et conducere videbuntur, agantur, statuantur et ordinentur. Nos enim eisdem ac pro tempore existentibus protectoribus, per nos et Sedem Apostolicam pariter deputandis, plenam, liberam et amplam ad praemissa facultatem et auctoritatem harum serie tribuimus et impartimur.

Cardinales protectores deputati.

§ 5. Decernentes, ipsas praesentes litteras, ac omnia et singula praemissa firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios, etc.[1] Clausulae.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Urbis et gymnasii praefatorum, ac quorumcumque Ordinum regularium, etiam iuramento, etc.[2] Contrariorum derogatio.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXIII aprilis MDCCXVIII, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 23 aprilis 1718, pontif. anno XVIII.

CCLV.

Statuitur ut capitulum generale monachorum Congregationis reformatae S. Bernardi deinceps habeatur singulis sexenniis[3].

1 Reliqua supra pag. 703 *a* (R. T.).

2 Reliqua supra pag. 703 *a* (R. T.).

3 Const. ed. MDCCX, die 3 octobris, pontif X, avocata fuit lis super aequalitate officiorum; et const. ed. MDCCXIX, die 3 aprilis, pontif. XIX, confirmatur praesens constitutio.

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae celebrandi capitulum singulis sexennis et non amplius triennis.

§ 1. Cum sicut accepimus, in Congregatione reformatâ S. Bernardi monachorum Ordinis Cisterciensis usus capitulum generale, in quo tam abbas generalis quam alii primarii eiusdem Congregationis superiores eligi consueverunt, de triennio in triennium celebrandi hactenus invaluerit; experientiâ vero compertum fuerit, ex adeo frequenti capituli huiusmodi celebratione ac superiorum mutatione multiplicia universae Congregationi praedictae adferri incomoda et detrimenta, tum ob graves, quas singulae provinciae, ratione ipsius capituli, quolibet triennio, non sine earum et monasteriorum notabili onere et damno, facere tenentur, expensas, tum etiam ob diutinam eorumdem superiorum ac praecipuorum religiosorum, qui pene continuos itinerum labores subire, ac non modicum tempus in accessu, morâ et recessu a loco capitulari absumere coguntur, a suis provinciis et monasteriis absentiam; quibus pariter accedit, quod, ubi vix praedicti superiores debitam rerum eiusdem Congregationis ac qualitatum monachorum suae curae commissorum cognitionem nacti fuerint, munerum suorum eveniat vacatio: nos, considerantes, pro ipsius Congregationis eiusque monasteriorum et personarum levamento, ac felici prosperâque eorum directione, necnon monasticae disciplinae conservatione, expediens fore dicti capituli celebrationem de triennio in sexennium deinceps differri, ac proinde illorum utilitati et commoditati, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, de particularis Congregationis nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus ad id a nobis specialiter deputatorum, qui eiusmodi negotium mature et accurate perpenderunt, consilio, ac etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut de cetero capitulum generale praedictae Congregationis quolibet sexennio a proxime futuro capitulo generali, quod die IX currentis mensis in monasterio S. Pudentianae de Urbe eiusdem Congregationis celebrandum erit, incipiendo, atque ita perpetuis futuris temporibus, de sexennio in sexennium continuando, celebretur; ita tamen ut maioris partis vocalium, qui proximum capitulum praedictum constituent, desuper accedat consensus, dictumque negocium ac praesentes litterae sub initio eiusdem capituli generalis per dilectum filium nostrum Franciscum eiusdem S.R.E. presbyterum cardinalem Barberinum nuncupatum, qui dictae Congregationis apud nos et Sedem Apostolicam protector existit, proponantur, tenore praesentium statuimus et ordinamus.

Statuitur ut in rubrica.

Clausulae.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, etc.[1]

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, eiusque provinciarum et monasteriorum quorumcumque, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Congregationi eiusque provinciis et monasteriis, ac superioribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistoriali-

1 Reliqua ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

ter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, ac pluries approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores; formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV maii MDCCXVIII, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 4 maii 1718, pontif. anno XVIII.

CCLVI.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de nomine provinciae S. Ivonis Congregationis Gallicanae Tertii Ordinis S. Francisci [2].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Ex decreto ministri generalis anno MDCXLVII

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Iustiniani, guardiani conventus S. Mariae Miraculorum de Urbe et procuratoris provinciae S. Ivonis Congregationis Gallicanae Tertii Ordinis S. Francisci, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod aliàs, nempe ann. MDCXLVII, num. I, Ioanne a Neapoli, dum vixit, ministro generali totius Ordinis eiusdem S. Francisci, decretum fuerat, quod provinciae eiusdem Congregationis Gallicanae nominibus sanctorum titularium, minime vero provinciae et districtus earum vocarentur; et in eâdem expositione subiuncto, quod nonnulli Congregationis Gallicanae huiusmodi religiosi contra formam decreti ab eodem Ioanne ministro generali editi se vocari facere praesumebant; ideoque pro parte dicti Iustiniani eidem Congregationi cardinalium supplicato ut decretum huiusmodi omnino servari mandaret: emanavit a praedictâ Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

edito, provinciae Gallicanae Tertii Ordinis nominibus titularium, et non provinciae vel districtus appellandae sunt.

Decretum Congregationis confirmans illud ministri generalis pro solo conventu S. Mariae Miraculorum de Urbe sub certis poenis.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, referente eminentissimo Casono, mandavit quod pro nunc, citra praeiudicium iurium ambarum partium, in hoc conventu tantum S. Mariae Miraculorum Urbis servetur dictum decretum ministri generalis de anno MDCXLVII, ita quod recipi non debeant in praedicto conventu guardiani aliique officiales, quotiescumque in eorum litteris patentalibus, ultra nomen Sancti, apponatur etiam illud provinciae vel districtus earum; quo casu guardiani et alii officiales in posterum deputandi, si praesentaverint litteras cum expressione provinciae, possint per tres menses tantum a die exhibitionis earumdem litterarum officia exercere, quibus elapsis, eadem officia exerceantur per seniores cuiuscumque provinciae, donec veniant aliae litterae cum solâ enunciatione Sancti earum respective provinciarum, exclusis interim patribus de provinciis,

1 Reliqua ut supra pag. 704 *a* (R. T.).

2 Const. ed. MDCCVIII, die 9 augusti, pontif. VIII, est de electione vicarii generalis pro provinciâ Lugudunensi; et in Benedicti XIII, constit. editâ MDCCXXIV, die 2 maii, pontif. I, agitur de transitu fratrum provinciae S. Ioannis in alios Ordines.

quae consentire et obedire contumaciter noluerint praesenti decreto. — Romae, x martii MDCCXVIII. — F. cardinalis DE ABDUA. — I. archiepiscopus Damascenus, secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Iustinianus nobis subinde exponi fecit, ipse secundodictum decretum, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum Iustinianum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum praefatae Congregationis cardinalium decretum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, etc. [1]

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis Gallicanae et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, etc. [2]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiurem, sub annulo Piscatoris, die XIV maii MDCCXVIII, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 14 maii 1718, pontif. an. XVIII.

1 Reliqua ut supra pag. 703 *a* (R. T.).
2 Reliqua ut ibid. (R. T.).

CCLVII.

Confirmantur erectio Ordinis militaris Constantiniani et concessio officii magni magistri duci Francisco Farnesio; item erigitur ecclesia della Steccata *in ecclesiam sedem et caput Ordinis, et ei conceduntur domus pia* Misericordiae *ac plura privilegia, cum nonnullis ordinationibus* [1].

Clemens Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiae regimini, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam praesidentes, ad ea potissimum quae militarium Ordinum, maximo christianae reipublicae bono anteactis temporibus institutorum, decus et incrementa respiciunt, quaeque in orthodoxae fidei divinique cultus amplificationem cessura esse noscuntur, vigilantiae nostrae curas libenter convertimus, nostrique apostolici officii partes propensâ benignitate desuper interponimus, prout pia catholicorum principum vota postulant, et nos, prudenti consultatione adhibitâ, cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Epitome constitutionis Innocentii XII.

§ 1. Sane aliàs (postquam tunc in humanis agens Ioannes Andreas Angelus Flavius Comnenus, dum vixit, princeps Macedoniae ac magnus magister Militiae Aureatae Constantinianae sub titulo S. Georgii et regulâ S. Basilii Magni, familiae suae Angelae Flaviae Comnenae solus superstes, ac tam libe-

1 Concessum fuit dictum officium ab Innocentio XII const. ed. MDCXCIX, die 24 octobris, pontif. IX; ab hoc Pontifice constit. ed. MDCCI, die 20 aprilis, pontif. I, nulla declarata fuit electio principis Ernesti de Dupont in magnum magistrum; et const. ed. MDCCXX, die 15 iunii, pontif. XX, conceditur indulgentia plenaria perpetua pro dictâ ecclesiâ in quibusdam festis.

ris quam spe illos procreandi iam destitutus, summopere cupiens in officio seu munere magni magistri seu perpetui administratoris Militiae praedictae, quod longissimo tempore ab eius progenitoribus continuâ ac non interruptâ serie obtentum et possessum fuerat, dari sibi successorem praevalidum, cuius ope ac virtute Militia praefata relevaretur ac praeservaretur a noxiis, nec non laetioribus, benedicente Domino, proficeret incrementis, ad personam dilecti filii nobilis viri Francisci Farnesii Parmae et Placentiae ducis, egregiis naturae gratiaeque divinae muneribus praefulgentem, mentis suae oculos provide direxerat, iuribusque sibi in hac re quovis modo competentibus, seu quae sibi competere existimaverat, utens, eidem Francisco duci, eiusque successive natis, nepotibus et descendentibus, aliisque ipsius Francisci ducis familiae Farnesiae praedictae successoribus Parmae et Placentiae ducibus, pro tempore existentibus, officium seu munus praedictum, reservato tamen desuper Sedis Apostolicae beneplacito, resignaverat) felicis recordationis Innocentius Papa XII praedecessor noster, firmam in Domino spem concipiens, dictum Franciscum ducem, cui, praeter generis splendorem ac domestica maiorum exempla, catholicae religionis tuendae zelus, aliaeque eximiae ac pio prudentique principe dignae virtutes abunde suffragabantur, Militiae praedictae plurimum utilitatis allaturum esse, ac proinde felicibus eiusdem Militiae, quae, ut asserebatur, diversis privilegiis, gratiis et indultis a quamplurimis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, tunc suis, insignita fuerat, progressibus, opportune consulere volens, supplicationibus tam Francisci ducis quam Ioannis Andreae principis et magni magistri seu perpetui administratoris praedictorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ac etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione suis, deque apostolicae potestatis plenitudine, resignationem dicti officii seu muneris magni magistri seu perpetui administratoris Militiae Aureatae Constantinianae praedictae eidem Francisco duci, eiusque successive natis, nepotibus et descendentibus, aliisque ipsius Francisci ducis familiae Farnesiae praedictae successoribus Parmae et Placentiae ducibus pro tempore existentibus, a praefato Ioanne Andrea principe et magno magistro seu perpetuo administratore factam, ut praefertur, publicumque desuper confectum instrumentum seu publicam desuper confectam scripturam cum omnibus et singulis in eis contentis, sub certis modo et formâ tunc expressis, apostolicâ auctoritate perpetuo confirmavit et approbavit; et, ad maiorem et abundantiorem cautelam, quatenus opus esset, ac etiam omni meliori modo, viâ, iure et formâ, quibus firmius et validius facere poterat, eidem Francisco duci, ac praedictis illius natis, nepotibus et descendentibus, aliisque familiae suae Farnesiae huiusmodi successoribus Parmae et Placentiae ducibus pro tempore existentibus, successivo ordine respective, supradictum officium seu munus magni magistri seu perpetui administratoris Militiae Aureatae Constantinianae praedictae, praemisso, vel aliàs certo, quem idem Innocentius praedecessor pro expresso haberi voluit, modo tunc vacans, cum omnibus et singulis illius honoribus, iuribus, praeeminentiis et praerogativis solitis et consuetis, motu, scientiâ deliberatione et potestatis plenitudine paribus, perpetuo concessit et assignavit; nec non cum illis super receptionis in

fratres milites Militiae praedictae, ac susceptionis habitus per eosdem milites gestari soliti, necnon professionis per ipsos milites emitti consuetae regularium, necnon servitiorum quorumlibet ab eiusdem Militiae statutis seu stabilimentis praescriptorum, ac aliarum quarumvis per eadem statuta seu stabilimenta ac privilegia et indulta apostolica ad obtinendum officium seu munus huiusmodi, illiusque iurisdictionem, potestatem, praeeminentias et praerogativas exercendum quomodolibet requisitarum qualitatum defectibus, ceterisque impedimentis quibusvis in praemissis eidem Francisco duci, eiusque natis, nepotibus et descendentibus, aliisque ipsius Francisci ducis familiae Farnesiae huiusmodi successoribus Parmae et Placentiae ducibus pro tempore existentibus praedictis quomodolibet obstantibus et quandocumque obstituris, seu quae illis obstare quovis modo praetendi, censeri vel intelligi possent, ad praemissorum effectum, quatenus opus esset, semper et omni tempore, quo casus huiusmodi eventurus foret, de specialis dono gratiae dispensavit; et alia disposuit, prout in eiusdem Innocentii praedecessoris litteris in formâ Brevis die XXIV octobris MDCXCIX expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causae praesentis erectionis et constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, Franciscus dux ac magnus magister seu perpetuus administrator praefatus, ut christianum decebat principem susceptique officii seu muneris ratio ab ipso postulabat, ad instaurandam Militiam huiusmodi, ob varia praeteritorum temporum infortunia fere collapsam, pio strenuoque animo incumbens, nullis hactenus pepercerit curis, laboribus et sumptibus, ut illa ad pristinum honoris ac dignitatis gradum restitueretur, et restituta, ad catholicam religionem contra infidelium insultus pro veteri suo instituto propugnandam usui esse posset; in primis autem antiqua praefatae Militiae statuta seu stabilimenta renovari, meliori, quam olim, methodo ac ordine disponi, praesentique temporis conditioni ac rerum statui accommodari sedulo curaverit; quamplures insuper non tam generis nobilitate quam animi robore virtutumque merito praestantes viros, praevio maturo examine, in eamdem Militiam adsciverit; ac demum, cum implacabiles christiani nominis hostes Turcae, in suâ feritate confidentes, catholicorum principum ac praesertim Venetae Reipublicae dominia nefario bello vexare coeperunt, idem Franciscus dux et magnus magister seu perpetuus administrator, avitae pietatis stimulis incitatus, duo peditum millia in sexdecim cohortes distributa, non sine gravi sui ducalis aerarii dispendio, alacri tamen promptoque animo, suis sumptibus conscripserit, ac eorum regimini antedictos milites sub eiusdem Militiae vexillo praefecerit, illaque sic conscripta, omnibusque necessariis instructa, in Venetorum opem atque subsidium ad Dalmatiae partes transmiserit, firmâ spe fiduciâque conceptis, quod iidem milites, dirigente Domino fideles eorum gressus, non tam Venetis ipsis quam universae christianae reipublicae ad propulsandos barbarorum conatus non modico futuri essent adiumento; tametsi vero omnia et singula praemissa hucusque gesta et laudabiliter constituta praedictae Militiae decori et stabilitati longe suffectura dignoscantur, nihilominus dictus Franciscus dux et magnus magister, seu perpetuus administrator, feliciori adhuc eiusdem Militiae statui, conservationi

et incremento, nec non praedictorum militum utilitati et subventioni consultum esse plurimum cupiat: proindeque nobis exponi fecerit quod Militia praefata certâ ecclesiâ certâque sede conventualibus, in quibus milites divina officia aliasque ecclesiasticas functiones iuxta eorum regulare institutum pro tempore celebranda .celebrare et conventualiter ad instar aliarum militiarum huiusmodi vivere respective possint, annuisque redditibus et commendis ad id necessariis ob superiorum temporum calamitates destituta reperitur; quodque, si sine curâ ecclesia B. Mariae *della Steccata* nuncupatae, Parmensis (quae minime collativa existit, ac pro tempore existentis Parmae et Placentiae ducis patrocinio subest, necnon a quadam Congregatione clericorum et laicorum a praefato duce eligi et deputari solitorum regitur et gubernatur, ac a vigintiquinque clericis seu presbyteris in cantu gregoriano approbatis, et apud eam personaliter residentibus, ac ad nutum eiusdem pro tempore existentis Parmae et Placentiae ducis amovibilibus, cum congruâ menstruae mercedis seu menstrui salarii assignatione in divinis deservitur, et in qua nonnulla perpetua simplicia personalemque residentiam non requirentia beneficia ecclesiastica, quorum duo de iurepatronatus eiusdem Congregationis, reliqua vero pro maiori parte similiter de iurepatronatus laicorum ex fundatione vel dotatione existere dicuntur, fundata reperiuntur), in ecclesiam conventualem et certam sedem praedictae Militiae totiusque Ordinis militaris huiusmodi caput, ad quod, ob illius aedificii elegantem structuram, amplitudinem, celebrem ornatum et divitem sacrarum suppellectilium copiam, satis apta esse dignoscitur, perpetuo erigeretur, ac in eâ unus magnus prioratus pro uno presbytero milite eiusdem Militiae, qui a nunc et pro tempore existente eiusdem Militiae magno magistro seu perpetuo administratore eligi, ac eidem ecclesiae dictaeque Militiae militibus, ac aliis eiusdem ecclesiae ministris et capellanis eidem ecclesiae inservientibus, cum titulo ac denominatione magni prioris praeesse, illorumque praeses ac praelatus esse deberet, perpetuo itidem erigeretur et institueretur; necnon pia domus de *Misericordia* nuncupata in terrâ de *Corte Maggiore* Placentinae dioecesis provinciae Bononiensis (quae pariter minime collativa existit, nullique ad vitam seu in administrationem concedi consuevit, quaeque aliâs a quondam tunc in humanis agente Rolando marchione Pallavicino, dum vixit, domino in temporalibus dictae terrae fundata, ac deinde a recolendae memoriae Alexandro Papa VI, etiam praedecessore nostro, praeviâ eiusmodi fundationis amplissimâ confirmatione, et a quacumque Ordinarii loci iurisdictione perpetuo exempta, illaque sic exempta, eidem Rolando eiusque successoribus dominis in temporalibus dictae terrae pro tempore existentibus subiecta fuit, et nunc ad Franciscum ducem et magnum magistrum seu perpetuum administratorem praedictum, uti legitimum successorem praefati Rolandi, spectat et pertinet, ac per nonnullos homines universitatis dictae terrae, ab ipsomet Francisco duce, cui de annuis redditibus eiusdem piae domus illorumque administratione singulis annis iidem homines rationem reddere tenentur, pro tempore nominatos et deputatos, regi et gubernari solet) eidem Militiae etiam perpetuo concederetur; ac insuper omnia et singula respective bona, res, proprietates ac iura quaecumque ad praefatam ecclesiam sic eri-

gendam ac praefatam domum piam sic concedendam quomodolibet respective spectantia et pertinentia, illorumque omnes et singuli[1] fructus, redditus et proventus, qui, deductis omnibus et singulis ecclesiae ac domus piae praefatarum oneribus, ad quingentos septuagintaduos ducatos auri de Camerâ circiter annuatim, ut asseritur, ascendat[2], eidem Militiae in congruam pro tempore existentis magni prioris magni prioratus, ut praefertur, erigendi huiusmodi, necnon in dotem nonnullarum praeceptoriarum seu commendarum eiusdem Militiae, similiter ut infra erigendarum, perpetuo applicarentur et assignarentur, aliaque infrascripta per nos benigne concederentur; ex his omnibus et singulis Militia praefata validius suae stabilitatis firmamentum ac divinus cultus in dictâ ecclesiâ non modicum susciperent incrementum, ac milites ipsi ad christianas excolendas virtutes, solidam quesui Ordinis gloriam promovendam, proposito eis praemio, vehementius inflammarentur:

Nova concessio officii et privilegiorum familiae Farnesiae et dicti Ordinis militaris confirmatio.

§ 3. Nos, qui Militiam huiusmodi, cuius, dum cardinalatus fungebamur honore, protectoris munus sustinuimus, sincero paternae charitatis affectu semper prosecuti fuimus, et nunc etiam impense prosequimur, summopere gaudentes quod illa sub Francisci ducis ac magni magistri seu perpetui administratoris praedicti auspiciis ad pristinum honoris et dignitatis locum, benedicente Domino, resurgere iam coeperit, ac proinde eumdem Franciscum ducem novis gratiarum muneribus decorare, eiusque pium ac laudabile propositum, quantum cum Domino possumus, confovere, necnon ipsam Militiam, ut felicioribus in dies laetari possit incrementis, opportunae subventionis ope iuvare ac fulcire volentes, ipsumque Franciscum ducem ac magnum magistrum seu perpetuum administratorem, eiusdemque Militiae milites, et eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad uberiorem cautelam ac etiam, quatenus opus sit, omni et quocumque potiori et meliori modo ac formâ, quibus firmius et validius a nobis fieri possit ac valeat, eidem Francisco duci et magno magistro seu perpetuo administratori, ac praefatis eius natis, nepotibus et descendentibus, aliisque familiae suae Farnesiae successoribus Parmae et Placentiae ducibus, pro tempore existentibus, successivo respective ordine, praefatum officium seu munus magni magistri seu perpetui administratoris Militiae praefatae per eumdem Franciscum ducem, ut praefertur, obtentum et hucusque praeclare gestum, ac exercitium, cum omnibus et singulis illius honoribus, iuribus, praeeminentiis et praerogativis solitis et consuetis, aliisque gratiis sibi ac familiae suae Farnesiae descendentibus et successoribus praedictis a praefato Innocentio praedecessore, ob eximiam suorum et familiae suae Farnesiae praedictae meritorum celsitudinem, ut praefertur, concessis, tenore praesentium perpetuo iterum concedimus et assignamus, omniaque et singula eidem Francisco duci et magno magistro seu perpetuo administratori, ac familiae suae Farnesiae descendentibus et successoribus praedictis,

1 Edit. Main. habet *singulos* (R. T.).

2 Potius lege *ascendunt* vel *ascendant* (R.T.).

super libero exercitio officii seu muneris huiusmodi ab eodem Innocentio praedecessore concessa, etiam perpetuo harum serie approbamus et confirmamus; dictumque Franciscum ducem et magnum magistrum seu perpetuum administratorem, eiusque familiae Farnesiae descendentes et successores praefatos, in omnibus et singulis iuribus, quae dicto Ioanni Andreae, eiusque familiae Angelae Flaviae Comnenae, si tempore resignationis ab ipso Ioanne Andrea eidem Francisco duci ut praefertur factae, et per eumdem Innocentium praedecessorem etiam ut praefertur confirmatae et approbatae, extitissent[1], ad dictum officium seu munus magni magistri seu perpetui administratoris quomodolibet competebant seu competere poterant, et, si dictus Ioannes Andreas officium seu munus huiusmodi non resignasset, ipsiusque familia Angela Flavia Comnena praedicta extincta non fuisset, quomodocumque competerent et competere possent, gratiose ac plenarie subrogamus et subrogatos esse volumus et declaramus; necnon, Militiam Aureatam Constantinianam praedictam ab eodem Francisco duce et magno magistro seu perpetuo administratore ut praefertur instauratam, ac fere de novo erectam et institutam, dictâ apostolicâ auctoritate approbantes et confirmantes, eumdemque Franciscum ducem, et ab illius familiâ Farnensiâ descendentem, qui Parmae et Placentiae dux pro tempore extiterit, ordine praefato, magnum magistrum seu perpetuum administratorem eiusdem Militiae, perinde ac si ab ipsomet Francisco duce vere de novo erecta et instituta fuisset, cum honoribus, praerogativis et facultatibus, quibus alii aliarum militiarum huiusmodi apostolicâ auctoritate confirmatarum magni magistri cum suis militibus quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, absque ullo prorsus discrimine, et sine aliquo antiquorum iurium praeiudicio, sed nova iura antiquis cumulando eaque conservando, perpetuo constituimus et deputamus.

Erectio ecclesiae Steccatae in ecclesiam sedem et caput dicti Ordinis, cum uno magno prioratu et privilegiis similium ecclesiarum capitum aliarum militiarum.

§ 4. Ac ecclesiam B. Mariae *della Steccata* nuncupatae ([1] regiminis et gubernii a Congregatione praedictâ, a qua, ut praefertur, regi et gubernari usque nunc consuevit, abdicatione, ac praedictorum vigintiquinque clericorum seu presbyterorum saecularium praefatorum, a quibus eadem ecclesia B. Mariae *della Steccata* nuncupatae nunc ut praefertur in divinis deservitur, amotione) in certam ecclesiam, certamque praedictae Militiae Aureatae Constantinianae sedem collegialem seu conventualem, quae caput aliarum ecclesiarum Militiae huiusmodi in posterum erigendarum existat, ac omnibus et singulis privilegiis, indultis, favoribus, exemptionibus, libertatibus, iurisdictionibus, auctoritatibus, facultatibus et gratiis, quibus aliae similes ecclesiae militiarum capita quomodolibet gaudent, utuntur, fruuntur et potiuntur, seu gaudere, uti, frui et potiri debent, perpetuo gaudeat, utatur, fruatur, ac potiatur, necnon a vigintiquinque clericis seu presbyteris idoneis a nunc et pro tempore existente dictae Militiae magno magistro seu perpetuo administratore eligendis et ad sui placitum amovendis, aliisque, toties quoties casus evenerit, subrogandis, et ab eo insigni crucis eiusdem Militiae iuxta illius statuta seu stabilimenta donandis, qui apud dictam ecclesiam B. Mariae *della Steccata* nuncupatae personaliter residere teneantur, cum congruâ illius menstrui salarii, quod vigintiquinque clericis seu presbyteris saecularibus ut praefertur amotis antea assignari con-

1 Deest vox *praeviâ* vel *praeviis* (R. T.).

sueverat, assignatione, in divinis collegialiter seu conventualiter deserviri debeat, ubi milites praedicti nunc et pro tempore existentes divina officia aliasque ecclesiasticas functiones, ab eis iuxta laudabilia eiusdem Militiae instituta et consuetudines celebrari solita ac debita, celebrare libere et licite valeant, eâdem apostolicâ auctoritate perpetuo erigimus et instituimus. Ac, ut in eâdem ecclesiâ B. Mariae *della Steccata* nuncupatae divinum servitium et milites praedicti in spiritualibus exacte pieque dirigantur, in eâ unum magnum prioratum pro uno presbytero idoneo milite eiusdem Militiae expresse professo, futuro eiusdem magni prioratus magno priore, ac a nunc et pro tempore existente praedictae Militiae magno magistro seu perpetuo administratore ad dictum magnum prioratum, dum illum quandocumque, quomodocumque, ubicumque, et ex cuiusvis personâ, ac etiam a primaevâ illius erectione per praesentes faciendâ, vacare contigerit, eligendo, et in magnum priorem dicti magni prioratus praeficiendo, qui ecclesiae B. Mariae *della Steccata* nuncupatae praedictae, illiusque capellanorum insigni crucis ut praefertur donandorum, aliorumque ministrorum praedictae ecclesiae B. Mariae *della Steccata* nuncupatae pro tempore inservientium caput, praeses ac praelatus existat, eique ac militibus praedictis in spiritualibus, cum indultis, gratiis, antelationibus, praeeminentiis, ac annuis redditibus eidem futuro magno priori pro eius congruâ substentatione, ut infra, concedendis et assignandis, praeesse, illorumque praeses ac prelatus esse, ac eorum spirituali directioni incumbere debeat, apostolicâ auctoritate praefatâ similiter perpetuo erigimus et instituimus. Ac domum piam de *Misericordiâ* nuncupatam praedictam in terrâ de *Corte Maggiore* Placentinae dioecesis dictae provinciae, quae, ut praefertur, minime collativa existit, nullique ad vitam committi, minusque in administrationem concedi consuevit, et ad dictum Franciscum ducem, ut praefertur, nunc spectat et pertinet, praeviâ similiter illius gubernii et administrationis ab hominibus universitatis praedictae terrae abdicatione, cum omnibus et singulis illius aedificiis, membris, aedibus, aliisque pertinentiis, necnon bonis, iuribus ac redditibus ut infra applicandis, appropriandis et erogandis, eidem ecclesiae B. Mariae *della Steccata* nuncupatae, in collegialem seu conventualem dictae Militiae ecclesiam ut praefertur erectae, omnimode subiicimus; eamque sic subiectam, eidem Militiae illiusque magno magistro seu perpetuo administratori, ac militibus nunc et pro tempore existentibus, cum pleno et libero illius aedificiorum, bonorum ac iurium quorumcumque praedictorum respective usu et dominio, motu simili, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, de consensu praedicti Francisci ducis, etiam perpetuo concedimus et assignamus.

Et concessio piae domus Misericordiae.

Administratio bonorum ecclesiae et domus praedictarum committitur novae militum Congregationi erigendae.

§ 5. Ecclesiae vero B. Mariae *della Steccata* nuncupatae, in collegialem seu conventualem ecclesiam dictae Militiae ut praefertur erectae, ac domus piae praedictarum, eidem Militiae, illius magno magistro seu perpetuo administratori, ac militibus nunc et pro tempore existentibus praedictis respective, ut praefertur, concessarum et assignatarum, praedia, proprietates, fundos, census, aliaque iura et bona universa in quibusvis rebus et ubicumque consistentia et undecumque provenientia, ac quomodolibet et quovis nomine nuncupata (praeviâ illorum, quatenus opus sit, ab ecclesiâ B. Mariae *della Steccata*

nuncupatae in collegialem seu conventualem predictae Militiae ecclesiam ut praefertur erectâ et domo piâ praedictis opportunâ dismembratione, ita quod liceat Militiae praedictae illiusque modernis magno magistro seu perpetuo administratori ac militibus huiusmodi, per se ipsos vel alios, eorum et praedictae Militiae nominibus, realem, corporalem et actualem proprietatem[1], rerum, praediorum, censuum, aliorumque iurium et bonorum universorum respective praedictorum possessionem, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ, propriâ auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere), necnon omnes et singulos fructus, redditus, proventus et obventiones, ac emolumenta quaecumque ex eis respective quomodolibet provenientia (quae omnia insimul, deductis omnibus et singulis ecclesiae B. Mariae *della Steccata* nuncupatae in collegialem seu conventualem dictae Militiae ecclesiam ut praefertur erectae ac domus piae praedictarum respective oneribus, ad praedictam summam quingentorum septuaginta duorum ducatorum auri de Camerâ huiusmodi circiter annuatim, ut praefertur, ascendunt; quae omnia et singula respective onera praedicta integre, et absque ullâ prorsus illorum diminutione quantumvis minimâ, semper et perpetuo supportari et adimpleri, necnon omnia et singula iurapatronatus beneficiorum, in praedictâ ecclesiâ B. Mariae *della Steccata* nuncupatae in collegialem seu conventualem praedictae Militiae ecclesiam ut praefertur erectâ iam fundatorum, semper et perpetuo conservari ac penitus illaesa remanere, illaque ad eorum respective patronos nunc et pro tempore existentes ut prius spectare et pertinere debere, volumus atque decernimus) per unam eiusdem Militiae militum ab illis nunc et pro tempore existente magno magistro seu perpetuo administratore eligendorum et deputandorum eiusque arbitrio removendorum Congregationem noviter deputandam (ad quam iuspatronatus, quod antehac in duobus ex praedictis beneficiis, in praedictâ ecclesiâ B. Mariae *della Steccata* nuncupatae in collegialem seu conventualem praedictae Militiae ecclesiam ut praefertur erectâ[1] etiam fundatis, ad primodictam Congregationem quomodolibet spectabat et pertinebat, in posterum, perinde ac si ab illorum respective primaevâ fundatione vel dotatione secundodictae Congregationi reservatum fuisset, spectet et pertineat, ac spectare et pertinere debeat et censeatur) integre, plenarie ac libere administrari debere (ita quod secundodictae Congregationi, de novo, ut praefertur, deputandae, liceat omnia et singula ad ecclesiam B. Mariae *della Steccata* nuncupatae, in collegialem seu conventualem praedictae Militiae ecclesiam ut praefertur erectam, et domum piam praefatas quomodolibet respective pertinentia praedia, census, bona et iura universa perpetuo regere et gubernare, eorumque fructus, redditus et proventus quoscumque percipere, exigere, levare, dislocare et arrendare; cum hoc tamen quod ex annuis fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi eadem secundodicta Congregatio omnia et singula ecclesiae et domus piae praedictarum respective onera, iuxta illarum fundationis aliarumque piarum dispositionum legem annuatim supportanda ac adimplenda, supportare et plenarie adimplere, ipsamque ecclesiam, illiusque sacristiam, de supellectilibus aliisque rebus ad cultum divinum necessariis ma-

1 Videtur legendum *proprietatum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *erectae* (R. T.).

nutenere ut prius debeat; eos autem, qui supererunt, annuos fructus, redditus et proventus praedictos pro ratâ annuâ centum septuagintaduorum ducatorum auri similium, in congruam dicti magni prioris magnum prioratum huiusmodi pro tempore obtinentis substentationem, reliquos vero quadringentos ducatos auri de Camerâ huiusmodi in annuum tot commendarum dictae Militiae pro tot eiusdem Militiae militibus iuxta providam nunc et pro tempore existentis magni seu perpetui administratoris praedicti dispositionem ac eius arbitrio erigendarum et assignandarum stipendium, perpetuo convertere et erogare libere et licite valeat) similiter volumus, decernimus et declaramus.

Facultas facta magno magistro erigendi commendas.

§ 6. Ac insuper eidem Francisco duci et magno magistro seu perpetuo administratori, eiusque in eiusmodi officio seu munere successoribus praedictis, quod praedictas aliasque commendas, capellas aut ecclesias eiusdem Militiae perpetuo erigere et instituere, dictaeque Militiae perpetuo incorporare, applicare et appropriare, et commendarum fundatoribus ac dotatoribus iuspatronatus et praesentandi Militiae eiusque magno magistro seu perpetuo administratori pro tempore existenti, vel eius deputato, personas idoneas ad commendas huiusmodi pro tempore vacantes etiam concedere et reservare, et sic a patronis praesentatos, iuxta stabilimenta dictae Militiae a nobis suis loco et tempore approbanda nostrâque apostolicâ auctoritate confirmanda, Ordinariorum locorum et quorumvis aliorum consensu desuper minime requisito, in ipsis commendis instituere, ac aliàs illas conferre et de eis povidere possit (ita tamen ut quoad beneficia ecclesiastica in dictâ ecclesiâ B. Mariae *della Steccata* nuncupatae, in collegialem seu conventualem praedictae Militiae ecclesiam ut praefertur erectâ, iam etiam ut praefertur fundata, quorum duo de iurepatronatus secundodictae Congregationis, reliqua vero pro maiori parte similiter de iurepatronatus laicorum ex fundatione vel dotatione, ut praefertur, existunt, ac etiam quoad alia pariter ecclesiastica beneficia quae in eâdem vel aliis praedictae Militiae ecclesiis de cetero erigi ac fundari contigerit, idem magnus magister seu perpetuus administrator nullo modo se ingerere valeat, sed, quotiescumque beneficia huiusmodi pro tempore vacaverint, illorum patroni magno priori nunc et pro tempore existenti personas idoneas ad beneficia huiusmodi nominare et praesentare, eaedemque personae, sic nominatae ac praesentatae, ab eodem magno priore canonicam institutionem in eisdem beneficiis reportare debeant et teneantur), motu simili, ac ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, perpetuo concedimus et indulgemus.

Exemptio ab Ordinariis locorum et subiectio magno magistro.

§ 7. Praeterea ecclesiam B. Mariae *della Steccata* nuncupatae, in collegialem seu conventualem dictae Militiae ecclesiam ut praefertur erectam, et domum piam praedictas, necnon commendas, capellas et ecclesias quascumque praedictae Militiae, tam hactenus erectas, quam in posterum, ut praefertur, erigendas, illarumque omnia et singula respective bona, redditus et proventus quoscumque, ac insuper omnes et singulos eiusdem Militiae milites, etiam clericali charactere insignitos, aut in aliquo ex sacris ordinibus constitutos, ubicumque nunc existentes, ac de cetero extituros, necnon eos omnes etiam cruce huiusmodi Militiae non insignitos qui praedictae ecclesiae B. Mariae *della Steccata* nuncupatae, in collegialem seu conventualem dictae Militiae

ecclesiam ut praefertur erectae, actu inservient, ac intra eius septa et domum residebunt, et sub magni prioris praedicti obedientiâ vivent, ab omni iurisdictione, superioritate, visitatione, dominio et potestate quorumvis episcoporum, archiepiscoporum, aliorumque locorum Ordinariorum similiter perpetuo penitus et omnino etiam in habitu amplissime eximimus et liberamus, illaque ac illos respective dicti Francisci ducis et magni magistri seu perpetui administratoris, eiusque, et qui pro tempore extiterint in munere eiusdem successorum, iurisdictioni, visitationi et correctioni in spiritualibus et temporalibus immediate pleno iure ac in totum subiicimus et supponimus (declarantes tamen ac decernentes quod idem magnus magister seu perpetuus administrator pro tempore existens, in causis tam civilibus quam criminalibus vel mixtis militum quorumcumque, necnon ministrorum aliorumque praedictae ecclesiae B. Mariae *della Steccata* nuncupatae in collegialem seu conventualem dictae Militiae ecclesiam ut praefertur erectae inservientium, qui clericali charactere praedicto insigniti, aut in aliquo ex sacris ordinibus constituti, ut praefertur, respective fuerint, nullo modo se immiscere possit, nec debeat; sed eiusmodi causas, quotiescumque ac ubicumque casus evenerit, cognoscendas fineque debito terminandas committere ac delegare teneatur magno priori praedicto, vel aliis personis, praefato tamen clericali charactere insignitis, seu in aliquo ex sacris ordinibus praedictis et in ecclesiasticâ dignitate constitutis, eiusdem magni magistri seu perpetui administratoris arbitrio eligendis, et non aliàs); ita quod locorum Ordinarii aliique omnes et singuli praedicti nullam in commendas, capellas et ecclesias praedictas, earumque bona, redditus et proventus, necnon in milites, aliasque personas praedictas respective iurisdictionem, superioritatem, dominium vel potestatem, etiam ratione cuiuscumque contractus, necnon cuiusvis generis delicti, etiam turbatae iurisdictionis vel alterius etiam gravioris speciei et specialem mentionem requirentis, vel alterius rei, ubicumque locorum ineatur contractus, committatur delictum, et res ipsa consistat, exercere valeant, sed milites ac alii omnes huiusmodi coram solo magno magistro seu perpetuo administratore nunc et pro tempore existente praedicto, tamquam proprio eorum Ordinario, aut aliis clericali charactere praedicto insignitis, seu in aliquo ex sacris ordinibus praedictis et in ecclesiasticâ dignitate constitutis, ab eodem magno magistro seu perpetuo administrâtore ut supra deputandis personis, respective, omnino privative quoad Ordinarios locorum aliosque omnes et singulos praedictos, in omni et quocumque casu respondere debeant; decernentes, quoscumque processus contra illos vel eorum aliquem per ipsos locorum Ordinarios, vel illorum vicarios, seu quosvis alios praedictos etiam in casu negligentiae magni magistri seu perpetui administratoris vel magni prioris praedictorum, pro tempore factos, necnon similiter quaslibet etiam excommunicationis vel suspensionis, aliasque sententias promulgatas, nullas et invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore; non obstante, quoad omnia praedicta, etiam in alterius quam magni magistri seu perpetui administratoris eiusve deputati vel magni prioris praedictorum iurisdictionem quomodolibet per milites aliasque personas huiusmodi praestando consensu, quem non valere nec attendi debere similiter decernimus et declaramus.

Usus habitus praelatitii pro magno priore, et aliae honorificentiae.

§ 8. Ac insuper, ut divinus cultus in dictâ ecclesiâ B. Mariae *della Steccata* nuncupatae, in collegialem seu conventualem dictae Militiae ecclesiam, ut praefertur, erectâ, decentius et honorificentius peragatur, debitisque futurus magnus prior praedictus praefulgeat insigniis, eidem magno priori, ut ipse, illiusque successores magnum prioratum per praesentes erectum huiusmodi pro tempore obtinentes, mozzettam laneam, sive ex camelotto, violacei coloris, cum suo capuccio, ac rocchettum ad instar aliorum praelatorum inferiorum, absente tamen magno magistro seû perpetuo administratore praedicto, unâ cum cruce eiusdem Militiae super mozzettâ, tam in praedictâ B. Mariae *della Steccata* nuncupatae collegiali seu conventuali dictae Militiae ecclesiâ ut praefertur erectâ, quam etiam in aliis dictae Militiae ecclesiis; quotiescumque vero dictus magnus magister seu perpetuus administrator in eisdem ecclesiis praesens aderit, necnon extra eas, ac intra et extra civitatem Parmensem, et ubivis locorum, non tamen in Urbe, mantellettum dumtaxat consimile cum cruce eiusdem Militiae et rocchettum coram quibusvis personis etiam Ordinariis locorum, ac S. R. E. cardinalibus, dictaeque Sedis etiam de latere legatis, vicelegatis ac nunciis, libere deferre et gerere, necnon missam privatam celebraturi, sive in dictâ B. Mariae *della Steccata* nuncupatae collegiali seu conventuali, sive in aliis ad eamdem Militiam quomodolibet spectantibus ecclesiis, ante altare, inter duos cappellanos superpelliceo indutos, cum canone et instrumento argenteo cum candelâ, vulgo *bugia* nuncupato, non tamen paramentis sacris ab altari, sed ab aliâ tabulâ a cornu Epistolae praeparatâ, desumptis, ac sine abaco more episcoporum, et sine cruce pectorali ac stolâ a collo libere pendente, se praeparare, et sic praeparati, cum assistentiâ duorum capellanorum, unius clerici, unius cubicularii, qui pro manuum lotione aquam porrigat, et unius famuli, missam privatam huiusmodi celebrare, necnon annulum pretiosum in digito deferre, ac manipulum ad versiculum *Indulgentiam, absolutionem, etc.*, suscipere, non tamen ad populum se vertendo, *Pax vobis*, nec, missâ absolutâ, *Sit nomen Domini benedictum*, dicere, nec populo ter benedicere; post missam vero privatam, ut praefertur, celebratam, rocchetto induto absque mantelletto, ante altare, inter eosdem duos capellanos superpelliceo indutos, cum canone ac instrumento argenteo praedictis, gratiarum actionem peragere; praeterea, dum missam solemnem pro defunctis in ecclesiis supradictis celebraturi erunt, exire e sacrario cum cappâ inter assistentes paratos et in faldistorio ante altare posito sacras vestes induere, prout etiam quoties missam solemnem pontificalem in eisdem ecclesiis celebrabunt, quinque assistentes habere, et nobilem sedem seu cathedram coopertam simplici serico panno coloris festivitati congruentis, non tamen auro contexto, aut phrygio seu basilico opere ornato, retinere, eâque, non tamen in praesentiâ magni magistri seu perpetui administratoris praedicti, uti, cappâ quoque magnâ, non tamen ministro seu inserviente qui eiusdem cappae aut vestis talaris limbum seu caudam extollat, necnon baculo, mitrâ, annulo pastoralibus, ceterisque pontificalibus indumentis etiam uti; ac insuper in praefatâ B. Mariae *della Steccata* nuncupatae in collegialem seu conventualem dictae Militiae ecclesiam, ut praefertur, erectâ ecclesiâ, diebus et festivitatibus infra-

scriptis, videlicet in Paschatis Resurrectionis et Pentecostes ac infra octavam festi SS. Corporis Christi dominicis, necnon feriâ v maioris hebdomadae, ac Nativitatis, Epiphaniae, ac Ascensionis Domini, necnon Annunciationis et Assumptionis beatae Mariae Virginis, ac Omnium Sanctorum et S. Gregorii festis diebus, item in primâ capellâ, per dictum magnum magistrum seu perpetuum administratorem inibi habendâ, et in eiusdem Militiae comitiis, mitrâ pretiosâ similiter uti, necnon populo ter post solemnium, non autem privatarum, missarum celebrationem, ac eisdem pontificalibus indumentis ut praefertur induti ecclesias, capellas, aliaque sacra aedificia tam hactenus constructa quam de cetero construenda dictae Militiae dumtaxat benedicere, eaque polluta reconciliare; ac insuper pro earumdem ecclesiarum tantum usu et servitio paramenta et supellectilia sacra, exceptis tamen iis omnibus in quibus sacri olei vel chrismatis unctio adhibetur, etiam benedicere, necnon litteras officii Poenitentiariae nostrae apostolicae, eis pro executione directas, ad supplicationem eiusdem Militiae militum seu aliarum personarum illius servitio addictarum expeditas, exequi; necnon praedictis capellanis cruce praedictâ ut praefertur decoratis et decorandis, ut, praeter consuetum eiusdem Militiae habitum, rocchettum et mozzettam cum suo capuccio violacei coloris, et super eâ crucem eiusdem Militiae, tam in praedictâ B. Mariae *della Steccata* nuncupatae in collegialem seu conventualem eiusdem Militiae ecclesiam ut praefertur erectâ ecclesiâ, quam extra eam, necnon extra civitatem et dioecesim Parmensem, et ubique locorum, etiam in processionibus et funeralibus, aliisque actibus et functionibus ecclesiasticis publicis et privatis, ac etiam in comitiis provincialibus et generalibus eiusdem Militiae, ac etiam in S. R. E. praedictae cardinalium, etiam de latere legatorum, nunciorum, archiepiscoporum, episcoporum et aliorum quorumcumque praesentiâ, quibusvis anni temporibus et diebus, similiter deferre et gestare, illisque pariter uti, libere et licite respective possint et valeant, motu pari, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, similiter perpetuo concedimus et indulgemus.

Clausulae generalissimae et specialissimae.

§ 9. Necnon omnia et singula praemissa, ac easdem praesentes, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari vel argui posse, ipsaque omnia et singula praemissa, tamquam magno magistro seu perpetuo administratori ac Militiae vel militibus nunc et pro tempore existentibus praedictis ex causâ onerosâ concessa, sub quibusvis tam earumdem praesentium quam similium vel dissimilium gratiarum in genere vel in specie suspensionibus, derogationibus, revocationibus, limitationibus, alterationibus, aliisque contrariis dispositionibus a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus et a Sede praedictâ quavis de causâ quantumlibet legitimâ et iustissimâ pro tempore emanatarum[1] minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restituta, et de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per magnum magistrum seu perpetuum administratorem ac milites nunc et pro tempore existentes praedictos quandocumque eligendâ concessa esse et censeri, necnon eisdem praemissis, eisdemque praesentibus,

1 Potius *emanatis* (R. T.).

etiam per quascumque litteras apostolicas, etiam per[1] quasvis clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas, ac etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione, in se continentes, nullatenus derogari posse, nec quoad illa derogatum esse pariter censeri, nisi tenor illarum de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, et huiusmodi derogationes consistorialiter factae et per trinas distinctas litteras eumdem tenorem continentes, tribus distinctis vicibus, magno magistro seu administratori perpetuo, ac militibus nunc et pro tempore existentibus praedictis, intimatae ac insinuatae fuerint, ac magni magistri seu perpetui administratoris ac militum nunc et pro tempore existentium praedictorum expressus ad id accedat assensus, et aliter factae derogationes nemini suffragari, et magnum magistrum seu perpetuum administratorem ac milites praedictos ad parendum litteris derogatoriis huiusmodi et decretis super illis processibus ac eorumdem processuum exequutoribus et subexequutoribus eorumque mandatis et monitionibus minime teneri; sed illos litterarum derogatoriarum huiusmodi executionem omnino impedire, nec, ratione resistentiae, censuris ecclesiasticis per eosdem exequutores seu subexequutores latis innodari; sicque et non aliàs in omnibus et singulis praemissis huiusmodi per quoscumque iudices ordinarios vel extraordinarios et delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, necnon eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos dictaeque Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et definiendi, ac interpretandi facultate, potestate et auctoritate, ubique iudicari, definiri et interpretari debere, et, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

§ 10. Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Imolensi ac dilectis filiis causarum Curiae Camerae nostrae Apostolicae generalis auditori et archipresbytero ecclesiae Parmensis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Francisci ducis et magni magistri seu perpetui administratoris et militum nunc et pro tempore existentium praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ Franciscum ducem et magnum magistrum seu perpetuum administratorem ac milites praedictos approbatione, confirmatione, constitutione, subrogatione, erectione, institutione, concessione, assignatione, indulto, decreto, declaratione, derogatione, aliisque praemissis pacifice frui et gaudere, ac, si opus fuerit, Franciscum ducem et magnum magistrum seu perpetuum administratorem ac milites nunc et pro tempore existentes praedictos vel eorum procuratorem seu procuratores eorum nomine in corporalem possessionem ecclesiae B. Mariae *della Steccata* nuncupatae, in collegialem seu conventualem dictae Militiae ecclesiam, ut praefertur, erectae, ac domus piae, ac annexorum iuriumque et pertinentiarum suorum praefatorum inducant auctoritate nostrâ, et defendant inductos, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, facientes eis vel pro eis procuratori vel procuratoribus praedictis de illorum ac an- Deputatio executorum.

1 Praeposit. *per* delenda videtur (R. T.).

nexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventibus universis integre responderi, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari, contradictores quoslibet ac rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposità, compescendo, necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas incurrisse declarando, necnon eas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, quatenus opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio.

§ 11. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, similiter praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem et dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedictâ deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut aliis vel alii vices suas committere praesumant, et de duabus dietis in concilio generali editâ, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate earumdem praesentium ad iudicium non trahatur, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, necnon, quatenus opus sit, nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et exprimendo vero annuo valore tam uniendorum beneficiorum quam eorum quibus fit unio, et quibusvis aliis apostolicis, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiae B. Mariae *della Steccata* nuncupatae, in eiusdem Militiae collegialem seu conventualem ecclesiam, ut praefertur, erectae, ac domus piae praedictarum respective fundatione, necnon Militiae illiusque Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis usibus et naturis, ac quibusvis privilegiis, indultis et litteris apostolicis, etiam aliis militiis ac Ordinariis locorum et quibusvis ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis, etiam fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ac cruciatae sanctae, eorumque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam ad imperatorum, regum, reginarum, ducum, rerumpublicarum, etiam Venetae, et aliorum quorumcumque instantiam, etiam consistorialiter et motu simili, ac aliàs quomodolibet etiam per nos pluries concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua, non autem per clausulas, generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse harum serie motu pari derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae eisdem praesentibus non

expressa vel totaliter non inserta effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, constitutionis, deputationis, subrogationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, subiectionis, exemptionis, declarationis, indulti, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXVIII, VI kalendas iunii, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 27 maii 1718, pontif. anno XVIII.

CCLVIII.

Confirmatur decretum Congregationis indulgentiarum de communicatione indulgentiarum Congregationis Lateranensis Congregationi canonicorum Windesinensium in utrâque Germania [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Petitio facta pro communicatione privilegiorum et indulgentiarum Congregationis Lateranensis.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Bernardi Goëken prioris monasterii Georgimontani in Granhof Hildesimensis diocesis et praepositi generalis canonicorum regularium Congregationis Windesinensis Ordinis S. Augustini in utrâque Germaniâ, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium indulgentiis et sacris reliquiis praepositae exposito, quod ipse praedictam suam Congregationem, eiusque ecclesias, tam eorumdem canonicorum quam canonissarum, omnium privilegiorum et gratiarum, quibus Congregatio canonicorum Lateranensium fruitur, necnon indulgentiarum in sanctorum Augustini, et Monicae illius genitricis, Patritii, Frigdiani et Ubaldi episcoporum festis diebus, et die V mensis martii, qua Omnium Sanctorum Ordinis praedicti commemoratio ibidem fieri solet, ac aliarum Congregationi Lateranensi eiusdem Ordinis S. Augustini a Sede Apostolicâ concessarum, participem per nos declarari plurimum cupiebat, quemadmodum in quibusdam felicis recordationis Urbani VIII et Innocentii XII Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum annis MDCXXIV et MDCXCI respective expeditis litteris constare dicebatur: emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis indulgentiarum pro concessione indulgentiarum tantum.

Sacra Congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita declaravit ecclesias canonicorum et canonissarum Congregationis Windesinensis ubique existentes participes esse omnium indulgentiarum quibus gaudet Congregatio canonicorum regularium Lateranensium. Quam sacrae Congregationis sententiam, per me secretarium sanctissimo domino nostro relatam die XXIII eiusdem mensis, Sanctitas Sua benigne approbavit. — C. De Hieronymis, secret.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Bernardus prior et praepositus generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Bernardi prioris et praepositi generalis votis hac in re, quantum

1 Innocentii XIII const. edit. MDCCXXII, die 19 maii, pontif. I, declaratur huiusmodi fruitio indulgentiarum pro canonicis superioris Germaniae.

cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, etc.[1].

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iunii MDCCXVIII, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 30 iunii 1718, pontif. anno XVIII.

CCLIX.

Confirmatur et innovatur constitutio Clementis X revocans et prohibens privilegia personalia pro provinciis fratrum Minorum Discalceatorum in Brasilia[3].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Admonet nos suscepti cura regiminis universalis Ecclesiae, ut illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, pro felici christifidelium, qui, abnegantes semetipsos, e fluctibus saeculi in regularis vitae portum confugerunt, directione et quiete, salubriter constituta esse dignoscuntur, quo serventur[1] in posterum exactius, innovemus, et apostolicae confirmationis nostrae patrocinio constabiliamus. Exordium.

§ 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Clemente PP. X praedecessore nostro emanarunt litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet: Constitutio Clementis X, qua revocata fuere et in posterum prohibita privilegia personalia, nonnullis exceptis, cum poenis in contravenientes.

Clemens PP. X, ad perpetuam rei memoriam. Sacrosancti apostolatus officium, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii fratres provinciarum S. Antonii et Immaculatae Conceptionis in Brasiliâ Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, ne imposterum in provinciis huiusmodi ambitionis et relaxationis laxentur habenae, praeinsertas litteras per nos confirmari, ac aliàs opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desiderent: nos, inviolabili praeinsertarum litterarum observationi, quantum cum Domino possumus, peramplius consultum esse cupientes, ipsosque exponentes specialibus favoribus et gratiis pro- Confirmatio recensitae constitutionis cum nova prohibitione eorumdem privilegiorum.

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).

2 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

3 Laudata constitutio edita fuit pro Reformatis, anno MDCLXXII, die 7 octobris, pontif. III, et hic refertur; huius Pontificis constit. edit. MDCCXVII, die 7 septembris, pontif. XVII, extat statutum de visitatore provinciae Conceptionis fluminis Ianuarii; et const. edit. MDCCXX, die 7 septembris, pontif. XX, abolentur indulta lectorum, praedicatorum et magistrorum Reformatorum.

1 Edit. Main. legit *servetur* (R. T.).

2 Habetur in tom. XVIII, pag. 349 (R. T.).

sequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium, qui dilectum filium modernum procuratorem generalem dicti Ordinis super praemissis audiverunt, consilio, praeinsertas Clementis praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, pro dictis duabus provinciis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac, quatenus opus sit, innovamus; necnon insuper indulta seu privilegia personalia huiusmodi etiam a nunc et pro tempore existente nostro et dictae Sedis in Portugalliae et Algarbiorum regnis nuncio concedi minime posse, ac concessa nullum habere vigorem nec executionem, dictâ auctoritate, harum serie, decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae in praeinsertis litteris idem Clemens praedecessor voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX augusti MDCCXVIII, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 20 augusti 1718, pontif. anno XVIII.

1 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

CCLX.

Monita pastoralia christifidelibus data adversus recusantes obedientiam praestare constitutioni Unigenitus[1].

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Pastoralis officii, quod superni dispositione consilii gerimus, cura nos admonet, ut animarum saluti ubique terrarum procurandae, ac praesertim orthodoxae fidei, sine qua impossibile est placere Deo, puritati servandae, omni studio advigilemus. Praoemium.

§ 1. Eapropter, cum in quibusdam ultra montes provinciis, et praecipue in amplissimo Galliae regno, varia pravarum doctrinarum, imo et haeresum semina, occasione damnati cuiusdam libri gallico idiomate iam pridem editi sub titulo: *Le Nouveau Testament en françois, avec des réflexions morales sur chaque verset, etc.*; aliter vero: *Abrégé de la morale de l'Évangile, des Actes des Apôtres, des Epîtres de S. Paul, des Épîtres canoniques, et de l'Apocalypse*; vel: *Pensées chrétiennes sur le texte de ces livres sacrés, etc.*, germinare cognovissemus, iisdem eradicandis, nostri non minus muneris debito admoniti, quam crebris multorum catholici orbis ac praesertim Galliae episcoporum precibus excitati, quin etiam piis ac saepius repetitis clarae memoriae Ludovici XIV, dum vixit, Francorum regis christianissimi votis et officiis adducti, quascumque potuimus apostolicae nostrae sollicitudinis partes, adiuvante Do- Causae damnationis libri: *Le Nouveau Testament*, et constitutionis *Unigenitus*.

1 Laudata constitutio edita fuit MDCCXIII, die 8 septembris, pontif. XIII, ubi vide notata; et Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVIII, die 25 iunii, pontif. V, damnantur duo libri gallici.

mino, interponere non praetermisimus. Quae autem et quanta in hoc arduo gravissimoque negotio per plures annos egerimus et passi simus, quaeve inobedientium hominum et paucorum (quod valde dolentes dicimus) illustrium etiam ecclesiarum antistitum veritati non acquiescentium operâ in idem inclytum regnum mala provenerint, vobis fere omnibus minime ignota esse existimamus. Postquam siquidem, divino in primis implorato praesidio, curâque omni, studio ac labore, prout rei gravitatis exposcebat, diutissime collatis, adversus praedictum librum constitutionem nostram, quae incipit *Unigenitus Dei filius*, anno Incarnationis dominicae MDCCXIII, VI idus septembris, editam promulgavimus, in qua plures noxios articulos ex eodem libro excerptos censuris variis, quas respective, ut aiunt, hoc est, singuli aliquam saltem earum merebantur, notatos, pro huius Sanctae Sedis more proscripsimus (cuiusmodi remedii necessitatem tum memoratus Ludovicus rex, tum plerique ex Gallia episcopi supradicti iteratis obtestationibus inculcaverant, non aliter suborta dissidia sedari posse constanter affirmantes), tota quidem Christi Ecclesia, Petrum per nos, tametsi indignos, loquentem secuta, apostolicam eiusdem constitutionis doctrinam debito obsequio atque obedientiâ suscepit; at novatores, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident, ex inconsultâ eorumdem paucorum antistitum haesitatione, ita animos extulerunt, ut incredibili audaciâ constitutionem ipsam perverse interpretari et incessere, pravaeque etiam doctrinae per impudentes calumnias insimulare non erubuerint. Itaque, ut reluctantes illos episcopos ad sectanda fratrum suorum vestigia excitaremus, ac turbarum malorumque omnium fomitem, quem improvida illa cunctatio ministraverat, extingueremus, canonicas animadversiones post diuturna trium annorum longanimitatis experimenta adhibere constitueramus. Verum venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales, quibuscum rationem consilii nostri communicare aequum esse censuimus, nos enixe obsecraverunt, ut paulisper a severioribus remediis supersedere vellemus, dum interim communibus litteris collegam suum, constitutioni nostrae sese subiicere detrectantem, atque iisdem propterea animadversionibus obnoxium, ad unitatis et pacis consilia revocare conarentur. Eorum igitur precibus annuentes, ne quam lenitatis viam intentatam relinqueremus, per illas ipsas inducias nos quoque ad universos archiepiscopos et episcopos regni Galliarum litteras in formâ Brevis die XX novembris MDCCXVI expeditas dedimus, quibus, rerum gestarum serie et ecclesiarum perturbatione uberius expositâ, illos hortati sumus ut dissentientes coëpiscopos suos, nostro etiam nomine, convenirent, eosque officii sui fraternâ charitate admonerent, necnon omnibus sacerdotalis sollicitudinis argumentis, imploratoque, nostris etiam verbis, dilectissimi in Christo filii nostri Philippi ducis Aurelianensis, eiusdem regni rectoris, patrocinio, ad reparanda ecclesiasticae unitatis et disciplinae detrimenta, atque ad avertenda catholicae religionis pericula flectere satagerent. Speravimus quidem uberem ex eiusmodi nostris litteris fructum, iunctoque nobiscum praeclarissimorum Galliae praesulum zelo, qui maximo sane numero pro veritate certabant, factum iri credidimus ut dissidentes fratres, quod nobis adeo in votis erat, lucrari possemus. Atqui spe nostrâ frustratos confestim nos vidimus, dolentesque clamare coacti sumus: *Sustinuimus pacem et non venit; quaesi-*

Oppositiones constitutioni *Unigenitus* dolens enarrat.

mus bona et ecce turbatio; et sane tam gravis, ut, qui ex adverso erant, illas ipsas nostras et huius Sanctae Sedis voces variis artibus pene intercludere tentaverint. Neque profecto felicius cesserunt officia illa, quae cardinales praedictis per impetratas a nobis, ut diximus, inducias praestiterunt. Quamquam enim communi totius sacri collegii epistolâ suasiones, consilia, obsecrationes, atque omnem ministerii sui fraternaeque benevolentiae fidem, sedulitatem ac sollicitudinem adhibuissent, frustra se tamen laborasse intellexerunt, neque alium, praeter inanes scandalorum ac dissidiorum expostulationes, sed sine voluntate veram amovendi causam unde illa emerserant, operae suae fructum reportarunt. Non tamen propterea concidimus animo, imo necdum a mitioribus consiliis recessimus, nihil interim curantes, quomodo homines modum hunc agendi nostrum interpretarentur, quippe qui sciremus Deo aeque per infamiam et bonam famam serviendum esse. Itaque, ut aberrantes in viam iustitiae suaviter revocaremus, iteratis saepius hortationibus nostris etiam preces addidimus, eumdemque in scopum privatis litteris manu nostrâ conscriptis, ea omnia paternae mansuetudinis officia implevimus, quae suggerere nobis potuit christiana charitas, quae patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia sustinet. Plures interea Gallicani antistites, non minus sapientiâ et doctrinâ quam pietate ac studio tuendae religionis illustres, ex iis scilicet, qui debitâ submissione constitutionem nostram amplexi fuerant, dignitatis et muneris sui probe memores, votisque et officiis nostris obsecundantes, favente etiam eorum conatibus memorato Philippo duce ac rectore, curas omnes suas assiduosque labores ad discordantium fratrum animos permovendos enixe conferre non omiserunt. Sed haec omnia prosperum illum, quem summopere praestolabamur, exitum minime habuerunt. Obscurati siquidem sunt renitentium oculi ne viderent, ac obturatae sunt aures ne audirent; adeout nonnulli eorum, non sine bonorum omnium luctu hostiumque Ecclesiae plausu, ad ea insuper publice devenire ausi fuerint, quae omnes ex vobis, quibus illa innotuerunt, improbasse non dubitamus, quaeque ipsimet, qui ea perpetrarunt, a nobis et a sanctâ Romanâ Ecclesiâ palam atque perpetuo damnanda atque execranda esse non ignorabant.

Monita praedicta.

§ 2. Quare, nos, qui supremo divini pastoris mandato deesse nec possumus nec debemus, quo et illius oves pascere et fratres nostros confirmare praecipimur, animo nobiscum reputantes quod verbum Dei non est alligatum, postquam diu, tentatis inutiliter consiliis pacis, hucusque siluimus, adhuc ulterius tacere nobis non tutum, christiano autem populo perniciosum fore censemus. Ad vos proinde omnes ex unâquaque natione, quae sub caelo est, christifideles, paternas voces nostras dirigimus, quo, primum quidem doloris nostri participes, vestras nobiscum ad Deum preces deferatis, ut, supernâ adspirante gratiâ, qui hactenus contumaces fuerunt, non iam ulterius alta sapientes, sed humilibus consentientes, ad debitam cum ceteris christifidelibus in sanâ catholicâque doctrinâ profitendâ veniant unitatem. Hoc nempe ex animo unice quaerimus, hoc dies noctesque, nec sine lacrymis, a Domino imploramus; neque enim oblivisci potest mulier infantem suum, nec sancta Romana Ecclesia filios suos. Deinde, ne quis christianum populum seducere pergat inanibus verbis, eos omnes, ut necesse est, monitos volumus et certos facimus, quod frustra, et quidem non

Ut christifideles pro contumacium resipiscentia Deum precentur.

Ut vitent refractariorum calumnias, dolos et artes, quae hic detegunturur.

sine fermento malitiae et nequitiae, istiusmodi homines nobiscum in doctrinâ religionis consentire se iactant, dum interim, heterodoxorum exemplo praeeunte, editam a nobis constitutionem, quam universa Ecclesia veneratione debitâ complectitur, non modo alienis ab ipso verborum tenore interpretationibus, sed et apertis calumniis superinductis maligne carpere audent, et immanium errorum accusatione perstringere; perinde ac si ipsi soli, aliis christifidelibus ubique gentium desipientibus, saperent, ipsi soli, reliquis coecutientibus, lumen veritatis adspicerent. Nec profecto minor est illorum culpa, qui, ut facilius incautis illudant, cum haec ipsa moliuntur, eidem constitutioni nostrae nequaquam adversari, sed solas declarationes, in rebus tamen apud ceteros omnes plane perspicuis, postulare se simulant, non quidem discere sed tentare cupientes, ut Ecclesiam, si possint, quaestionibus inutilibus et interminatis immisceant, et luci catholicae veritatis tenebras quoquomodo obscuritatis offundant. Ita sane, patientiâ nostrâ abutentes, apostolicae auctoritatis obsequium ac reverentiam se exhibere gloriantur illo ipso tempore, quo ei gravissimam inferunt iniuriam; iisdem siquidem explicationum petitionibus satis aperte ostendunt, ideo se constitutioni nostrae debitam obedientiam nondum praestitisse, quia verentur, ne per illam catholica dogmata convellantur, ne laudabilis et ab Sanctâ Sede probata ecclesiastica disciplina infringatur, neve demum salubriores christianonorum morum regulae subvertantur; quod plane idem est ac vereri ne defecerit fides Petri, totaque Christi Ecclesia magisterio apostolicae vocis imbuta a viâ veritatis et salutis erraverit. Praeterea, ut pessimae causae splendidum patrocinium concilient praefataeque constitutioni maiorem undecumque invidiam faciant, se ab eâ suscipiendâ retardari affirmant eo quod suspicentur per illam damnari sententias atque doctrinas, quas insignes catholicorum scholae absque ullâ censurâ hactenus tenuerunt ac tradiderunt; cum tamen, nisi ab antiquis semitis, sanctorumque patrum vestigiis, imo et ab eorumdem scholarum instituto, quod verbis profitentur, reipsâ recessissent, probe reminisci deberent, quod illarum principes, quorum nomina pertinaciae suae temere praetendunt, quemadmodum et ceteri illustriores Ecclesiae scriptores, suum semper esse duxerunt ut ab Apostolicâ Sede discerent quid credere, quid tenere, quid docere deberent, ut ad illam scripta sua examinanda et emendanda dirigerent, ut inde lumen catholicae fidei reciperent, ubi non posset fides ipsa sentire defectum, ut nemo eorum denique sententiam suam adversus Petri auctoritatem defenderet. Ceterum in hoc ipso praepostero iudicio consuetum calumniandi morem non derelinquunt; nisi enim excaecaret eos malitia eorum, ac nisi diligerent magis tenebras quam lucem, ignorare non deberent, sententias illas ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palam et libere in catholicis scholis etiam post editam a nobis memoratam constitutionem sub oculis nostris doceri atque defendi, illasque propterea minime per eam fuisse proscriptas. Verum supercecidit ignis contentionis et aemulationis, et non viderunt solem lucidissimae veritatis. Hinc, iusto Dei iudicio, ambulantes in tenebris nesciunt plane quo vadant; scandalum siquidem de constitutione nostrâ comminiscuntur, sed se ipsos potius de pervicaci suâ inobedientiâ scandalum facere non agnoscunt. Sacrosanctam episcopatus digni-

tatem exaltare se velle declarant, sed re ipsâ deprimunt, dum interim fraternitatem ipsi contemnunt, audacissimae inferioris cleri rebellioni fomentum tribuunt, universumque ecclesiasticum ordinem laicis tribunalibus, vel in ipsâ religionis causâ, indecore ac perperam subiici non attendunt. De veteris ac novae legis discrimine, tamquam de re ipsis solis perspectâ, multa et plerumque inutiliter disputant, novaeque praestantiam, quam omnes agnoscunt et profitenturi, inculcare non desinunt; utriusque tamen legis plenitudinem, quae est dilectio, minime observant. Charitatem nulli impensius laudant, nulli impudentius violant; divinae gratiae veritatem praedicant, quam catholicus nullus negat, sed damnatis erroribus faventes, spiritui gratiae contumeliam faciunt. Quod vero nos de pusillorum scandalo sollicitos plurimum excruciat, illud est, quod dum plerique eorum haec faciunt vel consentiunt facientibus, adhuc specioso quodam ementitae severitatis amictu se contegentes, rigidioris doctrinae gloriam captare non cessant, instituendaeque in melius christianorum vitae et ad normam Evangelii componendae zelum magnifice ostentant.

Ut contumaces resipiscant.

§ 3. Quare nos, perniciosam hanc larvam, quae animabus pretiosissimo Christi sanguine redemptis certum parare posset exitium, palam detrahere, urgente nos apostolici ministerii debito, volentes, ipsos primum aberrantes fratres, ut aliàs saepe privatim fecimus, publice modo et coram universâ Ecclesiâ monitos facimus, ne sibi ulterius de falsâ exactioris disciplinae famâ blandiantur; neque enim vera virtus absque humilitate, pietas absque obedientiâ, christiana demum perfectio absque charitate potest consistere. Porro quae humilitas, sensum proprium communi fratrum sententiae, quin et supremae beati Petri cathedrae iudicio obstinate praeferre? Quae obedientia, apostolicis definitionibus reluctari? Quae tandem charitas, iniuriis et contumeliis agere, iras, rixas et contentiones ubique disseminare? Agnoscant igitur, divini luminis irradiante fulgore, quam gravibus coram Deo et Ecclesiâ reatibus et periculis involvantur. Meminerint scriptum esse, quod *quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriae est nolle acquiescere.* Omnipotentis Dei, qui superbis resistit, tremendum et imminens sibi iudicium timeant, Ecclesiaeque pacem simul et reipublicae tranquillitatem perturbare tandem aliquando desistant. Reliquos deinde vos omnes per universum terrarum orbem apostolicae fidei cultores paterne admonemus, requirimus et obtestamur, ut, ad eos, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, probe dignoscendos, certissimam illam, quam Dominus ac Salvator noster nobis reliquit, regulam adhibeatis, videlicet, *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Qui autem fructus isti sint, ex eorum, qui constitutioni[1] nostrae sese submittere renuerunt, contumaciâ provenientes, toti iam pene christiano orbi nimium perspecti sunt et manifesti; de illis propterea, ne acerbissimi doloris nostri vulnera refricemus, prolixius eloqui libenter absistimus. Nolite ergo, filii dilectissimi, vosque potissimum, qui ut loco, ita et periculo propinquiores estis, nolite effici participes eorum, nolite omni spiritui credere, doctrinis variis et peregrinis nolite adduci, sed sanam et orthodoxam sanctae Romanae Ecclesiae doctrinam, quae sacrum fidei depositum intemerate servat, tuto sequimini et firmiter custodite. Nos vero, quos ceteris zelo domus Dei non minus

Ut obtemperantes ab illorum fraudibus caveant.

1 Male edit. Main. legit *constitutionis* (R. T.).

quam dignitate[1] praeire oportet, ut ingruentium tot malorum gravitati, quantum rerum et temporum praesens conditio patitur, opportune occurramus, praesertim ne pastores, errantes et in errorem mittentes, disperdere et dilacerare gregem Domini, nemine cohibente, prosequantur; neve oves Christi, nobis tacentibus, rapi in praecipitia se sinant: universis christifidelibus, quid interim gravissimâ hac in re nos agere duxerimus, palam edicere ac declarare statuimus.

Ut sciant, contumaces non amplius esse Ecclesiae filios, nec communionem habere cum Romanâ Ecclesiâ.

§ 4. Noverint ergo omnes, qui ubicumque terrarum catholico nomine gloriantur, nos, qui unigeniti Filii Dei et salvatoris nostri Iesu Christi vices, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, in terris gerimus, eos omnes, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis illi sint, etiamsi episcopali, archiepiscopali, aut aliâ qualibet etiam cardinalatus dignitate praefulgeant, qui memoratae constitutioni nostrae debitam et omnimodam obedientiam praestare hactenus recusarunt, aut in posterum recusare ausi fuerint, ut veros sanctae Romanae Ecclesiae filios non agnoscere, neque ut nobis et beati Petri cathedrae, quod falso autumant, adhaerentes et consentientes, sed contra potius uti aperte inobedientes ac notorie contumaces et refractarios habere, tenere ac reputare. Et, quoniam primo ipsi a nobis et sanctâ Romanâ Ecclesiâ, si minus expressis verbis, factis certe pertinacisque et obduratae mentis multiplici significatione recesserunt, illos similiter a nobis tamquam a nostrâ et eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae charitate prorsus segregatos haberi; nullamque proinde nobis et ipsi sanctae Romanae Ecclesiae deinceps cum illis communionem ecclesiasticam extituram, donec (quod faxit Deus) integre resipiscant, reiectâque penitus audaciâ refragandi, per exhibitionem verae obedientiae, quam complures eorum Romano Pontifici beati Petri successori ac Iesu Christi vicario in ipsâmet solemni professione catholicae fidei, interpositâ iurisiurandi religione, ad sancta Dei evangelia saepius spoponderunt, pristinae charitati et unitati ab eâdem Apostolicâ Sede restitui mereantur.

Ut praesules obedientes greges suos a venenatis pascuis arceant, ab omni consortio cum refractariis abstineant, eosque ad obedientiam revocent.

§ 5. Ad vos postremo, venerabiles fratres, patriarchae, primates, archiepiscopi, episcopi, ceterique omnes ecclesiarum praesules, gaudium nostrum et corona nostra, apostolicae dilectionis nostrae sermonem convertimus, hortantes vos et obsecrantes in Domino, ut, pro eo quo polletis pastorali zelo, commissas vobis Christi oves a venenatis pascuis, idest profanarum vocum et doctrinarum novitatibus, sedulo arceatis, simulque paternam sollicitudinem nostram in revocandis ad saniora consilia quibuscumque dissidentibus efficacius adiuvetis, ita ut vobis indivulsam cum sanctâ Romanâ Ecclesiâ in doctrinâ fidei unitatem, quod iam plerique vestrûm egregie praestitistis, firmissime profitentibus, christiani omnes agnoscant, vos longe ab iis esse qui elongaverunt se a nobis, ac illorum damnabilem inobedientiam unâ nobiscum aversari et improbare, eosque, nisi resipuerint, a communis societatis charitate prorsus alienos habere. Utinam qui paternis hactenus humilitati nostrae vocibus reluctati sunt, vobis omnibus non modo arguentibus, obsecrantibus et increpantibus, sed et ab eorum consortio penitus abstinentibus, erubescant, confundantur et convertantur, detque illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem, ut, secundum apostolicam doctrinam, idem ipsum tandem dicamus omnes,

1 Male edit. Main. legit *dignitates* (R. T.).

et non sint in nobis schismata, simus autem perfecti in eodem sensu et in eâdem sententiâ, auxiliante nobis per omnia gratiâ domini nostri Iesu Christi, cui est honor et gloria in saecula. Amen.

Fides transumptorum.

§ 6. Ut autem praesentes litterae ad omnium fidelium quibuscumque locis existentium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fidem haberi, quae ipsis originalibus litteris haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae admonitionis, edicti, declarationis, hortationis, obsecrationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXVIII, V kalendas septembris, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 28 augusti 1718, pontif. anno XVIII.

CCLXI.

Declaratur nullus tractatus pacificationis inter abbatem S. Galli et magistratus Bernensem et Tigurinensem initae, catholicae fidei et Ecclesiae iuribus noxiae[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, aequi bonique supremus assertor in terris a Domino constitutus, catholicae fidei integritatem, necnon ecclesiasticam libertatem et immunitatem, aliaque ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, ac locorum ecclesiasticorum quorumlibet illorumve personarum iura sartatecta tueri, et adversus quascumque pactiones et conventiones, per quas illis aliquid detrimenti inferri possit, traditâ sibi divinitus potestate, asserere tenetur, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, aequitati et iustitiae consentaneum esse in Domino arbitramur[1].

In tractatu huiusmodi permittitur exercitium haereseos, haereticis concedunter publica munia et puerorum instructio.

§ 1. Cum itaque, sicut ad apostolatus nostri notitiam non sine gravi animi nostri molestiâ pervenit, novissime, nempe die XV iunii proxime praeteriti, in oppido Badensi dilectus filius Ioseph a Rodulphis modernus abbas monasterii dicti S. Galli Ordinis sancti Benedicti nullius dioecesis provinciae Moguntinae, ex unâ, ac magistratus pagorum[2] Bernensis et Tigurini, eorumque respective ministri seu deputati, ex alterâ partibus, super diversis controversiis, ob quas dudum inter eosdem pagos et bonae memoriae Leodegarium, dum vixit, memorati monasterii abbatem, non ita pridem ab humanis exemptum, etiam ad arma deventum fuerat, tractatum quemdam pacificationis inierint, in plures articulos distinctum, quorum plerisque in comitatu Dosgiensi, eiusdem monasterii ditioni subiecto, non modo haereticis hominibus nefariae suae haereseos exercitium libere permittitur, sed ipsi haeretici unâ cum catholicis, per-

1 Edit. Main. ad marg. habet *26* (R. T.).

2 Ab Urbano VIII const. ed. MDXLI, die 5 iunii, ecclesiae iura praeservata fuere a quibuscumque praeiudiciis; huius Pontificis const. ed. MDCCXII, die 19 iulii, pontif. XII, nulla declarata fuit concordia inter ecclesiasticos et syndicos terrae Villarii; et Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVI, die 14 februarii, pontif. II, nullum declaratur iuramentum fidelitatis exhibitum potestati saeculari in Sabaudiâ a praeposito hospitalis Magni S. Bernardi.

1 Legerem *arbitratur* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *Pasorum* (R. T.).

inde ac si esse posset societas luci ad tenebras, et participatio institiae cum iniquitate, ad iudicium consiliariorum magistratuum, aliaque publica munia, officia seu ministeria, omnino aequaliter et absque ullo prorsus discrimine admittuntur; praeterea, quod vix credi potest, parochis acatholicis accurata puerorum instructio non utique in aliis, nisi eius quam profitentur, adeoque damnatae religionis dogmatibus enixe commendatur, aliaque multa non minus orthodoxae fidei, divino cultui, atque animarum saluti adversantia, quam monasterii supradicti, illiusque abbatis, monachorum, aliarumque personarum iurisdictioni, auctoritati, exemptionibus, privilegiis, rebus, bonis ac iuribus prorsus repugnantia et infensa approbantur, statuuntur et firmantur; et aliàs, prout in instrumento seu scripturâ super tractatu pacificationis huiusmodi confecto seu confectâ, et subinde forsan utrinque ratificato seu ratificatâ, uberius dicitur contineri:

Causae sequentis declarationis.

§ 2. Tametsi vero eumdem tractatum per se manifeste nullum ac irritum esse palam constet, notoriique iuris sit quascumque conventiones seu pactiones de rebus ac bonis ecclesiasticis absque Apostolicae Sedis auctoritate initas nullius esse roboris vel momenti; quinimmo felicis recordationis Urbanus PP. VIII, praedecessor noster, Sedis praedictae ac Romanae inferiorumque ecclesiarum necnon personarum ecclesiasticarum quarumlibet iura quibuscumque praeiudicialibus, per quamdam suam constitutionem die v iunii MDCXLI editam, amplissime praeservaverit; adeoque tractatus praedictus nullâ vere ad sui reprobationem ulteriori nostrâ abrogatione indigeat: nihilominus, ne tam gravia per illum orthodoxae non minus religioni quam apostolicae auctoritati inflicta vulnera silentio praeteriisse, nostrique propterea pastoralis officii debito deesse videamur, ita nos hac in re gerere statuimus, ut nostri etiam vigore iudicii nulla unquam tractatus praedicti ratio haberi possit. Hinc est quod nos, catholicae fidei conservationi, necnon huius Sanctae Sedis, monasterii S. Galli, illiusque abbatis et monachorum, aliorumque eius personarum, locorum, bonorum ac iurium quorumcumque indemnitati providere cupientes, memoratisque Urbani praedecessoris vestigiis inhaerentes, necnon instrumenti seu scripturae tractatus pacificationis huiusmodi, omniumque et singulorum inibi contentorum, et aliorum quorumcumque etiam specificam et individuam mentionem ac expressionem de necessitate requirentium, tenores et datas etiam veriores, ceterave quaelibet, etiam speciali mentione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis et exactissime specificatis habentes, post deliberationem quam desuper cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus habuimus diligentem, de ipsorum nonnullorumque aliorum eiusdem S. R. E. cardinalium super hoc eodem negocio a nobis specialiter deputatorum consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, praenarratos et alios quoslibet dicti tractatus pacificationis articulos, ceteraque in instrumento seu scripturâ huiusmodi contenta, quae catholicae fidei, divino cultui, animarum saluti, Sedi Apostolicae, monasterio S. Galli, illiusque abbati, monachis et aliis personis, membris, rebus, dominiis, bonis, redditibus, iurisdictionibus, etiam temporalibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus,

Declaratio nullitatis, ut in rubricâ.

privilegiis, praerogativis et iuribus quibuscumque quomodolibet officium seu praeiudicium etiam minimum adferunt aut inferre seu intulisse vel aliàs nocere seu nocuisse quoquomodo dici, censeri, praetendi vel intelligi possent, cum omnibus et singulis inde secutis et quandocumque secuturis, ipso facto nulla, irrita, invalida, iniqua, iniusta, damnata, reprobata, inania, viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab initio fuisse, et esse, et perpetuo fore, neminemque ad illorum et cuiuslibet eorum, etiamsi pluries ratificata et iuramento vallata sint, observantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod ius vel actionem aut titulum etiam coloratum vel possidendi ac praescribendi causam, etiamsi longissimi et immemorabilis temporis possessio etiam citra ullam interpellationem vel interruptionem subsequatur, acquisitum fuisse nec esse, minusque ullo tempore acquiri et competere posse, neque illa ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanasset nec facta fuisset, pro non extantibus et non factis perpetuo haberi debere, tenore praesentium, declaramus et decernimus. Et nihilominus, ad abundantiorem cautelam et quatenus opus sit, articulos praefatos, aliaque praemissa, ut praefertur, praeiudicialia, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, damnamus, reprobamus, irritamus, cassamus, annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus; ac, quatenus itidem opus sit, monasterium S. Galli praefatum, illiusque monachos et personas quascumque, adversus illa in integrum et pristinum ac eum, in quo ante quaslibet haereticorum usurpationes et invasiones quomodolibet erant, statum restituimus, remittimus, reponimus et plenariae reintegramus.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specificâ et individuâ mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, aut ullo modo iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis et nullitatis vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium vel habere praetendentium consensûs, aliove quocumque etiam quantumlibet magno ac incogitato inexcogitabilique defectu, aut ex alio quovis capite a iure vel facto aut statuto, consuetudine vel privilegio resultante, notari, impugnari, invalidari, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci ullatenus posse; sed ipsas praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter, etc. [1]. Clausulae.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, legibus quoque etiam imperialibus et municipalibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, sta- Contrariorum derogatio.

1 Reliqua ut supra pag. 656 *a* (R. T.).

tutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibuscumque locis et personis, etiam quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus, et aliis quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibus, et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet, in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi, etc. [1].

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x decembris MDCCXVIII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 10 decembris 1718, pontif. anno XIX.

CCLXII.

Confirmatur decretum capituli generalis monachorum Congregationis Reformatae S. Bernardi de superioribus singulis sexenniis eligendis[3].

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam.

Refertur iam edita huius Pontificis constitutio.

§ 1. Aliàs emanarunt a nobis ad favorem Congregationis Reformatae sancti Bernardi Monachorum Ordinis Cisterciensis litterae in simili formâ Brevis tenores qui sequitur, videlicet:

Clemens PP. XI, ad perpetuam rei memoriam. Cum, sicut accepimus, in Congregatione Reformatâ S. Bernardi Monachorum Ordinis Cisterciensis, etc.[1].

Decretum capituli generalis de celebratione capituli generalis singulis sexenniis et superioribus sexennalibus.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus modernus procurator generalis eiusdem Congregationis monachorum nobis nuper exponi fecit, memorati vocales in dicto capitulo generali, die IX maii proxime praeteriti ut praefertur celebrato, in eoque praedicto Francisco cardinali, nostro et eiusdem Apostolicae Sedis nomine, praesidente, decretum ediderint, quo consensum suum praebuerunt, ut non modo capitulum generale eiusmodi, verum omnium etiam superiorum, tum maiorum, cum localium, ipsius Congregationis officia de sexennio ad sexennium in futurum prorogarentur, dictus vero procurator generalis decretum praefatum apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, eiusdem procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius ac universae Congregationis praedictae nomine nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de supradictae Congregationis particularis cardinalium consilio, praenarratum decretum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur

1 Reliqua ut supra pag. 656 *b* (R. T.).

2 Reliqua de more, ut pag. 704 *a* (R. T.).

3 Constit. editâ MDCCXVIII, die 4 maii, pontificatus XVIII, quae hîc refertur, prorogatum fuit capitulum generale ad sexennium; et Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVII, die 2 septembris, pontif. III, restituitur provinciae Calabriae monasterium de Sagittario.

1 Vide supra pag. 789 *a* et seq. (R. T.).

adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: cum infrascriptis tamen declarationibus, nimirum, quod prorogatio de triennio ad sexennium officiorum eiusmodi superiorum fiat in posterum dumtaxat quoad superiores maiores, abbatem nempe generalem, duos assistentes visitatores generales, visitatores provinciales, et procuratorem generalem, nullatenus autem quoad alios superiores locales, scilicet abbates, priores, superiores, vel oeconomos, qui omnes circa finem temporis Quadragesimae cuiusque triennii post singula capitula generalia, ad sexennium, sicut praemittitur, prorogata, ad praefatum abbatem generalem in almâ Urbe nostra degentem suas patentes litteras omnino transmittere teneantur, nullâ tamen administrationum suarum factâ interruptione, et absque ullâ efformatione seu confectione statuum monasteriorum, et ab ipso abbate generali, de suorum consiliariorum per constitutiones eiusdem Congregationis monachorum auctoritate apostolicâ confirmatas pro superiorum praedictorum electione deputatorum consilio, iuxta disposita in eisdem constitutionibus, tit. *De capitulo generali*, cap. XI, § III, pag. 173, expectare debeant confirmationem officiorum seu superioratuum in suis respective monasteriis, vel translationem ad alia, aut absolutionem ab eisdem officiis, prout praefati abbas generalis ac eiusdem consiliarii pro conscientiâ, solumque Deum eiusque gloriam prae oculis habentes, ad praedictae Congregationis maius bonum ac rectius regimen expedire iudicaverint; quod si eorum aliquis absolvendus sit ab officio, vel ad aliud transferendus gubernium, is eidem abbati generali, vel suo respective visitatori provinciali, vel cui aut quibus dictus abbas generalis vel visitator provincialis mandaverit, suae administrationis rationem reddere teneatur; pariterque abbas generalis ac visitatores provinciales, durante integro sexennio huiusmodi, alter quidem secundo, alter vero quinto eiusdem sexennii anno, visitationes ad normam in praefatis constitutionibus praescriptam explere teneantur.

§ 3. Decernentes quoque, praesentes litteras firmas, etc.[1]; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulae.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in litteris praeinsertis concessimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

§ 7. Ceterum volumus pariter ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etc.[2]. Sanctio poenalis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDCCXIX, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 3 aprilis 1719, pontif. anno XIX.

CCLXIII.

Declaratur nullum edictum senatus Taurinensis prohibentis executionem lit-

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).
2 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

terarum exterarum sine eius Exequatur[1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Decretum praedictum quo prohibetur executio quarumcunque litterarum exterarum sine senatus permisso sub variis poenis.

§ 1. Ad apostolatus nostri notitiam non sine ingenti animi nostri moerore pervenit, sub nomine senatus in civitate Taurinensi residentis, ultra tot tantasque alias Ecclesiae ac Sedi Apostolicae in illis partibus a saeculari potestate illatas iniurias, novissime prodiisse quoddam edictum typis impressum ac nomine secretarii ordinarii eiusdem senatus subscriptum, tenoris qui sequitur, videlicet:

Il senato di S. M. in Torino sedente. — Il desiderio che ha sempre avuto S. M. di mantenere la tranquillità ne' suoi Stati, e di prevenire tutto ciò che potesse turbarla, viene ad eccitar nuovamente la nostra particolare attenzione, perchè, in vista d'un fine sì salutare e in conformità anche delli usi già praticati, non si lasci eseguire alcuna provisione proeedente da fuori Stato, sia Bolla, Breve, o altra, senza che prima ci sia presentata, per accertarsi se vi si contenga cosa alcuna contraria o pregiudiciale agli indulti, prerogative e diritti sì suoi che della Corona e de' sudditi, ad effetto che quelle di dette provisioni che non saranno ritrovate contrarie o pregiudiziali, come sopra, abbiano la loro pronta e spedita esecuzione, e per le altre all'opposto, si possa provedere a quanto si conviene, e particolarmente per le procedenti da Roma avvisarne la M. S. per rappresentare a Sua Santità, e quanto alle altre adoperare i mezzi opportuni. A qual fine, per suo regio viglietto dei 13 giugno corrente, ci ha espressamente incaricati di far pubblicare il nostro manifesto, acciò sappia ognuno l'obbligo suo, come anco di servirci de' mezzi della podestà economica e politica in odio de' contraventori, secondo l'esigenza de' casi. In esecuzione di che, si notifica ad ogni persona di qualsivoglia grado e condizione, niuna esclusa nè riservata, che chiunque avrà ottenuto o verrà ad ottenere Bolle, Brevi, rescritti, o altre provisioni procedenti da fuori Stato, non possa nè debba farle eseguire, senza che prima siano state presentate per le cause sovra espresse a questo senato, e dichiaratosi dal medemo non aver cosa in contrario; il che si farà dal senato con ogni prontezza per tutte quelle di dette provisioni che non saranno contrarie agli indulti, prerogative e diritti della Corona e de' sudditi, o che non si ritroveranno essere state surrettiziamente ottenute; e che in caso contrario, ne darà immediatamente avviso alla M. S., affine di rappresentare come sopra a Sua Santità per le provisioni di Roma, e adoperare quanto alle altre i rimedi opportuni. Ammoniamo a tale effetto ed esortiamo tutti e ciascheduno degli ecclesiastici, ed espressamente inibiamo ai secolari, prefetti, giudici, podestà, notari, segretari, sindici e consiglieri de' luoghi e comunità, ed a chi si sia altro, di non dare nè permettere l'esecuzione di dette provisioni, meno eseguirle, autenticarle o altrimente prevalersene, salvo che vedano la dichiarazione suddetta di questo senato, quale s'accorderà senza difficoltà, ritardo, nè spesa alcuna sulla presentazione che sarà fatta di dette provisioni da chi le avrà impetrate, o per parte d'esso; dichiarando che in caso contrario si procederà in odio di tutti e ciascheduno i contraventori con li mezzi della podestà economica e politica, o altrimente, si e come li casi esigeranno, e che sarà spediente per la tranquillità pubblica e per l'esatta osservanza degli usi predetti. Mandiamo perciò ed espressamente comandiamo a detti giudici, podestà, sindici, consiglieri

1 Const. edit. MDCCXV, die 11 ianuarii, pontif. XV, nullum declaratum fuit bannimentum in Sicilià editum contra executionem decretorum apostolicorum; const. edit. MDCCXVII die 20 octobris, pontif. XVII, itidem nullum dictum fuit edictum in Sabaudià editum in praeiudicium dominii S. Sedis; Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVI, die 14 februarii, pontif. II, nulla declarantur gesta a potestate saeculari adversus hospitale magnum S. Bernardi; et const. edit. MDCCXXVI, die 19 decembris, pontif. VI, nulla declarantur edicta magistratuum adversus decretum officii S. Gregorii VII.

e segretarî delle comunità di dare avviso di dette contravenzioni, cioè, quanto alla provincia di Torino, al segretario ordinario di questo magistrato, e quanto alle altre ai respettivi prefetti; quali prefetti incarichiamo di eseguire gli ordini nostri sotto pena della privazione de' loro impieghi, incapacità d'averne altri, e di scudi cento d'oro al fisco di S. M. applicandi, quali pene incorreranno anche li giudici, podestà, segretarî e notari; e rispetto ai sindici e consiglieri, quella di scudi cinquanta d'oro, e del carcere per mesi tre, ed eziandio altra maggiore arbitraria secondo i casi rispetto a tutti. Dichiarando la pubblicazione ed affissione di questo da farsi all' albo pretorio di cadauna città, terre e luoghi, valere come se fosse a cadauno personalmente eseguita, e che alla copia stampata dallo stampatore regio se gli debba prestare tanta fede come al proprio originale. Dato in Torino li 20 giugno 1719. Per detto eccellentissimo reale senato, il segretario ordinario del medemo. *In Torino, stampato nella stamparia regia, 1739.*

Declaratio nullitatis praeinserti edicti, cum illius damnatione.

§ 2. Cum autem nimium evidens sit, nec quisquam inficiari valeat, ex praefato edicto et in eo contentis gravissimum ecclesiasticae libertati ac pontificiae nostrae auctoritati vulnus infligi, adeoque illa a nobis aequo animo ferri aut dissimulari minime posse: hinc est quod nos, ex commissi nobis divinitus pastoralis muneris debito, Ecclesiae atque huius Sanctae Sedis iura ab eiusmodi scandalosis ausibus, quantum nobis ex alto conceditur, sarta tectaque atque illibata tueri et conservare cupientes, omniumque et singulorum, quae eiusdem edicti, quod non alio quam illud penitus et omnino damnandi et reprobandi animo praesentibus inserendum duximus, seu in eo contentorum occasione quovis modo acta et gesta fuerunt, seriem, causas et circumstantias, etiam aggravantes, aliave quaecumque etiam specificam et individuam mentionem ac expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et singillatim specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, edictum praeinsertum et quaecumque in eo contenta, cum omnibus et singulis inde secutis et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita, invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata ac de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris et momenti vel efficaciae esse et ab initio fuisse ac perpetuo fore, neque illa a quoquam observari posse vel potuisse, adeoque nec ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium declaramus; et nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, prout etiam quaecumque alia praemissorum occasione in praeiudicium libertatis et immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae seu apostolicae auctoritatis quovis modo emanata, edita, acta gesta et perpetrata, cum omnibus pariter inde secutis et quandocumque secuturis, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi volumus et mandamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod praedicti, etc. [1].

1 Reliquae clausulae ut supra pag. 285 *b* (R.T.).

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, legibus quoque etiam imperialibus et municipalibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis praefatis et aliis quibusvis personis, etiam speciali mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, etc.[1].

Transumptorum fides.

§ 5. Cum autem eaedem praesentes litterae in supradictâ civitate Taurinensi aliisque locis saeculari potestati earumdem partium subiectis nequeant tute publicari, ut hactenus experientiâ compertum est et nobis notorie constat, prout harum serie declaramus, volumus illas, seu earum exempla, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII augusti MDCCXIX, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 18 augusti 1719, pontif. anno XIX.

CCLXIV.

Revocantur omnia indulta religiosis personis concessa a nuncio apostolico in regnis Lusitaniae et Algarbiorum[3].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sacrosancti apostolatus officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque clementiae altitudo humilitati nostrae, meritis et viribus longe impari, committere dignata est, salubriter exequi iugi vigilantiâ satagentes, in eam praecipue curam sollicitis studiis incumbimus, ut christifidelibus, Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatis, sublatis iis quae regulari eorum observantiae atque disciplinae detrimentum adferre noscuntur, iuxta regularia eorum instituta prospere dirigantur, illisque firmiter insistentes, multiplicibus in dies benedicente Domino proficiant incrementis.

Referuntur variae species praedictorum indultorum et mala ex eorum concessione orta.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in Portugalliae et Algarbiorum regnis, ac eorumdem regnorum insulis in Indiis orientalibus et ultramarinis conquisitis, praedictorum regnorum Portugalliae et Algarbiorum dominio temporali subiectis, nonnulla indulta, privilegia, praerogativae, immunitates et exemptiones diversorum Ordinum religiosis a dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae nuncio in dictis regnis residente concessa reperiantur, per quae iidem religiosi ab eorum praelatorum obedientiâ eximuntur, nonnullique ex eis etiam iurisdictioni superiorum alterius Ordinis subiiciuntur, ac in conventibus ipsius Ordinis cum titulo tuti accessus collocantur; alii vero religiosi cum litteris patentibus eiusdem nuncii in eorum officiis confirmantur cum deputatione conservatorum, a quibus persaepe litterae monitoriales contra superiorem expediuntur, ad hoc ut praedictis religiosis super dictis exemptionibus, collocationibus et graduationibus eis concessis molestias minime inferant, ita ut

1 Reliqua ut supra pag. 286 *a* (R. T.).

2 Reliqua ut supra pag. 286 *b* (R. T.).

3 Innocentii XII const. ed. MDCXCVII, die 12 ianuarii, pontif. VI, revocata fuere privilegia a superioribus religiosis concessa in Indiis Occidentalibus; et Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVII, die 10 ianuarii, pontif. III, revocantur privilegia personalia fratribus S. Ioannis Dei concessa in provinciâ Ulyssiponensi.

in visitationibus debita obedientia a memoratis religiosis exigi nequeat; praeterea conventualitates perpetuae in conventibus et licentiae degendi extra claustra conceduntur, quarum vigore superioribus regularibus sub excommunicationis poenâ inhibetur, ne a conventibus religiosi ibidem assignati amoveantur et ad claustra redigantur; ac demum eiusmodi religiosi indulta ferendi votum sive suffragium in capitulis provincialibus, etiamsi ipsi requisitis ad id per constitutiones Ordinum huiusmodi auctoritate apostolicâ confirmatas praescriptis praediti minime sint, impertiuntur; ex hoc autem gravissima inconvenientia et scandala in non modicum regularis observantiae et disciplinae detrimentum exoriantur:

Revocatio praelatorum indultorum cum prohibitione nuncio apostolico factâ imposterum illa non concedendi.

§ 2. Nos, praemissis, quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula ac quaecumque huiusmodi privilegia, praerogativas, immunitates et exemptiones quorumcumque Ordinum, congregationum ac institutorum religiosis per memoratum in dictis regnis nuncium ex quacumque causâ ac sub quibuscumque verborum formis et expressionibus quomodolibet concessa, tenore praesentium revocamus, cassamus annullamus, abrogamus et abolemus, illaque revocata, cassata, abrogata et abolita, viribusque et effectu vacua fore neminique ullatenus suffragari decernimus; ac eidem nuncio harum serie praecipimus ut de cetero a concessione similium indultorum omnino abstineat; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinum, congregationum et institutorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem religiosis, sub quibuscumque verborum tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda esset, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, etc. [1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII septembris MDCCXIX, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 18 septembris 1719, pontif. anno XIX.

CCLXV.

Confirmatur constitutio Gregorii XIII de transitu patrum Societatis Iesu post emissionem votorum ad alios religiosos Ordines [2].

1 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

2 Laudata constitutio infra citatur, in eâque citantur constitut. Pauli III ed. MDXLIX, die 18 octobris, pontif. XV; et Pii IV ed. MDLXV, die

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sacri apostolatus ministerio per abundantiam divinae gratiae, licet nullis nobis suffragantibus meritis, praesidentes, ex iniuncti nobis muneris debito religiosorum Ordinum quorumcumque in Ecclesiâ Dei militantium prosperum statum felicemque directionem summis desiderantes[1] affectibus, eisque propterea, quae praesertim a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris provide sancita et ordinata comperimus, ut firma et illibata persistant exactiusque observentur, apostolicae nostrae confirmationis robur libenter adiicimus, eiusdemque muneris partes perpensis studiis impertimur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Epitome constitutionis Gregorii XIII.

§ 1. Exponi siquidem nobis fecit dilectus filius Michaëlangelus Tamburinus praepositus generalis Societatis Iesu, quod aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XIII praedecessor noster, ut, tam Indiis Orientalibus et Occidentalibus, quam omnibus et singulis aliis regionibus extra Europam, nemo sive ex clericis regularibus eiusdem Societatis, sive professus, sive scholaris, sive coadiutor, post emissa in dictâ Societate vota etiam simplicia, sub excommunicationis aliisque censuris et poenis, ad quempiam alium Ordinem, nisi de expressâ Romani Pontificis vel praepositi generalis praedictae Societatis licentiâ, etiam perfectioris et melioris vitae praetextu seu contemplatione, transire auderet seu praesumeret, decrevit et ordinavit per suas litteras sub plumbo anno Incarnationis dominicae MDLXXIX nono kalendas octobris expeditas, tenoris sequentis, videlicet:

Constitutio praedicta Gregorii XIII.

§ 2. *Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Decet Romanum Pontificem, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXXIX, nono[2] kalendas novembris, pontificatus nostri anno VIII.

In Indiis nova ausu relatae constitutiones falsis interpretationibus corrumpuntur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissis nequaquam obstantibus, aliquis ex dictâ Societate nuper in eisdem Indiis praeinsertarum litterarum observantiam, necnon censuras et poenas in eis contentas, eludere ac contemnere praesumpserit, ab ipsis cum insubsistentibus praetextibus falsisque interpretationibus appellando, asserens quod litteris praeinsertis per non usum derogatum fuerit, nulliusque valoris et efficaciae existant, quippe quae nec in iure communi, nec in Bullario, minusque in praedictae Societatis Instituto inserta reperiantur; et, in casum quo validae essent, ius commune in capit. *Licet de regularibus*, ubi ad alium Ordinem zelo strictioris observantiae transeundi facultas tribuitur, praevalere deberet; quodque, cum ille quatuor votorum professus non sit, in dictis censuris minime comprehendatur; necnon ulterius eiusmodi praeinsertae litterae alteri privilegio admittendi religiosos etiam professos aliorum Ordinum diverso Ordini concesso derogare nequeant; ac tandem per eas legitimae appellationes et in casu denegatae iustitiae non prohibeantur, sed manifesto frivolae dumtaxat admitti nequaquam possint: ideoque dictus Michaëlangelus praepositus generalis (considerans simile exemplum maximum eidem Societati praeiudicium in iisdem Indiis afferre

26 novembris, pontif. VI, de eâdem re agentes. In Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVIII, die 14 iunii, pontif. V, agitur de eiectis presbyteris a praeposito generali dictae Societatis.

1 Forsan *desideramus*, vel postea *eis* pro *eisque* legendum (R. T.).

1 Bullam hanc habes in tom. VIII, p. 302 (R. T.).

2 Male edit. Main. omittit *nono* (R. T.).

posse in eventum in quem alii dictis praetextibus et subterfugiis uti vellent ad hoc ut a regulari obedientiâ et a censuris praedictis sese eximant) praeinsertas Gregorii praedecessoris litteras, pro firmiori illarum subsistentiâ ac inviolabili observantiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret : nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio praeinsertae constitutionis Gregorii XIII.

§ 3. Nos igitur, similes praetextus, effugia, falsasque interpretationes, quae ad eludendam earumdem litterarum observantiam obtenderentur, de medio submovere , ipsumque Michaëlemangelum praepositum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui supra narrata mature perpenderunt, consilio , praeinsertas Gregorii praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus , illisque inviolabiliter robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes ac praeinsertas litteras firmas, validas et efficaces existere et fore , suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in litteris praeinsertis concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici sive secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Societatis , vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 1 decembris MDCCXIX , pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 1 decembris 1719, pontif. anno XX.

CCLXVI.

Confirmatur decretum capituli generalis Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Discalceatorum Congregationis Hispaniae de mutatione vestis fratrum donatorum[1].

1 In Innocentii XII const. ed. MDCXCII, die 1 martii, pontif. I, extat moderatio constitutionis de nonnullis ad habitum non recipiendis; et huius Pontificis const. ed. MDCCXX, die 2 martii, pontif. XX, agitur de tempore officii commissariorum generalium.

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Decretum praedictum de mutatione vestis ex fulca in nigram, ac eius confirmationis causae referuntur.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis in Romanâ Curiâ Congregationis Hispaniae Ordinis fratrum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Discalceatorum nuncupatorum novissimi capituli generalis nomine, quod aliàs in dicto capitulo generali iuxta praescriptum primitivae regulae dicti Ordinis sabbato ante quartam dominicam post Pascha labentis anni celebrato, inter alia salubriter statuta pro bono regimine eiusdem Congregationis, decretum fuit quod fratres oblati seu donati, qui absque ullâ professione et voto in vitâ regulari exercentur et ad statum laicorum disponuntur, depositâ exteriori veste et habitu fusci coloris, quo hucusque usi sunt, imposterum albâ veste ad instar aliorum fratrum eiusdem Congregationis, servatâ in reliquis antea habitus donatorum formâ, quae etiam mutato colore sufficienter praedictos donatos a laicis distinguit, utantur, et aliàs, prout in dicto decreto, quod praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Confirmatio recensiti decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, decretum capitulare praedictum ad servandam intra eumdem Ordinem maiorem habitus uniformitatem, et ad reddendos praedictos donatos magis commodos et ad aliqua ministeria idoneos quae propter diversum habitus colorem non satis decenter exhibere valent, tendant[1], per eiusmodi vero coloris mutationem non solum nihil constitutionibus praedicti Ordinis a Sede Apostolicâ confirmatis derogetur, verum etiam eisdem maxime consulatur, cum cap. VI earumdem constitutionum indiscriminatim praecipiatur quod exterior vestis seu habitus fratrum praedictorum sit ex sago albo, nec pro donatis exceptio ulla in cap. XLII praedictarum constitutionum, § 4, ubi de praedictis donatis agitur, habeatur; ac proinde memoratus procurator generalis decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri plurimum desideret: nos, eumdem procuratorem generalem ac vocales dicti capituli generalis specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem praedicti procuratoris generalis, ac insuper informationem dilecti filii nostri Aloysii Prioli eiusdem S. R. E. cardinalis S. Marci nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super praemissis factam, viderunt et examinaverunt, consilio, decretum a praedicto capitulo generali editum, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, etc.[1].

1 Potius lege *tendat* (R. T.).

1 Ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit Congregationis et Ordinis huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, etc.[1].

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI decembris, MDCCXIX, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 6 decembris 1719, pontif. anno XX.

CCLXVII.

Declarantur nulla acta ab officiali archiepiscopo Ebredunensi super validitate censurarum a vicario ecclesiae Niciensis latarum in ministros senatus immunitatis ecclesiasticae violatores[3].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Species facti.

§ 1. Non sine ingenti animi nostri moerore novissime accepimus, quod (cum aliàs, nempe die VII novembris MDCCXVIII, dilectus filius canonicus Ioannes Maria Raimberti, vicarius capitularis ecclesiae Niciensis, illius sede episcopali vacante, legitime deputatus, aliquos officiales et ministros senatus Niciensis, qui presbyterum Petrum Caietanum Albanelli ex ecclesiâ fratrum eremitarum Ordinis sancti Augustini eiusdem civitatis, ad quam confugerat, nullâ prorsus tam loci sacri quam personae ipsius Petri Caietani, utpote presbyteri, adeoque laicali potestati minime subiecti, habitâ ratione, publice ac per vim extrahere, et in carceres ipsiusmet senatus, in quibus de praesenti adhuc detinetur, coniicere per sacrilegum ac detestabile facinus ausi fuerant, ecclesiasticis censuris per notissimas canonicas sanctiones ac pontificias constitutiones adversus similia perpetrantes inflictis innodatos declarasset, ac palam denunciasset) officialis venerabilis fratris archiepiscopi Ebredunensis, ad quem tamquam metropolitanum memorati officiales et ministri a censuris sic contra eos publicatis appellationem interposuerant, tametsi eiusmodi negocio, quod ad curiam metropolitanam Ebredunensem minime pertinebat, nullatenus se ingerere debuisset, nihilominus, sibi omnino incompetentem auctoritatem assumens, non modo appellationem admittere, ipsique vicario capitulari, ne quidquam in praeiudicium eiusdem appellationis sub comminatione poenarum de iure (ut erronee asserebat) indictarum faceret, inhibere, verum eosdem quoque officiales et ministros a praenarratis censuris ad cautelam absolvere temere ac nulliter praesumpsit; ac (licet postmodum praefatus vicarius capitularis adversus praemissa ab eodem officiali perperam gesta protestationem emisisset, eamque ipsi officiali legitime intimari fecisset, in qua potissimas rationes recensuerat ob quas eiusmodi appellationi, inhibitioni et absolutioni ad cautelam a dicto officiali concessis et decretis deferre minime poterat, nec vicissim eidem officiali de viribus memoratarum censurarum, neque de aliâ causâ, num videlicet praedicto Petro Caietano ecclesiasticae immunitatis beneficium suffragaretur, nec ne, citra insanabilis omnium quae egisset nullitatis vitium ob necessariae iurisdictionis, qua dictus officialis hac in

1 Ut supra 703 *a* (R. T.).

2 Ut pag. 704 *a* (R. T.).

3 Const. ed. MDCCXI, die 15 martii, pontif. XI, confirmatae fuere censurae latae a commissario generali in Sinis; et Benedicti XIII const. ed. MDCCXXV, die 21 februarii pontif. I, declaratur nulla electio archiepiscopi Ultraiectini.

re destitutus reperiebatur, defectum, cognoscere licebat), his tamen minime attentis, idem officialis die VIII novembris proxime praeteriti sententiam protulit, per quam promulgationem censurarum adversus memoratos officiales et ministros senatus Niciensis uti publicos ac notorios immunitatis et libertatis ecclesiasticae violatores, a praedicto vicario capitulari sicut praemittitur factam, pari temeritate nullam, iniustam et praecipitem declaravit, ipsique vicario capitulari et aliis quibuscumque inhibuit ne dictos officiales et ministros ratione earumdem censurarum quoquo modo molestarent aut perturbarent: et aliàs, prout in praefatâ sententiâ, quam non quidem approbandi, sed penitus et omnino reprobandi animo, praesentibus pro plene et sufficienter expressâ ac de verbo ad verbum inserta haberi volumus, uberius continetur.

Causae insequentis declarationis.

§ 2. Cum autem satis exploratum sit, nec quisquam inficiari valeat, nullum iudicem, quacumque tandem potestate et auctoritate suffultum, quoties de censuris ecclesiasticis ex causâ laesae seu violatae immunitatis et libertatis ecclesiasticae latis seu declaratis agi contingit, in illarum validitatis seu invaliditatis, iustitiae vel iniustitiae cognitionem (quae nonnisi Romano Pontifici pro tempore existenti vel Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositae ad id ab hac Sanctâ Sede specialiter delegatae reservata est) se ingerere posse; quinimo nemini alteri absolutionem ab huiusmodi censuris, etiam ad cautelam ac cum reincidentiâ et ad effectum agendi dumtaxat, concedere fas esse; adeoque praemissa per dictum officialem attentata, ultra manifestam eorum nullitatem, pontificiae nostrae auctoritati gravissimum praeiudicium intulerit, et adhuc inferant, ac propterea in plurimorum perniciem et scandalum tendant, animasque pretioso salvatoris et domini nostri Iesu Christi sanguine redemptas in maxima pericula et errores coniicere ac deplorandis malis involvere valeant: hinc est quod nos, ex debito sacrosancti apostolatus officii quod humilitati nostrae commisit divina dignatio, nostram et huius Sanctae Sedis dignitatem, auctoritatem et iurisdictionem a temerariis et perniciosis huiumodi conatibus sartam tectamque atque illibatam tueri et conservare, necnon animarum periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, omniumque et singulorum, quae in praemissis seu eorum occasione quovis modo decreta, ordinata, acta et gesta fuerunt, seriem, causas et circumstantias, etiam aggravantes, aliaque quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pariter pro plene et sufficienter expressis et singillatim specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praenarratam sententiam, et quaecumque in eâ contenta, aliaque omnia eâ occasione per eumdem officialem Ebredunensem acta, gesta et ordinata, cum omnibus et singulis inde secutis et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita, invalida, inania, et a non habente potestatem temere attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris et momenti vel efficaciae esse et ab initio fuisse ac perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec illa a quoquam observari posse vel potuisse, adeoque nullum statum facere vel fecisse; sed, perinde ac si nunquam emanassent nec acta

Declaratio ut in rubricâ.

fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, et si quae insuper praemissorum occasione seu in eorum sequelam per officialem praedictum aut aliàs per curiam metropolitanam Ebredunensem hac in re de cetero agi, geri et ordinari quomodolibet contigerit, harum serie revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis haberi volumus et mandamus.

Mandatum vitandi dictos ministros tamquam excommunicatos, donec a S. Sede aliter declaratum fuerit.

§ 3. Praeterea, tametsi perspecta cleri populique Niciensis pietas ac religio spem nobis ingerat fore ut memoratae sententiae aliorumque per praedictum officialem Ebredunensem gestorum nullam hactenus, ut par erat, rationem habuerint[1], imo nec de praesenti habeant, eisque minime attentis, a qualibet consuetudine et commercio cum praedictis officialibus ministris tamquam vere excommunicatis et omnino vitandis penitus ultro abstinuerint et abstineant; nihilominus, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, eosdem officiales et ministros tamquam veros excommunicatos vitandos ab omnibus utriusque sexus christifidelibus habendos esse, donec et quousque absolutionis beneficium christianâ humilitate petierint et a nobis ac Sede Apostolicâ vel praedictâ Congregatione cardinalium impetrare meruerint, vel, quatenus censurae adversus eos promulgatae nullae aut iniustae praetendantur, eas uti tales a nobis itidem et Sede praefatâ vel memoratâ Congregatione cardinalium declarari obtinuerint, cum ante huiusmodi declarationem pro validis ac iustis ab omnibus haberi ac reputari debeant, earumdem tenore praesentium decernimus similiter et declaramus. Quocirca universis presbyteris et clericis, tam saecularibus, cuiuscumque gradus, praeeminentiae et dignitatis fuerint, quam cuiusvis Ordinis, congregationis, instituti et societatis, etiam Iesu, regularibus, in divinis ministrantibus, harum serie districte praecipimus et mandamus, ut, quatenus praedicti officiales et ministri ad eorum ecclesias ac oratoria accedere, ibique divinis officiis aliisve sacris functionibus interesse praesumerent, cum eis ita se gerant, quemadmodum ex sacrorum canonum praescripto cum[1] excommunicatis publice denunciatis agendum esse probe norunt, sub poenis ab ipsis sacris canonibus in eos qui secus fecerint constitutis.

Clausulae.

§ 4. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod officialis seu archiepiscopus Ebredunensis, nec non officiales et ministri senatus Niciensis supradicti, et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nulli-

1 Edit. Main. legit *habuerit* (R. T.).

1 Particula *cum* nos addimus (R. T.).

tatis vitio, seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac inexcogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et praefatae Sedis nuncios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus concilis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon metropolitanae ecclesiae Ebredunensis, et quorumcumque Ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus ac praescriptionibus, quantumcumque longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, etiam Iesu, praedictis, ac quibusvis personis, etiam quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus et quomodolibet qualificatis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam consistorialiter concessis, ac pluries et quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-

1 Reliqua ut supra pag. 704 *a* (R. T.).

iorem sub annulo Piscatoris, die v ianuarii MDCCXX, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 5 ianuarii 1720, pontif. anno XX.

CCLXVIII.

Aboletur alternativa in provinciâ Portugalliae Ordinis fratrum Carmelitarum[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Praedicta alternativa auctoritate apostolicâ instituta, init a nuncio et a capitulo provinciali MDCC acceptata.

§ 1. Aliàs, pro parte clarae memoriae Petri II, dum vixit, Portugalliae et Algarbiorum regis illustris, felicis recordationis Innocentio Papae XII praedecessori nostro exposito, quod provincia Portugalliae Ordinis fratrum beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, quo perturbationes et detrimenta regularis observantiae, quae ex factionibus et dominandi cupiditate inter religiosos hinc inde ex affectu nationali inter se pugnantes non sine gravi christifidelium scandalo oriri solebant, e medio tollerentur, apostolicum paternae providentiae suum subsidium exposcebat; nullum vero efficacius et opportunius ad huiusmodi dissidiorum occasiones avertendas remedium apparebat, quam perpetuam quamdam alternativam circa electiones officiorum omnium dictae provinciae inducere; idque religiosae tranquillitati eiusdem provinciae conducibile fore, etiam tunc existentes prior generalis et consilium dicti Ordinis existimabant: et propterea ipsius Petri nomine eidem Innocentio praedecessori humiliter supplicato ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaretur: ipse Innocentius praedecessor, piis eiusdem Petri regis votis eâ in re annuere ac memoratae provinciae Portugalliae quieti salubriter providere cupiens, eiusmodi supplicationibus inclinatus, dilecto filio nostro Michaëliangelo S. R. E. cardinali de Comitibus nuncupato, tunc in eisdem Portugalliae et Algarbiorum regnis suo et Apostolicae Sedis nuncio, dedit in mandatis, ut, constito sibi de narratis, ac vocatis qui fuissent evocandi, circa alternativam praedictam auctoritate apostolicâ id gereret, statueret atque decerneret, quod sibi pro eiusdem provinciae Portugalliae quiete restituendâ, necnon regulari disciplinâ in eâ conservandâ, et sicubi collapsa esset reparandâ, magis in Domino expedire visum fuisset; eique ad huiusmodi effectum quamcumque necessariam et opportunam ad id facultatem eâdem auctoritate tribuit et impartitus fuit: et aliàs, prout in ipsius Innocentii praedecessoris litteris die XXI ianuarii MDCXCIX in simili formâ Brevis desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Quae quidem alternativa officiorum a praedicto Michaëleangelo cardinali, tunc nuncio, prudentissime ordinata atque praefixa, et respective cum distinctione duarum filiationum, nempe in Ulyssiponensi et Colariensi conventibus, sic in posterum nominandarum, designata et perlecta in pleno capitulo provinciali die XVIII septembris MDCC celebrato, constitutis et auditis procuratoribus, acceptata et registrata fuit.

Causae abrogandi praefatam alternativam, et preces vocalium provinciae.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii moderni prior provincialis, definitores, in sacrâ theologiâ magistri, ceterique vo-

1 Instituta fuerat huiusmodi alternativa ab Innocentio XII const. ed. MDCXCIX, die 21 ianuarii, pontif. VIII; et Innocentii XIII constit. ed. MDCCXXIII, die 14 iulii, pontif. III, agitur de magistris ad doctoratum promovendis.

cales dictae provinciae Portugalliae nobis nuper exponi fecerunt, ex huiusmodi alternativae remedio, quod tempore suae ordinationis congruum et utile pro bono pacis indicatum fuit, subinde tractu temporis maiora prioribus mala, experientiâ docente, nempe iurgia, contentiones, rixae ac lites non modicae irrepserint; ideoque in ultimo capitulo provinciali die VIII maii MDCCXVIII congregato coram cunctis gremialibus et vocalibus utriusque filiationis conclusum fuerit praedictam alternativam penitus aboleri debere: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Abolitio recensitae alternativae.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui negotium pro examine atque discussione nobis remissum mature de more perpenderunt atque relationem dilecti filii moderni prioris generalis dicti Ordinis actaque capitularia viderunt, consilio, alternativam, de qua agitur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, abolemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, etc. [1].

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, etc. [1].

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, etc. [2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII ianuarii MDCCXX, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 13 ianuarii 1720, pontif. anno XX.

CCLXIX.

Conceditur commissariis generalibus Congregationis Hispaniae Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Discalceatorum ut persistant in eorum officiis, etiamsi ante capitulum vacaret officium ministri generalis [3].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Referuntur institutio praedicta commissariorum et causae insequentis concessionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Alexander a Conceptione minister generalis fratrum Congregationis Hispaniae Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Discalceatorum nuncupatorum, quod, cum ipse et pro tempore existens minister generalis, pro bono opportuniori regimine Congregationis, per varias et ad invicem distantes Europae provincias feliciter, favente Deo, dilatatae et stabilitae, ad evitanda inconventia quae ex difficili ad eum recursu passim resultare possent, diversos commissarios generales, qui ipsius nomine, ad normam facultatis ab eo illis

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).

2 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

3 Constit. edit. MDCCXIX, die 6 decembris, pontif. XX, extat decretum de veste donatorum; et Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVII, die XXI augusti, pontif. IV, confirmantur quaedam capitula pro bono regimine provinciarum.

commissae, remotarum provinciarum gubernio incumbant, deputare soleat; commissariorum vero generalium huiusmodi facultas, utpote delegata, eiusdem ministri generalis morte, renunciatione et cessatione, aut depositione secutâ, de iure etiam expirare debeat, unde accidere potest, quod, priusquam praemissa ad eorumdem commissariorum generalium notitiam perveniant, nulliter, licet bonâ fide, iurisdictionem sibi commissam exerceant: idem Alexander minister generalis, ut facultas, semel a pro tempore existente ministro generali praedictis commissariis generalibus delegata, minime in posterum, in casu mortis, renunciationis aut depositionis ipsius ministri generalis delegantis, expirare intelligatur, sed potius duret ac vigeat, quousque renovata non fuerit per novum electum ministrum generalem, per nos statui ac decerni, et aliàs opportune in praemissis provideri plurimum desiderat. Nobis propterea, tam suo quam definitorii generalis eiusdem Congregationis nomine, humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praedicta pro spatio quatuor mensium tantum ab electione novi ministri generalis.

§ 2. Nos igitur, memoratos Alexandrum ministrum generalem et definitorium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium, qui relationes bonae memoriae Aloysii Priuli eiusdem S. R. E. cardinalis S. Marci nuncupati, dum vixit, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris et dilecti filii moderni procuratoris generalis eiusdem Congregationis super eisdem praemissis factas attenderunt, consilio, ut praedicti commissarii generales, a praedicto ministro generali pro gubernio remotarum provinciarum delegati, perdurent et persistant in eorum officiis per quatuor menses tantum post electionem novi ministri generalis, sive per mortem, remotionem et depositionem, sive per cessationem utcumque generalatus, ministri generalis delegantis, quem tamen novum ministrum generalem electum intra dictum tempus quatuor mensium certiorent, ut idem minister generalis providere valeat, prout sibi in Domino videbitur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, etc. [1].

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quatenus opus sit dictae Congregationis aliisve quibusvis, etiam iuramento, etc. [2].

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc. [1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI martii MDCCXX, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 21 martii 1720, pontif. anno XX.

1 Ut supra pag. 703 *a* (R. T.).
2 Ut ibid. (R. T.).
1 Ut supra pag. 704 *a* (R. T.).

CCLXX.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de ratione faciendae electionis officialium in provinciâ S. Nicolai fratrum Minorum de Observantiâ Reformatorum [1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Decretum praedictum decernens executionem voti cardinalis ponentis de quadam specie alternativae inter Lycienses et Barenses.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, in causâ praetensae alternativae provinciae S. Nicolai Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum inter fratres Lycienses ex unâ et Barenses ex alterâ partibus vertente, decretum tenoris sequentis, videlicet:

In causâ praetensae alternativae provinciae S. Nicolai Ordinis Minorum Observantium vertente inter patres Lycienses et Barenses, sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, viso memoriali porrecto a P. V. commissario generali Ordinis, referente eminentissimo Corsino, rescripsit: Pro executione voti ponentis, et amplius, tenoris sequentis, videlicet: « Attese le continue discordie e controversie che hanno sempre tenuta agitata la provincia Osservante di S. Nicolò, benchè la sagra Congregazione a di XVI dicembre MDCCXII alli due dubbî proposti, uno sopra la divisione della provincia e l'altro sopra l'alternativa tra li padri Baresi e Leccesi circa il provincialato, gradi del definitorio, guardianati e recezioni de' novizî, rispondesse *negative ad utrumque:* ad ogni modo ordinò, che in detta provincia si dovesse inviolabilmente osservare una sincera e disappassionata giustizia distributiva, con ammettere in ciascun capitolo provinciale due soggetti abili del ristretto di Lecce e Terra di Otranto nel definitorio di detta provincia. Con questo però, che se agli elettori piacerà eleggere per provinciale un Leccese, non potranno deputare il custode nel medesimo ristretto, ma il provinciale ed un definitore; e quando vorranno eleggere il provinciale Barese, dovranno deputare il custode e non un definitore Leccese; restando però sempre in arbitrio di detti vocali d'eleggere il provinciale di quella partita, nella quale stimeranno essere soggetto più degno e di maggior abilità. Ed inoltre, atteso che nelli detti ristretti di Lecce e Terra d'Otranto vi sono dodici conventi, dovranno in avvenire in ciascun capitolo provinciale e congregazione intermedia li patri del definitorio eleggere dodici soggetti nativi del detto ristretto di Lecce e Terra d'Otranto abili e sufficienti al governo per guardiani; acciocchè in tal maniera godano le cariche corrispondenti al numero de' religiosi e conventi del loro ristretto ». Cumque suprascriptum votum, sive modus debitae executioni demandetur: ideo praesentibus iniungitur P. V. commissario generali, quatenus poenis et remediis sibi a sacris canonibus subministrandis vocales praefatae provinciae ad illius observationem cogat atque compellat. — Romae, XXIX februarii MDCCXX. — I. D. cardinalis PARACCIANUS. — V. archiepiscopus Damascenus, secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus vicecommissarius generalis dicti Ordinis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et sertur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius vicecommissarii generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine,

1 De alternativâ in hac provinciâ vide Innocentii XII constit. edit. MDCXCII, die 17 maii, pontif. I; et Innocentii XIII constit. edit MDCCXXI, die 16 iunii, pontif. I, confirmatur alternativa in provinciâ S. Antonii in Lusitaniâ.

quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, firmas, etc. [1].

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, etc. [2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDCCXX, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 3 aprilis 1720, pontif. anno XX.

CCLXXI.

Eriguntur in provincias binae vicariae Bahiae ac fluvii Ianuarii in Brasiliâ Ordinis fratrum Carmelitarum antiquae Observantiae [3].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Sacrosanctum apostolatus ministerium humilitati nostrae nullo licet meritorum nostrorum suffragio per ineffabilem divinae sapientiae providentiam commissum postulat, ut, inter multiplices apostolicae servitutis curas, illam peculiari studio complectamur, per quam personae sub suavi religionis iugo divini Numinis obsequiis insistentes feliciori-bus in dies proficiant incrementis.

Erectio huiusmodi vicariarum. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii vicarii provinciales et definitores actuales, aliique religiosi definitorii, tam proprio quam reliquorum fratrum vicariarum, unius scilicet Bahiae et Pernambuci, alterius vero fluvii Ianuarii respective nuncupatarum, Ordinis B. M. Virginis de Monte Carmelo antiquae Observantiae etiam nuncupati, in Brasiliâ, nomine, quod aliàs, nempe anno MDCLXXXV praedictae vicariae a quondam Angelo Monsignano, dum vixit, dicti Ordinis priore generali divisae, et anno MDCLXXXVI auctoritate apostolicâ respective erectae fuerunt, ac postmodum eodem anno MDCLXXXVI pro eis certa particularis regiminis forma, quae ab altero priore generali praedicti Angeli successore, stabilita, et eâdem auctoritate apostolicâ anno MDCLXXXVII confirmata reperitur, stabilita fuit, prout in litteris apostolicis in simili formâ Brevis desuper expeditis, quas praesentibus pro insertis [1] haberi volumus, uberius continetur.

Causae eas erigendi in provincias. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatae vicariae, sic erectae et institutae ac divisae, congruo numero religiosorum et conventuum, ad effectum illas erigendi in duas separatas provincias, refertae sint, in primodictâ quidem Bahiae et Pernambuci septem conventus, comprehensis reformatis, aliàs in litteris supradictis divisionis expressis, ultra hospitia et domos missionum, in secundodictâ vero vicariâ, videlicet fluvii Ianuarii, sex alii conventus in eisdem litteris divisionis specificati nume-

1 Ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

2 Ut ibid. (R. T.).

3 Const. ed. MDCCX, die 28 augusti, pontif. X, concessa fuit Discalceatis Italis facultas fundandi hospitium Ulyssoponense; et Innocentii XIII const. ed. MDCCXXIII, die 23 decembris, pontif. III, agitur de promovendis ad lauream doctoratus in praedictis provinciis.

1 Edit. Main. legit *in simili formâ Brevis, quas praesentibus desuper expeditis* (R. T.).

rentur; ac proinde dicti exponentes, attento praenarrato conventuum et religiosorum numero, pro meliori et salubriori regimine et regulari observantiâ et disciplinâ augendâ, dictas binas vicarias in duas provincias formales separatas et de per se stantes ad instar aliarum provinciarum eiusdem Ordinis erigi posse, illisque sic erectis omnia et singula privilegia, gratias et praeeminentias ac indulta, quibus aliae eiusdem Ordinis provinciae de iure, usu et consuetudine, iuxta dicti Ordinis constitutiones et statuta dictâ auctoritate confirmata, fruuntur et gaudent, per nos concedi plurimum desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Erectio praelatarum vicariarum in duas distinctas provincias, salvis privilegiis reformatorum.

§ 3. Nos igitur, eorumdem exponentium votis hac in re benigne annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti etiam filii moderni prioris generalis dicti Ordinis rationesque deductas mature perpenderunt, consilio, supradictas vicarias in duas provincias formales ad instar aliarum provinciarum eiusdem Ordinis, salvis tamen privilegiis eorumdem conventuum reformatorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, iuxta petita, erigimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque, etc. [1].

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, conventuum, vicariarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, etc. [2].

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc. [3]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx aprilis MDCCXX, pontificatus nostri anno xx.

Dat. die 20 aprilis 1720, pontif. anno xx.

CCLXXII.

Confirmatur decretum dietae generalis Congregationis monachorum Silvestrinorum de exercitio munerum a constitutionibus praescripto ad obtinendam abbatiam titularem [1].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Species facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Matthaeus Sestili abbas et visitator generalis Congregationis monachorum Silvestrinorum nuncupatorum Ordinis S. Benedicti, quod in constitutionibus dictae Congregationis a felicis recordationis Alexandro PP. VIII praedecessore nostro confirmatis, dist. III,

1 Ut supra pag. 703 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 703 *a* (R. T.).
3 Ut supra pag. 704 *a* (R. T.).
1 Constitutiones horum monachorum confirmatae fuere ab Alexandro VIII const. ed. MDCXC, die 15 octobris, pontif. I.

cap. IV, § 6, inter alia disponitur, quod, si quis, octo annorum curriculo, aut bibliothecarii monasterii S. Benedicti terrae de Fabriano, sive socii procuratoris generalis eiusdem Congregationis munus obierit, capax abbatiae titularis officiatur, absque eo quod expressum sit an opus ei existat, quod in unoquoque ex dictis officiis duo quadriennia complevisse, vel supradicti temporis dimidiam partem in uno, aliamque dimidiam in altero[1] munere consumpsisse sufficiat. Cumque anno MDCXCIV infrascriptae Congregationi cardinalium pro huiusmodi declaratione supplicatum fuisset; istamque eidem Congregationi cardinalium ad tunc proxime dictam generalem, quae desuper pro suo arbitrio et conscientiâ explanaret, quod sibi magis expediens videretur, remittere placuisset: ipsamet dicta eodem anno declaravit octennium in dictâ constitutione praefixum intelligendum esse extensive ad diversa officia, itaut si aliquis monachus per biennium socius dicti procuratoris generalis, altero biennio bibliothecarius, altero secretarius, alteroque itidem biennio novitiorum magister extitisset, hunc intelligi annos octo a constitutione praefinitos explevisse, habilemque effectum ad hoc ut ad abbatiam titularem promoveatur. Ac insuper eadem dicta hanc rursus methodum proportionabiliter in aliis officiis honoris nuncupatis ac voce carentibus successive servandam esse decrevit, sic ut sensus semper successivus, non autem cumulativus esse deberet; atque, pro maiori robore ac firmitate praecitatae declarationis et decreti supplicandum duxerat praedictae Congregationi cardinalium pro illorum confirmatione, quae subinde dignata fuerat rescribere esse locum confirmationi per litteras apostolicas. Porro post eiusmodi rescriptum evenit quod dictus Ioannes Matthaeus, nunc abbas et visitator generalis eiusdem Congregationis monachorum, qui socii procuratoris generalis per quatuor annos et totidem bibliothecarii supradicti monasterii officio functus fuerat, in dictâ generali insteterit pro sui promotione in abbatem titularem, existimans quod novas preces memoratae Congregationi cardinalium, quae iam declarationem ipsi dictae commiserat, et ista octo annorum exercitium in pluribus ex dictis officiis iam sufficere declaraverat, porrigere necessarium minime foret. Verum, quia, cum eademmet dicta extendens declarationem ad alia honoris munia (pro cuius confirmatione supplicari debuerat, prout praedictae Congregationi cardinalium supplicatum fuerat, et ipsa pro confirmatione rescripserat) facultates sibi tributas excessisset, tunc existens abbas generalis supradictae Congregationis Silvestrinorum supplicem libellum, tam eiusdem Matthaei, quam dilecti pariter filii Ioannis Baptistae Cortosonno monachi expresse professi[1], huius Congregationis nomine, eidem Congregationi cardinalium porrexit, quatenus, omni semoto dubio, utrumque ad gradum abbatiae titularis habilitare dignaretur, prout die XVIII aprilis MDCXCVIII habilitavit, hac tamen conditione, ut, nisi infra tres menses litterae apostolicae super confirmatione dictae generalis huiusmodi expedirentur, eiusmodi gratia eis minime suffragaretur. Ignarus itaque Ioannes Matthaeus supplicationis eius nomine distributae, sicuti et rescripti desuper editi, haud tamen inscius minime teneri ad aliquam dictarum litterarum expeditionem; sub firmâ credulitate quod ista cadere deberet solummodo in eâ parte, quae

1 Edit. Main. legit *altera* (R. T.).

1 Ed. M. l. *monacho expresse professo* (R. T.).

respiciebat declarationem dietae generalis dicto anno MDCXCIV circa munia honoris pro quibus cursus duodecim annorum requiritur, et super quibus declarandis nullam habuerat facultatem, ab inde citra pacificâ et bonâ fide intra spatium viginti duorum annorum gradum abbatis titularis non minus quam gubernii ex eis quatuor ac visitatoris generalis munere octo annorum, quod etiam num exercet, gavisus est.

Rationes sequentis confirmationis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes Matthaeus, timens posse in proxime futuro capitulo generali supradictae Congregationis Silvestrinorum opponi nullitatem honorum hactenus habitorum, quemadmodum et aliorum, si quibus a suâ Congregatione decorari valeret, et eo tantummodo motivo, quia litteras praedictas, quas[1] sibi minime necessarias esse iudicaverat, haud expedierit, oppositâ nullitate non obstante, se habilitatum et capacem per nos declarari summopere desideret, maxime quia in aliis quinque capitulis duabusque dietis, quibus tamquam abbas titularis de gubernio et tamquam visitator generalis interfuerit, nec eidem unquam talis oppositio facta sit, quod de per se solum est siquidem sufficiens ad quamcumque nullitatem sanandam, quatenus adesset, sed semper in eodem gradu suffragium tulerit, eiusque votum absque ullâ contradictione admissum fuerit: nobis propterea idem Ioannes Matthaeus humiliter supplicari fecit ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio ut in rubricâ.

§ 3. Nos igitur, ipsum Ioannem Matthaeum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectorum filiorum socii et vice-procutoris generalis ipsius Congregationis Silvestrinorum relationem et a praedicto Ioanne Matthaeo narrata attenderunt, consilio, primum decretum a dietâ generali editum, et gratiam abbatiae titularis a memorato Ioanne Matthaeo reportatam, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et respective sanamus, illisque apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et dicto Ioanni Matthaeo in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis, etc.[1].

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis Silvestrinorum, etiam iuramento, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II maii MDCCXX, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 2 maii 1720, pontif. anno XX.

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).

2 Reliqua ut ibid. (R. T.).

CCLXXIII.

Confirmantur quaedam decreta definitorii generalis Ordinis Minorum Conventualium[1].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ex iniuncti nobis divinitus pastoralis officii debito, illa, quae pro felici eorum, qui Altissimi obsequiis sub suavi vitae religiosae iugo mancipati sunt, regimine et gubernio provide prudenterque facta esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, libenter, cum id a nobis petitur, apostolici muniminis nostri praesidio roboramus.

Decretorum anno MDCCXIX editorum scopus. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filiius Carolus Iacobus Romilli minister generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, quod in definitorio generali dicti Ordinis in almâ Urbe nostrâ die XXVII mensis maii anni proxime praeteriti congregato, ad divini cultus incrementum et religiosorum Ordinis huiusmodi, tam ad regularis observantiae quam in litteris progressionem, edita et facta fuerunt nonnulla decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreta venerabilis definitorii generalis fratrum Minorum Conventualium sancti Francisci, Romae, die XXVII *maii, anno* MDCCXIX, *congregati.*

Patrona praecipua B. M. V. Immaculatae Conceptionis. I. Sacra Minorum Conventualium religio beatissimae Virginis Conceptionem singularibus devotionis officiis a suis primordiis quovis tempore prosecuta est. Quamobrem maiorum suorum semitis inhaerendo, decrevit venerabile definitorium eamdem beatam Virginem sub titulo Immaculatae Conceptionis in patronam principalem sibi assumere, firmissimam ex eo spem concipiens, futurum ut in Ordine nostro erga eamdem Deiparam, eiusdemque Immaculatae Conceptionis mysterium, pietas et religio in dies fervescat et augeatur.

Ratio faciendae transfiliationis. II. Cum satis compertum sit non levia sequi incommoda, et iura ministrorum provincialium confundi et perturbari, si quandoque in transfiliationibus contingat aliquem prius acceptari in filium conventus quam provinciae; hac de causâ sub poenâ nullitatis praecipitur, ut in hûiusmodi transfiliationibus (etiamsi utraque aggregatio spectaret ad definitorium provinciale) hic ordo omnino servetur: praemissis litteris de iure praemittendis, prius provinciae, deinde conventui coaptetur.

Sacrificia et preces pro mortuis praesidibus. III. Pietati et maxime religioso consentaneum est, eos, qui vel religioni toti, vel provinciis praefuerunt, quique non pro se ipsis dumtaxat, sed pro aliis quoque teneantur Deo rationem reddere, uberioribus suffragiis, cum ex hac vitâ decesserint, adiuvari. Statuitur ergo, ut pro exgeneralibus et exprovincialibus in religione obeuntibus in singulis conventibus totius Ordinis una missa cantetur, singuli sacerdotes semel missae sacrificium offerant, clerici semel officium defunctorum, laici vero semel coronam beatae Mariae Virginis devote recitent: pro exprovincialibus, salvis manentibus suffragiis per constitutiones Urbanas statutis in singulis conventibus provinciae, duae aliae missae cantentur; pro exprocuratoribus generalibus aliisque assistentibus Ordinis, missa una cantetur in qualibet provinciâ, in conventu designando a ministro provinciali iuxta ordinem custodiarum et conventuum.

Qui ad religionem admittendi. IV. Stricte praecipiunt nostrae constitutiones Urbanae, ut nemo ad Ordinem recipiatur, nisi praeviâ diligentissimâ perquisitione de uniuscuiusque natalibus, de corporis habitudine, de moribus et vitâ anteactâ. Quae perquisitiones cum non semel probatae sint deceptionibus obnoxiae, si illorum provincialium, ex quorum finibus recipiendi

1 Alexandri VIII constit. edit. MDCXC, die 5 aprilis, pontif. I, confirmata fuere quaedam decreta capituli generalis; et in huius Pontificis constit. ed. MDCCXX, die 12 iulii, pontif. XX, est prohibitio extrahendi libros ex bibliothecâ Urbinatensi.

ortum trahunt, informatio et votum negligatur; ideo mandatur ministris provincialibus quarumcumque provinciarum, ne imposterum audeant exteros ad habitum religionis admittere, nisi praehabitis informatione et consensu provincialium, ad quos spectat, sub poenis statutis et expressis in decreto Alexandri VIII quod incipit *Provinciales quarumcumque provinciarum*, et aliis poenis ministri generalis arbitrio reservatis.

Conversi careant iure suffragii.

v. Quamquam in constitutionibus nostris fratribus quoque laicis seu conversis ius suffragii in quibusdam actionibus concedatur; tamen, quia, ut experimento compertum est, ex huiusmodi conversorum suffragiis acta publica ut plurimum vel impediuntur, vel perturbantur, cum ut plurimum deteriorem sequentes, ab optimorum sententiâ discedant, hac de re statuitur ut nullus conversorum, qui actu in religione reperiuntur, in actionibus publicis vel privatis suffragium ferat, nisi in aetate habeat annos quadraginta et in professione regulari quindecim; qui vero post hoc decretum ad habitum religionis admittentur, omnino careant iure suffragii.

Qui lectores morales ad gradum promovendi.

vi. Cum non parum utilitatis a lecturae moralis exercitio oriri probatum sit, censuit venerabile definitorium, confirmandum esse decretum, super hoc emanatum in capitulis generalibus celebratis annis MDCCVII et MDCCXIII, quod incipit *Cum in dies*, hac tamen limitatione, ut lectura moralis ad paternitatis provinciae gradum non perducat, nisi qui prius regentes primae classis fuerint, ne, si sola lectura moralis ad paternitatem provinciae assequendam sufficiat, cum non levi religionis detrimento, laboriosa ceterarum facultatum studia negligantur.

Approbantur novem decreta definitorii MDCCXIII celebrati.

vii. Postremo, cum decreta definitorii generalis in Urbe congregati anno MDCCXIII nonnisi ad sexennium fuerint a sanctissimo domino nostro confirmata, quaesitum fuit, an essent iterum approbanda. Quibus venerabile definitorium respondit: — primum de confessionibus novitiorum audiendis non ab ipsorum magistro, ut vitentur conscientiarum pericula, sed ab alio religioso spectatae vitae ad id muneris seligendo; tertium in quo, ne conventus gravetur, decernitur ut non cuilibet definitori perpetuo proprius laicus assignetur pro socio, sed unus frater laicus inserviat saltem duobus patribus; quintum de praefectis in gymnasiis et collegiis pro maiori studentium profectu destinandis; octavum de lecturâ secundi seminarii regentibus diligentioribus secundo triennio pro secundâ, et tertio triennio pro primâ classe, iudicio definitorii generalis concedendâ; decimum de seminariis pro faciliori adolescentium profectu ad pauciorem numerum reducendis; undecimum de non promovendis ad paternitatem alicuius conventus, nisi prius ab episcopo dioecesano fuerint ad confessionem admissi; duodecimum de subsidiis praestandis sacro conventui Assisiensi: haec omnia venerabile definitorium respondit esse approbanda iuxta eorum seriem et tenorem, prout re ipsâ approbavit: — secundum vero de suffragio a conversis in electionibus non ferendo, nisi in aetate habeant[1] annos quadraginta et in professione regulari quindecim, approbavit, sed ulterius statuit, quod conversi, imposterum ad habitum admittendi, omnino careant iure suffragandi, prout n. v; quintum[2], de lecturâ morali in Ordine promovendâ, pariter confirmavit, sed hac limitatione, ut ad paternitatis gradum non perducat, nisi qui prius regentes primae classis fuerint, prout n. vi; sextum tandem, septimum et nonum, in quibus de methodo studiorum, de concursu et examine studentium baccalaureorum et numero collegialium agitur, censuit venerabile definitorium esse totaliter committenda, prout de iure in sacris constitutionibus Urbanis, prudentiae et arbitrio reverendissimi fratris ministri generalis, qui, pro locorum et temporum varietate, id pro studiorum incremento statuet, quod magis in Domino expedire videbitur.

Confirmatio relatorum decretorum, nono excepto, iterum ad examen revocando.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Carolus Iacobus minister generalis decreta huiusmodi,

1 Edit. Main. legit *habeat* (R. T.).

2 Forsan legend. *quartum*, quia *quintum* in legitur paulo ante inter absolute approbata (R.T.).

quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, specialem ipsi Carolo Iacobo ministro generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii nostri Iosephi eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Vallemani nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, et alteram dilecti etiam filii moderni procuratoris generalis Ordinis huiusmodi, atque documenta exhibita mature perpenderunt, consilio, decreta praeinserta, nono dumtaxat excepto, confirmando usque ad proxime futurum capitulum generale Ordinis praedicti, ac in proxime venturo generali definitorio iterum ad trutinam reducendo, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes praeinserta decreta, ac easdem praesentes litteras, firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus, etc.[1].

1 Reliqua ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, eiusque provinciarum et conventuum quorumvis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, etc.[1].

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII maii MDCCXX, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 7 maii 1720, pontif. anno XX.

CCLXXIV.

Confirmantur quaedam decreta capituli generalis Congregationis S. Bernardi in Hispania de lectoribus et concionatoribus[3].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ex iniuncti nobis divinitus pastoralis officii debito, illa, quae pro felici eorum, qui Altissimi obsequiis sub suavi monasticae vitae iugo mancipati sunt, regimine et gubernio provide prudenterque facta esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, libenter, cum id a nobis petitur, apostolici muniminis nostri praesidio roboramus.

Decretorum anno MDCCXVII editorum causa refertur. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis in Romanâ Curiâ monachorum Congregationis S. Bernardi Hispaniae Ordinis Cisterciensis, tam suo quam dilectorum filiorum abbatis generalis et totius definitorii praedictae Con-

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).

2 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

3 Const. ed. MDCCXIX, die 3 aprilis, pont. XIX, extat decretum de electione superiorum singulis sexennii; et Benedicti XIII constitut. edit. MDCCXXVIII, die 20 decembris, pontif. V, agitur de distributione officiorum in Congregatione Cisterciensi Castellae.

gregationis nomine, quod in capitulo generali eiusdem Congregationis die x novembris MDCCXVII in collegio de Palazuelos nuncupato celebrato, ad tollendas gravissimas inordinationes quas ipsa Congregatio ob neglectas sacrae theologiae et philosophiae lecturas necnon verbi Dei praedicationes experta fuit, nonnulla decreta, sive definitiones, circa modum deinceps in electione lectorum, verbi Dei praedicatorum, oppositorum et aliorum servandum, edita et facta, ac ab eodem capitulo approbata et subscripta fuerunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreti o definizioni et ordinazioni da confermarsi.

Lectores et concionatores qua de causa amoveri possint a suo munere.

I. E per essersi sperimentati nella religione gravi inconvenienti, per l'esperienza che finora ha avuto nel tralasciare le lettere[1] di teologia e filosofia e le prediche, desiderando evitarli, il capitolo generale comanda, che di qui avanti, una volta che saranno posti li detti lettori e predicatori nella forma che nelli capitoli seguenti si dirà, non si possano rimovere dalle loro cariche senza causa; e dichiarare[2] il capitolo generale esser causa legittima per esser rimossi la mancanza del complimento all'obbligo di detti loro impieghi o cariche letterarie, e ogni altra cosa, per la quale possono secondo li nostri statuti e definizioni esser privati li padri abati.

Norma eos eligendi.

II. E perchè li detti lettori e predicatori siano tali che nominati una volta non possano esser rimossi se non per le cause dichiarate nell'antecedente capitolo, ordina e comanda il capitolo generale che li lettori e predicatori si provedano ed eleggano di qui innanzi per concorso nel tempo del capitolo generale, o pure quando parerà al nostro reverendissimo padre generale esser di bisogno, dovendo li concorrenti intervenire a detto capitolo, nel quale difenderanno quella conclusione che vorranno, e leggeranno d'opposizione un'ora con punti rigorosi di ventiquattro ore, quali si proporranno dal Maestro delle Sentenze, argomentando uno contro l'altro di maniera che ciascheduno delli concorrenti sostenga due argomenti di mezz'ora per ciascheduno.

Qui ad examen admittendi et a quo eis nuntiranda vratica.

III. Parimente concede licenza il capitolo generale di poter concorrere a detta opposizione tutti quelli che averanno sostenuto l'atto maggiore nell'università d'Alcalà e a quelli che averanno sostenuto l'atto maggiore o minore nell'università di Salamanca, o saranno nominati dal nostro reverendissimo padre generale per sostenerli, e a quelli che sua paternità reverendissima, secondo le circostanze, parerà convenienti chiamare a detto concorso. A tutti i quali che vogliono concorrere debbano li padri abbati, de'quali saranno sudditi, dar a conto della lor casa di professione tutto il bisognevole per andare e ritornare a Palazuelos, o al luogo dove sarà il concorso, sotto pena di sospensione dalle loro dignità abbaziali per sei mesi; il che si eseguirà dal nostro reverendissimo padre generale o suo commissario senza dispensarne alcuno: sopra di che a sua paternità reverendissima se gli incarica la coscienza, come anche il detto capitolo generale incarica la coscienza di sua paternità reverendissima, acciò che la provisione di detti atti della università la faccia in soggetti più abili, che per ciò li padri maestri e lettori di Salamanca ed Alcala e maestro degli studenti di Salamanca, dopo sostenuti gli atti di detti collegii, facciano un attestato giurato e segreto, senza comunicarsi uno con l'altro, a sua paternità reverendissima di ciascheduno di detti che averanno sostenuti gli atti di collegio, acciò detta paternità sua reverendissima possa con maggior sicurezza provedere gli atti dell'università, avendo riguardo alli meriti delli soggetti, ed alla giustizia distributiva, che ordina la Bolla del nostro santo Padre Clemente XI.

Examinatores et qui ab eis approbandi.

IV. Similmente ordina il capitolo generale, che, fatto il sopraddetto concorso ed opposizione alle letture e prediche, si provedano per voti decisivi del nostro reverendissimo

1 Forsan *letture* (R. T.).

2 Videtur legendum *dichiara* (R. T.).

padre generale ed altri quattro esaminatori, che saranno sempre li lettori e oppositori di Alcala e Salamanca, di maniera che di detti quattro uno sia naturale del regno di Galizia, e l'altro della provincia de Campos e terre adiacenti del regno di Leone, e gli altri due siano naturali di Castiglianova, Riosa, Asturie e Montannas. E se d'alcuno di detti partiti non vi sarà lettore, nè oppositore, si complisca il detto numero di quattro con il maestro o maestri più moderni, che siano capitolari, naturali di detti partiti che non averanno lettore nè oppositore. Et il detto nostro reverendissimo padre generale e quattro esaminatori giurino di dare il voto per quelli che giudicheranno più abili a dette cariche, regolandosi il tutto meglio si potrà, con l'egual divisione e subdivisione che dispone in quanto ai magisterî e prediche il nostro santissimo Papa Clemente XI, dare i loro voti in segreto, e quello che averà maggior numero di essi, sia lettore o predicatore.

Quot lectores et concionatores eligendi.

v. Et in tal guisa nei tempi suddetti si provedano tutte le letture e prediche che allora saranno vacanti, e che si sappia che in quel triennio hanno da vacare.

vi. Potendo similmente provedere, oltre li detti, altri due o tre lettori e predicatori, che solo possano entrare, parendo al nostro reverendissimo padre generale, in letture e prediche, se a caso vacheranno avanti d'altro concorso per morte, rinunzia o privazione.

Electio oppositorum pro universitatibus.

vii. Nell' istessa conformità e maniera provederanno il detto nostro reverendissimo padre generale e quattro esaminatori quelli che si dovranno assegnare per oppositori alle cattedre delle università, nominandoli delli soggetti di detto concorso o delli lettori attuali, li quali, nominati una volta, non possano lasciar detta carica di oppositori se non per causa d'una malattia che li obblighi a ciò, e che risulti per mezzo d'un attestato giurato de'medici, riconosciuto ed approvato dal detto nostro reverendissimo padre generale e li quattro esaminatori, o la maggior parte delli cinque.

A quo fieri debent impensae.

viii. Comanda similmente il capitolo generale, che tutte le spese del nostro reverendissimo padre generale, delli quattro padri esaminatori, e delli concorrenti alle dette cariche, tutto il tempo che durerà il detto concorso, le faccia questo monastero di Palazuelos, o altro che il nostro reverendissimo padre generale assegnerà per quest'effetto, a conto di tutto l'Ordine, quale si riporta con le spese dell' istesso capitolo; e paghino li padri abbati con la stessa puntualità che si pagano sempre le dette spese al capitolo generale.

tempore praedictorum electionum.

De iubilatis.

ix. Parimente ordina il detto capitolo generale, che nessun lettore nè predicatore si possa giubilare, finchè non abbia letto o predicato dodici corsi compiti.

De lectore ac concionatore collegii de Palazuelos.

x. E parimenti, che nessuno possa esser lettore nè predicatore del collegio di Palazuelos più di sei corsi; quali terminati, il nostro reverendissimo padre generale debba farli passare ad altre letture o predica; e che nessun lettore possa giubilarsi senza aver letto tre anni almeno in Alcala o Salamanca.

De numero lectorum et magistrorum.

xi. Parimente comanda il capitolo generale, che nel collegio di Alcala non vi siano altro che quattro lettori, e il meno antico di abito eserciti l'officio di maestro de'studenti, e in Salamanca più di tre lettori e un maestro de' studenti, includendo in questo numero li graduati di detta università che non averanno cattedra nè saranno giubilati.

Item de numero regentium et viceregentium.

xii. E che nel collegio delli più anziani non vi siano più che tre reggenti, e che il meno antico d'abito eserciti l'officio di vicereggente, nè tampoco nel collegio di Palazuelos vi siano più di quattro lettori, esercitando il meno antico d'abito l'officio di maestro de' studenti, e in ciaschedun collegio di filosofia solamente vi sarà un lettore che guadagni tre corsi compita la lettura di filosofia, ed uno più anziano che non guadagni corso; il che si osservi subito ottenuta che sarà la conferma apostolica.

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes decreta et definitiones huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius,

apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem eiusdem procuratoris generalis super praemissis eisdem cardinalibus factam viderunt, consilio (recedendo a resolutis sub die XI martii anni proxime praeteriti in eâ parte, in qua fuit dictum quoad confirmationem supradictorum decretorum et definitionum factam et approbatam in pleno capitulo generali exquirendum esse votum eiusdem capituli generalis), definitiones et decreta praeinserta huiusmodi, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes praeinserta decreta et definitiones, ac easdem praesentes litteras, firma, valida et efficacia existere et fore, suosque, etc. [1].

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis Hispaniae, etiam iuramento, etc. [2].

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc. [3]. Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX martii MDCCXX, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 29 martii 1720, pontif. anno XX.

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).

2 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

3 Praedicta ecclesia erecta fuit in sedem Militiae constit. edit. MDCCXVIII, die 27 maii, pontif. XVIII; et Innocentii XIII constit. edit. MDCCXXI, die 15 decembris, pontif. I, creantur quinquaginta equites Aureatae Militiae.

CCLXXV.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua in quibusdam festis pro ecclesiâ B. Mariae della Steccata *Militiae Aureatae Constantinianae* [2].

Clemens Papa XI,

Universis christifidelibus, praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, ac supplicationibus dilecti filii nobilis viri Francisci Parmae et Placentiae ducis, et magni magistri seu perpetui administratoris Militiae Aureatae Constantinianae sub titulo S. Georgii et regulâ S. Basilii Magni, nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui ecclesiam conventualem B. Mariae *della Steccata* nuncupatam, Parmensem, praedictae Militiae, in Conceptionis, Annunciationis beatae Mariae Virginis Imma- Precibus ducis Parmae, magni magistri, concediur praedicta indulgentia in festis Conceptionis et Annunciationis B. M., ac sanctorum Gregorii et Basili.

culatae, ac sanctorum Georgii et Basilii festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis diernm huiusmodi annis singulis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua die ex praedictis id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et largimur; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv iunii MDCCXX, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 15 iunii 1720, pontif. anno XX.

CCLXXVI.

Prohibetur, ne extrahantur libri ex publicâ bibliothecâ Urbinatensi, et facultas itidem retinendi libros damnatos indulgetur [2].

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam.

A Clemente XI instituta fuit publica bibliotheca Urbinatensis.

§ 1. Cum nos civitatem nostram Urbinatensem, in qua nati, educati et a primis aetatis nostrae annis instituti fuimus, quamque propterea singulari paternae charitatis affectu in Domino complectimur, amplioribus in dies beneficiis et gratiis ornare cupientes, ac ad illa potissimum quae maiorem ei utilitatem et fructum afferre possunt, pontificiae nostrae largitatis intuitum dirigentes, publicam bibliothecam in conventu fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum dictae civitatis, ad usum et commoditatem eorumdem fratrum ac civium et incolarum quorumcumque ipsius civitatis necnon studiosorum ad universitatem studii generalis in eâdem civitate erectam confluentium, instituerimus, non modicâ pecuniarum summâ per nos in id opus erogatâ, praesertim in constructionem fabricae eiusdem bibliothecae, eamque non modo scriniis, seu forulis, nucco ligno decenter elaboratis, ac filo aereo reticulato munitis, verum etiam plurimis codicibus ad omnes prope scientias et artes tum liberales tum mechanicas spectantibus, sive per nos emptis, sive e domesticâ nostrâ bibliothecâ extractis [1], qui, ultra nonnullos in antiquâ dicti conventus bibliothecâ existentes, ac alios plures, quos bonae memoriae Alexander Fidelis, dum viveret, episcopus Æsinus, eiusmodi nostrae in suam aeque ac nostram patriam beneficae voluntatis probe conscius, in suis supremis tabulis dispositioni nostrae hoc consilio reliquerat, in scriniis huiusmodi collocati et congrue dispositi reperiuntur, instrui fecerimus; illisque nuper etiam alios codices praesertim ad artem medicam pertinentes, quos quondam Ioannes Maria Lancisius, dum vixit, cubicularius et medicus noster secretus, propenso in eamdem patriam nostram animo, dictae bibliothecae legaverat, addi iusserimus; quinimo etiam in posterum eamdem bibliothecam aliis codicibus seu voluminibus, dum, benedicente Domino, vita suppetet, augere intendamus, ad hoc ut exinde memorati fratres, cives, incolae et studiosi bonarum ac praesertim sacrarum litterarum laudabiliumque disciplinarum studiis commodius ac impensius vacare uberioresque in eis progressus facere valeant, sicque ad sectanda vestigia tot

1 Const. edit. MDCCVI, die 30 ianuarii, pontif. VI, inter auditores Rotae Perusinae concessus fuit locus uni civi Urbinatensi; et constit. edit. MDCCXXI, die 19 martii, pontif. XXI, confirmantur privilegia universitatis et collegii doctorum.

1 Ed. Main. legit *exaratis* pro *extractis* (R.T).

illustrium virorum, qui in praedictâ civitate omni doctrinae genere antehac eximie floruerunt, ac permultis in lucem editis operibus plurimum ei decus ac ornamentum attulerunt, vehementius excitentur:

Prohibitio praedicta.

§ 2. Nunc vero conservationi, manutentioni et incremento dictae bibliothecae, quantum cum Domino possumus, benigne consulere volentes; idcirco, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ne quisquam, cuiusvis gradus, status, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis existat, aut quocumque officio, auctoritate vel superioritate fungatur, libros, codices, quinterna, folia, chartas, scripturas et volumina quaecumque, tam typis impressa quam manuscripta, hactenus a nobis vel aliis, ut praefertur, donata et assignata, seu in posterum per nos et alios quoslibet quandocumque donanda et assignanda, ex ipsâ bibliothecâ, sub quovis quaesito colore, praetextu, capite vel occasione, extrahere vel asportare, seu ut extrahantur vel asportentur permittere aut consentire audeat quovis modo seu praesumat, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice absolutionis beneficium, praeterquam in mortis articulo constitutus, impetrare possit, et, quoad regulares, etiam privationis vocis activae et passivae, eo ipso absque aliâ declaratione per contrafacientes incurrendis poenis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo prohibemus et interdicimus.

Indultum retinendi libros damnatos ita tamen ut principiores sub clavi custodiantur.

§ 3. Praeterea, ut in bibliothecâ praefatâ quorumvis etiam haereticorum et haeresiarcharum aliorumque reprobatorum auctorum, cuiuscumque sectae et classis, etiam primae, et ex quacumque causâ, etiam ob falsi dogmatis suspicionem, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac etiam in quibusvis conciliis generalibus, necnon etiam a nobis et Sede Apostolicâ quomodolibet prohibiti et damnati, ac a nobis successoribusque nostris Romanis Pontifibus et dictâ Sede in futurum forsan prohibendi et damnandi libri, manuscripta et opera, tam hactenus in lucem edita, quam in posterum edenda seu scribenda quaecumque, etiamsi ex professo et in capite de religione et fide catholicâ, seu contra religionem et fidem easdem tractent, in ipsâ bibliothecâ hactenus collocati et collocata, ac in posterum quandocumque collocandi et collocanda, retineri, haberi et asservari licite et impune, ac absque ullo conscientiae scrupulo et quarumcumque ecclesiasticarum sententiarum et censurarum vel aliarum poenarum, etiam irregularitatis, infamiae aut inhabilitatis incursu, possint et valeant, ita tamen ut libri, scripta et opera praefata omnia, ac illa praesertim quae de religione et fide, vel contra religionem et fidem orthodoxam tractant seu tractabunt, in aliquo separato eiusdem bibliothecae loco clausi et clausa ac secreto et sine cuiusquam scandalo vel periculo sub clavi retineantur, nec a quoquam accipi possint nisi de manibus bibliothecarii vel custodum nunc et pro tempore existentium, qui illos seu illa legendos seu legenda nemini praebere audeant quovis modo seu praesumant, nisi prius sibi constiterit, quod illos seu illa petentes opportunam super eorum lectione a Sede praefatâ licentiam sibi concedi obtinuerint, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, harum serie, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, etc.[1], sicque et non ali-

1 Ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

ter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam generales inquisitores et de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, etc. [1].

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus quibuslibet apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, nec non prohibitionibus desuper factis et in posterum quomodolibet faciendis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse ac latissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut praesentium litterarum exemplum in valvis dictae bibliothecae, aut alio conspicuo illius loco ubi ab omnibus cerni et legi possit, affixum assidue remaneat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII iulii MDCCXX, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 12 iulii 1720, pontif. anno XX.

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).

CCLXXVII.

Abolentur statuta capitulorum generalium fratrum Minorum de Observantiâ Reformatorum de privilegiis lectorum, praedicatorum et magistrorum novitiorum [1].

Clemens Papa XI,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Inter ceteras apostolicae sevitutis curas, quibus circa universalis Ecclesiae regimen humilitati nostrae a Domino commissum assidue premimur, ea nos non parum sollicitos habet, ut personae regulares, divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatae, iuxta regularia eorum instituta salubriter regantur; et propterea, si quae felici earum statui obesse aut in aliquod observantiae regularis earum et disciplinae detrimentum vergere cognovimus, ea, quantum nobis ex alto conceditur, removemus et prohibemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Statutum capituli Toletani MDCLXXXII de praecedentiâ lectorum, concionatorum et magistrorum novitiorum.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni superiores generales Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, quod capitulum generale dicti Ordinis quod anno MDCLXXXII in civitate Toletanâ celebratum fuit, perpendens multos praemio magis quam poenâ ad virtutes excitari, omnium strictioris observantiae vocalium unanimi consensu, ac nemine prorsus discrepante, statuit, ut ii, qui integrum philosophiae cursum et sacram theologiam duodecim annorum spatio laudabiliter

1 Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVI, die 18 (28) martii, pontif. X, confirmata fuere privilegia lectorum; huius Pontificis constitut. edit. MDCCXVIII, die 20 augusti, pontif. XVIII, revocata fuere privilegia personalia in provinciis Brasiliensibus; et de abolendis privilegiis lectorum vide const. sequentem ed. MDCCXX, die 7 septembris, pontif. XX.

docuerunt, vel imposterum docebunt, ultimum locum et praecedentiam inter eos qui ministri et vicarii provincialis per biennium vel guardiani conventus Hierusalem vel secretarii generalis respective muneribus perfuncti fuerunt obtineant; qui vero totidem annis in cathedralibus ecclesiis, vel suggestis conspicuis, vel generalibus in verbi Dei praedicatione praeclare se gesserunt, et posthac se gerent, immediate post definitores actuales; et qui magistri, novitiorum per octo annorum decursum fuerunt vel erunt, post excustodes et proministros, qui in capitulo generali Hispaniarum legitime suffragati sunt, locum habeant; eâ tamen lege ut unus ex lectoribus, unusque ex concionatoribus, ac unus ex praedictis magistris antiquior in suo quolibet munere expleto praefatâ praecedentiâ respective et loco absque iure subrogandi eodem tempore gaudere possit; praefati autem lectores in posterum scholastica exercitia ad praescriptum constitutionum eiusdem Ordinis auctoritate apostolicâ confirmatarum peragere teneantur; ac postmodum eiusmodi Toletanum statutum quoad lectores de tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio per quasdam felicis recordationis Innocentii Papae XI praedecessoris nostri die XVIII[1] martii MDCLXXXVI expeditas litteras, sub certis modo et formâ tunc expressis, confirmatum et approbatum fuit; et deinde in capitulo pariter generali Romano anno MDCLXXXVIII celebrato titulus emeriti iam dictis lectoribus attributus extitit; ac in altero similiter capitulo generali Victoriae nuncupato, anno MDCXCIV habito, unus in qualibet provinciâ conventus, ubi lectores praedicti privilegia huiusmodi consecuti eadem scholastica exercitia prosequi deberent, stabilitus fuit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, experientiâ compertum sit gravia ex ipsis indultis et privilegiis regulari disciplinae praeiudicia illata, ac inter religiosos iurgia, lites ac ambitus multum ab humilitate et simplicitate dicti Ordinis aliena exorta esse; et propterea dicti exponentes, quo omnis via illius relaxationi praecludatur, de opportuno remedio a nobis provideri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de particularis Congregationis nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris eiusdem S. R. E. cardinalium a nobis deputatae consilio, dictum statutum Toletanum super indultis ac privilegiis lectoribus, verbi Dei praedicatoribus, necnon magistris novitiorum, sicut praemittitur, concessis, necnon alia statuta in capitulis generalibus scilicet Romano et Victoriae edita, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, annullamus, cassamus, abrogamus et abolemus, viribusque et effectu vacuamus; sicque deinceps praedicti lectores, verbi Dei praedicatores et magistri novitiorum indulta, privilegia et titulos huiusmodi nullatenus consequi valeant; ita tamen ut regulares Ordinis praedicti, qui usque ad praesentem diem iam dicta indulta et

Abolitio praedictorum statutorum.

1 In tom. XIX pag. 669 a legitur 28 (R. T.).

privilegia legitime consecuti fuerint, in eorumque pacificâ possessione extiterint, iis uti et frui possint in statu tantum in quo reperiuntur, non tamen aliud privilegium in casu loci vacantis privilegiati assequi valeant, atque praesentibus nostris litteris iuri illis quaesito derogatum censeatur.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat et spectabit, in futurum inviolabiliter observari, etc. [1].

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praedictis Innocentii praedecessoris litteris, aliisque praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, etc. [2].

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc. [3]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI septembris MDCCXX, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 6 septembris 1720, pontif. anno XX.

CCLXXVIII.

Confirmatur decretum Congregationis particularis de abolendis privilegiis a capitulis generalibus fratrum Minorum de Observantiâ reformatorum lectoribus concessis [4].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio oppositionum factarum. § 1. Nuper a particulari Congregatione nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus a nobis specialiter deputatâ super praetensis rationibus pro parte dilectorum filiorum lectorum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ reformatorum nuncupatorum aliàs in Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ adductis, et in eâdem Congregatione particulari minime exhibitis, non esse locum abolitioni indultorum et privilegiorum eis per statutum Toletanum ac capitula generalia Romano scilicet et Victoriae dicti Ordinis concessorum, emanavit decretum tenoris qui sequitur videlicet:

Decretum Congregationis, in quo refertur contradictio inter superiores generales et lectores super abolitione praedictorum privilegiorum.

Ordinis Minorum Reformatorum S. Francisci. — Cum pridem, sub die iovis XVIII iulii MDCCXX, Congregatio deputata eminentissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium Paulutii, Casoni, Paracciani, praefecti Congregationis episcoporum et regularium, ac Fabroni, meique infrascripti secretarii, fuerit in sensu, consulendum sanctissimo domino nostro pro abolitione statuti Toletani, necnon aliorum statutorum in capitulis generalibus Romano et Victoriae editorum, super indultis et privilegiis lectoribus, praedicatoribus et magistris novitiorum Ordinis Minorum Observantiae Reformatorum concessis, prout latius ex facti serie et decreto edito, quod a sanctissimo domino nostro approbatum fuit: nuper ex lectorum praememorati Ordinis parte eidem sanctissimo domino nostro expositum fuit, quod aliàs sub die XXI iunii MDCCIX in sacrâ Congregatione episcoporum et regularium, hac eâdem promotâ superiorum generalium instantiâ super abolitione respective dictorum privilegiorum et indultorum, ponente clarae memoriae cardinali S. Clementis, rescriptum fuit: « Nihil esse innovandum »: proindeque ex his aliisque praetensis rationi-

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).
2 Reliqua ut ibid. (R. T.).
3 Reliqua ut supra pag. 704 *a* (R. T.).
4 Hac de re vide const. praecedentem edit. MDCCXX, die 6 septembris, pontif. XX; et Innocentii XIII const. ed. MDCCXXI, die 5 iulii, pontif. I, denegatur praecedentia laicis in regno Siciliae.

bus, quae a dictis lectoribus adducebantur, et in eâdem Congregatione particulari exhibitae non fuerunt, non esse locum abolitioni praedictorum indultorum et privilegiorum dicebatur. Hinc denuo de mandato eiusdem sanctissimi domini nostri, eâdem particulari Congregatione habitâ die iovis XXIX augusti MDCCXX, et perpensis dicto decreto sacrae Congregationis episcoporum et regularium aliisque praetensis rationibus praedictorum lectorum, eminentissimi patres unanimiter fuerunt in sensu: Standum esse in decretis sub die XVIII iulii proxime praeteriti. — I. D. card. PARACCIANUS. — I. archiepiscopus Damascenus, secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti etiam filii superiores Ordinis praedicti nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque, etc. [1].

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, etc. [2].

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc. [3].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII septembris MDCCXX, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 7 septembris 1720, pontif. anno XX.

CCLXXIX.

Extenditur numerus octodecim magistrorum pro provinciâ Peruvianâ Ordinis eremitarum sancti Augustini [4].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius extensionis et preces provinciae pro numero quinquaginta magistrorum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Peruvianae Ordinis eremitarum sancti Augustini, quod, cum in eâdem provinciâ numerus religiosorum auctus sit, illiusque conventus in statu satis diviti reperiantur, necnon in ultimo examine peracto religiosi habiles et capaces ad consequendum magisterii in sacrâ theologiâ gradum usque ad numerum quinquaginta, qui tamen laureâ emeritâ donari nequiverunt, ex quo in provinciâ huiusmodi octodecim magistri in eâdem sacrâ theologiâ numerantur, reperti fuerint; ipsi exponentes, quo religiosis praedictis novi ad studia et virtutes stimuli addantur, nu-

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).

2 Ut supra ibid. (R. T.).

3 Ut pag. 704 *a* (R. T.).

4 Const. ed. MDCCXII, die 26 februarii, pontificatus XII, auctus fuit numerus magistrorum in provinciâ Limanâ; et Innocentii XIII const. ed. MDCCXXI, die 18 novembris, pontif. I, reducitur numerus magistrorum in provinciâ Castellae.

merum magistrorum huiusmodi ad quinquaginta a nobis augeri plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extensio numeri octodecim magistrorum ad viginti quatuor tantum.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisve ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium, qui relationem dilectorum pariter filiorum modernorum vicarii generalis et procuratoris generalis dicti Ordinis super praemissis eisdem cardinalibus factam viderunt et iura deducta perpenderunt, consilio, octodecim magistrorum praedictae provinciae numerum pro nunc ad viginti quatuor, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus, et in reliquis votum futuri capituli generalis exquiri mandamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, etc.[1].

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, etc.[2].

1 Vide supra pag. 848 *a* (R. T.).

2 Ut pag. 703 *a* (R. T.).

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiôrem, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCCXX, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 7 octobris 1720, pontif. anno XX.

CCLXXX.

Confirmatur concordia super divisione provinciae Insulensis Ordinis fratrum Capuccinorum[2].

Clemens Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Divisio provinciae in Gallobelgicam et Flandrobelgicam.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum ministri provincialis et definitorum provinciae Insulensis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, nobis expositum fuit, quod, cum eorum provincia in locis et terris, in quibus maxima adest idiomatum diversitas, constituta sit, propter eiusmodi etiam idiomatum diversitatem, populorum utilitatem, bonum conventuum, pacem et religiosorum concordiam, et praesertim ut servitio carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi provideatur, nimirum ut tam populi quam religiosi in temporalibus sicut et in spiritualibus necessariis levamentis minime destituantur, a dilectis pariter filiis Ludovico de Jul, tunc existente definitore generali et ministro provinciali provinciae Parisiensis dicti Ordinis, ac a tunc pariter existente Carolo Maria ministro generali Ordinis huiusmodi, ad hoc spe-

1 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

2 Const. ed. MDCCXII, die 13 septembris, pontif. XII, constituta fuit aequalitas inter custodias provinciae Turonensis; et Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVIII, die 16 decembris, pontif. V, erigitur provincia Alsatiensis.

cialiter deputatis, conventio et transactio facta, approbata et confirmata, et in capitulo mense augusti anno MDCLXXXVII celebrato ab omnibus vocalibus unanimiter subscripta et hactenus sine interruptione observata fuit, itaut: I. provincia praedicta iuxta idiomatum diversitatem in duas custodias nimirum Gallobelgicam et Flandrobelgicam dividatur eidem ministro provinciali subiectas: II. ut minister provincialis ex unâquaque custodiâ sit eligibilis et unaquaeque custodia duos definitores nationales habeat: III. ut in capitulo celebrato pro capitulo generali quaelibet custodia suum custodem ad capitulum generale mittendum habeat: et aliàs[1], prout in decreto confirmatorio conventionis praedictae plenius dicitur contineri.

Rationes petitae confirmationis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, nonnullis praedictam conventionem electionum utcumque libertati praeiudicari et sacris canonibus contrariam esse videatur, ideoque dicti exponentes, ut bona memorata procurentur, et malis alioquin resultandis occurratur, omnes et quoscumque defectus, qui in praedictâ conventione esse possunt, per nos sanari, eamdemque conventionem approbari ac ratificari, electionesque in omnibus capitulis in posterum in praedictâ provinciâ celebrandis iuxta conventionem huiusmodi fieri posse plurimum desiderent: nobis propterea exponentes praedicti humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio recensitae concordiae.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti pariter filii moderni procuratoris generalis Ordinis huiusmodi super praemissis ad eosdem cardinales transmissam viderunt, consilio, memoratam conventionem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus, et ratificamus, qualemcumque defectum forsan in eâ incursum itidem sanamus. Praeterea permittimus, iuxta petita, ut deinceps electiones in omnibus capitulis in praedictâ provinciâ celebrandis ad instar eiusdem conventionis fiant.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, etc.[1].

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI ianuarii MDCCXXI, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 11 ianuarii 1721, pontif. anno XXI.

CCLXXXI.

Confirmantur privilegia et indulta a Romanis Pontificibus universitati studii generalis et collegio doctorum Urbini concessa, cum nonnullis illorum declarationibus[3].

1 Edit. Main. legit *alia* (R. T.).

1 Ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

2 Ut supra ibid. (R. T.).

3 Privilegia et indulta hîc recensentur ex constitutionibus Iulii II, Pii IV, Urbani VIII et

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Inter multiplices atque gravissimas sollicitudines, quas pro communi universi christiani gregis, vigilantiae nostrae divinâ dispositione commissi, regimine ac utilitate dies noctesque suscipimus, illa potissimum cor nostrum vehementer pulsat et angit, ut populorum S. R. E. etiam in temporalibus subditorum commodis et prospero felicique statui paternâ charitate consulamus, ac ea praesertim, per quae litterarum studia foventur, iuventus liberalibus disciplinis et doctrinis eruditur, iuris in primis utriusque prudentia, sine qua respublica rite gubernari nequiret, addiscitur, et recta causarum forensium cognoscendarum iustitiaeque administrandae ratio custoditur, omni adhibitâ ope, sedulitate et curâ promoveamus. Quo quidem paterni amoris sensu si ceteras omnes pontificiae ditionis civitates merito respicimus, dignum profecto iustumque est ut civitatem nostram Urbinatensem (ubi vitae limen attigimus ac primis litterarum rudimentis imbuti fuimus, quaeque omni tempore totius Urbinatensis ducatus princeps et caput extitit, et plurimos tulit non tam bonarum artium et mathematicarum praesertim disciplinarum laude imo etiam militari gloriâ insignes, quam ecclesiasticarum dignitatum splendore conspicuos viros, apud quos itidem et solidae pietatis orthodoxaeque religionis cultus, ac summa in Romanos Pontifices et Apostolicam Sedem observantia et studium semper enituit) propensiori quodam affectu, naturâ ipsâ dictante, respiciamus, ac unice in Christo diligamus. Nec minus aequum arbitramur et congruum, ut universitatem quoque studii generalis illic apostolicâ auctoritate erectam, in qua nos olim lauream doctoralem accepimus, ac insuper collegium iuris utriusque doctorum ibidem pari auctoritate institutum, unde viri saepenumero prodierunt doctrinae famâ celebres illustriumque munerum ab ipsis recte gestorum merito commendati, cui nos etiam adscriptos aliquando fuisse non sine voluptate meminimus, paternâ dilectione complectamur, gratacque voluntatis nostrae ac simul pontificiae largitatis significationibus prosequamur.

A Clemente XI dicta civitas ab aere alieno fuit soluta.

§ 1. Quocirca, plurium Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui patrias suas insignibus maximisque beneficiis ornarunt, morem exemplumque secuti, inter ipsa pontificatus nostri primordia, considerantes praedictam patriam nostram dilectissimam ingenti quadraginta millium aureorum aere alieno, cui infelix superiorum temporum conditio et publicae necessitates causam praebuerunt, gravari ac fere opprimi, et ob publicorum proventuum tenuitatem nedum omni prorsus carere spe illud unquam dissolvendi, sed etiam oneri annuorum eius fructuum ferendo longe imparem esse, aequum proinde munerique nostro consentaneum duximus rationem inire, qua gravissimo huic malo occurreretur; institutoque ex pecuniis a nobis ante aliquos annos collatis multiplico, cuius administratio a viris ad id a nobis delectis summâ fide ac industriâ hactenus gesta fuit, eam iam pecuniarum summam conflavimus quae memorato aeri alieno penitus extinguendo satis erit, hunceque in usum

Clementis X quae infra referuntur. In huius Pontificis const. ed. MDCCXX, die 12 iulii, pontif. XX, extat prohibitio extrahendi libros ex publicâ bibliothecâ; et Innocentii XIII const. ed. MDCCXXI, maii, pontif. I, confirmatur praesens constitutio.

quamprimum iussu nostro, benedicente Domino, erogabitur.

Metropolitana ecclesia praenobili altari facràque supellectili sumptuosâ ditata.

§ 2. Praeterea metropolitanam eiusdem civitatis Urbinatensis ecclesiam, in qua sacris baptismi aquis abluti fuimus, magnifico atque praenobili altari, aeneis ornamentis, antiquis marmoribus et lapidibus versicoloribus selectissimis exculto, sub quo sacrum corpus S. Crescentini martyris, ipsius civitatis protectoris, reconditum est, sex ibidem praegrandibus candelabris cum cruce aliisque vasis argenteis elegantissime elaboratis, multâ et sumptuosâ omnis generis supellectile in usum sacri ministerii, geminis attalicis stragulis magni pretii, totidemque a celebrioribus aevi nostri pictoribus delineatis atque confectis tabulis decorari nostrâ pariter et quidem maximâ impensâ curavimus.

Eiusdem ecclesiae canonicales proventus aucti, aedes archiepiscopales ampliatae, collegium extructum.

§ 3. Exiguum insuper nec praefatae metropolitanae ecclesiae dignitati parem beneficiatorum illi inservientium numerum auximus, congruâque dote instruximus; canonicales proventus, antea admodum tenues, certâ annuâ quingentorum aureorum super fructibus et redditibus quibuscumque monasterii S. Mariae de Claravalle, nullius, seu Senogalliensis dioecesis, in perpetuum assignatâ pensione, amplificavimus; sacrarium in usum canonicorum a fundamentis ereximus et congruis armariis pro sacrorum suppellectilium decenti custodiâ exornavimus; archiepiscopales aedes, angustas et collabentes, refecimus ac ampliavimus; collegium itidem, in quo nobiles adolescentes, tum indigenae tum etiam exteri, bonis artibus honestisque moribus a doctis piisque magistris sedulo instituuntur, fere in meditullio civitatis a fundamentis excitavimus.

Bibliotheca in conventu S. Francisci ad publicum usum erecta.

§ 4. Publicam quoque bibliothecam in conventu fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, ad usum et commoditatem eorumdem fratrum ac civium et incolarum quorumcumque ipsius civitatis necnon studiosorum ad praefatam universitatem studii generalis confluentium, instituimus, non modicâ pecuniarum summâ in id opus erogatâ, praesertim in constructionem fabricae eiusdem bibliothecae, eamque non modo scriniis seu forulis nuceo ligno decenter elaboratis ac filo aereo reticulato munitis, verum etiam pluribus codicibus ad omnes prope scientias et artes tum liberales tum mechanicas spectantibus, sive per nos emptis, sive e domesticâ nostrâ bibliothecâ extractis, qui[1], ultra nonnullos in antiquâ dicti conventus bibliothecâ existentes, ac alios plures, quos bonae memoriae Alexander Fidelis, dum viveret, episcopus Æsinus, eiusmodi nostrae in suam aeque ac nostram patriam beneficae voluntatis probe conscius, in suis supremis tabulis dispositioni nostrae hoc consilio reliquerat, in scriniis huiusmodi iam collocati et congrue dispositi reperiuntur, instrui fecimus; illisque nuper alios etiam codices, praesertim ad artem medicam pertinentes, quos quondam Ioannes Maria Lancisius, dum vixit, cubicularius et medicus noster secretus, propenso in eamdem patriam nostram animo, dictae bibliothecae legaverat, addi iussimus, quin imo etiam in posterum eamdem bibliothecam aliis codicibus, seu voluminibus, dum, benedicente Domino, vita suppetet, augere intendimus, ut exinde memorati fratres, cives, incolae et studiosi bonarum ac praesertim sacrarum litterarum laudabiliumque disciplinarum studiis commodius ac impensius vacare uberioresque in eis progressus facere valeant.

Moenia civitatis restaurata:

§ 5. Ad haec praefatae patriae nostrae

1 Vide supra pag. 843 *b;* male edit. Main. legit *ut* pro *qui* (R. T.).

duo fixa loca in Rotis Perusiae et Maceratae civibus assignata, mons frumentarius erectus.

moenia pluribus in locis collapsa aut collabentia instauravimus; eius insuper civibus iuris utriusque doctoribus certum fixumque locum inter auditores tribunalium, quae Rotae nuncupantur, civitatum nostrarum Perusiae et Maceratae in perpetuum assignavimus; ac non ita pridem pium montem frumentarium cum dote septingentorum modiorum frumenti, qui quotannis mutuo pauperibus dari debeant, ad hoc ut eiusmodi subsidio propriis necessitatibus consulere possint et agri praesertim culturam deserere non cogantur, certis pro rectâ illius administratione sancitis legibus, ereximus atque fundavimus; pluribusque aliis nec vulgaribus beneficiis tum eamdem patriam nostram, tum etiam peculiares illius cives hactenus prosecuti sumus, et ad extremum usque vitae nostrae spiritum, adiuvante Domino, prosequi non desinemus.

Referuntur privilegia universitati et collegio doctorum a Pontificibus concessa.

§ 6. Nunc vero ad universitatem studii generalis et ad collegium iuris utriusque doctorum, in eâdem Urbinatensi civitate dudum, ut praefertur, erecta, apostolicae nostrae considerationis intuitum convertentes, et gratum nostrum erga ipsa animum profiteri testatumque facere cupientes, aequum in primis ducimus iis, quae a pluribus Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad illorum decus, ornamentum ac utilitatem provide atque sapienter constituta fuerunt, apostolicae nostrae confirmationis robur adiicere, aliaque desuper statuere atque disponere quemadmodum in Domino conspicimus salubriter expedire.

Epitome sequentis constitutionis Iulii II.

§ 7. Cum itaque, sicut accepimus, felicis recordationis Iulius II Romanus Pontifex, praedecessor noster, institutionem praefati collegii a quondam Guido Ubaldo Urbini duce factam[1] pro cognitione causarum tam ecclesiasticarum quam profanarum totius Urbinatensis ditionis in secundâ et tertiâ instantiis (causis mere ecclesiasticis dumtaxat exceptis) benigne approbaverit et confirmaverit, ac regulam in eiusmodi causarum decisione servandam praescripserit, pluraque alia in favorem eiusdem collegii disposuerit per suas anno MDVII, XII kalendas martii, sub plumbo expeditas litteras, quarum tenor est qui sequitur, videlicet:

1 Edit. Main. legit *factum* (R. T.).

Constitutio Iulii II, qua confirmatur erectio collegii tredecim doctorum, quibus prescribitur regula in decidendis causis.

§ 8. *Iulius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Ad sacram beati Petri Sedem divinâ dispositione sublimati, singulis, quae pro personarum nobis et Apostolicae Sedi devotarum pace, commodo et tranquillitate profutura fore conspicimus, apostolicae providentiae sollicitudinem libenter intendimus, et ad felicem eorum prosecutionem et confirmationem, cum a nobis petitur, opem et operam impendimus efficaces. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Guidobaldi ducis Urbinatensis et universorum subditorum eius petitio continebat, quod, licet olim felicis recordationis Alexander Papa VI praedecessor noster, cupiens indemnitati universorum subditorum ducatus Urbinatensis consulere, ipsum ducatum Urbinatensem et civitatem Senogalliensem, illiusque districtum, ab omni iurisdictione rectoris provinciae Marchiae Anconitanae segregaverit et separaverit, ac certum collegium doctorum, Rotam nuncupatam, in Romandiolâ instituerit, ad quos[1] omnes causae appellationum in quibuscumque causis ecclesiasticis et profanis devolverentur, ordinaverit, et quod propter temporum conditiones huiusmodi institutio effectum sortita non fuerit; nihilominus idem dux, etiam cu-

1 Videtur legendum *ad quod* (R. T.).

piens indemnitatibus et commoditatibus dictorum subditorum suorum providere, in civitate Urbinatensi unum collegium tredecim doctorum instituit, et quod coram eis omnes et singulae causae ecclesiasticae et profanae tractarentur et definirentur, etiam ordinavit. Quare pro parte ducis et subditorum huiusmodi, necnon etiam dilecti filii nobilis viri Francisci Mariae, urbis praefecti, nobis fuit humiliter supplicatum, ut institutioni et ordinationi collegii tredecim in legibus et decretis doctorum huiusmodi apostolicae confirmationis robur adiicere, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos, qui nostrorum S. R. E. subditorum commoditatibus intendimus, et, quantum cum Domino possumus, ipsos ab expensis et oneribus relevamus, necnon praefati ducis propositum plurimum in Domino commendantes, institutionem et ordinationem praedictas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ac quod in secundâ et tertiâ instantiâ omnes causae tam ecclesiasticae quam profanae et mixtae ac beneficiales (meris ecclesiasticis dumtaxat exceptis) ducatus in[1] dominii temporalis praefati nunc et pro tempore existentis, tam ratione ducatus praefati nunc et pro tempore existentis, quam aliorum eius dominiorum quorumcumque, coram dicto collegio tredecim doctorum, eisdem modo et formâ quibus coram rectore provinciae Marchiae huiusmodi tractantur, tractentur et finiantur (ita tamen, quod causae praefatae non possint expediri nec terminari nisi de voto et consensu maioris partis doctorum dicti collegii, et aliàs sententiae latae non teneant, quae vota secrete et sigillatim praestare[1] debeant; quodque, etiamsi contingeret aliquem seu aliquos ex doctoribus dicti collegii exinde se absentare, quod per tunc praesentes factum et terminatum fuerit, perinde valeat ac si omnes interfuissent, dummodo absentes ultra dimidiam partem non existant; ac etiam quod causae appellationum quarumcumque, per subditos praefati ducis a quibuscumque sententiis pro tempore interpositarum, ad ipsum collegium interpositae sint et esse censeantur, nisi forsan a sententiis ipsius collegii appellatum fuerit, quo casu tunc ad Sedem Apostolicam appellari valeat) eâdem auctoritate statuimus et ordinamus: ipsosque subditos, necnon ducatum et Statum Urbinatensem, ac etiam Statum et civitatem Senogalliensem, ab omni iurisdictione et superioritate rectoris dictae provinciae Marchiae, necnon Bononiensi et Perusinâ legationibus, prorsus eximimus et segregamus ac liberamus: et insuper eidem collegio, ut, in causis huiusmodi decidendis et finiendis, eisdem praerogativis, indultis et ordinationibus utatur, potiatur et gaudeat, quibus dictus rector praefatae provinciae utitur et uti consuevit, praefatâ auctoritate concedimus: statuta quoque et ordinationes per dictum collegium in causis decidendis et terminandis edita, dummodo sint licita et honesta et sacris canonibus non obviantia, dictâ auctoritate confirmamus et approbamus, ipsique collegio nova statuta, quatenus sint licita et honesta, condendi eâdem auctoritate licentiam elargimur et facultatem. Non obstantibus apostolicis, necnon dictae provinciae specialibus et generalibus constitutionibus et ordinationibus quibus[2], etiamsi de illis eorumque totis tenoribus pro illorum sufficienti

1 Ex bulla seq. Pii IV leg. *et* pro *in* (B. T.).

1 Infra legitur *praestari* (B. T.).

2 Vocem *quibus* nos addimus (B. T.).

derogatione specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, seu de verbo ad verbum, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; quodque collegium huiusmodi nondum ad numerum tredecim doctorum deventum est; ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, statuti, ordinationis, exemptionis, segregationis, liberationis, concessionis, elargitionis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDVII, XII kalendas martii, pontificatus nostri anno V.

Epitome sequentis constitutionis Pii IV.

§ 9. Ac subinde recolendae memoriae Pius Papa IV etiam praedecessor noster (postquam Urbinatensem ecclesiam in metropolitanam erexerat cum archiepiscopali dignitate et omnimodà iurisdictione ac superioritate, necnon illi Calliensem, Senogalliensem, Pisaurensem, Forosemproniensem, Feretranam, et Eugubinam, civitates et dioeceses, quibus postmodum felicis itidem recordationis Urbanus VIII etiam praedecessor noster Urbaniensem et S. Angeli in Vado civitates et dioeceses adiecit, cum earum districtibus et territoriis, ac praesules pro tempore existentes pro suffraganeis episcopis, necnon capitula, clerum et populum civitatum et dioecesum earumdem, perpetuo concesserat et assignaverat), cum orta fuisset contentio inter bonae memoriae Felicem, tunc archiepiscopum Urbinatensem, et bonae pariter memoriae Iulium S. Petri ad Vincula, dum viveret, S.R.E. cardinalem de Urbino nuncupatum, cui regressus ad dictam ecclesiam Urbinatensem per ipsius Felicis archiepiscopi decessum, ac in certis aliis tunc expressis eventibus, auctoritate apostolicà concessus fuerat, ex unà, necnon collegium doctorum eiusdem civitatis, ex alterà partibus, super iurisdictione seu administratione iustitiae in omnes praesules, clerum et populum civitatum praedictarum, quam Felix archiepiscopus et Iulius cardinalis memorati praetextu erectionis huiusmodi ad se spectare, collegium vero vigore litterarum Iulii praedecessoris sibi concessam[1] fuisse, et, quia in dictà erectione de privilegiis ac indultis ipsi collegio ut praemittitur concessis nulla mentio facta extiterat, nullatenus archiepiscopo Urbinatensi competere, nec illius iurisdictionem ad causas appellationum interponendarum a sententiis latis per Ordinarios in foro ecclesiastico, cum iurisdictio ipsa eidem collegio prius concessa fuisset, se extendere posse asserebant; ac, ad tollenda plurima scandala, quae ex eiusmodi contentione facile oriri poterunt[2], Iulius cardinalis et Felix archiepiscopus praefati necnon dictum collegium, medio ac operà dicti Guidobaldi tunc ducis Urbini, devenissent ad quamdam concordiam seu transactionem, cuius vigore conventum stabilitumque fuit, quod collegium et illius doctores cederent archiepiscopo Urbinatensi pro tempore existenti in cognoscendis et decidendis primis appellationibus suorum suffraganeorum venientibus a foro ecclesiastico ut supra, et secundas appellationes seu tertias illarum instantias sibi reservarent, quodque omnes, qui ap-

1 Edit. Main. legit *concessum* (R. T.).
2 Videtur legendum *poterant* (R. T.).

pellarent a sententiis praefati archiepiscopi, seu eius vicarii, inter illius dioecesanos videlicet in primâ, vel inter suffraganeos aut cum fisco suae ecclesiae vel aliorum suffraganeorum in secundâ instantiâ latis, ut supra, intelligerentur appellasse ad ipsum collegium, privilegiis et indultis apostolicis tam archiepiscopo quam collegio huiusmodi ut praefertur concessis quoad reliqua omnia salvis prorsus ac illaesis: memoratus Pius praedecessor huiusmodi concordiam seu transactionem amplissime approbaverit et confirmaverit per suas anno MDLXIII, XIII kalendas martii, sub plumbo expeditas litteras tenoris sequentis, videlicet:

Constitutio Pii IV in qua refertur supra relata Iulii II constitutio.

§ 10. *Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Ex solitâ Apostolicae Sedis providentiâ, ea, quae pro bono pacis et concordiae inter personas quaslibet ac praesertim cardinalatus et pontificali dignitate praeditas concordiâ terminata fuisse dicuntur, ne in recidivae contentionis scrupulum dilabantur, quaeque in iustitiae praesidentium favorem, commoda et decus per praedecessores nostros Romanos Pontifices concessa fuisse dicuntur, ut maioris roboris firmitatem obtineant et perpetuo illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus, ac desuper disponimus prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sane nobis nuper pro parte dilectorum filiorum collegii tredecim doctorum nuncupati Urbinatensis exhibita petitio continebat, ac dilectus filius S. Petri ad Vincula diaconus cardinalis de Urbino nuncupatus ac venerabilis frater Felix modernus archiepiscopus Urbinatensis et magister domus necnon praelatus domesticus noster exposuerunt, quod aliàs (felicis recordationis Iulio Papae II praedecessori nostro pro parte Guidobaldi tunc Urbini ducis ac universorum eius subditorum exposito, quod, licet antea piae memoriae Alexander Papa VI etiam praedecessor noster, tunc suus, cupiens indemnitati universorum subditorum ducatus Urbinatensis consulere, ipsum ducatum Urbinatensem ac civitatem Senogalliensem illiusque districtum ab omni iurisdictione rectoris provinciae Marchiae Anconitanae segregavisset, ac certum collegium doctorum, Rotam nuncupatum, in Romandiolâ instituisset, quodque omnes causae appellationum in quibuscumque causis ecclesiasticis et profanis devolverentur ad illud ordinasset, et quod propter temporum conditionem institutio huiusmodi suum sortita effectum non fuisset; nihilominus idem dux, etiam cupiens indemnitatibus et commoditatibus dictorum suorum subditorum providere, in civitate Urbini unum collegium tredecim doctorum instituerat, et, quod coram eis omnes et singulae causae ecclesiasticae et profanae tractarentur ac definirentur, etiam ordinaverat) praefatus Iulius praedecessor, ducis ac subditorum huiusmodi, necnon etiam bonae memoriae Francisci Mariae tunc almae Urbis praefecti supplicationibus inclinatus, institutionem ac ordinationem huiusmodi auctoritate apostolicâ per suas litteras confirmavit et approbavit, quodque in secundâ et tertiâ instantiâ omnes causae tam ecclesiasticae quam profanae et mixtae et beneficiales (mere ecclesiasticis dumtaxat exceptis) ducatus et dominii praefatorum, tunc et pro tempore existentis ducis et subditorum suorum huiusmodi tunc et pro tempore existentium, tam ratione dicti ducatus quam aliorum eiusdem dominiorum quorumcumque, coram dicto collegio tredecim doctorum, ac eisdem modo et formâ quibus coram rectore dictae provinciae

tractabantur, tractarentur et finirentur; (ita tamen quod causae ipsae non possent expediri nec terminari, nisi de voto et consensu maioris partis doctorum collegii huiusmodi, aliàs sententiae latae non tenerent, quae vota sigillatim et secrete praestari deberent; quodque, etiamsi contingeret aliquem seu aliquos ex doctoribus praefati collegii ab eo se absentare, id, quod per tunc praesentes factum ac determinatum foret, perinde valeret, ac si omnes interfuissent, dummodo absentes ultra dimidiam partem non existerent; ac etiam quod causae appellationum per subditos praefati ducis a quibuscumque sententiis pro tempore interpositarum ad ipsum collegium interpositae essent et censerentur, nisi forsan a sententiis ipsius collegii appellatum foret, quo casu tunc ad Sedem Apostolicam appellari posset) dictâ auctoritate statuit et ordinavit, ipsosque subditos, necnon ducatum et statum Urbinatensem, ac dictam civitatem, et etiam statum Senogalliensem ab omni iurisdictione et superioritate rectoris dictae provinciae Marchiae, necnon Bononiensi et Perusiensi legationibus, prorsus exemit et segregavit ac liberavit; et insuper eidem collegio, quod, in causis huiusmodi decidendis et finiendis, eisdem praerogativis, indultis ac ordinationibus uteretur, potiretur et gauderet, quibus praefatus rector provinciae huiusmodi utebatur, ac uti consueverat, praefatâ auctoritate concessit; statuta quoque et ordinationes, per dictum collegium in causis huiusmodi decidendis et terminandis edita, eâdem auctoritate approbavit et confirmavit; necnon ipsi collegio nova statuta condendi licentiam et facultatem elargitus fuit, prout in ipsis Iulii praedecessoris litteris desuper confectis plenius dicitur contineri: et deinde, sicut eadem expositio nobis facta subiungebat (postquam nos dudum ex certis rationalibus causis ecclesiam Urbinatensem, cui etiam tunc praefatus Felix tunc episcopus Urbinatensis praeerat, in metropolitanam ecclesiam cum archiepiscopali dignitate, ac omnimodâ iurisdictione et superioritate per alias nostras litteras perpetuo erexeramus, necnon illi Calliensem, Senogalliensem, Pisaurensem, Forosemproniensem, Feretranam et Eugubinam civitates et dioeceses in ducatu et dominio praefatis consistentes, cum illarum districtibus et territoriis, ac praesules pro tempore existentes pro suffraganeis episcopis, necnon capitula, clerum et populum civitatum et dioecesum earumdem etiam perpetuo concesseramus et assignaveramus, ipsosque praesules, clerum et populum, quoad omnia metropolitica et archiepiscopalia superioritatem, iurisdictionem ac iura, pro tempore existenti archiepiscopo Urbinatensi subiectos fore, et tamquam membra capiti obsequentes, per eos de archiepiscopalibus iuribus responderunt[1] volueramus, prout in eisdem litteris nostris etiam latius continetur[2]), ortâ contentione et controversiâ inter Felicem archiepiscopum et collegium Urbinatensem necnon etiam Iulium cardinalem, praefatos, cui regressus ad dictam ecclesiam Urbinatensem per ipsius Felicis archiepiscopi decessum, ac forsan in certos alios tunc expressos eventus, auctoritate praedictâ concessus extitit, super iurisdictione seu administratione iustitiae in omnes praesules, clerum et populum civitatum huiusmodi, quam archiepiscopus et Iulius cardinalis praetextu erectionis ad se spectare, collegium vero vigore litterarum Iulii praedecessoris huiusmodi sibi concessam

1 Potius *respondere*, ceterum syntaxsis valde perplexa est (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *continentur* (R. T.).

fuisse, et, quia in dictâ erectione de privilegiis et indultis ipsi collegio ut praemittitur concessis nulla mentio facta extiterat, nullatenus archiepiscopo Urbinatensi praefato competere, nec iurisdictionem praefati archiepiscopi ad causas appellationum interponendarum per suffraganeos illius a sententiis latis per Ordinarios in foro ecclesiastico, cum iurisdictio ipsa eidem collegio concessa prius extitisset, se extendere ostendi posse asserebant; cumque ex hac contentione scandala plurima oriri posse dubitarent: Iulius cardinalis et Felix archiepiscopus praefati volentes, ut bonos decet praesules, fomenta dissensionum et scandalorum, quae inter ipsos et collegium huiusmodi occasione iurisdictionis praefatae de facili suscitari possent propter concursum et studium praeveniendi, in totum tollere et extirpare, tam eorum propriis quam successorum suorum archiepiscoporum Urbinatensium nominibus infrascriptam cum dicto collegio inierunt concordiam et conventionem medio et operâ dilecti filii nobilis viri Guidobaldi moderni ducis Urbini (videlicet: quod collegium et illius doctores cederent archiepiscopo Urbinatensi pro tempore existenti in cognoscendis et decidendis primis appellationibus suorum suffraganeorum venientibus a foro ecclesiastico ut supra, et secundas appellationes, seu tertias illarum instantias, sibi reservarent; quodque omnes, qui appellarent a sententiis praefati archiepiscopi, seu eius vicarii, inter eius dioecesanos videlicet in primâ, vel inter suffraganeos aut cum fisco suae ecclesiae vel aliorum suffraganeorum in secundâ instantiis latis, ut supra, intelligerentur appellasse ad ipsum collegium, privilegiis, indultis et concessionibus apostolicis, tam archiepiscopo quam collegio huiusmodi, ut praemittitur, concessis et factis, quoad reliqua omnia salvis et illaesis, ac in suo pleno robore permanentibus; necnon forsan aliàs partes ipsae verbo vel in scriptis convenerunt; pepigerunt et concordarunt), et[1], ut conventio et concordia necnon pactio huiusmodi eorum successores praefatos adstringerent et obligarent, illa omnia suprascripta approbari et confirmari voluerunt. Quare Iulius cardinalis et Felix archiepiscopus, ac collegium, necnon Guidobaldus dux, praefati, nobis humiliter supplicarunt ut conventioni et concordiae, ac, sine illarum praeiudicio et laesione, statutis, ordinationibus, exemptioni, segregationi, liberationi, concessioni, confirmationi praedecessoris huiusmodi, pro illarum subsistentiâ firmiori, robur apostolicae firmitatis adiicere, aliaque in praemissis opportuna providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui singulorum, ac praesertim venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et praelatorum domesticorum Urbis[2], prout possumus, libenter annuimus, veriores dictae concordiae et conventionis, necnon statutorum, ordinationum, exemptionis, segregationis, liberationis, concessionis et confirmationis praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, conventionem et concordiam praefatas, etiamsi in scriptis non extent, sed verbis dumtaxat initae sint, ac, sine earum praeiudicio et laesione, statuta, ordinationes, exemptionem, segregationem, liberationem, concessionem et confirmationem, necnon litteras Iulii praedecessoris huiusmodi, et, prout illas concernunt, omnia et singula in eisdem concordiâ et litteris Iulii praedecessoris contenta, ac exinde secuta quae-

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
2 Legendum *votis* pro *Urbis* (R. T.).

cumque, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium approbamus et confirmamus, necnon eis plenum robur firmitatis adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, necnon illa valida et efficacia fore et esse, ac per eosdem praemissos, et alios ad quos spectat et spectabit in futurum, observari debere, nec ab illis ullo unquam tempore resilire posse, sed modernum archiepiscopum et successores suos ac collegium praefatos ad illorum totalem observationem teneri et obligatos fore, necnon quibusvis iuris et facti opportunis remediis ad id cogi et costringi posse; et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon ex tunc, si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus et declaramus: non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae Urbinatensis, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis ac litteris apostolicis, eisdem archiepiscopo et collegio, ac quibusvis aliis, quomodolibet, etiam motu simili, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, adiectionis, suppletionis, decreti, declarationis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXIII, XIII kalendas martii, pontificatus nostri anno V.

Epitome sequentis alterius constitutionis Pii IV.

§ 11. Postmodum vero idem Pius Papa IV, antedictum collegium doctorum amplioribus privilegiis et gratiis ornare volens, duos singulis annis in poësi doctos poëticâ laureâ decorandi, necnon eos, quos praevio diligenti examine idoneos ac sufficientes comperisset, ad doctoratus in iure tam canonico quam civili, et baccalaureatus, licentiaturae ac magisterii in medicinâ vel aliâ licitâ facultate gradus promovendi, notarios itidem publicos seu tabelliones et iudices ordinarios, praevio simili examine idoneos repertos, creandi, nothos etiam, spurios, incestuosos, manseres, et ex quocumque illicito coitu procreatos, legitimandi, et ad primaeva naturae iura, perinde ac si de legitimo matrimonio nati essent, restituendi, nobiles insuper seu etiam milites et equites deauratos faciendi et constituendi, amplam praefato collegio licentiam, facultatem, et auctoritatem concesserit ac indulserit suis anno MDLXIV, IX kalendas martii, in simili formâ expeditis litteris, quarum tenor est qui sequitur, videlicet:

Constitutio altera Pii IV qua collegio variae tribuuntur facultates.

§ 12. *Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Sedes Apostolica, gratiarum abundantissima ma-

ter ac illarum solertissima dispensatrix, doctorum hominum collegiis amplas facultates interdum tribuere consuevit, ad hoc ut eius munera, per multorum peritorum maturam deliberationem et prudens iudicium, nonnisi personis benemeritis conferantur ac distribuantur. Hinc est quod nos (qui accepimus olim clarae memoriae Guidobaldum Urbini ducem, commoditatibus et indemnitatibus universorum subditorum suorum providere cupientem, in civitate Urbini unum collegium tredecim doctorum forsan nuncupatum, coram quibus omnes et singulae totius ducatus ac dominii pro tempore existentis Urbinatensis ducis et subditorum praefatorum causae ecclesiasticae et profanae necnon etiam mixtae tractarentur et definirentur, instituisse, illudque per felicis recordationis Iulium PP. II praedecessorem nostrum, ac etiam per nos et forsan alios Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, approbatum et confirmatum extitisse, ac illi nonnulla privilegia, concessiones et indulta, quibus ipsi doctores circa decisiones et expeditiones causarum uti deberent, auctoritate apostolicâ concessa fuisse), idem collegium eiusque doctores amplioribus favoribus et gratiis prosequi ac decorare volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis pro eis desuper oblatae petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ liberalitate, collegio et doctoribus huiusmodi nunc et pro tempore existentibus, ad instar nonnullorum aliorum Italiae collegiorum, in perpetuum duos singulis annis in poësi doctos poëticâ laureâ decorandi et insigniendi, necnon eos, quos in iure canonico et civili seu altero eorum studuisse, in eisque seu eorum altero per diligentem examinationem scientiâ et moribus idoneos ac sufficientes esse invenerint, in utroque seu altero iurium huiusmodi, aut[1] medicinâ vel aliâ licitâ facultate studuisse, et similiter, per diligentem examinationem duorum vel trium per eos eligendorum doctorum seu magistrorum vel licentiatorum facultatis, in qua studuerint, coram eis habendam, ac fidelem magistrorum seu doctorum eorumdem attestationem medio iuramento eis faciendam, peritos ac scientiâ et moribus ad hoc idoneos sufficientesque esse repererint, de eorumdem doctorum seu magistrorum vel licentiatorum consilio et assensu, ac eorum votis iuratis, in artibus, aut medicinâ, vel aliâ licitâ facultate huiusmodi, ad baccalaureatus, licentiaturae, doctoratus et magisterii gradus promovendi, ac in eis[2] legendi, disputandi et interpretandi, necnon alios actus ad personas in huiusmodi gradibus constitutas quomodolibet pertinentes faciendi, auctoritatem concedendi, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi, necnon eos, quos ad hoc idoneos et fideles ac in litteraturâ sufficientes esse repererint, in notarios publicos seu tabelliones et iudices ordinarios, recepto prius ab eis, iuxta formam praesentibus annotatam, solito iuramento, creandi, ac de notariatus et tabellionatus ac iudicatus officii[3] huiusmodi per pennam et calamare, ut moris est, investiendi, necnon nothos, bastardos, naturales, spurios, incestuosos et manseres, copulative vel disiunctive, ex quocumque illicito coitu procreatos, tam praesentes quam absentes, viventibus seu etiam mortuis eorum parentibus (itaut ad paternam et alias successiones bonorum quorumcumque suorum agnatorum, cognatorum et attinentium, sine praeiudicio tamen

1 Mihi videntur quaedam excidisse, et forsan legend. *necnon eos, quos in artibus aut* (R.T.).

2 Forsan legendum *ac eis* (R. T.).

3 Videtur legendum *officiis* (R. T.).

venientium ab intestato, admitti, et in illis succedere, necnon ad honores, dignitates, status, gradus et officia saecularia publica et privata quaecumque recipi et admitti, illaque gerere et exercere libere et licite possint et valeant, ac si de legitimo matrimonio procreati essent), servatâ tamen formâ litterarum nostrarum desuper editarum, legitimandi, ac ad primaeva ac legitima naturae iura, et quoslibet actus legitimos restituendi et reducendi, necnon nobiles, seu etiam milites, vel etiam equites deauratos, ut pro fide, iustitiâ et religione pugnent hortando, faciendi, creandi et constituendi, eisque insignia et arma, in similibus dari solita, dandi et concedendi, necnon ipsos nobilitatis equestribus insigniis decorandi, dictâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam, facultatem et auctoritatem concedimus et indulgemus. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon legibus imperialibus, ac statutis et consuetudinibus, etiam municipalibus, civitatum et locorum in quibus ipsi legitimandi fuerint, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, illis praesertim, quibus caveri dicitur expresse, quod naturales et bastardi legitimari non possint nisi de consensu legitimorum et naturalium, necnon quibus[1] Cancellariae Apostolicae regulis per nos et Sedem eamdem in contrarium hactenus editis et in posterum edendis, ac privilegiis, indultis et litteris apostolicis, etiam quibusvis universitatibus, studiorum generalium collegiis, et quibusvis aliis locis, etiam motu simili, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam de consilio eiusdem Romanae Ecclesiae cardinalium, concessis et confirmatis, ac in posterum concedendis et confirmandis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Forma autem iuramenti, quod notarii, tabelliones et iudices, per ipsos collegium et doctores ut praefertur creandi huiusmodi, praestabunt, talis est: « Ego N. de N., clericus N., ab hac horâ in antea fidelis ero beato Petro et S. R. E. ac domino meo Pio Papae IV et successoribus suis canonice intrantibus, non ero in consilio, auxilio, consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum, vel capiantur malâ captione, consilium, quod mihi per se vel litteras aut nuncium manifestabunt, ad eorum damnum scienter nemini pandam, si vero ad meam notitiam aliquid devenire contingat quod in periculum Romani Pontificis aut Ecclesiae Romanae vergeret seu grave damnum, illud pro posse impediam, et, si hoc impedire non possem, procurabo bonâ fide id ad notitiam domini Papae perferri, Papatum Romanum et regalia S. Petri ac iura ipsius Ecclesiae specialiter, si qua eadem Ecclesia in civitate vel terrâ, de qua sum oriundus, habeat, adiutor eis ero ad defendendum et detinendum seu recuperandum contra omnes homines, tabellionatus officium fideliter exercebo, contractus, in quibus

1 Videtur legendum *quibusvis* (R. T.).

exigitur consensus partium, fideliter faciam nil addendo vel minuendo sine voluntate partium quod substantiam contractus immutet, si vero in conficiendo aliquod instrumentum unius solius partis sit requirenda voluntas, hoc ipsum faciam, ut scilicet nil addam vel minuam quod immutet facti substantiam contra voluntatem ipsius, instrumentum non conficiam de aliquo contractu, in quo sciam intervenire seu intercedere vim vel fraudem, contractus, in protocollum redigam, et, postquam in protocollum redegero, malitiose non differam contra voluntatem illorum vel illius, quorum seu cuius est contractus super eo publicum conficere instrumentum, salvo meo debito et consueto salario. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia ». Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostrae concessionis, indulti et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXIV, IX kalendas martii, pontificatus nostri anno V.

Epitome sequentis constitutionis Urbani VIII.

§ 13. Deinde memoratus Urbanus VIII praedecessor noster (ne dubitari contingeret an eiusmodi privilegia a Iulio II et Pio IV concessa praefato collegio per obitum quondam Francisci Mariae ultimi ducis Urbini et devolutionem illius ducatus ad Sedem Apostolicam adhuc durarent vel expirassent) ipsi collegio facultatem ac auctoritatem cognoscendi et iudicandi causas appellationum tam ecclesiasticas quam laicales omnium et quorumcumque iudicum ducatus et legationis Urbinatensis (exceptis tamen beneficialibus, ac iis quae, iuxta dispositionem Concilii Tridentini, vel aliàs, de iure essent inappellabiles) in secundis seu tertiis instantiis, ac in omnibus illis in quibus daretur appellatio postquam iudicatae fuissent a iudicibus ordinariis, appellationum, ubi existerent, et nonnullis adiectis declarationibus et dispositionibus tam circa electionem et numerum doctorum votantium et supranumerariorum eiusdem collegii, quam circa modum ab ipsis in eiusmodi causarum decisione servandum, concesserit ac impertitus fuerit; praeterea expresse decreverit ac disposuerit ut in praemissis causis appellationum tam ecclesiasticis quam laicalibus ad collegium spectantibus appellari non posset, *omisso medio,* et, si appellari contingeret, nullus iudex se ingerere deberet nisi in vim specialis commissionis Romani Pontificis pro tempore existentis manu signatae, aliàs licitum esset eidem collegio ad ulteriora procedere non obstante quacumque inhibitione et absque alicuius poenae incursu, ipsumque collegium reassumere, inhibere et exequi posset prout de iure, ac, ubi collegium iudicasset in casu quo dari deberet appellatio, tunc eius cognitio seu commissio ad existentem pro tempore in eisdem partibus Apostolicae Sedis legatum pertineret; ac insuper eidem collegio statuta super modo cognoscendi causas et pro felici ipsius gubernio necessaria et opportuna condendi, et, quoties sibi videretur, immutandi ac innovandi, salvâ tamen semper approbatione dicti legati sive eius vicelegati, facultatem pariter concesserit ac indulserit; necnon doctorandi, et alia privilegia eidem collegio competentia, dummodo essent in usu, et non essent revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, et sacris canonibus, Concilii Tridentini decretis, constitutionibusque apostolicis non adversarentur, approbaverit et con-

firmaverit per suas in formâ Brevis die VIII iulii anno MDCXXXVI expeditas litteras tenoris sequentis, videlicet:

Constitutio Urbani VIII in qua, non obstante devolutione Status Urbini ad Sanctam Sedem, denuo conceduntur collegio facultates.

§ 14. *Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.* Cum, sicut pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis nostrae Urbinatensis, etc[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII iulii MDCXXXVI, pontificatus nostri anno XIII.

Epitome sequentis constitutionis Clementis X.

§ 15. Postremo similis memoriae Clemens X etiam praedecessor noster, ex publico studio pro lectionibus sacrorum canonum et legum civilium ac aliarum scientiarum seu facultatum et praesertim mathematicarum disciplinarum in praedictâ Urbinatensi civitate olim instituto, necnon ex praefato doctorum collegio, recenter civium operâ inter se unitis et coniunctis, unam universitatem studii generalis, in qua sacra theologia, ius canonicum, et leges civiles, philosophia, mathematicae, aliaeque ingenuae disciplinae, scientiae et artes publice docerentur ac perlegerentur, et, qui peracto studiorum curriculo idonei reperti fuissent, ad baccalaureatus, magisterii, doctoratus, aliosque gradus scholasticos, servatâ in omnibus Viennensis et Tridentini Conciliorum dispositione, promoveri libere et licite possent, in omnibus et per omnia, prout in aliis studiorum generalium universitatibus per Sedem Apostolicam erectis fieri solet, apostolicâ auctoritate perpetuo erexerit et instituerit, ac ipsi universitati studii generalis sic erectae et institutae, eiusque rectoribus, magistris, doctoribus, lectoribus, scholaribus, officialibus et ministris, aliisque personis quibuscumque pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, praerogativis, honoribus, praeeminentiis et gratiis, quae tam per sanctae memoriae Clementem VIII, quam alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, tunc suos, universitati studii generalis civitatis nostrae, tunc pariter suae, Ferrariensis, eiusque rectori, magistris, doctoribus, lectoribus, scholaribus, officialibus et ministris, aliisque personis respective, etiam per viam communicationis, et aliâs, quomodolibet et qualitercumque concessa et attributa fuerunt, pari modo, absque ullâ prorsus differentiâ, uti, frui et gaudere libere pariter et licite valerent, simili auctoritate, perpetuo concesserit ac indulserit per suas in simili formâ Brevis die VI aprilis anno MDCLXXI datas litteras tenoris sequentis, videlicet:

Constitutio Clementis X in qua refertur erectio studii publici in palatio pontificio, etc.

§ 16. *Clemens Papa X, ad perpetuam rei memoriam.* Aeternae sapientiae consilio, etc[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI aprilis MDCLXXI, pontificatus nostri anno I.

Clemens XI confirmat relatas constitutiones.

§ 17. Nos igitur, attendentes firmiora esse ea, quibus Sedis praedictae saepius intercedit[2] auctoritas, ac universitatem studii generalis et collegium doctorum praememorata specialibus favoribus et gratiis prosequi et ornare volentes, motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ liberalitate, certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertas Iulii II, Pii IV, Urbani VIII, et Clementis X Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteras, omniaque et singula in eis contenta, tenore praesentium, auctoritate aposto-

1 Reliqua omittimus, quia habes in tom. XIV, pag. 538 (R. T.).

1 Reliqua habes in tom. XVIII, pag. 184 (R.T.).

2 Forsan legendum *accedit* (R. T.).

licâ confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis ac irrefragabilis apostolicae firmitatis robur et munimen adiicimus; quinimo, motu, scientiâ, deliberatione ac potestatis plenitudine similibus, omnia et singula in eisdem litteris contenta denuo statuimus, sancimus et ordinamus, ac, ab omnibus et quibuscumque, etiam speciali ac individuâ notâ dignis, ad quos spectat et spectabit in futurum, exacte, inconcusse ac inviolabiliter perpetuo observari, volumus, decernimus et mandamus.

Declaratio I. In causis ad collegium spectantibus appellari non posse *hoc omisso medio*.

§ 18. Praeterea, ad tollendas controversias pluries obortas et in Romanâ Curiâ agitatas circa interpretationem praedictarum litterarum Urbani VIII praedecessoris, in quibus decernitur, quod in causis appellationum tam ecclesiasticis quam laicalibus ad memoratum collegium spectantibus appellari non possit, *omisso medio*, et, si appellari contigerit, nullus iudex se ingerere debeat nisi in vim specialis commissionis Romani Pontificis pro tempore existentis manu signatae, declaramus, et apostolicâ auctoritate, quatenus opus sit, denuo sancimus, decernimus ac ordinamus, omnes et quascumque causas appellationum interpositarum a sententiis seu decretis latis a quibuscumque iudicibus, tam ecclesiasticis quam laicalibus, omnium et quarumcumque civitatum, terrarum et locorum ducatus et legationis Urbinatensis (exceptis tamen beneficialibus, ac iis, quae iuxta Tridentini Concilii dispositionem vel aliàs de iure sunt inappellabiles, ac iis insuper exceptis quae prius in curiâ archiepiscopali Urbinatensi vel ab aliis iudicibus ordinariis appellationum in locis, ubi existunt, ut praefertur, iudicandae erunt) in secundis seu tertiis instantiis omnino devolvi debere ad praedictum collegium doctorum; inhibentes, stricte interdicentes, ne *hoc omisso medio* appellari possit ad pro tempore existentem Urbini legatum seu vicelegatum, nec etiam ad auditoris Camerae nostrae Apostolicae, vel quodcumque aliud quantumlibet privilegiatum ac speciali mentione dignum Romanae Curiae tribunal aut iudicem, et, si appellari contigerit, nullus iudex in eiusmodi causis se ingerere possit nisi vigore specialis commissionis quae nostrâ vel Romani Pontificis pro tempore existentis manu signata fuerit; quod si absque huiusmodi commissione se ingerere praesumpserit, omnia ab eo gesta et decreta, attentata, nulla ac irrita sint eo ipso; quin etiam eidem collegio, ut, quacumque inhibitione non obstante et absque alicuius poenae incursu, ad ulteriora in similibus causis procedere, ac, ubi opus fuerit, inhibere, easque a quocumque iudice et tribunali reassumere, cognoscere, et, prout iuris esse censuerit, fine debito terminare, libere ac licite posssit et valeat, simili auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus ac indulgemus.

Declaratio II. Loca, quae ducatui Urbini subiecta erant, dum a Sisto V Rota Maceratensis erecta fuit, sub eiusdem dispositione non comprehendi.

§ 19. Ad haec aliam similiter controversiam non semel excitatam, an oppida et loca, quae, dum felicis pariter recordationis Sixtus V praedecessor noster tribunal audientiae causarum provinciae Marchiae, Rotam nuncupatam, in civitate nostrâ, tunc suâ, Maceratensi, per litteras anno MDLXXXVIII, idibus martii, sub plumbo expeditas, instituit ac erexit, ducatui Urbini subiecta erant, sub earum litterarum dispositione comprehenderentur, e medio tollere ac penitus dirimere cupientes, et declarationibus aliàs, ac nuper, nempe diebus XXIII septembris et VII octobris anno MDCCXII, per dilectum filium nostrum Petrum Marcellinum tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyterum S. R. E. car-

dinalem Corradinum nuncupatum, tunc pro-auditorem nostrum, factis, inhaerentes, civitates, oppida et loca omnia, quae ducatui Urbini, tempore quo praefatae Sixti praedecessoris litterae emanarunt, subiecta erant, sub earumdem litterarum dispositione non comprehendi, nec ullo modo comprehensa censeri, ac ita a quibuscumque iudicibus perpetuo iudicari ac definiri debere, statuimus, decernimus et declaramus.

Declaratio III. Omnes subditos non alibi quam in universitate Urbinatensi posse lauream doctoralem accipere.

§ 20. Demum (cum, sicut accepimus, tametsi pluribus edictis, quorum primum a praefato Guidobaldo secundo Urbini duce, die XVII mensis augusti anno MDLXV, alia vero recentiora a diversis eiusdem civitatis pro tempore legatis et vicelegatis promulgata fuerunt, salubriter cautum ac expresse vetitum fuerit, ne subditi eiusdem ducatus et legationis alibi quam in memorato Urbinatensi doctorum collegio lauream et gradum doctoratus accipiant, et, qui secus fecerint, ab omnibus et quibuscumque publicis in eâ provinciâ muneribus ac officiis excludantur, nec ibidem doctoris professionem exercere umquam possint; nihilominus, eiusmodi edictorum dispositione posthabitâ, quamplures subditi ad publica munera et doctoratus exercitium ibidem passim admittantur, licet doctoratus insignia in praedicto collegio minime susceperint), nos proinde eorumdem edictorum executioni, ac ipsius collegii decori, utilitati et incremento, quantum cum Domino possumus, opportune consulere cupientes, quemadmodum illustre ceteris omnibus exemplum praebere curavimus, dum anteactis annis duos ex germano fratre secundum carnem nepotes nostros, nimirum dilectum filium nostrum Annibalem, modo S. Mariae in Cosmedin diaconum S. R. E. cardinalem et camerarium Albanum nuncupatum, et dilectum pariter filium magistrum Alexandrum Albanum, in utrâque signaturâ nostrâ nunc referendarium et Camerae nostrae Apostolicae clericum, quamvis litterarum studiis in hac almâ Urbe nostrâ operam navassent, non alibi tamen quam Urbini in praefato collegio eos doctoratus laureâ insigniri voluimus, ita nunc, tenore praesentium, apostolicâ auctoritate, decernimus, praecipimus et mandamus, ut in posterum, atque perpetuis futuris temporibus, subditi praedictae legationis, qui, peracto studiorum curriculo, doctorali laureâ ornari voluerint, eam in memorato collegio omnino recipere teneantur, et, qui alibi ipsam receperint, ad exercenda publice munera et officia, atque etiam ad gerendum quarumvis causarum in quocumque foro patrocinium in omnibus eiusdem legationis locis prorsus inhabiles et incapaces sint ac esse intelligantur, nec illos a quoquam ad id, praeterquam a nobis et a Romano Pontifice pro tempore existente, habilitari, neque cum ipsis super huiusmodi defectu dispensari unquam posse, motu, scientiâ, deliberatione ac potestatis plenitudine similibus, statuimus, decernimus et declaramus.

Clausulae amplissimae.

§ 21. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod interesse in praemissis habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis et dignitatis existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis,

nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac inexcogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque et quomodocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab iis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate, praeeminentiâ aut potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio amplissima quibuscumque contrariis.

§ 22. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, et quibuslibet apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; quibus omnibus et singulis, quoad ea quae praesentibus adversantur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse ac latissime derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 23. Ceterum volumus quod earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etc. [1].

Sanctio poenalis.

§ 24. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum confirmationis, approbationis, declarationis, mandati, ordinationis, voluntatis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXI, XIV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 19 martii 1721, pontif. an. XXI.

1 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

FINIS PONTIFICATUS CLEMENTIS XI.

INNOCENTIUS XIII

PAPA CCXLVIII

Ab anno MDCCXXI *ad annum* MDCCXXIV.

An. C. 1721 INNOCENTIUS XIII, Romanus, Michaëlangelus de Comitibus antea vocatus, S.R.E. presbyter cardinalis tituli Ss. Quirici et Iulitae, primum episcopus Auximanus, deinde Viterbiensis, Summus Pontifex electus fuit die VIII maii anni MDCCXXI, et die XIX eiusdem mensis coronatus. Creavit cardinales tres. Vixit annos LXVIII, menses IX, dies XXVIII. Obiit anno MDCCXXIV, die VII martii, sepultusque fuit in Basilicâ Vaticanâ. Vacavit Sedes menses duo, dies vigintiduo.

I.

Confirmatur constitutio Clementis XI de privilegiis universitatis studii generalis et collegii doctorum civitatis Urbini, cum novâ eorumdem concessione[1].

Innocentius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Rationi congruit ac convenit aequitati, ut ea, quae Romani Pontificis gratiâ ac benignitate processerunt, licet eius superveniente obitu litterae apostolicae desuper expeditae non fuerint, debitum consequantur effectum.

1 Laudata constitutio hic refertur, et edita fuit MDCCXXI, die 19 martii, pontif. XXI; huius Pontificis const. editâ MDCCXXI, die 27 novembris, pontif. I, conceditur locus in Rotâ Maceratensi uni ex civibus Urbini.

An. C. 1721

Epitome et causa constitutionis Clementis XI

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, felicis recordationis Clemens Papa XI praedecessor noster, cupiens civitati nostrae, tunc suae, Urbini, ubi natus et educatus fuerat, quamque nedum ortu suo, sed suis etiam eximiis virtutibus plurimum illustravit, praecipuum aliquod pontificiae suae charitatis et beneficientiae argumentum tribuere, ac potissimum erga universitatem studii generalis ibidem apostolicâ auctoritate dudum erectam[1], in qua olim doctorali laureâ decoratus, necnon erga collegium iuris utriusque doctorum inibi pari auctoritate institutum, cui ille itidem, dum in minoribus esset gradibus, adscriptus fuerat, grati memorisque animi sui propensionem palam ostendere et declarare, nonnulla privilegia et indulta a diversis Romanis Pontificibus, praedecessoribus etiam nostris, tunc suis, universitati studii generalis et collegio doctorum praedictis olim concessa, ac insuper nonnulla edicta et decreta in utriusque favorem a ducibus et pro tempore legatis et vicelegatis eiusdem civitatis Urbini edita, ut in posterum observarentur exactius, paulo

1 Edit. Main. legit *erectum* (R. T.).

antequam viam universae carnis ingrederetur, nempe mense martio proximo praeterito, apostolicâ auctoritate approbaverit et confirmaverit, pluraque alia ad eorumdem universitatis et collegii decus ac utilitatem disposuerit per suas litteras, quae tamen ob eius subsecutum obitum ab illo subsignari et consueto Romanae Curiae more expediri minime potuerunt, tenoris sequentis, videlicet:

Constitutio praedicta Clementis XI ex integro refertur.

§ 2. *Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Inter multiplices, etc. [1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXI, XIV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno XXI.

Causa praesentis constitutionis illius confirmatoriae.

§ 27. Ne autem de approbatione, confirmatione, innovatione, decretis, declarationibus, novis concessionibus, statutis, mandato, et voluntate Clementis praedecessoris circa praemissa, ex eo quod ipsius Clementis praedecessoris, ob subsecutum eius obitum, ut praefertur, litterae apostolicae praeinsertae ab ipso subsignatae, ac in formâ solitâ expeditae non fuerint, valeat quomodolibet haesitari, et ii, quorum interest aut interesse poterit quomodolibet in futurum, illorum frustrentur effectu, volumus, et apostolicâ auctoritate decernimus, praecipimus et mandamus, quod approbatio, confirmatio, innovatio, decreta, declarationes, novae concessiones, statuta, mandatum, et voluntas eiusdem Clementis praedecessoris, quoad omnia et singula quae in praefatis litteris continentur, integrum sortiantur effectum, perinde ac si super illis ipsius praedecessoris litterae confectae et sub plumbo iuxta consuetum Romanae Curiae morem expeditae fuissent, quodque praesentes litterae ad probandum ac plene iustificandum approbationem, confirmationem, innovationem, decreta, declarationes, novas concessiones, statuta, mandatum et voluntatem Clementis praedecessoris huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Confirmatio eiusdem constitutionis.

§ 28. Praeterea, ne praeinsertae Clementis praedecessoris litterae ullo unquam tempore a quoquam ex quovis capite impugnari, invalidari, aut in controversiam adduci et vocari possint, sed perpetuis futuris temporibus firmae, validae, efficaces ac illibatae persistant, eas nos tenore praesentium specialiter et expresse approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur et munimen adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan desuper intervenerint, supplemus, ac illas perpetuo valere et observari debere volumus et ordinamus.

Nova confirmatio eorum omnium quae in praedictâ Clementis constitutione continentur.

§ 29. Insuper, ad maiorem et abundantiorem praemissorum cautelam et executionem, ea omnia et singula, quae in antedictis praeinsertis litteris ab eodem Clemente praedecessore in commodum, favorem ac utilitatem universitatis studii generalis et collegii doctorum praedictorum approbata, confirmata, concessa, disposita ac statuta fuerunt, nos similiter tenore praesentium amplissime approbamus, confirmamus, concedimus, disponimus atque statuimus, eaque omnia et singula ab omnibus, ad quos spectat vel spectabit in futurum, inconcusse ac inviolabiliter perpetuo observari, ex certâ nostrâ scientiâ et maturâ deliberatione ac de apostolicae potestatis plenitudine, volumus, decernimus, praecipimus et mandamus.

Deputatio executorum prae-

§ 30. Quocirca universis et singulis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ca-

1 Totam Clementis XI constitutionem, aliasque in eâ relatas, omittimus, quia hanc immediate praecedit, ut videre est sup. in hoc ipso tomo, a pag. 851 ad pag. 866 (R. T.).

sentis constitutionis.

nonicis, et aliis personis in dignitate ecclesiasticâ constitutis, necnon modernis et pro tempore existentibus Urbini legato et vicelegato, seu eiusdem legationis praesidi, et Camerae Apostolicae auditori, ac eorumdem archiepiscoporum et episcoporum vicariis seu officialibus in spiritualibus generalibus, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac pro parte illorum aut alicuius eorum, quos ipsae litterae concernunt et concernent, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque et eorum cuilibet in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ omnes et singulos, quos eaedem litterae quomodolibet concernunt et concernent ut praefertur, illis et in eis contentis quibuscumque pacifice frui, potiri et gaudere, non permittentes eorum aliquem desuper per locorum Ordinarios seu alios quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari et inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras, poenas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias illorum arbitrio imponendas et applicandas poenas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postpositâ, compescendo; ac censuras et poenas praedictas, legitimis super his habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando et reaggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae speciales.

§ 31. Non obstantibus omnibus et singulis, quae praefatus Clemens praedecessor in praedictis suis litteris decrevit non obstare, quae nos pariter ac iterum non obstare decernimus et mandamus; quibus omnibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie, specialiter, expresse ac amplissime scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 32. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique ab omnibus habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 33. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, statuti, decreti, mandati, et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXI, VII idus maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 maii 1721, pontif. anno I.

II.

Conceduntur privilegia et gratiae conclavistis postremi conclavis[1].

Innocentius Papa XIII,
URBIS. — **Motu proprio, etc.**

Causae indulti.

Nos volentes, dilectos filios conclavistas, etc.[2].

Fiat motu proprio M. A.

1 Eadem privilegia concessa fuere a Clemente XI constit. edit. MDCC, die 8 decembris, pontificatus I; et a Benedicto XIII conceduntur constit. edit. MDCXXIV, die 4 ianuarii, pontif. I.

2 Reliqua omittimus, quia ipsissima sunt ac ea quae leguntur in tom. XVIII, p. 22 *b* et seq. (R. T.).

Et cum absolutione a censuris ad effectum, etc. [1].

Fiat M. A.

Datum Romae, apud S. Petrum, XV kalendas iunii, anno I.

Dat. die 18 maii 1721, pontif. anno I.

Nomina autem ipsorum conclavistarum sunt haec quae sequuntur.

Reverendissimus dominus frater Augustinus Nicolaus de abbatibus Oliverius Pisaurensis, episcopus Targensis, sacrista; R. P. D. Dominicus Riveras Urbinas, basilicae Principis Apostolorum de Urbe canonicus, U. S. R. ac sacri collegii secretarius; Ioannes Baptista Gambarucci presbyter Romanus, eiusdem basilicae perpetuus beneficiatus; Ignatius Reali clericus Romanus, eiusdem basilicae beneficiatus, coadiutor; Franciscus Bolsa presbyter Novocomensis, canonicus insignis collegiatae S. Mariae de Rotundâ, Venantius Philippus Piersanti presbyter Camerinensis, praedictae insignis collegiatae canonicus, magistri caeremoniarum: Franciscus Ignatius Ferranti presbyter Æsinus, Matthaeus Scaglioni presbyter de Volentano, Montis Falisci dioecesis, Bartholomaeus Moglia laicus Romanus, nostri dum cardinalatus honore fungebamur: Felix Solatius presbyter Rossanensis et vicarius generalis Ostiensis, Ioseph Lamblotte laicus Nemurcensis dioecesis, Sebastiani Antonii episcopi Ostiensis Tanara; Franciscus Antonius Fini presbyter Minerviensis metropolitanae ecclesiae Beneventanae archipresbyter, Nicolaus Xaverius S. Maria diaconus mansionarius praedictae metropolitanae, fratris Vincentii Mariae episcopi Portuensis Ursini; abbas Laurentius Pius Bonsius clericus Florentinus, Franciscus Iudice laicus Hungarus, Francisci episcopi Tusculani Iudice; Livius Guarinus laicus Foroliviensis, Bartholomaeus Fantinus laicus Mutinensis, Fabritii episcopi Albanensis Paulutii; Ioannes Antonius Vendettuoli presbyter Venefrensis, Iacobus Collez clericus Leodiensis dioecesis, Franciscus Siciliani laicus Barensis, Francisci episcopi Sabinensis Pignattelli; Franciscus Velli presbyter Praenestinus, basilicae Principis apostolorum perpetuus beneficiatus, Petrus Cheller clericus Amburgensis, Francisci episcopi Praenestini Barbarini, venerabilium fratrum nostrorum episcoporum S. R. E. cardinalium: abbas Ioseph Maria Benveduti clericus Eugubinus, Marcus Mittarelli laicus Civitatisducalis, Franciscus Gotti presbyter Bononiensis, Iacobi tituli S. Mariae in Viâ Boncompagni; comes Philippus Raynaldus a Turre presbyter et abbas Albensis, eques commendatarius et receptor sacrae religionis Ss. Mauritii et Lazari, Iacobus Antonius Carpanus presbyter Dertonensis, Alexander Ioannes Andreazzini laicus Romanus, Iosephi tituli S. Praxedis Sacripantes; Bartholomaeus Claricius presbyter Anconitanus, Camillus Schola philosophiae ac medicinae doctor Bassanensis, Ioannes Antonius Spoladori laicus Tarvisinus, Georgii tituli Ss. XII Apostolorum Cornelii; Iacobus Leoni presbyter Signinae dioecesis, Ioseph Maria Cardoni laicus Lucensis, Laurentii tituli S. Petri ad Vincula Corsini; Antonius Aga presbyter Romanus, Andreas Campanella laicus Balneoregiensis, Franciscus Maria Serra laicus Romanus, Francisci tituli S. Caeciliae de Aquaviva; abbas Bartholomaeus Castelli I. U. D. clericus Interamnensis, Laurentius Foschi clericus dioecesis Albanensis, Thomae tituli S. Mariae Transtyberim Ruffi; Petrus Antonius Ventura presbyter Camerinensis, canonicus insignis collegiatae S. Mariae in Viâlatâ, Nicolaus Carignani laicus Lucensis, Horatii Philippi tituli S. Honuphrii Spadae; Mauritius Jacquin laicus Parisiensis, Antonius Lori laicus de Prato, dioecesis Asculanae, Philippi Antonii tituli S. Chrysogoni Gualterii; Crescentius Maschi laicus Urbinas, Antonius Maria Giulietti presbyter Auximanus, Carolus de Rubeis clericus Romanus, Iosephi tituli S. Mariae Angelorum Vallemani; abbas Paulus Antonius Folsi clericus Foroliviensis, Dominicus Alexander Bugiani laicus Romanus, Ioannis Dominici tituli S. Anastasiae Paracciani; Michaëlangelus Magnoni presbyter ex dioecesi S. Miniati, Petrus Ca-

1 Reliqua ut ibid. pag. 29 *a* et seq. (R. T.).

nevari laicus Romanus, Caroli Augustini tituli S. Augustini Fabroni; comes Livius Adrianus presbyter I. U. D. collegiatus Patavinus, comes Antonius Mantua laicus Patavinus, Petri tituli S. Marci Priuli; Ioannes Baptista Rondoni presbyter Bononiensis, sacrae theologiae doctor ac perinsignis collegiatae S. Petronii Bononiae, Iacobus Philippus Lazari laicus Bononiensis, Ulyssis Iosephi tituli S. Crucis in Hierusalem Gozzadini; Ioseph Castelluccius presbyter civitatis Potentiae, Ioseph Cardini laicus ex civitate Aretii, Ioannes Baptista Innocentii clericus Sabiensis, Ludovici tituli S. Sylvestri in Capite Pici; Antonius Leprotti physicae et medicinae doctor, laicus Bononiensis, Ioannes Stacchini laicus de Bonifacio Ianuensis, Ioannis Antonii tituli S. Calisti de Viâ; abbas Iacobus Antonius Daffico presbyter Ianuensis, Hieronymus Calzi laicus Romanus, Augustini tituli S. Mariae de Populo Cusani; Salvator de Rubeis clericus Romanus, Ioseph Hauffer laicus Helvetus Sotodorenus, Iulii tituli S. Laurentii in Pane et Perna Piazzae: Angelus de Gianneskys a Castroplani presbyter Clusinae dioecesis, abbas S. Blasii, Urbanus Garofoli laicus Romanus, Antonii Felicis tituli S. Balbinae Zonzedarii; abbas Caesar Ondedei presbyter Eugubinus, basilicae Ss. Laurentii et Damasi de Urbe canonicus, Thomas Puccetti clericus Romanus, Ioannis Baptistae tituli S. Mariae in Aracaeli Bussi; Thomas de Cecchottis clericus Reatinus, Franciscus Maria Lucca laicus Romanus, Petri S. Ioannis ante Portam Latinam Corradini; Michaël Petit de Ravennes presbyter dioecesis Parisiensis, abbas commendatarius monasterii in Arganna dioecesis Catalaunensis, Ioannes Vivant presbyter Parisiensis dioecesis, canonicus honorarius ecclesiae metropolitanae Parisiensis, Franciscus Soldinus Florentinus, Armandi cardinalis de Rohan; comes Franciscus de Schrottempach laicus ex Tyria, Matthias Breugeisen presbyter Viennensis, Franciscus Gistel laicus Tridentinus, Wolphangii Annibalis tituli S. Marcelli Scrattempach; Andreas Boccacani presbyter Narniensis dioecesis, Liborius Cagliati Florentinus, Societatis Iesu laicus, Ioannis Baptistae tituli S. Stephani in Caelio Monte Ptolomei; abbas Antonius Sartoni clericus Ariminensis, Caietanus Bononi laicus Novocomensis, Benedicti Ss. Nerei et Achillei Odescalchi; Ludovicus Guido Guerapin de Vaureal presbyter Senonensis, doctor Sorbonicus, Petrus Guerin de Tincin presbyter Gratianopolitanus, rector et socius Sorbonicus, abbas Vezeliacensis, ecclesiae Senoniensis archidiaconus maior, Petrus Julien laicus dioecesis Agatensis, Henrici cardinalis De Bissy; Felix Rosa Pepe presbyter Abelliensis dioecesis, canonicus Aversanus, Bernardinus De Benedictis laicus Spoletanus, Innici tituli S. Thomae in Parione Caraccioli; Antonius Piersantes clericus coniugatus Camerinensis dioecesis, Nicolaus Corbellus laicus Romanus, Bernardini tituli S. Petri in Monteaureo Scotti; Ioseph Caracciolus laicus Neapolitanus, Marcus Ricciatoli laicus Romanus, Nicolaus Belarducci laicus Capuanus, Nicolai tituli S. Martini in Montibus Caraccioli; abbas Hieronymus Cardoni presbyter Lucensis, basilicae Principis Apostolorum perpetuus beneficiatus, Ioseph Frifelli laicus Romanus, Ioannis Baptistae tituli Ss. Quatuor Coronatorum Patritii; comes Ioannes Fabius De Braschis I. U. D. clericus Caesenatensis, Ludovicus Mosconus laicus Perusinae dioecesis, Nicolai tituli S. Sixti Spinulae; abbas Hieronymus Crivelli presbyter Mediolanensis, Ioseph Fragiotti laicus Romanus, Giberti tituli S. Alexii Borromei; Ioannes Franciscus Bassel dioecesis Moguntinae, eiusque cononicus ad Gradus B. M. V., Emericus Gabriel comes Esterbasis dioecesis Strigoniensis, canonicus Posoniensis, praepositus B. M. in Rathisbona, Ioannes Ziein dioecesis Constantiensis, Emerici cardinalis Czakij; Ioannes Paulus Mercantilius clericus Romanus, Constantinus Grimaldus laicus e Regio Lepidi, Georgii tituli S. Agnetis Spinulae; Hieronymus Maresti laicus Ferrariensis, Franciscus Quercioli laicus Imolensis, Cornelii tituli S. Hieronymi Illyricorum Bentivolii; comes Ludovicus Emmanuel de Ghistel ex marchionibus S. Florae, abbas et clericus Atrebatensis, abbas Gaspar Ruggia

clericus Romanus, basilicae Principis Apostolorum beneficiatus coadiutor, Philippi Thomae de Baussu cardinalis de Alsatia; Vincentius Margarita I. U. D. presbyter Brixiensis, Ioannes Danielis laicus Cenedensis, Ioannis Francisci tituli Ss. Marcellini et Petri Barbadici; Iosephus Emidius de Grassis clericus Asculanus, Ioannes Bianchini clericus Asculanus, Ioannes Bianchini clericus Mediolanensis, Ioannes Georgeus Grau Hungarus, Michaëlis Friderici tituli S. Sabinae de Althann; Philippus Ortensius Fabri clericus coniugatus Romanus, Arnoldus de Paulis laicus Leodiensis, Ioannis Baptistae tituli S. Priscae Salerni; Gabriel Lopez Viegea clericus Lusitanus civitatis Elviae, Ioannes Franciscus Verveda clericus Barchinonensis, Alvari cardinalis Cienfuegos, presbyterorum S. R. E. cardinalium: Ioannes Baptista Filippani presbyter Romanus, Augustinus Luppachioli clericus Gallesi dioecesis Civitatis Castellanae, Franciscus Titii laicus Vallismontanae dioecesis Segninae, Benedicti S. Mariae in Viâlatâ Pamphilii; Ioannes Antonius Coltrolini clericus coniugatus Romanus, Alexander Perazzoli laicus Neapolitanus, Petri S. Laurentii in Damaso Ottoboni; abbas Lucas Nicolaus Recchi clericus Ripanus, Ioannes Argenti laicus Romanus, Iosephi Renati S. Georgii Imperialis; Andreas Iannensis laicus Praenestinus, Petrus Buccardus laicus Romanus, Laurentii S. Nicolai in Carcere de Alteriis; abbas Christophorus Venturelli clericus Amerinus, Hieronymus Georgii laicus Pisanus, Caroli S. Angeli in Foro Piscium Columnae; Carolus Ancaianus laicus Spoletanus, eques commendatarius sacrae religionis Ss. Mauritii et Lazari, Franciscus Blancus laicus Viadamensis dioecesis Mantuanae, Annibalis S. Mariae in Cosmedin Albani; Ubaldus Monacelli presbyter Eugubinae dioecesis, Augustinus Cincielli laicus Castellanae dioecesis, Curtii S. Eustachii Orighi; Ermannus Adamus Tenantewich Philopolitanus, Fridericus Antonius Gunter presbyter Moguntinus, Ioannes Georgius Mesbach laicus Manoziavalensis Herbipolensis dioecesis, Damiani cardinalis Schonborn; marchio Ioannes Thaddaeus Canalis laicus Reatinus, Laurentius Bussonus Romanus clericus coniugatus, Fabii Ss. Viti et Modesti Oliverii; Ioannes Matthaeus Niccioli clericus Pisaurensis, Franciscus Gambirasi laicus Romanus, Iulii cardinalis Alberoni, diaconorum S. R. E. cardinalium: frater magister Hieronymus Maria de Allegris Florentinus, Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis, frater magister Ioannes Baptista Amadeus Lucensis, Ordinis eremitarum S. Augustini, sacrista; comes Petrus Donarellus a Ruere ex marchionibus Orciani laicus Anconitanus, custos fontis et aquarum conclavis; Urbanus Bizxani laicus Romanus, cum praedicto reverendissimo episcopo Targensi sacrista; Ioannes Oliva presbyter Rhodiginus, cum dicto R.P.D. Rivera sacri collegii secretario; Vincentius de Appolloniis presbyter Æsinus, cum dicto R.P.D. Rivera sacri collegii secretario; frater Iacobus Curtius laicus Urbinas, cum dicto fratre magistro Amadeo subsacrista; Michaëlangelus Pauli Pisaurensis, Ioannes Baptista Nucarini Fulginas, medici physici; Victorius Masinus Florentinus; Iacobus Mansuetus Romanus, aromatarius; Iacobus Antonius Bassius Mantuanus, Ioannes Baptista Varola Mantuanus, eius auxiliatores; Ioseph de Ambrosiis Romanus, Dominicus Adrovizi Urbinas, barbitonsores; Dominicus Borgiassi Romanus, Hieronymus Gatti Calaber, eorum auxiliatores; Antonius Ravasi, faberlignarius; Petrus Paulus Alfieri, fabercaementarius; Franciscus Mossius a Morbegno Novocomensis dioecesis, famulus magistrorum caeremoniarum; Dominicus Fantoni, Carolus Antonius Sala, Ioseph Pichigno, Petrus Giannini, Ioseph Antonius Finiti, Ioseph Barzotti, Franciscus Vattani, Stephanus Orlandi, Constantinus Cichelli, Angelus Davegio, Ioannes Giorgetti, Iacobus Boscheroli, Bartholomaeus Isola, Caesar Giuliani, Franciscus Bruni, Philippus Mezzarota, Bernardinus Scaletta, Ioannes Valeva, Ioannes Baptista Ricci, Ioannes Petrus Giorgi, Petrus Lancetta, Gregorius Crivelli, Marcus Lamboni, Andreas Giuliani, Ioannes Baptista Goldoni, Ioannes Franciscus Gonnella, Paulus Bettoli, Remigius Valena, Paschalis Guerdi, Marcus Antonius Guar-

nacci, Martinus Dominici, Dominicus Picchi, Iacobus Matthias Bartolini, Bartholomaeus Pascucci, scopatores conclavis.

III.

Conceduntur privilegia et indulta dapiferis postremi conclavis [1].

Innocentius Papa XIII.

URBIS. — **Motu proprio, etc.**

Causa indulti.

Nos volentes dilectos filios nostros dum cardinalatus honore fungebamur et venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium dapiferos, etc. [2].

Datum Romae, apud S. Petrum, XV kalendas iunii, anno I.

Dat. die 18 maii 1721, pontif. anno I.

Nomina eminentissimorum dominorum cardinalium et dapiferorum sunt haec quae sequuntur :

Michaëlangelus De Comitibus, nunc INNOCENTIUS XIII, Romanus; abbas Caesar Meniconi.

EPISCOPI VI.

Sebastianus, episcopus Ostiensis, sacri collegii decanus, cardinalis Tanara, Bononiensis; Franciscus de Bic, eques S. Iacobi, Bruxellensis.

Fr. Vincentius Maria, episcopus Portuensis, S.R.E. cardinalis Orsini, Romanus; Balthasar Coscia Beneventanus.

Franciscus, episcopus Tusculanus, S. R. E. cardinalis Iudice, Neapolitanus; Camillus marchio Penna.

Fabritius, episcopus Albanensis, S. R. E. cardinalis Paulutius, Foroliviensis; comes Nicolaus Maria Saxatellus.

Franciscus, episcopus Sabinensis, S. R. E. cardinalis Pignattellus, Neapolitanus; abbas Ioannes Baptista Zoli.

Franciscus, episcopus Praenestinus, S.R.E. cardinalis Barberinus, Romanus; Dominicus Gregorius Passerini de Nursia.

PRESBYTERI XXXIX.

Iacobus tituli S. Mariae in Viâ S. R. E. cardinalis Boncompagni, archiepiscopus Bononiensis, Romanus; Antonius Gabriellius, Romanus.

Ioseph tituli S. Praxedis S. R. E. cardinalis Sacripantes, Narniensis; abbas Romualdus Risi Narniensis.

Gregorius tituli Ss. XII Apostolorum S. R. E. cardinalis Cornelius, episcopus Patavinus, Venetus; Ioannes Franciscus Ruggia, Romanus.

Laurentius tituli S. Petri ad Vincula S. R. E. cardinalis Corsinus, Florentinus; Philippus Acciaioli Florentinus.

Franciscus tituli S. Caeciliae cardinalis de Aquaviva, Neapolitanus; marchio Matthaeus Sacchettus, Romanus.

Thomas tituli S. Mariae Transtyberim S. R. E. cardinalis Ruffi, episcopus Ferrariensis, Neapolitanus; Marius Cansacchi Amerinus.

Horatius Philippus tituli S. Honuphrii S. R. E. cardinalis Spada, episcopus Auximanus, Lucensis; Ioannes Antonius Leoni Romanus.

Philippus Antonius tituli S. Chrysogoni S. R. E. cardinalis Gualterii, Urbevetanus; Fortunatus Malvezzi.

Ioseph tituli S. Mariae Angelorum S.R.E. cardinalis Vallemani, Fabrianensis; Franciscus Maria della Volpe.

Ioannes Dominicus tituli S. Anastasiae S. R. E. cardinalis Paracciani, Romanus; comes Ioseph Mastais de Ferrettis.

Carolus Augustinus tituli S. Augustini S. R. E. cardinalis Fabronus, Pistoriensis; Franciscus Bini Florentinus.

Petrus tituli S. Marci S. R. E. cardinalis Priuli, Venetus; commendator Franciscus Columna.

Ulysses Ioseph tituli S. Crucis in Hierusalem S. R. E. cardinalis Gozzadini, episco-

1 Eadem privilegia concessa ab Innocentio XII constit. edit. MDCXCI, die 15 iulii, pontif. I; a Clemente XI, const. edit. MDCC, die 18 decembris, pontif. I; et a Benedicto XIII const. ed. MDCCXXIV, die 4 iunii, pontif. I.

2 Reliqua omittimus quae eadem sunt ac ea quae leguntur tom. XVIII pag. 42 *b* et seq. (R.T.).

pus Imolensis, Bononiensis; comes Alphonsus Servantii.

Ludovicus tituli S. Silvestri in Capite S. R. E. cardinalis Picus, episcopus Senogalliensis, de Mirandola; abbas Dominicus de Therry, Hybernus.

Ioannes Antonius tituli S. Callisti S.R.E. cardinalis de Viâ, episcopus Ariminensis, Bononiensis; comes . . . Lignani.

Augustinus tituli S. Mariae de Populo S.R.E. cardinalis Cusani, episcopus Papiensis, Mediolanensis; Antonius Facchinetti.

Iulius tituli S. Laurentii in Pane et Perna S. R. E. cardinalis Piazza, episcopus Faventinus, Foroliviensis; Vincentius Terdotius.

Antonius Felix tituli S. Balbinae cardinalis Zonzedarius, Senensis; abbas Ludovicus Anguisciola.

Ioannes tituli S. Mariae in Aracaeli S.R.E. cardinalis Bussi, episcopus Anconitanus, Viterbiensis; Benedictus Bussi Viterbiensis.

Petrus tituli S. Ioannis ante Portam Latinam S. R. E. cardinalis Corradinus, Setinus; Franciscus Buccapadulius Romanus.

Armandus S. R. E. cardinalis de Rohan, episcopus Argentinus, Gallus; comes Ferdinandus Bolognetti.

Wolphangus tituli S. Marcelli S. R. E. cardinalis Scrattempach, episcopus Olomucensis, Germanus; marchio Hieronymus Lucinus Mediolanensis.

Ioannes Baptista tituli S. Stephani in Caelio Monte S. R. E. cardinalis Ptolomeus, Pistoriensis; Petrus Testasecca.

Benedictus tituli Ss. Nerei et Achillei S. R. E. cardinalis Odescalchi, archiepiscopus Mediolanensis; comes Aloysius Turconus Mediolanensis.

Henricus S. R. E. cardinalis de Bissy, episcopus Meldensis, Gallus; abbas Franciscus Caietanus Thomatus Romanus.

Innicus tituli S.Thomae in Parione S.R.E. cardinalis Caraccioli, episcopus Aversanus, Neapolitanus; Bartholomaeus Mollo Aversanus.

Bernardinus tituli S. Petri in Monteaureo S. R. E. cardinalis Scotti, Mediolanensis; Philippus Ernestus de Bruggen, ex liberis nobilibus ducatus Curlandiae.

Nicolaus tituli S. Martini in Montibus S. R. E. cardinalis Caraccioli, archiepiscopus Capuanus, Neapolitanus; Iacobus Amadori, olim Lamfredini, Florentinus.

Ioannes Baptista tituli Ss. Quatuor Coronatorum S. R. E. cardinalis Patritii, Romanus; marchio Patritius Patritii, Romanus.

Nicolaus tituli S. Sixti S. R. E. cardinalis Spinula, Ianuensis; Orlandius eques de Catenaccia.

Gibertus tituli S. Alexii S. R. E. cardinalis Borromeus, episcopus Novariensis, Mediolanensis; comes Constantinus Pagani, Civitatisducalis.

Emericus S. R. E. cardinalis Czaky, episcopus Hungarus; Philippus Iacobus Caffert, Coloniensis dioecesis, etc., decanus collegiatae S. Gregorii, Coloniensis.

Georgius S. Agnetis S. R. E. cardinalis Spinula, Ianuensis; Thomas Isoldus Spoletanae dioecesis.

Cornelius tituli S. Hieronymi Illyricorum S. R. E. cardinalis Bentivolii, Ferrariensis; abbas Ioseph Ascevolinus Romanus.

Philippus Thomas S. R. E. cardinalis de Boussu de Alsatia, archiepiscopus Mechliniensis, Flandrus; comes Ioannes Petrus de Azuis.

Ioannes Franciscus tituli Ss. Marcellini et Petri S. R. E. cardinalis Barbadicus, episcopus Brixiensis, Venetus; marchio Horatius Lancellotti Romanus.

Michaël Fridericus tituli S. Sabinae S.R.E. cardinalis de Altann, episcopus Vacciensis, Germanus; Iulius Gabriellius Romanus.

Ioannes Baptista tituli S. Priscae S.R.E. cardinalis Salerni, Cosentinus; Ioseph Baldinucci Lucensis.

Alvarus S. R. E. cardinalis Cienfuegos, Asturianus; Caesar eques Herculanus.

DIACONI X.

Benedictus S. Mariae in Viâlatâ primus diaconus S. R. E. cardinalis Pamphyli, Romanus; Michaëlangelus Fagnani Romanus.

Petrus S. Laurentii in Damaso S. R. E. cardinalis Ottobonus, Venetus; frater Benedictus de Fabris, eques Hierosolymitanus.

Ioseph Renatus S. Georgii S. R. E. cardinalis Imperiali, Ianuensis; Lauretus Barbari.

Laurentius S. Agathae S. R. E. cardinalis de Alteriis, Romanus; marchio Paulus de Drago, Romanus.

Carolus S. Angeli in Foro Piscium S.R.E. cardinalis Columna, Romanus; Fabritius Sabellus Romanus.

Annibal S. Mariae in Cosmedin S. R. E. cardinalis Albanus, Urbinas; Philippus baro de Scarlattis Romanus.

Curtius S. Eustachii S. R. E. cardinalis Orighi, Romanus; canonicus Nicolaus Maria Orighi Romanus.

Damianus S. R. E. cardinalis de Schomborn, Germanus; Willhelmus Henricus, liber baro de Bouscrodt, Germanus.

Fabius Ss. Viti et Modesti S. R. E. cardinalis Oliverii, Pisaurensis; Ioannes Andreas Oliveri Pisaurensis, eques S. Stephani.

Iulius S. R. E. cardinalis Alberoni, Parmensis; Ioannes Andreas Pieri Lucensis.

IV.

Conceduntur privilegia familiaribus Sanctitatis Suae[1].

Innocentius Papa XIII,

Nomina familiarium.

Venerabilibus fratribus Sinibaldo ab Auria Patracensi, cubiculi nostri praefecto, Prospero Marefusco Caesariensi, auditori nostro, et Nicolao Augustino de Abbatibus Oliverio, episcopo Porphyriensi, sacrarii nostri, ac dilectis filiis magistris Nicolao iudici Neapolitano, palatii nostri apostolici respective praefectis; Bartholomaeo Ruspolo Romano, notario protonotario nuncupato de numero participantium, libellorum supplicum nobis porrectorum, Dominico Rivera Urbinatensi, notarum arcanarum, et Dominico Passionei Forosemproniensi, epistolarum latinarum respective secretariis, in utrâque signaturâ nostrâ referendariis; necnon Caesari Menicono, Perusinae, pincernae; Ioanni Philippo Bandino, Camerinensis, Francisco Ignatio Ferranti Massaliensi, Æsinae dioecesis, eleemosynario secreto; Philippo Magnono Romanae; Antonio Tasca, Theatino, vestiario; Matthaeo Scagliono a Valentano Montis Falisci dioecesis, litterarum nostrarum in formâ Brevis, quae ad principes scribuntur, secretario; Paulo Caesio Romano, Riccardo a Balneo Mantuanae, Michaëlangelo Senogalliensis dioecesis, medico secreto; Hieronymo Columnae forerio maiori, Andreae Maidalchino, Octavio Rinaldo de Bubalo a Valle, Romanis, cubiculariis secretis nostris; Iosepho Accorambono, Spoletanae, subdatario, ac Olympio Miliani de insulâ Lilii, nullius dioecesis, architriclino, ac Ioanni Bortonio, Nolanae, caudatario; Ioanni Baptistae Precurti Romano, crucifero, Dominico Pizzi de Ischia, Aquaependentis dioecesis, Francisco Mariani, Viterbiensis, capellanis secretis; ac Scipioni de Fabiis Romano, Dominico Rombolnio, Pistoriensis, Francisco Pino pariter Romano, Bartholomaeo Moslia itidem Romano, Hieronymo Giorgi oppidi Liburni Pisanae dioecesis, ac Iacobo Antonio Biancono a Capranica, Sutrinae dioecesis, clericis seu presbyteris vel laicis, cubiculi nostri adiutoribus, familiaribus continuis commensalibus nostris, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Circumspecta, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI maii MDCCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 26 maii 1721, pontif. anno I.

V.

Indicitur iubilaeum universale initio pontificatus Sanctitatis Suae[2].

Innocentius Papa XIII,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Superni dispositione consilii, quo caelestia pariter et terrestria inscrutabili

Exordium a necessitate implorandi divi-

1 Eadem privilegia concessa fuere a Clemente XI, constit. edit. MDCCI, die 5 aprilis, pontificatus I; et conceduntur a Benedicto XIII const. edit. MDCCXXIV, die 15 decembris, pontif. I.

1 Reliqua ut tom. XVIII pag. 88 *a* et seq. (R.T.).

2 Huic simile iubilaeum indictum fuit a Clemente XI const. ed. MDCCI, die 25 februarii,

num auxilium praesertim ob timorem epidemicae luis.

ratione reguntur, ad supremum apostolatus fastigium, nullo meritorum suffragio, evecti, dum serio consideramus impositi nobis gravitatem oneris angelicis etiam humeris formidandi, cui collum humiliter supponere divinae voci obsequendi nos adegit necessitas, viriumque nostrarum infirmitatem, tum luctuosam rerum et temporum conditionem, quotque et quam gravissimis respublica christiana malorum procellis et calamitatibus conflictetur, atque periculis exposita sit, toti contremiscimus, crebraque ex imo corde suspiria et uberes ex oculis lacrymas fundentes, ad Dominum cum Propheta clamare compellimur: *Exaltatus, humiliatus sum et conturbatus; terrores tui conturbaverunt me; circumdederunt me sicut aqua totâ die, circumdederunt me simul;* ac, nisi spes nostra in ipso bonorum omnium largitore reposita esset, animo plane concideremus. Sed, quia benignus et misericors est Deus noster, et propitiatur omnibus invocantibus eum in veritate, nec despicit in opportunitatibus et tribulatione, eodem Propheta monente: *Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet,* et magis eius clementiae et misericordiae confidere, quam nostrae imbecillitati diffidere constituimus; cumque nos sufficere non posse sciamus, oculos nostros ad montem sanctum suum, montem uberem, montem pinguem[1], unde opportunum nobis adfuturum auxilium et enixe petimus et devote speramus. Id ipsum ut et vos, quibus nostra impendenda est sollicitudo, coniunctis nobiscum precibus faciatis, et divinam, qua egemus[2], opem per ieiunia et eleemosynas aliaque pietatis opera nobis demereri sedulo studeatis, paterne requirimus et monemus, ut scilicet totius consolationis Deus, cui proprium est infirma mundi eligere et dexterae suae potentiâ facere fortia, confirmet quod operatus est in nobis, et det nobis sedium suarum assistricem sapientiam, mittat illam de caelis sanctis suis et a sede magnitudinis suae, ut nobiscum sit et nobiscum laboret ad divini nominis gloriam, Ecclesiaeque sanctae utilitatem, et spiritualem omnium fidelium aedificationem, omniaque consilia nostra et actiones dirigat secundum beneplacitum voluntatis suae, haereses et in religione dissidia extirpet, fidem catholicam protegat et propaget, quam mundus dare non potest inter principes orthodoxos pacem restituat, eorumque animos fortiter et suaviter vinciat in vinculo charitatis, dira epidemicae luis flagella, quae non procul ab Italiae finibus, sicut cum intimo animi nostri dolore accepimus, misere saevire adhuc non cessat, ab iis, quos calamitas tenet, avertat, ab aliis vero, quos tantae cladis metus et pavor invasit, pericula propulset, ac nomen christianum ab infidelium insidiis et incursionibus potentiâ virtutis suae tueatur. Haec autem ut ferventiori spiritus ardore maiorique fructu fiant, priscum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum morem secuti, caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae commisit divina dignatio, opportuno hoc recurrente tempore, quo Spiritus Sanctus repentino sonitu super Apostolos venit, mentesque carnalium in sui amorem permutavit, et, foris apparentibus linguis igneis, facta sunt intus corda inflammantia[2], proferre et liberali manu erogare decrevimus.

Indictio iubilaei.

§ 1. Itaque, de omnipotentis Dei mi-

pontif. I, et a Benedicti XIII indicitur const. ed. MDCCXXIV, die 10 iunii, pontif. I.

1 Deest verbum *convertimus* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *agemus* (R. T.).

1 Potius lege *flammantia* (R. T.).

sericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utrinsque sexus christifidelibus in almâ Urbe nostrâ degentibus, qui solemni processioni, quam feriâ secundâ festi Pentecostes proximae hebdomadae a basilicâ Principis Apostolorum ad ecclesiam Sancti Spiritus in Saxia de eâdem Urbe, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, etc. [1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII maii MDCCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 maii 1721, pontif. anno I.

VI.

Mandatur continuatio visitationis apostolicae ecclesiarum et locorum piorum Urbis [2].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Refertur institutio et continuatio dictae visitationis.

§ 1. Cum felicis recordationis Innocentius Papa XII praedecessor noster circa pontificatus sui primordia pastoralem cleri romani omniumque almae huius Urbis ecclesiarum piorumque locorum et operum visitationem instituerit, eamque ipsemet in patriarchalibus eiusdem Urbis ecclesiis inchoaverit, ac sibi in eo munere adiutores nonnullos ex sacro venerabilium fratrum nostrorum tunc suorum S. R. E. cardinalium collegio delegerit et assumpserit, eisque quosdam Romanae Curiae praelatos et alios subinde cardinales adiunxerit, qui visitationem ipsam peragerent et negotia illam concernentia expedirent, ac secretarium, iudicem, cancellarium, seu actuarium commissarium, et fiscalem, aliosque forsan officiales et ministros sacrae visitationis huiusmodi deputaverit, variasque eisdem cardinalibus, ac eorum et dictorum praelatorum Congregationi, necnon officialibus et ministris praedictis facultates, praeeminentias et indulta concesserit et impartitus fuerit, et aliàs, prout in diversis ipsius Innocentii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur; et, sicut accepimus, memorati quidem cardinales visitatores unâ cum praelatis coadiutoribus, etiam piae memoriae Clementis Papae XI praedecessoris nostri iussu, visitationem huiusmodi tam in eisdem patriarchalibus quam in aliis collegiatis et fere omnibus parochialibus ecclesiis, ac in multis monasteriis regularium tam virorum quam mulierum, necnon collegiis, hospitalibus, confraternitatibus et aliis locis piis dictae Urbis postea prosecuti fuerint, salutaribusque monitis et decretis, ubi opus fuerit, providerint; visitatio tamen ipsa in omnibus ecclesiis ac locis et operibus piis praedictis nondum sit peracta, sed multa negotia eam concernentia adhuc pendeant indecisa: hinc est quod nos, pastorali studio considerantes quantopere visitatio huiusmodi utilis et necessaria sit, non modo ad tollendos abusus, sed etiam ad praecavendum ne deinceps introducantur, quantumque boni ex illâ hactenus provenerit et benedicente Domino proventurum sit si visitatio ipsa continuetur et absol-

Mandat ut in rubricâ.

1 Reliqua ut tom. XX pag. 9 *a* et seq. (R.T.).

2 Huiusmodi visitatio instituta fuit ab Innocentio XII const. ed. MDCXCIII, die 11 ianuarii, pontif. II; et continuata a Clementis XI const. ed. MDCCI, die 14 ianuarii, pontif. I; a Benedicto XIII iterum praecipitur eius continuatio ed. const. MDCCXXIV, die 15 iulii, pontif. I.

vatur, ac in eâ, quae ad Dei cultum et gloriam animarumque salutem opportuna et conducibilia sunt, sicut hactenus factum est, in posterum quoque pie prudenterque statuantur, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratam visitationem continuari et absolvi, causasque indecisas in Congregatione praedictâ pendentes, prout aequitatis atque iustitiae ratio suaserit, terminari, visitationes particularium ecclesiarum ac locorum et operum piorum iam inchoatas absolvi, necnon ecclesias ac loca et opera pia, tam hucusque visitata quae iteratam visitationem exposcere videbuntur, quam nondum visitata, visitari, ceteraque omnia et singula visitationem huiusmodi concernentia fieri, geri, statui et ordinari ac executioni demandari debere, tenore praesentium, decernimus et mandamus; ac omnes et singulas facultates, privilegia, gratias, praeeminentias, praerogativas et indulta quaecumque praedictis cardinalibus et praelatis, eorumque Congregationi, necnon omnibus et singulis officialibus et ministris supradictis, a memoratis Innocentio et Clemente praedecessoribus per suas respective litteras desuper emanatas quovis modo respective concessa et attributa, per obitum eorumdem praedecessorum minime cessasse, sed in suis robore et firmitate permanere, omnibusque et singulis praedictis respective adhuc competere et suffragari debere, decernimus pariter et declaramus; et, quatenus opus sit, facultates, privilegia, gratias, praeeminentias, praerogativas et indulta huiusmodi eisdem cardinalibus et praelatis, eorumque Congregationi, ac officialibus et ministris praedictis, in omnibus et per omnia, prout eis respective a supradictis Innocentio et Clemente praedecessoribus concessa et attributa fuerunt, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, denuo concedimus, tribuimus et impartimur.

§ 2. Decernentes, etc.[1]. Clausulae.

§ 3. Non obstantibus, praemissis, ac omnibus et singulis, etc.[2]. Derogatio contrariorum.

§ 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum, etc.[3]. Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII maii, MDCCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 28 maii 1721, pontif. anno I.

VII.

Confirmatur decretum Congregationis episcopôrum et regularium de alternativâ officiorum pro provinciâ S. Antonii in Lusitaniâ fratrum Minorum de Observantiâ Discalceatorum[4].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum Emmanuelis a Gloria nonnullorumque fratrum expresse professorum provinciae S. Antonii in Lusitaniâ Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod ipsi, pro bono pacis et pacifici eiusdem provin- Expositio.

1 Omnia ut supra pag. 7 *b* et seq. (R. T.).

2 Cetera ut pag. 8 *a* (R. T.).

3 Reliqua ut ibid. (R. T.).

4 A Clemente XI const. ed. MDCCXII, die 23 decembris, pontif. XIII, revocata fuit dismembratio conventus S. Luciae et ospitii de Portici; et huius Pontificis const. ed. MDCCXXII, die 22 iunii, pontif. II, extat commissio nuncio Neapolis super eâdem dismembratione.

ciae regimine, alternativam officiorum in eâ cum divisione territorii stabilire plurimum desiderabant in hunc modum, videlicet:

Divisio territorii provinciae aequalitate numeri religiosorum.

I. Quod praedicta provincia S. Antonii, secundum regiones, territoria, per quae protenditur, in duas aequales partes dividatur, quarum[1] Ulyssiponenses civitates, orientalem scilicet et occidentalem, cum suis territoriis, vulgo *termos*, inclusive provinciam de Alemviso et regiones ultra mare comprehendat, altera vero totum id quod a territoriis Ulyssyponensibus per provinciam de Extremadura usque ad villam de Canthanhede districtus civitatis Conimbricensis inclusive includitur, et sic divisae conserventur, ut religiosorum numerum utriusque hierarchiae, clericalis videlicet et laicalis, in unaquâque parte aequalis sit; sed, quia de praesenti numerus Ulyssiponensium in magnâ parte a non Ulyssiponensibus habet excedi, donec ad aequalitatem perveniant, ex novitiis recipiendis duae partes ex Ulyssiponensibus et una ex aliis dumtaxat ad habitum admittatur, proportione servatâ inter clericos et laicos, prout necessitati provinciae videbitur expedire, ita taliter ut semper aequalis fratrum numerus hinc inde valeat conservari: et haec quantum ad divisionem.

De alternativa praecipuorum officiorum.

II. Quantum vero ad electionem officiorum ita procedi debeat, ut in uno capitulo minister provincialis et duo definitores ex unâ parte, et custos et alii duo definitores ex aliâ parte eligantur; in capitulo vero sequenti fiat viceversâ; quia tamen duodecim ab hinc annis ex non Ulyssiponensibus quatuor provinciales ministri sortiti fuerunt, pro aliquali compensatione cum parte Ulyssiponensi, in capitulo proxime habendo alternativa ex Ulyssiponensibus exordium servat[2], et ex istis minister provincialis et duo definitores, ex non Ulyssiponensibus vero custos et alii duo definitores eligantur; in capitulo vero sequenti res e contra se habeat.

Item reliquorum officiorum, necnon de suffragiis.

Quod si ad electionem vicarii provincialis, deficiente ministro ante completum triennium, oporteat deveniri, digniore patre provinciae praesidente, in absentiâ superioris generalis, ex eâdem provincialis parte vicarius eligatur. Quod etiam in electionibus tum commissarii provincialis, tam etiam proministri (impedito provinciali) capituli generalis causâ observandum erit, quantum scilicet ad hoc quod electi ex eâdem parte assumantur. Et sic pariter observandum erit in guardianorum electionibus, ut aequalis numerus ex unaquâque parte assumatur. Attamen, ut aequalis conventuum distributio fiat, hic ordo servandus erit, quod ex illâ parte ubi provincialis fuerit, eligantur guardiani vel praesidentes cum voto pro conventibus de Corthaneyra, Casanova, Penella, Soveral, Tancos, Canthanhede, Sernachi; ex illâ vero ubi custos fuerit, eligantur similiter guardiani vel praesidentes cum voto pro conventibus Ulyssiponis occidentalis, collegii Conimbricensis, Cornota, Meruana, Penheyro, Certeam, Convalescenza et Pombal. At ne suffragia in capitulis provincialibus a parte custodis partem alteram excedere valeant, tum dumtaxat, et non aliàs, secretarius provinciae, et ex parte provincialis per electionem fiat sicuti guardiani, et votum habeat in comitiis provincialibus, quoadusque conventus dispares fuerint; ita enim novi conventus vel hospitia sicuti guardiani et praesidentes cum voto distribui debent, ut pro unâquaque parte suffragia sint aequalia; quod si aequales existant in suffragiis huiusmodi, nec votum secretarius provinciae habeat, nec per suffragia, sed ad provincialis libitum assumatur.

Ad praesidentes quoque sine voto, vicarios, novitiorum magistros, ostiarios, et alia huiusmodi officia, cum aequalitate, quantum fieri possit, religiosi ex unâquaque parte assumantur, et qui in uno triennio fuerint ex unâ parte, pro eisdem officiis in alio sequenti ex alterâ eligantur.

Idem pariter observandum erit pro studiis tum philosophiae tum theologiae scholasticae tumque moralis, ut studentes, lectores, et qui *passantes* vulgo dicuntur, hinc inde in aequali numero eligantur, hac ta-

1 Deest vox *una* vel *prima* (R. T.).
2 Videtur legendum *sumat* (R. T.).

men exceptione, quod, si ex unâ parte sufficientes non sint qui legere possint, et hoc a pleno definitorio approbetur, assumantur ex aliis qui idonei reperiuntur. Et haec de electionibus.

De subrogationibus ante completum triennium.

III. In subrogationibus ita res se habeat, quod, deficiente ante completum triennium, vel promoto aliquo ex officialibus, tum definitori [1] tum etiam alio quocumque, alter ex eâdem parte eius loco substituatur. Pro definitorio vero hic specialis ordo servandus erit, quod in subrogatione unius aut alterius ex definitorio, primo patres provinciae secundum eorum ordinem, secundo excustodes, tertio exdefinitores, quarto exguardiani antiquiores substituantur; cum hoc tamen quod, si multi guardiani aequales sint a die professionis, unus alterum in subrogatione praecedat; si vero antiquior exguardianus sit guardianus actualiter, alter guardianus eiusdem partis suo loco eligatur, et ipse in definitorio subrogetur, in quo, si triennium compleverit, gaudeat ac si custos vel definitor in capitulo electus fuisset; si tamen non compleverit, remaneat ac si nullatenus subrogasset. Et quia in regionibus ultra mare pro conventu de Gran Parà ex hac provinciâ guardianus et commissarius provincialis eligi solent, ita electio imposterum fieri debeat, ut guardianus eligendus semper ex parte provincialis sit, commissarius vero ex parte custodis. Et si hic, postquam suo officio functus fuerit, ad provinciam primodictam revertatur, locum immediatum post exdefinitores in subrogationibus obtineat. Si vero commissarius missionum pro eodem Gran Parà ex hac provinciâ fieri contigerit, per triennium tantum perduret, et modo ex unâ parte, modo ex aliâ eligatur, itaut in omnibus et per omnia aequalis officiorum distributio conservetur.

Poenae in contravenientes.

IV. Et, si religiosus aliquis de praesenti vel in futurum impugnaverit et contradixerit vel retardare praesumpserit executionem alternativae huiusmodi aut alicuius ex conditionibus in ipsâ praeinsertis, ipso facto privatus actibus legitimis in perpetuo existat:

1 Videtur legendum *definitore* (R. T.).

Emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur:

Decretum S. Congregationis refertur.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, auditis patre procuratore Curiae et aliis superioribus generalibus Ordinis, referente eminentissimo Priolo, censuit, praefatam alternativam in omnibus iuxta petita esse concedendam, prout praesentis decreti vigore benigne concessit. Romae XXIII maii MDCCXXI.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte eorumdem Emmanuelis et fratrum nobis subinde expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum preinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate supradictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, etc. [1].

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etc. [2].

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).
2 Reliqua ut ibid. (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI iunii MDCCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 iunii 1721, pontif. anno I.

VIII.

Conceduntur privilegia capellanis Sanctitatis Suae[1].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium in quo capellanorum nomina recensentur.

Grata familiaritatis obsequia, quae dilecti filii Dominicus Miliani nullius dioecesis provinciae Romanae, Petrus Paulus Quintii Reatinae, Petrus Galeazzi Montis Falisci respective dioecesis, et Iosephus Anconitanae, canonicus supranumerarius ecclesiae Anconitanae, presbyteri, moderni capellae nostrae pontificiae capellani, familiares nostri, nobis et Apostolicae Sedi hactenus impenderunt et adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus eorum personas tam familiari experientiâ quam etiam fide dignorum testimoniis iuvari percepimus, nos inducunt ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Concessio privilegiorum.

§ 1. Hinc est quod nos, volentes illos specialibus favoribus et gratiis prosequi, eosque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad supradictorum Dominici, Petri Pauli, Petri et Iosephi, vel alicuius ipsorum, aut aliorum pro eis, nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ nostrâ deliberatione ac certâ scientiâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, Dominicum, Petrum Paulum, Petrum et Iosephum praedictos et illorum singulos, in nostros et Sedis Apostolicae notarios recipimus, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iunii MDCCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 17 iunii 1721, pontif. anno I.

IX.

Statuitur ut fratres laici de Observantiâ Reformatorum ac Tertii Ordinis in regno Siciliae praestent iuramentum cedendi praecedentiam clericis[2].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Ab Urbano VIII vetitum fuit sub excommunicationis poenâ ne laici praecederent clericos Minores de Observantia.

§ 1. Dudum felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster per quasdam suas desuper in simili formâ Brevis die XVI novembris MDCXLII motu proprio expeditas litteras, ne de cetero ulli fratres laici seu conversi Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, quovis sub praetextu, quaesito colore vel ingenio, etiam ratione antiquioris suae ad habitum regularem dicti Ordinis receptionis aut in eo emissae professionis,

1 Eadem privilegia concessa fuere a Clemente XI constit. edit. MDCCXII, die 7 decembris, pontif. XIII.

1 Reliqua omnia ut in const. Clementis X datâ die VI octobris MDCLXX, quam vide in tom. XVIII, pag. 115 *b* et seq. (R. T.).

2 De hac praecedentiâ extat Urbani VIII constit. edit MDCXLII, die 16 novembris. In Clementis XI constit. edit. MDCCXIV, die 6 octobris, pontif. IV, confirmatum fuit quoddam decretum de primatu in provinciâ Baeticâ; et Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVIII, die 16 decembris, pontif. V, praecipitur executio constitutionis Urbani VIII.

seu cuiusvis consuetudinis, fratres clericos eiusdem Ordinis in quibusvis functionibus tam[1] publicis quam privatis praecedere, et ne quicumque superiores Ordinis praedicti id deinceps quoquo modo permittere auderent seu praesumerent, sub excommunicationis poenâ ipso facto per contrafacientes incurrendâ, sub certis modo et formâ tunc expressis, apostolicâ auctoritate statuit, ordinavit et prohibuit, et aliàs, prout in praedictis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut dilecti filii fratres Ordinis Minorum de Observantiâ et Reformatorum necnon Tertii Ordinis eiusdem sancti Francisci regni Siciliae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi praedictarum litterarum eiusdem Urbani praedecessoris observantiam superioribus generalibus Ordinum huiusmodi per nos praecipi summopere desiderent, quemadmodum ab aliis omnibus regularibus et ipsis Ordinibus extra dictum regnum servari asseritur: nobis propterea dicti exponentes, quo graves perturbationes, lites ac controversiae hac in re exortae de medio tollantur, humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Petitur confirmatio illius constitutionis.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium[1], qui relationes dilectorum etiam filiorum commissarii generalis Curiae tam de Observantiâ quam procuratoris generalis Reformatorum et Tertii Ordinis huiusmodi viderunt, consilio, ut superiores regulares Ordinis praedicti imposterum laicos seu conversos quoscumque ad professionem admittere nequeant, nisi antea coram testibus emittant votum vel iuramentum cedendi clericis praecedentiam (iniunctâ superioribus contrafacientibus privationis officii et vocis activae et passivae poenâ ipso facto incurrendâ, laicis vero seu conversis sine praedicto voto seu iuramento profitentibus nullitatis professionis), et interim superiores eiusmodi laicos seu conversos ad observantiam praedictarum litterarum Urbani praedecessoris hac de re emanatarum, ut praefertur, cogant, dictâ auctoritate, tenore praesentium, itidem[2] statuimus, decernimus et ordinamus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Statutum de observantia dictae constitutionis, et de iuramento praestando a laicis, sub certis poenis.

§ 3. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras firmas, etc.[3]. Clausulae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictorum Ordinum, etiam iuramento, etc.[4]. Contrariorum derogatio.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[5]. Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iulii MDCCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 iulii 1721, pontif. anno I.

1 Verbum *tam* nos addimus (R. T.).

1 Deest vox *praepositorum* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *ibidem* pro *itidem* (R. T.).
3 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).
4 Reliqua ut ibid. (R. T.).
5 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

X.

Confirmantur constitutiones Urbani VIII et Alexandri VII super exemptione hospitalium fratrum Ordinis S. Ioannis Dei ab Ordinariorum iurisdictione pro Congregatione Hispaniae[1].

Innocentius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis caelitus pastoralis officii sollicitudo nos admonet, ut ea, quae ad sacrarum religionum et congregationum uberes bonorum operum fructus in Ecclesiâ Dei ad illius laudem et gloriam pauperumque solamen et subsidium proferre iugiter satagentium favorem ex huius Sanctae Sedis providentiâ emanata noscuntur, quo firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis praesidio roboremus.

A Paulo V exempta fuit dicta Congregatio ab Ordinariorum iurisdictione.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres Congregationis Hispaniae Ordinis S. Ioannis Dei, quod dudum felicis recordationis Paulus PP. V praedecessor noster, inter alia, dictam Congregationem, omnesque et singulas eius domos, superiores, etiam maiorem, et fratres ac personas et ministrantes tam in Italiâ quam in Hispaniis aliisque mundi partibus consistentes, ac tam eatenus fundatas, quam de cetero fundandas, in his dumtaxat quae regularia instituta iuxta eius constitutiones a Sede Apostolicâ approbatas et confirmatas concernebant, a superioritate, visitatione, correctione et etiam obedientiâ Ordinariorum locorum (itaut religiosi dictae Congregationis regularibus institutis suis sese conformare deberent, salvis in reliquis tam sacrorum canonum et Concilii Tridentini decretis, quam Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum tunc suorum litteris in favorem Ordinariorum emanatis, quibus nullatenus derogare, quinimo eas in suo robore et firmitate permanere intendebat) penitus et omnino perpetuo exemit, absolvit et liberavit, ac eos in praemissis dumtaxat ab omnimodâ Ordinariorum locorum iurisdictione perpetuo exemptos fore et esse declaravit; ipsisque Ordinariis et eorum cuilibet, etiamsi cardinalatus honore praefulgerent, ne deinceps in illis, quae observantiam, disciplinam et instituta regularia Congregationis huiusmodi ut praefertur concernebant, praeterquam in casibus in sacris canonibus et Concilio Tridentino ac litteris apostolicis praedictis quomodolibet contentis, se imiscere et intromittere valerent seu praesumerent, districte praecepit et inhibuit; et aliàs, prout in ipsius Pauli praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XVI martii MDCXIX expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto[1] haberi volumus, uberius continetur.

Quid deinde statuerit Urbanus VIII.

Et subinde recolendae memoriae Urbanus PP. VIII etiam praedecessor noster per alias suas itidem in simili formâ Brevis expeditas litteras, ut, quoad dictae Congregationis conventus et hospitalia in quibus essent duodecim religiosi, episcopi nullatenus se ingererent, declaravit et decrevit, prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper

1 Hac de re vide hic citatas constitutiones Pauli V ed. MDCXIX, die 16 martii, Urbani VIII ed. MDCXXXVIII, die 9 iulii, pontif. XV, Alexandri VII edit. MDCLVIII, die 6 novembris, pontif. IV, et MDCLIX, die 5 novembris, pontif. V. Ab Innocentio XI, constit. edit. MDCXCIII, die 20 maii, pontif. II, concessa fuit exemptio a processionibus; et a Benedicto XIII, const. ed. MDCCXXIV, die 13 septembris, pontif. I, confirmantur privilegia concessa ab Urbano VIII, et nova conceduntur.

1 Edit. Main. legit *expressis . . . insertis* pro *expresso . . . inserto* (R. T.).

confectis, quarum tenor est qui sequitur, videlicet:

Urbani VIII constitutio, qua conventus, ubi non sunt duodecim religiosi, Ordinariorum iurisdictioni in nonnullis dumtaxat subiciuntur.

Urbanus PP. VIII, ad perpetuam rei memoriam. Cum, sicut aliàs dilectus filius Angelicus Rampuela Congregationis B. Ioannis Dei procurator generalis nobis nuper exponi fecit, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX iulii MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Ac postmodum similis memoriae Alexander Papa VII itidem praedecessor noster, ex eo quod sibi tunc existentes fratres Congregationis huiusmodi se eiusdem Urbani praedecessoris litterarum tenore indigere significari fecerant, ipse Alexander praedecessor easdem Urbani praedecessoris litteris in formâ provisionis nuncupatis toto illarum tenore inserto de verbo ad verbum transcribi mandavit, prout in eiusdem Alexandri praedecessoris litteris, in hunc qui sequitur modum.

Alexandri VII constitutio, in qua refertur relata Urbani constitutio, eique omnem fidem praestandam esse, mandatur.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam. Provisionis nostrae debet provenire subsidio ut iustum unicuique conservetur. Proinde nos tenorem[2] quarumdam litterarum in formâ Brevis felicis recordationis Urbani PP. VIII in favorem fratrum Congregationis S. Ioannis Dei emanatarum et in secretariâ nostrâ tunc ipsius Urbani praedecessoris repertarum de verbo ad verbum transcribi et praesentibus adnotari fecimus, ex eo quod fratres Congregationis huiusmodi se tenore praedicto[3] indigere nobis nuper significari fecerunt, qui quidem tenor talis est, videlicet: *Urbanus Papa VIII ad perpetuam rei memoriam.* Cum sicut aliàs dilectus filius Angelicus Rampullus, etc.[4].

1 Reliqua vide tom. XIV, pag. 660 (R. T.).
2 Edit. Main. legit *tenore* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *praedicti* (R. T.)
4 Idem tenor est ac ante relatus pag. ant. (R.T).

Ceterum ut tenor huiusmodi sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, volumus ut illud idem robur eamdemque vim et eumdem vigorem in iudicio vel alibi, ubicumque fuerit ostensus, in omnibus et per omnia habeat, quem haberent originales litterae praedictae, ac illis pariter stetur, sicut eisdem litteris staretur si forent exhibitae et ostensae. Per praesentes autem nullum ius cuiquam de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari.

Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die IX novembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

G. GUALTERIUS.

Ac successive idem Alexander praedecessor per alias pariter suas in eâdem formâ Brevis expeditas litteras confirmavit decretum per Congregationem tunc existentium S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum editum, per quod eadem cardinalium Congregatio, propositis in eâ nonnullis dubiis, censuerat earumdem Urbani praedecessoris litterarum dispositionem in omnibus observandam esse: prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris dicti decreti confirmatoriis tenoris sequentis, videlicet:

Alexandri VII altera constitutio in qua refertur decretum Congregationis Concilii de servandâ constitutione Urbani VIII, illudque confirmatur.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Paulus Paganus Congregationis fratrum beati Ioannis Dei procurator generalis, quod, licet dudum, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die V novembris MDCLIX, pontificatus nostri anno V. — S. UGOLINUS.

Confirmatio constitutionum Urbani VIII et Alexandri VII

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissa a memoratis Urbano et Alexandro praedecessoribus tametsi provido prudentique

1 Vide tom. XVI pag. 511 *b* et seq. (R. T.).

fuerint constituta consilio, nihilominus nonnulli Hispaniarum archiepiscopi et episcopi, non attentis praemissis aliisque Romanae Curiae resolutionibus, decretis et decisionibus, domos et hospitalia Congregationis S. Ioannis Dei huiusmodi, abusum, intrusionem et possessionem illa visitandi allegantes, visitare praesumant: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut litteras praeinsertas pro firmiori eorum subsistentiâ nostri muniminis praesidio fulcire de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos, ipsis exponentibus specialem gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui votum bonae memoriae Ioannis Dominici eiusdem S. R. E. cardinalis Paracciani nuncupati, dum vixit, dicti Ordinis apud Sedem Apostolicam protectoris viderunt, ac relationem dicti filii moderni procuratoris generalis eiusdem Ordinis eisdem cardinalibus factam audiverunt, consilio, praeinsertas Urbani et Alexandri praedecessorum litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum cardinalium.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc.[1] Clausulae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae dicti Urbanus et Alexander praedecessores in suis respective litteris voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

§ 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, etc.[2] Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII iulii MDCCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 8 iulii 1721, pontif. anno I.

XI.

Confirmantur constitutiones Gregorii XV Urbani VIII, Clementis IX et X, ac Innocentii XI, quibus concessa et confirmata fuere hospitali B. M. Theutonicorum privilegia hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani[3].

Innocentius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Inscrutabili divinae sapientiae atque elementiae arcano in apostolicae dignitatis fastigio constituti, illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in favorem Ordinum militarium ad christiani nominis tutelam pie salubriterque institutorum fideli dispensatione prudentique liberalitate emanarunt, ut firma semper atque stabilia persistant, apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus. Exordium.

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).

2 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

3 Huiusmodi constitutiones infra citantur. In huius Pontificis const. ed. MDCCXXI, die 10 novembris, pontif. I, confirmatur constitutio Pii V de quibusdam aliis privilegiis.

A Gregorio XV concessa fuerunt praedicta privilegia et ab aliis relatis Pontificibus confirmata.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XV praedecessor noster omnia et singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates et gratias, tam per se Sedemque Apostolicam, quam per recolendae memoriae Leonem X, Clementem VII, Paulum III, Pium IV, Pium V, Gregorium XIII, Sixtum V, Gregorium XIV, Clementem VIII et Paulum V Romanos Pontifices similiter praedecessores nostros, dilectis filiis magno magistro et conventui hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, illiusque prioribus, baiulivis, praeceptoribus, commendatariis, fratribus militibus, subditis, vassallis, colonis et presbyteris curam animarum exercentibus concessa et respective confirmata, hospitali domus B. Mariae Theutonicorum eiusque magistro, prioribus, baiulivis, praeceptoribus, commendatariis, fratribus, militibus, subditis, vassallis, colonis ac presbyteris curam animarum exercenbus concessit, decernens hospitale B. Mariae Theutonicorum illiusque magistrum, priores, baiulivos, praeceptores, commendatarios, fratres, milites, subditos, vassallos, colonos et presbyteros nullis aliis privilegiis, gratiis et indultis, quatenus in huiusmodi concessione non comprehenderentur, quovis praetextu et ex quacumque causâ uti, frui et gaudere posse nec debere, quinimo illa omnia cessare, ac irrita et nulla, nulliusque roboris et momenti esse et fore, prout in dictis Gregorii praedecessoris in formâ Brevis desuper sub die XXIII decembris MDCXXII expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur. Et subinde piae memoriae Urbanus VIII, Clemens IX, Clemens X et Innocentius XI Romani Pontifices etiam praedecessores nostri per suas pariter in formâ Brevis die XIX ianuarii MDCXXIV, et die XIX iunii MDCLXVIII, ac die XXX augusti MDCLXX, necnon die VIII ianuarii MDCLXXVII respective expeditas litteras, quarum tenores praesentibus itidem haberi volumus pro expressis, iam dictas Gregorii praedecessoris litteras sub certis modo et formâ tunc expressis confirmarunt et approbarunt.

Confirmatio recensitarum constitutionum.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius noster Damianus Hugo S. R. E. cardinalis de Schonborn nuncupatus, ecclesiae Spirensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesul, pro parte dilectorum filiorum magni magistri et fratrum militum dicti hospitalis B. Mariae Theutonicorum, cuius dictus Damianus Hugo cardinalis et praesul ex simili concessione et dispensatione magnus praeceptor seu commendatarius existit, nobis nuper exposuit, praefatae quidem Gregorii XV ac Urbani VIII, Clementis IX et Clementis X ac Innocentii XI praedecessorum litterae in viridi sint observantiâ; quia tamen firmiora sunt ea quae frequentiori Sedis Apostolicae praesidio roborantur, iidem magnus magister et fratres milites litteras huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsorum magni magistri et fratrum militum votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praedictas

Gregorii XV ac Urbani VIII, Clementis IX, Clementis X et Innocentii XI praedecessorum litteras, omniaque et singula in eis contenta, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae particulares.

§ 3. Decernentes, praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod locorum Ordinarii ad hoc vocati non fuerint, notari, impugnari vel invalidari ullatenus posse, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus et derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse, sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio executorum.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus Moguntinensi et Salisburgensi archiepiscopis ac dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte eorumdem magistri et militum ac fratrum dicti hospitalis beatae Mariae Theutonicorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eos praesentium litterarum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes eos per Ordinarios praefatos aut quoscumque alios contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, interdictumque ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus omnibus et singulis, quae dicti Gregorius et Urbanus, Clemens IX et Innocentius XI praedecessores in suis litteris praedictis respective voluerunt non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi et excommunicari non possint[1] nisi per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Eorumdem autem praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, volumus, quod (Pii V, XXII septembris anno VI, et Gregorii XIII, sub annulo Piscatoris, XXV novembris anno IX, necnon Gregorii XV, praedecessorum praedictorum, sub datum IX februarii, anno II pontificatuum suorum, expeditis litteris in suo robore et efficaciâ permanentibus) praesentes litterae non comprehendant neque ecclesias neque personas in his quae ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Concilii Tridentini ac in praedictâ Gregorii XV constitutione contenta omnino servari debeant; ac quod

1 Edit. Main. legit *non posse* (R. T.).

praesentium litterarum transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, in iudicio et extra illud, ubique locorum, plena et indubitata eademque prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii MDCCXXI, pontificatus nostri, anno I.

Dat. die 24 iulii 1721, pontif. anno I.

XII.

Conceduntur exprovincialium privilegia fratribus de Observantiâ Reformatis poenitentiariis minoribus S. Ioannis in Laterano de Urbe[1].

Innocentius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex omnium christifidelium curae suae divinitus commissorum, et praesertim illorum, qui in Ecclesiâ Dei strenue laborant, merita aequâ lance librans, congrua singulis laborum praemia constituere studet, sicut iustitiae et aequitati consentaneum esse in Domino arbitratur.

Preces cardinalis maioris poenitentiarii et causa praesentis concessionis.

§ 1. Cum itaque, sicut venerabilis frater noster Fabritius episcopus Albanensis S. R. E. cardinalis Paulutius nuncupatus, qui aliàs maioris poenitentiarii officium obivit, necnon dilectus filius noster Bernardus Maria eiusdem S. R. E. cardinalis de Comitibus etiam nuncupatus, noster secundum carnem germanus frater, in eodem officio successor, nobis nuper exposuerunt, aequum non videatur, ut fratres Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, per nos et dictum Bernardum Mariam cardinalem, nunc et pro tempore existentem maiorem poenitentiarium, ex diversis praedicti Ordinis provinciis, linguis et nationibus, ad munus minorum poenitentiariorum in ecclesiâ S. Ioannis in Laterano de Urbe pro suo quisque idiomate exercendum assumpti, qui assiduam laudabilemque ibidem pro animarum salute operam exhibent, maioremque vitae partem in eorum officiis traducunt, quoscumque gradus et dignitates in eiusmodi provinciis consequendi spe frustrati remaneant; cupiantque propterea iidem Fabritius episcopus et Bernardus Maria cardinales fratribus minoribus poenitentiariis praedictis opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri: nos, eorumdem Fabritii episcopi et Bernardi Mariae cardinalium maioris poenitentiarii, qui votum dilectorum filiorum officialium signaturae officii Poenitentiariae apostolicae super praemissis audiverunt, desiderio et precibus nobis super hoc humiliter porrectis favorabilem assensum praebere cupientes, ac etiam motu proprio ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut de cetero fratres poenitentiarii minores, ex diversis provinciis, linguis et nationibus, sicut praefertur, assumpti, et pro tempore assumendi, qui laudabilem vitam in eorum collegio vixerint, et servitium ac ministerium huiusmodi in praedictâ ecclesiâ S. Ioannis in Laterano Sedi Apostolicae iuxta ordinationes et statuta collegii dictorum poenitentiariorum per cardinales maiores poenitentiarios praedecessores edita, vel pro tempore existentem cardinalem maiorem poenitentiarium edendą, decennii spatio praestiterint (de quorum tamen adimplemento et requisitis idem pro tempore existens

1 Eadem privilegia concessa fuere missionariis in Ætiopiâ a Clemente XI constit. edit. MDCCIV, die 2 decembris, pontif. V.

cardinalis maior poenitentiarius pro eius arbitrio et conscientiâ superioribus ipsius Ordinis testimonium exhibeat), reversi deinde ad proprias provincias de licentiâ eiusdem cardinalis maioris poenitentiarii, omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, praeeminentiis et praecedentiis, quibus fratres Ordinis praedicti, qui ministri provinciales fuerunt, tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si provincialatus munere perfuncti fuissent, ita tamen ut inter ipsos minores poenitentiarios apostolicos et exprovinciales servetur aequalitas, et quoad ordinem praecedentiae sola prioritas sive antianitas paternitatis attendatur, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 2. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedictorum Ordinis et provinciarum, etiam iuramento, etc. [1].

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[2]

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).
2 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 1 septembris MDCCXXI, pontificatus nostri anno 1.

Dat. die 1 septembris 1721, pontif. anno 1.

XIII.

Conceditur custodi et guardiano S. Sepulchri facultas conferendi sacramentum Confirmationis [1].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Causae praesentis concessionis. § 1. Cum ad infrascriptam cardinalium Congregationem delatum fuerit dubium: an custos et guardianus S. Sepulchri domini nostri Iesu Christi ex speciali huius Sanctae Sedis delegatione et vigore nonnullorum privilegiorum per dilectos filios superiores Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum exhibitorum necessarias facultates habeat conferendi sacramentum Confirmationis: nos, pro commissâ nobis caelitus pastoralis officii curâ omnes difficultates ac in posterum dubitandi hac in re occasionem tollere cupientes, ac dilectum filium Ioannem Philippum a Mediolano fratrem expresse professum dicti Ordinis, ac custodem et guardianum dicti S. Sepulchri specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomo-

Concessio, ut in rubrica.

1 Innocentii XI constit. edit. MDCLXXVIII, die 25 maii, pontif. II, designatus fuit conventus ubi Neapoli morari debeat commissarius Terrae Sanctae; et Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVII, die 3 martii, pontif. III, confirmantur privilegia et indulgentiae concessa fratribus Terrae Sanctae.

dolibet innotatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, auditis votis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium in totâ republicâ christianâ adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum auctoritate apostolicâ specialiter deputatorum, eidem Ioanni Philippo custodi et guardiano eiusdem S. Sepulchri, durante eius officio, et pro locis Terraesanctae tantum ubi non erunt episcopi ritus latini in propriâ dioecesi residentes, potestatem et facultatem conferendi sacramentum Confirmationis huiusmodi oleo et chrismate etiam antiquis, si nova haberi non possint, per catholicum antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente benedictis, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et delegamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Contrariorum derogatio.

§ 2. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et in universalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII septembris MDCCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 septembris 1721, pontif. anno I.

XIV.

Confirmatur constitutio Pii V de exemptione ab oneribus ad instar militum Hierosolymitanorum pro militibus Theutonicis [1].

1 Constit. edit. MDCCXXI, die 24 iulii, pontificatus XXI, confirmata fuerunt quamplurima alia privilegia.

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, inter ceteras apostolicae servitutis curas, in eam peculiari studio invigilamus, ut ea, quae a Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, in favorem militarium Ordinum ad sanctae fidei catholicae defensionem et propagationem pie salubriterque institutorum provide emanasse noscuntur, quo solidius perennent, apostolici muniminis praesidio, cum id a nobis petitur, libenter corroboramus, aliàsque disponimus[1], prout conspicimus in Domino rationi esse consentaneum. Exordium.

§ 1. Dudum siquidem a sanctae memoriae Pio Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet:

Pii V constitutio qua milites Theutonici eximuntur ab oneribus, quibus non sunt subiecti milites Hierosolymitani.

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam. Promeretur fides et devotio dilectorum filiorum magistri et fratrum militum militiae B. Mariae Theutonicorum, ut eos specialibus favoribus et gratiis, quantum cum Domino possumus, libenter prosequamur. Hinc est quod nos, precibus magistri et militum militiae huiusmodi nobis per dilectum filium nobilem virum comitem Prosperum ab Arcu, eiusdem militiae commendatorem et serenissimi Maximiliani electi imperatoris apud nos et Sedem Apostolicam oratorem, humiliter porrectis inclinati, magistro et militibus Theutonicis praedictis, ut ipsi posthac eadem privilegia, indulta, immunitates et exemptiones, quas et quae dilecti filii magister et fratres milites militiae seu Ordinis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, in

1 Ad syntaxim complendam oporteret legere *corroboremus ... disponamus;* vel quaedam alia verba exciderunt, quae praecedenti particulae *ut* complementum reddebant (R. T.).

quibuscumque impositionibus decimarum, subsidiorum, seu aliorum quorumcumque onerum, per nos et Sedem Apostolicam quomodolibet ex quibusvis etiam urgentissimis causis pro tempore impositorum, quoquo modo habent, et eis utuntur[1], potiuntur, fruuntur et gaudent, seu habere, uti, potiri et gaudere[2] possint et debeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus pariter et indulgemus; mandantes quibusvis impositionum huiusmodi exactoribus et collectoribus, ne eosdem magistrum et milites Theutonicos super solutione decimarum, subsidiorum et aliorum quorumcumque onerum praedictorum contra tenorem praesentium molestare aut perturbare audeant vel praesumant, sed nostras hasce litteras eis inviolabiliter observent, et ab omnibus firmiter observari curent et faciant. Nos enim irritum decernimus et inane quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis quomodolibet in contrarium forsan concessis et confirmatis, seu imposterum concedendis et confirmandis; quibus omnibus, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII martii MDLXVIII, pontificatus nostri anno III.

Confirmatio relatae constitutionis.

§ 2 Cum autem, sicut dilectus filius noster Damianus Hugo S. R. E. presbyter cardinalis de Schonborn nuncupatus, frater miles ac magnus praeceptor seu commendatarius hospitalis primodictae militiae, nobis nuper exposuit, ipse praeinsertas Pii praedecessoris litteras, quo serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae praesidio communiri, ac aliàs opportune ut infra a nobis indulgeri summopere desideret: nos, ipsius Damiani Hugonis cardinalis et magni praeceptoris seu commendatarii votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eius supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Congregationis nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalium et Romanae Curiae praelatorum a nobis specialiter deputatae consilio, praeinsertas Pii praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus ac innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, hac tamen adiectâ declaratione, ut, sicuti in impositionibus, si non sunt expresse nominati, fratres milites dicti hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, non censentur comprehensi, ita etiam fratres milites Theutonici nunquam censeantur comprehensi nisi sint specialiter nominati.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes et praeinsertas litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia ple-

1 Edit. Main. legit *utantur;* aptius vero lege *et quibus utuntur* (R. T.).

2 Videntur excidisse, adeoque supplenda esse haec verba: *possunt, habeant, et eis utantur, potiantur et gaudeant, seu habere, uti, potiri et gaudere* (R. T.).

nissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, etc.[1]

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus et singulis illis quae in litteris praeinsertis concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x novembris MDCCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 novembris 1721, pontif. anno I.

XV.

Confirmatur decretum definitorii generalis eremitarum S. Augustini de reductione magistrorum provinciae Castellae[3].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Causae et modus redigendi magisteria ad triginta quatuor.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Castellae Ordinis eremitarum S. Augustini, quod (cum in dictâ provinciâ numerus quadraginta magistrorum in sacrâ theologiâ, qui, cum a priore generali Ordinis huiusmodi ex gratiâ et absque designato numero provideantur, reperiatur, ad maiorem quantitatem etiam multiplicari possunt; per dictum vero numerum dictae provinciae maximum gravamen et praeiudicium inferatur) definitorio generali in ultimis generalibus comitiis celebratis pro eius reductione usque ad triginta magisteria in eâdem sacrâ theologiâ et quatuor de pulpito, itaut eiusmodi numerus imposterum excedi et alterari minime possit, supplicavit; quandoquidem provincia ipsa tantas vires sufficientes non habet pro subministrandis vestiariis magistris praedictis ultra dictum numerum triginta quatuor, et rursus quia in celebratione capitulorum provincialium maior erit numerus eorumdem magistrorum quam priorum votum habentium, cum omnes conventus non sint quam numero triginta novem, taliter quod in provincialibus comitiis factio eorumdem magistrorum, prioribus minime consideratis, praevalebit. Bene tamen verum est, quod, cum omnes magistri ascendant, ut praefertur, ad quadraginta, insuper in eâdem supplicatione petitum fuit quod, idem prior generalis alium instituere nequeat usquedum numerus ad triginta quatuor magisteria redactus non fuerit (exceptis tamen quatuor de pulpito tantummodo, quae praedicta provincia pro unicâ vice modo institui posse instabat, ne, donec petitus numerus reducatur, verbi Dei praedicatores, qui necessariis requisitis praediti sunt, debitâ remuneratione ob impensum laborem frustrentur); reductione vero secutâ, alius non admittatur, nisi in casum obitus seu vacationis, et iuxta modum et formam a constitutionibus Ordinis praedicti apostolicâ auctoritate confirmatis praescriptum; cum eâ ponderatione quod eatenus necessaria quoque est institutio circa dicta quatuor magisteria de pulpito, quia, cum plurimi experiantur nullum posse assequi optatum praemium, libenter verbi Dei praedicationi non incumbunt; adeoque, ut omni conatu ad eiusmodi pium exercitium accendantur, spe praemii allici debent etiam cum assecutione magisterii; ad quod tamen promoveri nequeant,

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).

2 Ut pag. 704 *a* (R. T.).

3 Auctus fuerit numerus magistrorum in provinciâ Peruvianâ a Clemente XI const. editâ MDCCXX, die 20 octobris, pontif. XX; et ab hoc Pontifice augetur in provinciâ Chilensi, const. ed. MDCCXXIII, die 7 augusti, pontif. III.

nisi prius per sexdecim annorum cursum, quorum duodecim in principalioribus eiusdem provinciae conventibus, verbum Dei praedicaverint, praevio examine coram examinatoribus in conventu S. Filippi Ordinis praedicti oppidi Matriti Toletanensis dioecesis, iuxta ordinatum in eisdem constitutionibus pro lectoribus subeundo. Definitorium autem generale, his rationibus auditis, edidit decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum definitorii generalis de dictâ reductione a patribus provinciae petita.

Decretum capituli generalis, ut sequitur: Ego infrascriptus secretarius Ordinis fratrum eremitarum sancti patris Augustini fidem facio qualiter in definitorio capituli generalis nuper celebrati exhibitus fuit libellus supplex nomine provinciae Castellae, quo petebatur, numerus magistrorum praefatae provinciae redigeretur ad triginta in sacrâ theologiâ et quatuor de pulpito, itaut huiusmodi numerus in posterum excedere et alterari minime possit. Cumque in praesenti omnes magistri ascendant ad quadraginta, petebatur, quod pater reverendissimus generalis non possit alium instituere usquedum numerus non fuerit redactus ad triginta quatuor magisteria, exceptis tamen lectoribus Salmaticensibus, et exceptis quatuor de pulpito, quae provincia oratrix petit pro unicâ vice modo institui posse, ne praedicatores, qui sua habent requisita, suâ defraudentur remuneratione. Cui supplici libello definitorii generalis patres albos calculos adiecerunt, et in praescriptum numerum triginta quatuor magistrorum cum praefatis conditionibus consenserunt. In quorum fidem, etc. Datum in conventu sancti patris Augustini de Urbe, die XXVI iunii MDCCXXI. — Magister frater HIERONYMUS AUGUSTINUS ZAZZERI, Aretinus, Ordinis secretarius. *Loco † sigilli.*

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipsi exponentes decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium[1], qui relationem[2] dilecti filii moderni procuratoris generalis eiusdem Ordinis super praemissis eisdem cardinalibus factam viderunt, consilio, decretum praeinsertum capituli seu definitorii generalis reductionis numeri magistrorum dictae provinciae ad triginta quatuor, intra quem numerum prima quatuor loca vacatura concionatoribus requisita necessaria habentibus assignentur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas, etc.[3].

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis et provinciae ac conventuum praedictorum, etiam, etc.[4].

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Deest vox *praepositorum* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *relationes* (R. T.).
3 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).
4 Ut ibid. (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die XVIII novembris MDCCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 novembris 1721, pontif. anno I.

XVI.

Confirmatur constitutio Urbani VIII pro necessitatibus locorum Terraesanctae[1].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Salvatoris et Domini nostri, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII novembris MDCCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 novembris 1721, pontif. anno I.

XVII.

Confirmatur assignatio loci a Clemente XI facta in Rotâ Maceratensi uni ex civibus civitatis Urbini[3].

Innocentius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Aequum arbitramur et congruum, ut ea, quae de Romani Ponticis gratiâ processerunt, licet eius superveniente obitu litterae desuper confectae minime fuerint, suum debitum sortiantur effectum.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Clemens Papa XI praedecessor noster, quantâ olim studiorum et liberalium artium laude et quibus insignium virorum ingeniis et gloriâ civitas nostra, tunc sua, Urbinatensis patria eius dilectissima floruit, summâ cum animi sui iucunditate recolens, eâ recordatione ac sincerae fidei et devotionis affectu, quem dilecti filii communitas et homines dictae civitatis erga eumdem Clementem praedecessorem et Sedem Apostolicam gerere comprobantur, merito inductus fuit, ut, quemadmodum agricola ei solo, cuius ubertatem agnoscit, culturam et semen impendit, ita idem Clemens praedecessor in eamdem civitatem apostolicae beneficentiae suae munera, quibus liberalium artium huiusmodi, ac praesertim legum, quas non solum ornamenta civitatum, sed etiam praesidia esse constat, studia foverentur et reviviscerent, quamlibentissime conferret. Accepto igitur per eumdem Clementem praedecessorem, quod dudum recolendae memoriae Sixto Papa V, pariter praedecessor noster, tunc suus, in civitate nostrâ, tunc suâ, Maceratensi, unum tribunal Audientiae causarum Rotam nuncupatum, quod constare deberet quinque iudicibus auditoribus nuncupatis, ad causarum et litium provincialium provinciae Marchiae expeditionem, perpetuo erexerit et instituerit, quatuor vero ex quinque auditoribus huiusmodi, dum illorum officia pro tempore vacare contigerit, a Romano Pontifice pro tempore existente deputandi sint, dictus Clemens praedecessor in praedictâ civitate Urbinatensi pristinum ingeniorum et animorum ad

Quomodo a Clemente XI facta fuerit dicta assignatio.

1 Alia huius const. confirmatio extat in Clementis XI const. ed. MDCCI, die 18 novembris, pontif. I; et Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVII, die 11 martii, pontif. IV, confirmantur privilegia et indulgentiae concessa personis Terraesanctae.

2 Constitutio eadem est ac illa edita in tom. XX, pag. 745, solo mutato nomine nunc petentis, *Emmanuelis Fernandez del Rio . . . lectoris iubilati ac excustodis provinciae Burgensis, necnon totius sacrae custodiae ac familiae Terraesanctae in Romana Curia commissarii et procuratoris generalis* (R. T.).

3 Huiusmodi assignatio facta fuit a Clemente XI anno MDCCV, die 18 augusti, pontif. V; et const. ed. MDCCVI, die 30 ianuarii, pontif. VI, concessus fuit locus in Rotâ Perusinâ; ab hoc Pontifice const. ed. MDCCXXI, die 9 maii, pontif. I, confirmata fuit constitutio Clementis XI super privilegiis universitatis et collegii Urbinatensis.

litterarum et praesertim legum studia vigorem et alacritatem propositis honorum praemiis excitare, simulque perpetuum aliquod patriae suae erga eam benevolentiae monumentum extare cupiens, et litterarum dicti Sixti praedecessoris super erectione dicti tribunalis emanatarum tenorem et datam etiam veriorem et alia quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, pro plene et sufficienter expressis et insertis habens, motu proprio, non ad communitatis et hominum praescriptorum, aut cuiusvis alterius sibi super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione suis, deque apostolicae potestatis plenitudine, sub datâ videlicet die XVIII augusti MDCCV, pontificatus sui anno V, deinceps unum ex officiis huiusmodi, cum omnibus et singulis illius facultatibus, auctoritatibus, honoribus, praeeminentiis, antelationibus, obventionibus et emolumentis, uni ex civibus originariis civitatis Urbinatensis, qui in illius studii generalis universitate ad doctoratus lauream in utroque iure promoti, necnon collegio etiam generali, ut vocant, doctorum ipsius civitatis adscripti fuissent, ac ceteroqui qualitatibus iuxta formam dictarum Sixti praedecessoris litterarum praediti reperirentur, a dicto collegio generali pro tempore nominandis, perpetuo concessit et assignavit; ita scilicet ut idem collegium tres cives originarios Urbinatenses, sicut praemittitur, promotos, adscriptos et qualificatos, quos non favore, gratiâ, precibus aut quavis aliâ ambitione seu corruptelâ, sed uniuscuiusque merito mature considerato magis idoneos et aptiores in Domino iudicasset[1] ad dictum auditoratus officium, quod ad quinquennium concedi consuevit, ex tunc et perpetuis futuris temporibus, de[1] quinquennio in quinquennium, recurrente seu aliâs quomodolibet et quandocumque contingente illius vacatione, nominare; unus vero ex tribus sic nominatis per eumdem Clementem praedecessorem et Romanum Pontificem pro tempore existentem ad officium huiusmodi assumi respective deberet: nec unquam idem officium, a praedicto Clemente praedecessore ut praefertur concessum et assignatum, aliis, quam civibus originariis Urbinatensibus, sicut praemittitur, nominandis[2], concedi et assignari, vel de eo in aliorum quam civium originariorum huiusmodi sic nominandorum favorem disponi ullatenus posset aut deberet: decernens, quascumque collationes, concessiones, assignationes, aut alias dispositiones de eodem auditoratus officio in aliorum quam civium originariorum praedictorum favorem, ut praefertur, quomodocumque et qualitercumque pro tempore faciendas[3], nullas, irritas et inanes nulliusque roboris vel momenti fore et esse, ac nulli prorsus suffragari, sed litteras desuper conficiendas, et in eis contenta, ac inde ceteroqui legitime secutura quaecumque, etiam ex eo quod quilibet etiam specificâ et individuâ mentione digni in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, aut auditi, neque causae, propter quas eaedem litterae emanassent, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuissent, aut aliâ etiam quantumvis legitimâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et

1 Edit. Main. legit *iudicasse* (R. T.).

1 Praeposit. *de* nos addimus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *nominandi* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *faciendis* (R. T.).

totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis suae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno ac substantiali ac incogitato et incogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari vel modificari, ad viam seu terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas litteras conficiendas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectasset, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ceterosque quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praedicti Sixti praedecessoris litteris, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, tunc sui, de unâ, et concilii generalis de duabus dictis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate earumdem litterarum in iudicium non traheretur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon civitatis Maceratensis et tribunalis praedictorum, ac quibuscumque aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem civitati et tribunali, et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, ac pluries et quantiscumque vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, litteris conficiendis huiusmodi pro plene et sufficienter expressis et insertis habens, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, eâ vice dumtaxat, specialiter et expresse derogavit, ac plenissime et amplissime derogatum esse voluit; ceterisque contrariis quibuscumque.

Confirmatio et nova concessio recensitae gratiae super qua expeditae non fuerant litterae apostolicae.

§ 2. Ne autem de concessione et assignatione perpetuâ auditoratus Rotae Maceratensis uni ex civibus originariis dictae civitatis Urbinatensis a praedicto Clemente praedecessore factâ, ac decreto, derogatione, ceterisque praedictis, pro

eo quod super illis ipsius Clementis praedecessoris litterae confectae minime fuerint, valeat quomodolibet haesitari, ac cives originarii praedicti illarum frustrentur effectu, volumus et apostolicâ auctoritate decernimus, quod concessio, assignatio, decretum, derogatio, aliaque praedicta memorati Clementis praedecessoris a dictâ die XVIII augusti MDCCV suum sortiantur effectum, perinde ac si super illis ipsius Clementis praedecessoris litterae sub eiusdem diei datâ confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes nostrae litterae ad probandum plene concessionem, assignationem, decretum, derogationem, ceteraque praedicta eiusdem Clementis praedecessoris ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur: et nihilominus, quatenus opus sit, omnia et singula praemissa, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, iterum et ex integro, tenore praesentium, concedimus.

Clausulae cum deputatione executorum.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi episcopis, ac dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti collegii generalis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illud earumdem praesentium litterarum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illud desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae dictus Clemens praedecessor voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII novembris MDCCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 novembris 1721, pontif. anno I.

XVIII.

Creantur quinquaginta pueri honorarii occasione solemnis equitatus in comites palatinos et auratae Militiae equites.

Dilecto filio Alexandro Casali, Romano,
Innocentius Papa XIII.
Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ex Romani Pontificis beneficentiâ provenire dignum est, ut, qui erga illum devotionis et obsequii signa demonstrant, iidem ab ipso Romano Pontifice honoribus et gratiis decorentur. Ex alium.

§ 1. Cum itaque nuper in solemni equitatione, qua nos insigni S. R. E. cardinalium antistitum, procerum ac officialium ordinumque Romanae Curiae comitatu pompâ celebri, et multorum adolescentulorum nobilium seu puerorum honorariorum ad latus nostrum adstantium coronâ stipati, lecticâ e palatio nostro Vaticano ad ecclesiam S. Ioannis Lateranensis, ut moris est, processimus, tu unus ex adolescentulis seu pueris honorariis huiusmodi extiteris: nos propterea, ut aliquod paterni nostri affectus in familiâ tuâ extet monimentum, te peculiari benevolentiae nostrae favore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensio- Creatio ut in rubrica.

nis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis[1], ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac merâ liberalitate nostris, te auratae militiae equitem, ac aulae Lateranensis et palatii apostolici comitem, tenore praesentium, facimus et creamus, teque aliorum equitum et comitum huiusmodi numero et consortio favorabiliter aggregamus. Tibique, ut torquem aureum et ensem et aurata calcaria gestare, necnon omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, exemptionibus et praerogativis, quibus alii equites et comites huiusmodi de iure, usu et consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pari modo (citra tamen exemptiones a sacro Concilio Tridentino sublatas) uti, frui et gaudere libere et licite valeas, earumdem tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Contrariorum derogatio.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV decembris MDCCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 decembris 1721, pontif. anno I.

Similis pro singulis aliis pueris honorariis iuxta notulam introclusam. Datum ut in praecedenti.

1 Edit. Main. legit *existit* (R. T.).

Nomina aliorum puerorum honorariorum.

Franciscus Oliveri, miles nondum professus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani; Ioannes Hieronymus Olivieri Frani, miles Militiae Ss. Mauritii et Lazari; comes Franciscus Simonetti; Fantuzzi; Caietanus Terzi, Dominicus de Effectibus; Franciscus Eleonori; Ruggerius Falsacappa; Bernardinus Bernardini; Ludovicus Casali nobilis Romanus; Innocentius Muti nobilis Romanus; Vincentius Muti nobilis Romanus; Cosmus de Angelis; Bonacorsius Bonacorsi; Marius Orsini; Paulus Ciogni; Caietanus Rita; Paulus Costa; Hieronymus Mignanelli; comes Andreas Piazza; Ioannes Baptista Iustiniani; Michaëlangelus Magnoni; Franciscus Narici; Ioannes Crivelli; Antonius Crivelli; Hieronymus Ercolani; Nicolaus del Maio; frater miles nondum professus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani; Carolus Bentivolo; Felix degl'Atti; Carolus Pozzi; Ioannes Guglielmus Valignani; Horatius Amadei; Erminegildus del Cinque; Philippus Antomori; Dominicus Papetti; Michaël Narici; Alexander Orsini; Alexander Sarazzani; Paulus Benedetti; Octavius Carletti; Diomede Cerichelli; Felix Sandali; Dominicus Simonetti; Tiberius Astalli; Ioannes Maria Torri; comes Franciscus Piazza; Franciscus Gerardini; Paulus Hieronymus Torre.

XIX.

Statuitur ut festum S. Antonii de Padua sit de praecepto in Hispaniarum et Americae regnis[1].

Innocentius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Creditae nobis caelitus dispensationis ratio exigit, ut piis orthodoxorum regum et principum pietatis aliarumque christianarum virtutum decoribus multipli- Exordium.

1 A Clemente XI constit. edit. MDCCVIII, die 6 decembris, pontif. IX, mandatum fuit ut festum Conceptionis B. M. ubique de praecepto servaretur.

citer fulgentium votis, ad augendam in terris Sanctorum cum Christo in caelesti Hierusalem regnantium, qui tradita sibi talenta non defoderunt in terram, sed uberi bonorum operum fructu multiplicarunt, venerationem laudabiliter tendentibus, favorabilem assensum paternâ benignitate praebeamus.

Statutum praedictum.

§ 1. Cum itaque, sicut pro parte carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis nuper expositum fuit, ipse Philippus rex, pro singulari suâ subditorumque suorum in Hispaniarum et Americae regnis eidem Philippo regi subiectis degentium erga S. Antonium de Padua confessorem devotione, festum eiusdem S. Antonii in dictis regnis de praecepto servari plurimum desideret: nos, devotâ gratâque animi intentione considerantes quod idem Sanctus illustria sanctitatis suae monimenta reliquerit, et quod miraculis, quae divina bonitas eius intercessione operari dignata est, eximie claruerit, ac proinde piis enixisque memorati Philippi regis precibus nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut perpetuis futuris temporibus festum eiusdem S. Antonii de Padua in memoratis regnis et dominiis tamquam de praecepto servetur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII ianuarii MDCCXXII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 ianuarii 1722, pontif. anno I.

1 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

XX.

Declaratur nullum edictum senatus ac magistratus Lucernae super moderatione subsidiorum dotalium, livellorum, aliarumque expensarum monialium, cum nonnullis ordinationibus[1].

Venerabili fratri episcopo Constantiensi, Innocentius Papa XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Romanus Pontifex in sublimi Apostolicae Sedis speculâ cum potestatis plenitudine a Domino constitutus, Ecclesiae iura ubique sarta tecta tueri, ac adversus quaecumque, per quae illis aliquid detrimenti inferri dignoscitur, traditâ sibi divinitus auctoritate vindicare tenetur, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, aequitati et iustitiae rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitratur. Exordium.

Epitomes edicti, in quo determinantur monialium subsidia dotalia, livella, aliaeque expensae ab earum consanguineis faciendae.

§ 1. Ad nostri siquidem apostolatus notitiam non sine gravi animi nostri molestiâ pervenit, quod, nomine moderni praetoris et senatus, necnon magistratus C. centum nuncupati oppidi Lucernae istius Constantiensis dioecesis, prodierit quoddam decretum sive edictum non ita pridem evulgatum, quo, inter alia, superiorissis monasteriorum monialium in eodem oppido eiusque dominio consistentium modus et forma indicitur, quem de cetero in admissione et receptione earumdem monialium sequi et servare debeant, ac subsidiorum seu eleemosynarum dotalium quantitas de-

1 Clementis XI const. edit. MDCCXVIII, die 10 decembris, pontif. XIX, nullus declaratus fuit tractatus pacificationis inter abbatem S. Galli et magistratus Bernensem et Tigurinum; et a Benedicti XIII const. edit. MDCCXXVI, die 14 februarii, pontif. II, nulla declarantur gesta a saeculari potestate in Sabaudiâ et Pedemontio adversus monasterium magnum S. Bernardi.

inceps solvenda praescribitur, aliaque circa livellos annuasque praestationes ipsis monialibus assignandas et expensas occasione earum monacationis faciendas non minus temere quam nulliter statuuntur et ordinantur, prout in memorato decreto sive edicto, cuius tenorem non quidem illud approbandi sed prorsus reprobandi animo praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, plenius dicitur contineri.

Declaratio nullitatis recensiti edicti, cum illius revocatione.

§ 2. Cum autem praemissa, ad quae iidem praetor et senatus ac magistratus, manum in messem alienam extendentes, damnabiliter devenerunt, ecclesiasticam libertatem ac iurisdictionem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam aperte laeserint et laedant, nec ullo modo perferri aut dissimulari valeant: hinc est quod nos, ex debito pastoralis officii quod humilitati nostrae meritis licet et viribus longe impari commisit divina dignatio, praedictae Ecclesiae iura a perniciosis huiusmodi laicorum conatibus illaesa et illibata conservare cupientes, decretum sive edictum praefatum, sicut praemittitur, promulgatum, aliave quaecumque in praemissis seu eorum occasione in praeiudicium libertatis et iurisdictionis ecclesiasticae quovis modo acta, gesta et ordinata, cum omnibus et singulis inde secutis et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, inania, invalida, irrita, et a non habentibus potestatem attentata, et de facto praesumpta, nulliusque prorsus roboris et momenti esse et perpetuo fore, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus. Et nihilominus, ad maiorem cautelam et quatenus opus sit, illa omnia et singula harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi volumus.

Mandatur huius constitutionis publicatio et observantia sub poenâ interdicti.

§ 3. Districtius propterea ac in virtute sanctae obedientiae mandantes omnibus et singulis abbatissis, priorissis, ac, quocumque alio nomine nuncupentur, superiorissis monasteriorum monialium huiusmodi, ipsisque monialibus, aliisque eorumdem monasteriorum superioribus, oeconomis, administratoribus et personis, ad quas ea res spectat et pro tempore spectabit, etiam speciali mentione dignis, ne iuxta praefati decreti seu edicti tenorem puellas aliasque mulieres ad habitum aut professionem regulares recipiant et admittant, vel aliàs eidem decreto seu edicto quoquo modo pareant, sub interdicti ecclesiarum ipso facto absque aliâ declaratione per transgressores incurrendâ poenâ, cuius relaxationem nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus. Ac proinde fraternitati tuae per easdem praesentes iniungimus quatenus hanc nostram declarationem, annullationem et prohibitionem, ceteraque praefata, abbatissis, priorissis, superiorissis, monialibus, aliisque personis praedictis quamprimum pronunciari et ad earum notitiam pervenire cures, ipsarumque praesentium litterarum exemplum authenticum in actis curiae tuae episcopalis ad perpetuam rei memoriam registrari et servari mandes.

Tribuitur episcopo Constantiensi facultas moderandi recensitas expensas.

§ 4. Ceterum, cum, sicut etiam accepimus, nonnulli in puellarum et mulierum praedictarum receptione ad habitum et professionem huiusmodi in dictis monasteriis abusus ob excessivam subsidiorum seu eleemosynarum dotalium, livellorum, annuarumve praestationum, aliarumque expensarum eâ occasione fieri solitarum quantitatem, quibus in

hisce praesertim rerum et temporum difficultatibus illarum parentes et consanguinei aegre subvenire valent, irrepserint, pro paternâ, quam in omnes christifideles gerimus, curâ et sollicitudine opportunum desuper remedium adhiberi volentes, ac de tuâ fide, prudentiâ, integritate et religionis zelo plurimam habentes in Domino fiduciam, eidem fraternitati tuae harum serie committimus et mandamus, ut singulorum monasteriorum oppidi et dominii praedictorum redditibus et oneribus prius diligenter inspectis, numero monialium in quolibet monasterio per decreta sacri Concilii Tridentini praescripto praesentiumque temporum conditione mature consideratis, eadem subsidia seu eleemosynas dotales in unoquoque ex monasteriis huiusmodi, tametsi ab Ordinariorum iurisdictione exempta et dictae Sedi immediate subiecta forent, imposterum contribuenda, pro tuo arbitrio et conscientiâ, auctoritate nostrâ praedictâ statuas, taxes et determines; livellis quoque, annuisve praestationibus monialium in iisdem monasteriis deinceps recipiendarum, quatenus necessariae atque religionis usu receptae sint, modum imponas, ac certam et moderatam taxam[1] constituas; expensas vero seu contributiones, quas, cum moniales ad habitum vel professionem admittuntur, sive pro conviviis, sive in utilitatem sacristiae aut ipsorum monasteriorum, non sine gravi earum parentum et consanguineorum dispendio et incommodo, hactenus fieri mos invaluit, pro tuo pariter arbitrio et conscientiâ, modereris seu reformes: nos enim quamcumque necessariam et opportunam ad praemissa facultatem et potestatem tibi auctoritate et tenore praedictis tribuimus et impertimur.

1 Edit. Main. legit *taxas* (R. T.).

§ 5. Decernentes sic et non aliter in praemissis, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S.R.E. cardinales, etiam de latere legatos et eiusdem Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum, cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus per his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulae.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon praedictorum monasteriorum, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem monasteriis, illorumque superiorissis, monialibus, et aliis quibusvis personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis etc.[1] Contrariorum derogatio.

§ 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[2] Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVII martii MDCCXXII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 martii 1722, pontif. anno I.

1 Ut supra pag. 703 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 704 *a* (R. T.).

XXI.

Publicantur litterae processus die Coenae Domini[1].

Innocentius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Pastoralis Romani Pontificis vigilantia et sollicitudo, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXII, IV nonas aprilis, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 2 aprilis 1722, pontif. anno I.

XXII.

Conceduntur sex gradus magisterii pro provinciâ Peruanâ fratrum eremitarum S. Augustini[3].

Innocentius Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Preces provinciae et causae praesentis concessionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Peruanae Ordinis eremitarum S. Augustini, quod, cum in definitorio generali eiusdem Ordinis novissime celebrato decretum fuerit ut in eâdem provinciâ, quae viginti quatuor in sacrâ theologiâ magistrorum indulto fruitur, et in qua mille et amplius religiosi, necnon ex his ducenti iubilati, et in cathedris ac lecturis se exercentes, unâ cum quinque collegiis quae studii generalis universitates existunt, numerantur, eorumdem magistrorum numerus ad tricenarium augeretur, si tamen desuper nostra et huius S. Sedis facultas accederet, ipsi exponentes plurimum expedire existimant ut tricenarius eiusmodi magistrorum numerus statuatur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaretur.

Concessio sex graduum pro concionatoribus.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii moderni procuratoris generalis dicti Ordinis eisdem cardinalibus factam attenderunt, consilio, provinciae Peruanae praedictae sex gradus perpetuos magisterii de numero nuncupatos, pro sex verbi Dei praedicatoribus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, etc.[1].

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, etc.[2].

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc.[3].

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-

1 Eaedem litterae publicatae fuere a Clemente XI constit. edit. MDCCI, die 24 martii, pontif. I.

2 Omnia ut supra pag. 20 *a* et seq. (R. T.).

3 Item auctus fuit numerus in dictâ provinciâ a Clemente XI const. ed. MDCCXX, die 20 octobris, pontif. XX; et huius Pontificis constitutione sequenti augetur numerus in provinciâ Mexicanâ.

1 Reliqua ut supra pag. 849 *a* (R. T.).

2 Reliqua ut supra pag. 849 *a* (R. T.).

3 Ut supra 849 *b* (R. T.).

iorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV aprilis MDCCXXII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 aprilis 1722, pontif. anno I.

XXIII.

Conceduntur octo gradus magisterii pro provinciâ Mexicanâ fratrum eremitarum S. Augustini [1].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Preces provinciae et causae augendi numerum magistrorum ad viginti quatuor.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Mexicanae Ordinis eremitarum S. Augustini, quod, cum in dictâ provinciâ duodecim in sacrâ theologiâ magistri, et quadraginta quinque conventus, ac quinquagintaquinque parochiae, cum nominatione doctrinarum, quae pro erudiendis illarum partium populis in catholicâ fide destinatae sunt, necnon mille circiter religiosi, ac inter hos centum iubilati ac lectores numerentur, ipsi exponentes eorundem magistrorum numerum ad vigintiquatuor iuxta decretum definitorii generalis Ordinis huiusmodi novissime celebrati augeri posse summopere desiderant, quemadmodum aliàs provinciae Peruanae Ordinis praedicti concessum fuisse memoratur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio octo graduum quatuor pro lectoribus et quatuor pro concionatoribus.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii moderni procuratoris generalis Ordinis huiusmodi super praemissis eisdem cardinalibus factam attenderunt, consilio, primodictae provinciae Mexicanae octo gradus perpetuos magisterii, quatuor videlicet pro lectoribus et alios quatuor pro verbi Dei praedicatoribus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 2. Decernentes, etc. Non obstantibus, etc. Volumus autem, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV aprilis MDCCXXII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 aprilis 1722, pontif. anno I.

XXIV.

Conceduntur sex gradus magisterii pro provinciâ Mechoacanâ fratrum eremitarum S. Augustini [2].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Preces provinciae et causae praesentis concessionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Mechoacanae Ordinis eremitarum S. Augustini, quod, cum in praedictâ provinciâ sex tantum in

1 De augmento graduum in provinciâ Peruvanâ et Mechoacanae vide constitutiones praecedentem et sequentem.

1 Clausulae ut in const. praec. (R. T.).

2 De concessione graduum pro provinciâ Mexicanâ vide constitutionem praecedentem. In const. ed. MDCCXXIII, die 7 augusti, pontif. I, conceduntur sex gradus pro provinciâ Chiliensi.

sacrâ theologiâ magistri reperiantur, ac in eâ triginta tres conventus et trecenti circiter religiosi, et ex iis triginta lectores, cum quinque collegiis, quorum unum universitas studii generalis existit, quae prima in Indiis institutio fuit, numerentur, ipsi exponentes senarium huiusmodi magistrorum numerum ad duodenarium iuxta decretum definitorii generalis Ordinis praedicti novissime celebrati augeri posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio sex graduum, tres pro lectoribus et tres pro concionatoribus.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii moderni procuratoris generalis Ordinis super praemissis eisdem cardinalibus factam attenderunt, consilio, praedictae provinciae Mechoacanae sex petitos gradus magisterii in eâdem sacrâ theologiâ, tres videlicet pro lectoribus et alios tres pro verbi Dei praedicatoribus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, etc.[1].

1 Clausulae ut supra pag. 902 *b* (R. T.).

§ 4. Non obstantibus, etc. Volumus autem, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV aprilis MDCCXXII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 aprilis 1722, pontif. anno I.

XXV.

Declaratur canonicos regulares S. Augustini superioris Germaniae gaudere indulgentiis plenariis canonicis Lateranensibus concessis[2].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Causae praesentis declarationis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii canonici regulares Ordinis S. Augustini collegiatarum ecclesiarum, seu monasterialium, Beyrbergen, Beyhardinge, Bernrieden, Diessen, Dietram, Zell, Inderstorff, Poling, Raittenbuech, Ranshovien, Roren, Schlechdorff, Weyaren, et Ss. Andreae et Magni, Ratisbonensis, Frisingensis, Passaviensis et Augustanae dioecesum, in Germaniâ superiori, quod in dictis collegiatis seu monasterialibus ecclesiis indulgentiae plenariae, quae in sanctorum Augustini, Monicae, Patritii, Frigidiani ac Ubaldi festivitatibus, necnon die V martii, qua omnium sanctorum eiusdem Ordinis commemoratio fieri consuescit, ecclesiis canonicorum regularium Congregationis Lateranensis dicti Ordinis a recolendae memoriae Innocentio PP. XII predecessore nostro concessae sunt, solent et solitae sunt publicari. Verum quia ab inquietis et christianae pacis aemulis pervulgatur, primodictas ecclesias, tametsi illae Congregationi La-

1 Ut pag. 902 *b* (R. T.).

2 De communicatione praedictarum indulgentiarum pro canonicis Windesiensibus vide Clementis XI const. ed. MDCCXVIII, die 30 iulii, pontif. XVIII.

teranensi aggregatae sint, non gaudere dictis indulgentiis, eo quia ipsi exponentes iurisdictioni Ordinariorum locorum subiacent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Declaratio praedicta.

§ 2. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium indulgentiis et sacris reliquiis praepositorum consilio, ecclesias primodictas in praedictis dioecesibus existentes indulgentiis, quibus ecclesiae canonicorum regularium Congregationis Lateranensis huiusmodi fruuntur et gaudent, revera frui et gaudere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX maii MDCCXXII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 maii 1722, pontif. anno I.

XXVI.

Conceditur Carolo VI Romanorum imperatori regnum Siciliae et Hierusalem cum terrâ citra Pharum in feudum[1].

Innocentius Papa XIII,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a studio servandi bona temporalia Ecclesiae.

Inscrutabili illius, per quem reges regnant et legum conditores iusta decernunt, providentiâ, ad supremi apostolatus fastigium, meritis licet imparibus, evecti, sicuti spiritualibus dominici gregis nobis divinitus commissi utilitatibus atque incrementis promovendis iugi studio assiduisque laboribus incumbere non desinimus, ita etiam oculos mentis nostrae ad temporalia sanctae Romanae Ecclesiae sponsae nostrae ac Sedis Apostolicae iura sarta tecta tuenda, et praesertim regnorum et dominiorum, quae ad illam pertinent, proprietatem debitamque subiectionem conservandam convertere, iisque more Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum opportunâ ratione consulere compellimur, prout in Domino expedire arbitramur.

A Iulio II concessum fuit Ferdinando Aragoniae regi, eiusque descendentibus etiam feminis, praedictum regnum ad S. Sedem devolutum, civitate Beneventanâ, excepta, in feudum cum annuo censu et sub certis conditionibus.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Iulius Papa II praedecessor noster regnum Siciliae et Hierusalem, cum totâ terrâ quae est citra Pharum usque ad confinia terrarum S. R. E. (civitate nostrâ, tunc suâ, Beneventanâ cum eius territorio et pertinentiis dumtaxat exceptâ) ad ius et proprietatem eiusdem Ecclesiae pertinens[2], et tunc ad ipsum praedecessorem et dictam Ecclesiam devolutum, quovis modo et ex quavis causâ illud ad eamdem Ec-

1 A Clemente XI const. ed. MDCCXIV, die 25 februarii, pontif. XIV, confirmata fuit electio et coronatio Caroli VI in regem Romanorum futurum imperatorem.

2 Edit. Main. legit *pertinentia* (R. T.).

clesiam devolutum esset aut aliàs eius dispositio ad praedictum praedecessorem pertineret, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, clarae memoriae Ferdinando Aragoniae et utriusque Siciliae ac Hierusalem regi, pro se suisque in dicto regno Aragoniae successoribus et haeredibus tam masculis quam feminis ex eo rectâ lineâ descendentibus certo tunc expresso modo natis et nascituris, in feudum perpetuum pro annuo censu, et sub diversis conditionibus, modis, formis, adiectionibus, permissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus, etiam tunc expressis, sine tamen praeiudicio iuris ipsi Ferdinando regi aliàs in eodem regno forsan competentis, cui tunc noluit derogari, de fratrum suorum consilio pariter et assensu, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine concessit et elargitus fuit, dictam civitatem Beneventanam, cum eius territorio, districtu et pertinentiis per ipsum praedecessorem seu Romanum Pontificem distinctis seu distinguendis, cum eorum incolis, prout illam sibi dudum antea praefata Ecclesia retinuerat et reservaverat, sibi et Sedi Apostolicae specialiter reservando, prout in ipsius praedecessoris desuper confectis litteris (in quibus idem praedecessor inter alia voluit quod dictus Ferdinandus rex et sui in dicto regno Siciliae cum terrâ intra[1] Pharum haeredes et successores darent praedecessori et Ecclesiae praefatae eorum privilegium aureâ bullâ bullatum, in qua proprio iuramento faterentur et recognoscerent expresse regnum Siciliae et Hierusalem et totam eorum terram, quae est citra Pharum, usque ad confinia eiusdem Ecclesiae, exceptâ civitate Beneventanâ praefatâ cum territorio, districtu et pertinentiis suis, ex solâ gratiâ et merâ liberalitate Sedis et praedecessoris praefatorum sibi suisque haeredibus et successoribus fuisse concessum, ac eos recepisse et tenere regnum Siciliae et terram huiusmodi a praedecessore et Ecclesiâ praedictis, sub pactis, modis et conditionibus tunc ut praefertur expressis) plenius continetur.

1 Hac vice adhibet *intra* pro *citra* (R. T.).

§ 2. Et deinde piae memoriae Leo Papa X etiam praedecessor noster regnum Siciliae cum terrâ citra Pharum clarae memoriae Carolo Romanorum imperatori semper Augusto, tunc Romanorum et Hispaniarum regi catholico in imperatorem electo, in feudum eisdem modo et formâ, quibus per dictum Iulium praedecessorem praefato Ferdinando regi concessum fuerat, et praedictis, quae tunc per eamdem Sedem remissae[1] non apparerent, et certis aliis tunc expressis conditionibus, de novo concessit, et de eo etiam ipsum Carolum imperatorem investivit; et dictus Carolus imperator per quondam Ioannem Emmanuelem aurei velleris equitem, tunc in humanis agentem et ipsius Caroli imperatoris apud Leonem et Sedem praefatam oratorem et procuratorem specialem, promisit, et se et omnes regnum ipsum Siciliae vigore illius concessionum tam per Iulium quam per Leonem praedecessores huiusmodi factarum pro tempore obtinentes obligavit ad inviolabiliter observandum et adimplendum omnia in litteris Iulii praedecessoris contenta, super quibus de dispensatione aut illorum remissione per eamdem Sedem non constaret seu appareret, et solvendum singulis annis in perpetuum Camerae Apostolicae septem mille ducatos auri de Camerâ in festo beati Petri, ultra solitum censum parafreni albi, pro recognitione veri et

A Leone X concessum fuit Carolo Imperatori, additis novo censu septem millium ducatorum de Camerâ, novisque conditionibus.

1 Edit. Main. legit *remissa* (R. T.).

directi dominii ipsius regni Siciliae, et ad Leonis praedecessoris et Camerae praedictorum requisitionem delinquentes in terris eidem Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, ad dictum regnum et illius civitates, terras et loca confugientes, capi et ad Urbem vel alium locum remitti faciendum, sub poenis in litteris Iulii praedecessoris huiusmodi contentis, dummodo idem Leo praedecessor et successores sui Romani Pontifices ac praefata Camera ad ipsius Caroli imperatoris et officialium suorum requisitionem delinquentes in terris et locis dicti regni ad terras et loca Ecclesiae confugientes pariter ad eos remitterent; prout in instrumento publico desuper confecto, et in certis ipsius Leonis praedecessoris litteris de verbo ad verbum inserto, plenius continetur.

A Iulio III ob renunciationem Caroli, concessum fuit Philippo II Angliae regi et Hispaniarum principi, eiusque descendentibus etiam feminis Aragoniae regibus, sub praedictis conditionibus.

§ 3. Ac successive recolendae memoriae Iulius Papa III, praedecessor etiam noster, praeviâ renunciatione dicti Caroli Romanorum imperatoris semper Augusti, dictum regnum Siciliae et Hierusalem, cum totâ terrâ citra Pharum usque ad confinia Romanae Ecclesiae, exceptâ civitate Beneventanâ cum eius territorio et districtu ut supra, inclytae memoriae Philippo II, tunc Angliae regi et Hispaniarum principi, pro se suisque haeredibus et successoribus Aragoniae regibus tam masculis quam feminis et ex eo rectâ lineâ descendentibus natis et nascituris, ac aliis personis in concessionibus Iulii et Leonis comprehensis et per eos vocatis, in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem mille ducatorum auri de Camerâ et unius parafreni albi solvendo et sub conditionibus, modis, formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus in litteris Iulii et concessione Leonis praedecessorum huiusmodi contentis, quae per eamdem Sedem remissae non apparerent, similiter concessit, et de eo ipsum Philippum regem investivit; et dictus Philippus rex per quondam Ferdinandum Franciscum Avalos de Aquino marchionem Piscariae, tunc in humanis agentem, et ipsius Philippi regis apud Iulium praedecessorem et Sedem praedictam procuratorem specialem, obedientiam, homagium et iuramentum fidelitatis consuetum praestitit; prout in ipsius Iulii praedecessoris litteris plenius continetur. Quae omnia, idem Philippus rex successive per bullam suam auream sub datum Bruxellis, anno Domini MDLV, die 1 octobris, manu suâ subscriptam approbando et acceptando confessus fuit et recognovit.

A Clemente VIII, defuncto Philippo II, concessum fuit eodem modo Philippo III regi catholico.

§ 4. Postea vero felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, eodem Philippo II viam universae carnis ingresso, regnum ipsum Siciliae et Hierusalem, cum totâ terrâ praedictâ citra Pharum usque ad confinia terrarum eiusdem Romanae Ecclesiae (exceptâ civitate Beneventanâ cum eius territorio, districtu et pertinentiis, per se seu eius et nostros praedecessores Romanos Pontifices distinctis, ac eorum incolis, quam sibi et eidem Ecclesiae specialiter retinuit) clarae memoriae Philippo III etiam Hispaniarum regi catholico pro se suisque haeredibus et successoribus Aragoniae regibus tam masculis quam feminis ex eo rectâ lineâ descendentibus natis et nascituris, et aliis personis in concessionibus utriusque Iulii et Leonis praedecessorum huiusmodi comprehensis, et per eos vocatis, in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem mille ducatorum similium et unius parafreni albi ut praefertur solvendo, et sub conditionibus, modis, formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, volun-

latibus et ordinationibus in litteris utriusque Iulii et concessione Leonis praedecessorum huiusmodi contentis, quarum[1] remissionem per Sedem praedictam factam fuisse non appareret (praestitis tamen prius eidem Clementi praedecessori et Sedi et Ecclesiae praefatis, nomine ipsius Philippi III regis, per bonae memoriae Antonium de Cardona et Corduba ducem Svissae, Sornae et Venae, comitem Cabrae et Palamos, vicecomitem de Ubregar, et ipsius Philippi III regis consanguineum et consiliarium, apud eumdem Clementem praedecessorem et Sedem praedictam oratorem et procuratorem ac mandatarium suum specialem, et per eumdem Clementem admissis obedientiâ atque homagio et iuramento fidelitatis), sub certâ tunc expressâ formâ, pariter concessit, et elargitus fuit, ac regnum ipsum praefato Philippo III regi modo et formâ praemissis infeudavit, prout in praedicti Clementis praedecessoris sub plumbo sub datum Romae apud S. Marcum anno Incarnationis dominicae MDXCIX, V idus septembris, pontificatus sui anno VIII, expeditis litteris plenius continetur.

A Gregorio XV ob mortem Philippi III concessum fuit Philippo IV eadem forma et cum novâ reservatione terrae Pontis Curvi.

§ 5. Subinde autem, defuncto Philippo III, Gregorius XV, praedecessor etiam noster, idem regnum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ praefatâ citra Pharum usque ad confinia terrarum Ecclesiae Romanae (exceptâ civitate Beneventâ cum eius territorio, districtu et pertinentiis, per se seu eius et nostros praedecessores Romanos Pontifices distinctis, ac loca[2] Pontiscurvi eiusque territorio, quae sibi et eidem ecclesiae specialiter retinuit) clarae memoriae Philippo IV etiam Hispaniarum regi catholico pro se suisque successoribus Aragoniae regibus, tam masculis quam feminis, ex eo rectâ lineâ descendentibus, natis et nascituris, ac aliis personis in concessione utriusque Iulii et Leonis ac Clementis praedecessorum huiusmodi comprehensis, et per eos vocatis, in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem mille ducatorum similium et unius parafreni albi solvendo ut supra, et sub conditionibus, modis et formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus in litteris dictorum Iulii II et III ac Clementis, quarum remissionem per Sedem Apostolicam factam fuisse non appareret (praestitis tamen prius eidem Gregorio praedecessori et Sedi et Ecclesiae praedictis nomine ipsius Philippi IV regis per quondam Franciscum de la Cueva ducem de Alburquerque, apud eum et Sedem praefatam oratorem et procuratorem ac mandatarium suum specialem, et per eumdem Gregorium admissâ[1] obedientiâ atque homagio et iuramento fidelitatis), sub certâ tunc expressâ formâ, concessit et elargitus fuit, ac regnum huiusmodi praefato Philippo IV regi, modo et formâ praemissis, infeudavit, prout in praedicti Gregorii XV praedecessoris sub plumbo, sub datum Romae, apud S. Petrum, V kalendas decembris MDCXXI, sui pontificatus anno I, expeditis litteris plenius continetur. Quae omnia idem Philippus IV rex successive per bullam suam auream sub datum Matriti, V novembris MDCXXII, manu suâ subscriptam, approbando et ampliando confessus fuit et recognovit.

Tandem ab Alexandro VII, o vivis sublato Philippo IV, concessum fuit Carolo II regi catholico, eodem modo, cum eâdem reserva-

§ 6. Postremo vero, dicto Philippo IV rege ab humanis erepto, piae memoriae Alexander VII, praedecessor itidem noster, praefatum regnum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum

1 Edit. Main. legit *quorum* (R. T.).

2 Videtur legendum *loco*, vel *terrâ* (R. T.).

1 Potius lege *admissis*, ut supra (R. T.).

tione terrarum, et sub iisdem conditionibus.

usque ad confinia terrarum eiusdem Ecclesiae Romanae (exceptâ praedictâ civitate Beneventanâ cum eius territorio et districtu et pertinentiis, per se seu Romanos Pontifices distinctis, unâ cum terrâ Pontiscurvi, eiusque territorio, quae sibi et eidem Ecclesiae specialiter reservavit) clarae memoriae Carolo II Hispaniarum regi catholico tunc in minori aetate constituto, pro se suisque haeredibus et successoribus Aragoniae regibus, tam masculis quam feminis, ex eo rectâ lineâ descendentibus, natis et nascituris, ac aliis personis in concessionibus utriusque Iulii, Leonis, Clementis ac Gregorii praedecessorum huiusmodi comprehensis, et per eos vocatis, in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem mille ducatorum similium et unius parafreni albi ut praefertur solvendo, et sub conditionibus, modis, formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis et ordinationibus in litteris utriusque Iulii, Clementis ac Gregorii et concessione Leonis praedecessorum huiusmodi contentis, quarum remissionem per Sedem praefatam factam fuisse non appareret, concessit et elargitus fuit, ac regnum ipsum eidem Carolo regi infeudavit, eumque de illo investivit, et dictus Carolus rex, mediante clarae memoriae Marianna ab Austria reginâ Hispaniarum eius matre, tutrice atque gubernatrice, per bonae memoriae Fridericum, dum viveret, tituli S. Petri ad Vincula cardinalem Sfortiam, procuratorem et mandatarium suum specialem, eidem Alexandro praedecessori ac Sedi et Ecclesiae praedictis obedientiam, homagium et iuramentum fidelitatis praestitit, prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris pariter sub plumbo, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCLXVI, XIII kalendas iunii, pontificatus sui anno XII emanatis, uberius continetur. Quae omnia idem Carolus II rex postmodum tam per suam bullam auream sub datum Matriti XXIX martii MDCLXVII, a memoratâ Mariannâ reginâ eius matre, tutrice ac gubernatrice subscriptam, quam per aliam similem bullam sub datum pariter Matriti VII aprilis MDCLXXVI, proprio ipsius Caroli regis interim maioris ac sui iuris effecti manu signatam, approbando et ampliando confessus fuit et recognovit.

Causae ab quas a Clemente XI post mortem Caroli II praedictum regnum nulli concessum fuerit in feudum.

§ 7. Cum autem, sicut Deo placuit, iam tunc ab anno MDCC dicto Carolo II rege sine liberis e vivis erepto, Europa ferme tota inde in partes divisa diuturno bello conflagraverit, ac felicis recordationis Clemens Papa XI, praedecessor etiam noster, iustis et gravissimis causis adductus, ab infeudatione atque investiturâ dicti regni Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum concedendâ, tametsi pluries, oblato etiam censu praefato, ad id requisitus fuisset, inter saevientis belli eiusmodi motus supersedendum esse duxerit, salvis tamen et illaesis remanentibus iuribus sibi et dictae Sedi super eodem regno competentibus, quae per plura chirographa proprià eius manu signata, in quibus itidem cautum fuit tempus et tempora non currere, luculenter praeservavit, prout etiam nos per simile chirographum anno superiore praeservavimus:

Preces Caroli VI Imperatoris, et obedientia per cardinalem de Alhann praestita.

§ 8. Nunc vero carissimus in Christo filius noster Carolus VI Hispaniarum catholicus et Romanorum rex in imperatorem electus, qui in dicto regno Siciliae et Hierusalem ac totâ terrâ citra Pharum successit, et illud de praesenti possidet, volens debitam obedientiam ac fidelitatis et homagii iuramentum in manibus nostris praestare, et ea, quae ratione ipsius feudi tenetur, ad-

implere, dilectum filium nostrum Michaëlem Fridericum tituli S. Sabinae cardinalem de Althan procuratorem et mandatarium suum specialem fecerit, constituerit et deputaverit specialiter et expresse ad se, nomine praedicti Caroli VI regis, quoties opus fuit, coram nobis humiliter et cum omni reverentiâ praesentandum, ac a nobis investituram regni huiusmodi petendam, eamque acceptandam, necnon nobis nomine eiusdem Caroli regis pro praefato regno Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum debitam obedientiam exhibendam[1], ac etiam fidelitatis et homagii iuramentum ratione feudi dicti regni praestandum, quod requisitum necessarium et opportunum foret ex ipsius feudi naturâ, et quemadmodum illud praestitum fuerat a Carolo II rege, atque ab aliis praedecessoribus suis in eodem regno solitum fuerat praestari; et dictus Michaël Fridericus cardinalis ab Althan procurator, in vim constitutionis et deputationis huiusmodi, ad praemissa omnia et singula nomine praedicti Caroli regis peragenda et exequenda coram nobis humiliter et cum omni reverentiâ sub die XVII mensis maii proxime praeteriti se praesentaverit[2], et in generali venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium Congregatione sub hac die martis IX mensis iunii praesentis anni, quae coram nobis in palatio nostro apostolico Montis Quirinalis ad hoc specialiter convocata et habita fuit, compluribus archiepiscopis, episcopis aliisque praelatis ibi assistentibus, nomine ipsius Caroli regis nobis et Sedi Apostolicae ac Romanae Ecclesiae praedictis obedientiam atque homagium et iuramentum fidelitatis, sub formâ inferius adnotatâ, praestiterit:

1 Edit. Main. legit *exhibentes* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *praesentavit* (R. T.).

Causae praesentis concessionis.

§ 9. Nos, considerantes ipsius Caroli regis haereditariam regnandi consuetudinem, et quod sciet et volet commissos sibi populos in pacis amoenitate et iustitiae cultu confovere, ac nos et Romanam Ecclesiam ipsius regni proprietarios ac directos dominos gratâ devotione, fide sincerâ, recognoscere; nec diutius nolentes[1] a concessione investiturae et infeudationis praefatae ac directi dominii nostri usu et exercitio abstinere, sed potius, novis ac iustissimis ex causis ita suadentibus, praesentique rerum et temporum statu accurate perpenso, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerendo, nostra et eiusdem Sanctae Sedis iura per novam concessionem huiusmodi asserere et conservare intendentes, habitâ super his cum eisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus prius in eodem consistorio et deinde etiam in aliâ simili congregatione generali ad hoc nominatim habitâ sub die sabbati sextâ eiusdem praesentis mensis iunii in eodem palatio nostro (ibique mandato procurationis ipsius Caroli regis in imperatorem electi publice et altâ voce perlecto et diligenter inspecto) deliberatione maturâ, de ipsorum fratrum consilio pariter et assensu, et ex certâ nostrâ scientiâ et de apostolicae potestatis plenitudine, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, obedientiam ab eodem cardinali de Althan procuratore nomine ipsius Caroli Regis nobis et Sedi et Camerae praedictis ut praemittitur praestitam, itemque homagium et iuramentum fidelitatis huiusmodi laeto atque hilari animo admittimus, ac regnum ipsum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ praedictâ citra Pharum usque ad confinia terrarum eiusdem Ecclesiae Ro-

Concessio ut in rubrica.

1 Potius lege *volentes* (R. T.).

manae (exceptâ praedictâ civitate Beneventanâ cum eius territorio et restrictu et pertinentiis per nos seu Romanos Pontifices distinctis, ac eorum incolis, quam nobis, prout illam sibi dudum praedicta Ecclesia[1], specialiter reservamus) eidem Carolo Hispaniarum catholico et Romanorum regi in imperatorem electo (cui per nostras[2] in formâ Brevis pridie expeditas litteras concessimus ut dictum regnum Siciliae et Hierusalem ac totam terram citra Pharum unâ cum imperio et Romanorum seu Theutoniae regno, quoad viverit, retinere libere et licite possit et valeat, tametsi in utriusque Iulii, Leonis, Clementis, Gregorii et Alexandri praedictorum et ante eos diversorum aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteris id expresse et distincte prohiberetur) pro se suisque haeredibus et successoribus, tam masculis quam feminis, ex eo rectâ lineâ descendentibus, natis et nascituris (servatâ inter ipsos descendentes praerogativâ sexus, ita quod masculi ex masculis, omnibus feminis, earumque descendentibus maribus et feminis, cuiuscumque lineae sint aut gradus, semper praeferantur, et inter ipsos masculos primogeniturae ratio et lineae praerogativa praevaleat et observetur, quae praerogativa locum quoque habeat et praevaleat inter dictas feminas earumque descendentes in casu deficientiae omnium descendentium masculinorum ex masculis) in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem mille ducatorum similium et unius parafreni albi ut praefertur solvendo, et ceteroquin in omnibus et per omnia sub conditionibus, modis, formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus in litteris utriusque Iulii, Clementis, Gregorii et Alexandri et concessione Leonis praedecessorum huiusmodi contentis, quarum remissionem per nos et Sedem praedictam factam fuisse non apparebit, omni meliori quo possumus modo concedimus et elargimur, ac regnum ipsum praedicto Carolo regi, modo et formâ praemissis, infeudamus, eumque de illo per ipsius Michaëlis Friderici cardinalis procuratoris ad osculum pedum nostrorum admissionem investimus.

1 Deesse videtur verbum *reservavit* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *nostros* (R. T.).

Ab eodem Carolo infra annum tradenda est bulla aurea recognitionis supremi dominii S. Sedis.

§ 10. Volentes et intendentes, ut, infra annum a[1] datâ praesentium computandum, idem Carolus Rex privilegium suum bullâ aureâ bullatum (in quo proprio iuramento fateatur et recognoscat expresse regnum Siciliae et Hierusalem, ac totam terram eorum, quae est citra Pharum usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiae Romanae, exceptis civitate Beneventanâ et loco Pontiscurvi, cum illius territoriis, districtibus et pertinentiis, quae eidem Ecclesiae remaneant, praefato Carolo regi suisque haeredibus et successoribus dicti regni Siciliae regibus ex solâ gratiâ et merâ liberalitate Sedis Apostolicae et nostrâ fuisse concessa, eosque recepisse et tenere regnum Siciliae et terram huiusmodi a nobis et dictâ Romanâ Ecclesiâ sub pactis, modis et conditionibus supradictis) nobis seu Romano Pontifici pro tempore existenti dare et tradere teneatur. Per praemissa autem non intendimus iuribus quibuscumque in aliquo praeiudicare.

Idem Carolus liberatus a solutione censuum decursorum.

§ 11. Demum, ut idem Carolus rex in imperatorem electus eo magis ad sincerae illius quam in nos et hanc Sanctam Sedem profitetur devotionis et observantiae debita argumenta nobis et eidem Sedi exhibenda excitetur, quo

1 Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).

nos et Romanam Ecclesiam in eum propensiores et munificentiores invenerit, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ipsi Carolo regi omnes et singulos census ratione supradicti regni hactenus decursos et non solutos ex speciali dono gratiae liberaliter remittimus et condonamus, ipsumque de illis absolvimus, quietamus et plenarie liberamus, et ex causâ dictorum censuum hucusque decursorum a quocumque nullatenus molestari posse decernimus, dummodo tamen in proximo festo S. Petri, et sic successive perpetuis futuris temporibus, singulis annis, ipse Carolus rex eiusque haeredes et successores praefatum censum nobis et successoribus nostris cum solitis solemnitatibus integre persolvere omnino debeant.

Forma iuramenti. § 12. Forma autem iuramenti per dictum cardinalem praestiti talis est:

Ego Michaël Fridericus cardinalis de Althann, serenissimi domini Caroli Hispaniarum catholici et Romanorum regis in imperatorem electi, Dei gratiâ regis Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum, procurator ad haec omnia specialiter constitutus speciali modo per dictum Carolum regem sub die x mensis augusti anni proxime elapsi, coram archiepiscopo Valentino, comite Philippo de Sizendorf, et marchione de Rofrano, ipsius consiliariis et respective secretariis, subscripto, [1] plenum homagium ligium et vassallagium nomine dicti Caroli regis faciendum vobis sanctissimo domino nostro Innocentio XIII et Ecclesiae Romanae pro regno Siciliae et Hierusalem ac totâ terrâ quae est citra Pharum usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiae (exceptâ civitate Beneventanâ et toto territorio et omnibus districtibus et pertinentiis secundum antiquos fines territorii pertinentiarum et districtus civitatis eiusdem per Romanum Pontificem distinctos et in posterum distinguendos) in animam dicti serenissimi Caroli regis principalis mei iuro, quod idem serenissimus dominus Carolus ab hac horâ in antea fidelis et obediens erit beato Petro et vobis domino Innocentio XIII vestrisque successoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, sanctaeque Romanae Ecclesiae apostolicae. Non erit in consilio, consensu vel facto ut vitam perdatis seu perdant aut membrum, seu capiamini vel capiantur malâ captione, consilium veri, quod sibi credituri estis per vos aut nuncios vestros vel per litteras, ad vestrum vel eorum damnum scienter nemini pandet, et si sciverit fieri vel tractari seu procurari aliquod, quod in vestrum vel eorum damnum cedat, illud pro posse impediet, et si hoc impedire non poterit, illud vobis vel eis significare curabit. Papatum Romanum et regalia S. Petri tam in regno Siciliae praedicto quam alibi consistentia adiutor vobis vel eis erit ad defendendum vel restituendum ac recuperandum, et recuperata manutenendum, contra omnem hominem; vestras et singulas conditiones supradictas et quascumque alias in litteris felicis recordationis Iulii Papae II super ipsius regni et terrarum infeudatione sive investiturâ confectis contentas, ac omnia et singula quae in eis continentur, plenarie adimplebit et inviolabiliter observabit, et nullo unquam tempore veniet contra ea, nec procurabit per se vel alium seu alios quoquomodo ut assumatur vel nominetur in dominum Lombardiae seu Thusciae (excepto tamen quod regnum Siciliae et Hierusalem, cum totâ terrâ citra Pharum, unâ cum imperio et regno Romanorum, seu Theutoniae, quoad vixerit, retinere possit iuxta concessionem quam a vobis desuper obtinuit), et si assumptionem vel nominationem ad dominium Lombardiae et Thusciae, aut maior partis eorumdem fieri contingat, nullum huiusmodi assumptioni seu nominationi assensum praestabit, nec intromittet se modo aliquo de eorum vel alicuius eorum regimine, nec de civitate Beneventanâ et suis territoriis, districtibus et pertinentiis, seu Campaniâ, neque de Maritimâ, ducatu Spoletano, neque marchiâ Anconitanâ, Patrimonio beati Petri, et Thusciae, Massâ Trebariâ,

1 Videtur deesse praep. *ad* (R. T.).

Romandiolâ, almâ Urbe, in civitate Perusinâ, civitatibus Castelli, Bononiensi, Ferrariensi, Avenoniensi et comitatu Venaissino, seu aliis terris quibuscumque vestris, et feudis ipsius Ecclesiae ubilibet constitutis, ex successione, vel legato, seu donatione, aut venditione, seu alio quovis titulo vel contractu, nihil unquam sibi acquiret seu vindicabit, vel poterit acquirere seu quomodolibet vindicare, et nihil unquam recipiet vel habebit seu retinebit, vel poterit recipere, habere vel etiam retinere in illis, nec ullam potestariam, capitaniam vel rectoriam, nullumque aliud officium recipiet seu recipere poterit in eisdem seu ipsorum aliquo, nec etiam occupabit vel occupari permittet seu faciet praemissa vel partem aliquam eorumdem, neque illam offendet aut molestabit, neque etiam Romanam Ecclesiam quoquomodo, sub censuris poenisque spiritualibus et temporalibus in conditionibus et infeudatione praefatis contentis, quas hic haberi volo in singulis suis partibus aliàs pro specifice expressis et repetitis. Schismatico aut haeretico cuicumque, vel a fide devio, ab ipsâ Ecclesiâ praeciso, eiusque sequacibus, ac dantibus ei auxilium, consilium vel favorem, non dabit quovis modo per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, auxilium, consilium vel favorem, nec ab aliis, quantum in eo erit, si impedire poterit, dari permittet, sed eos iuxta posse suum, donec convertantur, persequetur et impugnabit. Et ulterius promitto, quod ipse Carolus rex infra annum omnia et singula mediante aureâ bullâ ratificabit. Sic dictum Carolum regem Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. — Iuravi, ut supra, ego Michaël Fridericus, cardinalis De Althann.

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reservationis, admissionis, concessionis, elargitionis, infeudationis, investiturae, voluntatis vel intentionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXII, V idus iunii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 9 iunii 1722, pontif. anno II.

✠ EGO INNOCENTIUS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

† Ego Ioannes episcopus Tusculanus cardinalis Iudice.
† Ego Ioannes episcopus Albanensis cardinalis Paulutius.
† Ego Ioannes episcopus Praenestinus carnalis Barberinus.
† G. cardinalis Marescottus.
† Ego Ioseph tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Sacripantes.
† Ego Laurentius tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis Corsinus.
† Ego Philippus Antonius tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Gualterius.
† Ego Ioseph tituli S. Mariae Angelorum cardinalis Vallemanus.
† Ego C. A. tituli S. Augustini presbyter cardinalis Fabronus.
† Ego Antonius Felix tituli S. Balbinae presbyter cardinalis Zondadarius.
† Ego Petrus tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Corradinus.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Stephani in Monte Caelio presbyter cardinalis Ptolomaeus.

† Ego B. tituli S. Petri in Monte Aureo presbyter cardinalis Scottus.

† Ego Nicolaus tituli S. Sixti presbyter cardinalis Spinula.

† Ego Georgius S. Agnetis presbyter cardinalis Spinula, cardinalis S. Agnetis nuncupatus.

† Ego Iosephus tituli S. Susannae cardinalis Pereyra de la Cerda.

† Ego Michaël Fridericus tituli S. Sabinae presbyter cardinalis de Althann.

† Ego Iannes Baptista tituli S. Priscae presbyter cardinalis Salernus.

† Ego Alvarus I. S. Bartholomei in Insula presbyter cardinalis Cienfuegos.

† Ego B. M. I. S. Bernardi ad Thermas presbyter cardinalis de Comitibus, maior poenitentiarius.

† Ego B. S. Mariae in Viâ Latâ, diaconus cardinalis Pamphilius.

† Ego Petrus S. Laurentii in Damaso diaconus cardinalis Ottobonus, S.R.E. vicecancellarius.

† Ego I. R. S. Georgii in Velabro diaconus cardinalis Imperialis.

† Ego L. S. Agathae in Montibus diaconus cardinalis de Alteriis.

† Ego Annibal S. Mariae in Cosmedin cardinalis Albanus, S. R. E. camerarius.

† Ego Curtius S. Eustachii diaconus cardinalis Origus.

† Ego Fabius Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Oliverius.

† Ego Alexander S. Adriani diaconus cardinalis Albanus, cardinalis Alexander nuncupatus.

P. cardinalis pro-datarius.

F. cardinalis Oliverius.

Visa de Curiâ, I. G. archiep. Amasenus.

L. Martinettus.

Die lunae xv iunii MDCCXXII suprascriptae litterae apostolicae in plenâ Camerâ Apostolicâ exhibitae et praesentatae fuerunt, illaeque illustrissimo et reverendissimo domino Guidoni de Palagio eiusdem Camerae Apostolicae clerico commissae cum facultate admittendi; deinde vero sub die XXVI eiusdem mensis, citato desuper illustrissimo et reverendissimo domino Ioanne Carolo Piancastello, dictae Camerae commissario generali, ex decreto ipsius Camerae idem illustrissimus et reverendissimus dominus de Palagio Camerae Apostolicae clericus et iudex commissarius deputatus admisit et registrari mandavit, et registratae fuerunt in libro signaturarum Sanctissimi.

XXVII.

Committitur nuncio Neapolis executio constitutionis Clementis XI de reunione coenobiorum S. Luciae de Monte ac de Portici provinciae Neapolitanae fratrum de Observantiâ Discalceatorum Hispaniae[1].

Venerabili fratri Hieronymo archiepiscopo Tessalonicensi, nostro et Sedis Apostolicae in regno Neapolis nuncio,

Innocentius Papa XIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

A Clemente XI dismembrata fuere predicta coenobia et unita provinciae Castellae.

§ 1. Aliàs per recolendae memoriae Clementem Papam XI praedecessorem nostrum accepto, quod inter tunc existentes fratres Neapolitanos et Hispanos provinciae S. Petri de Alcantara in regno Neapolitano fratrum Discalceatorum Hispaniae Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum plures controversiae exortae reperiebantur, fieriique nequibat ut dicti fratres, habitatione et rerum communione coniuncti, animis et contrariis studiis non dissiderent, ac proinde expediebat eos ab invicem segregari : idem Clemens praedecessor,

1 Laudata constit. edit. fuit MDCCXII, die 23 decembris, pontif. XIII; sed alia dismembrationis extat constit. edit. MDCCII, die 15 septembris, pontif. II; et Benedicti XIII const. edit. MDCCXXVI, die 28 ianuarii, pontif. II, agitur de erectione coenobii in provinciâ Valentiae.

motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione suis, deque apostolicae potestatis plenitudine, conventum S. Luciae de Monte nuncupatum civitatis Neapolis et hospitium dicti S. Petri de Alcantara loci de Portici dictae provinciae, Neapolitanae dioecesis, ab eâdem provinciâ perpetuo separavit et dismembravit, illaque ita[1] separata et dismembrata provinciae eiusdem S. Petri de Alcantara regni Castellae fratrum Discalceatorum dicti Ordinis itidem perpetuo univit, annexuit et incorporavit: volens et ordinans ut in illis religiosi Hispani, qui deinceps ministro provinciali secundodictae provinciae pro tempore existenti subiecti essent, habitarent et collocarentur; alii vero primodictae provinciae conventus, qui octo tunc numerabantur, religiosis Neapolitanis et Italis tantum remanerent, ac eadem primodicta provincia octo huiusmodi conventibus[1] constans in futurum ministro generali seu commissario generali Italiae Ordinis praedicti pro tempore pariter existenti subiaceret: et aliàs, prout in eiusdem Clementis praedecessoris desuper in simili formâ Brevis die xv septembris MDCCII expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Et successive memorato Clementi praedecessori exposito, quod, ob bellorum motus tunc exortos interdictumque commercium et communicationem inter Castellae et Neapolis regna, conventus S. Luciae de Monte et hospitium S. Petri de Alcantara praedicta, et religiosi in eisdem degentes, a ministris provincialibus dictae provinciae regni Castellae pluribus annis visitati minime fuerant, et valde dubitandum erat quod, cessantibus etiam bellis, propter magnam dictorum regnorum ad invicem distantiam, non raro sine debitâ visitatione et correctione remanere poterant, cum magno ecclesiasticae disciplinae et regularis observantiae detrimento; idem Clemens praedecessor Congregationem particularem nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris[2], tunc suis, S.R.E. cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis, super praetensâ reunione fratrum Discalceatorum Hispanorum S. Petri de Alcantara Ordinis huiusmodi conventus S. Luciae de Monte et alterius conventus S. Mariae de Portici cum aliis fratribus Italis dictae provinciae regni Neapolitani eiusdem Ordinis et instituti deputavit. Quae quidem Congregatio, die XXVII augusti MDCCXI coadunata, per suum decretum censuit consulendum esse praedicto Clementi praedecessori pro deputatione alterius religiosi gravis in commissarium et visitatorem apostolicum ad eiusdem Clementis praedecessoris et Sedis Apostolicae beneplacitum tam praedictorum conventuum nationis Hispanicae et S. Petri de Alcantara, quam aliorum conventuum fratrum Italorum memoratae provinciae regni Neapolis eiusdem instituti, cum facultate, quatenus in Domino sibi expediens visum fuisset, collocandi fratres Italos etiam in dictis conventibus Neapolis promiscue cum Hispanis, et viceversâ collocandi religiosos Hispanos eorumdem duorum conventuum in aliis conventibus provinciae regni promiscue cum aliis Italis, vel respective remittendi Hispanos ad suam provinciam Castellae, et cum aliis facultatibus necessariis et opportunis, litteris suis minime obstantibus, aliisve quibusvis indultis seu ordinationibus etiam apostolicis in contrarium facientibus; in

Postea idem Clemens XI statuit ut religiosi tum Hispani tum Itali promiscue morarentur.

1 Pessime edit. Main. legit *in* pro *ita* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *conventus* (R. T.)

1 Vocem *nostris* nos addimus (R. T.).

electionibus vero ad praelaturas eadem Congregatio particularis censuit servandam esse dispositionem sacri Concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum atque eiusdem Ordinis: et aliàs, prout in praedicto decreto uberius dicitur contineri. Factâque subinde, nempe die v mensis septembris subsequentis, per tunc existentem secretarium Congregationis praedictae de praemissis dicto Clementi praedecessori relatione, illius sententiam benigne approbavit, et desuper litteras apostolicas in formâ Brevis expediri mandavit. Verum, ex rationabilibus tunc motivis, idem Clemens praedecessor, per quasdam suas desuper pariter in eâdem formâ Brevis die XXIII septembris MDCCXII[1], de praedictae Congregationis consilio, ac etiam motu proprio, litteras suas praedictas revocavit, cassavit, irritavit et annullavit, viribusque et effectu penitus et omnino vacuavit, ac proinde conventum S. Luciae de Monte et hospitium S. Petri de Alcantara praedicta a secundodictâ provinciâ perpetuo pariter separavit et dismembravit, illaque, sic separata et dismembrata, primodictae provinciae S. Petri de Alcantara itidem perpetuo reunivit, reannexuit et reincorporavit, ac in pristinum et eum in quo, antequam primodictae suae litterae emanassent, quovis modo erant statum restituit, reposuit et plenarie reintegravit, ac tam illa quam omnes alios conventus eiusdem primodictae provinciae S. Petri Alcantara unico ministro provinciali, qui commissario generali familiae cismontanae dicti Ordinis subiectus esset, subiecit: et aliàs, prout in secundodictis Clementis praedecessoris litteris, quarum omnium executionem fraternitati tuae, toto illarum tenore inserto, per quasdam nostras die XX ianuarii proxime praeteriti in eâdem formâ Brevis emanatas litteras, executionem demandavimus, plenius continetur.

Imo unita fuere praedicta coenobia provinciae Neapolitanae

§ 2. Hinc est quod nos, in praemissis opportune pro curâ nostrâ pastorali provideri volentes, de praedictae particularis Congregationis cardinalium consilio, ac etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, eidem fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus ut ad executionem dictae reunionis et incorporationis a memorato Clemente praedecessore in secundodictis suis litteris demandatae et a nobis approbatae, ut praefertur, ceterorumque contentorum in praedicto decreto (exceptâ tantummodo deputatione alicuius religiosi pro commissario visitatore), auctoritate nostrâ apostolicâ procedas, cum facultate scilicet collocandi fratres Italos etiam in dictis conventibus Neapolis promiscue cum Hispanis, et viceversâ collocandi religiosos Hispanos conventuum huiusmodi in aliis conventibus provinciae regni promiscue cum religiosis Italis, vel respective remittendi Hispanos ad suam provinciam Castellae; in electionibus vero praelatorum, dispositionem sacri Concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum eâdem auctoritate servari mandes: nos enim ad praemissa quascumque necessarias et opportunas facultates tibi harum serie tribuimus et impartimur.

Commissio exequendi praedictam novam Clementis ordinationem.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specificâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, adductae aut verificatae et iustificatae fuerint, aut quavis aliâ, etiam quantumlibet iuridicâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu

Clausulae.

1 Deest *expeditas* (R. T.).

et capite, etiam in corpore[1] iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, ullo[2] unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis formali et substantiali individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu etiam impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus, etc.

Contrariorum derogatio.

§ 1. Non obstantibus praemissis, ac, quoad ea quae praesentibus sunt vel dici possent contraria, praedictis Clementis praedecessoris et nostris litteris, ac constitutionibus et ordinationibus, etiam in fundatione dictorum conventuum et hospitii, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam dicto Ordini eiusque superioribus, et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII iunii MDCCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 iunii 1722, pontif. anno II.

XXVIII.

Confirmatur ampliatio numeri magistrorum pro provinciâ Aprutinâ fratrum Praedicatorum[1].

1 Edit. Main. legit *corporis* (R. T.).

2 Potius lege *nullo* (R. T.).

1 Innocentii XII constit. edit. MDCXCV, die 22 septembris, pontif. V, reductus fuit numerus magistrorum ac graduatorum.

Innocentius Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae ampliandi numerum duodecim ad quindecim.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filiis fratres graduati provinciae Aprutinae Ordinis Praedicatorum, quod anno MDCXII in eâdem provinciâ numerus duodenarius magistrorum in sacrâ theologiâ praefixus a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro per quasdam suas litteras apostolicas confirmatus fuit, et subinde post unius saeculi et amplius spatium cum eadem provincia agnovisset numerum duodenarium magistrorum huiusmodi usque ad quindenarium, tam ob praedictam provinciam religiosis virtute praedictis studiisque formalibus auctam, quam ob illius maius bonum ac utilitatem, ampliari opus esse, ipsi exponentes in novissimo capitulo provinciali, quod anno proxime praeterito, die XI maii, in conventu S. Severi Maioris Neapolitano dicti Ordinis celebratum fuit, instituerunt ut praefatae ampliationis supra eiusmodi praefixum duodenarium numerum petitio fieret, quam quidem petitionem rationi consonam et iustissimam a capitulo generali memorati Ordinis in almâ Urbe nostrâ die XI iunii eiusdem anni habito recognosci et approbari obtinuerunt.

Confirmatio praedictae ampliationis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes, praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, plurimum desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, et attentâ relatione dilecti filii moderni procuratoris generalis eiusdem Ordinis super praemissis eisdem cardinalibus factâ, praefatam ampliationem praefixionis numeri duodecim magistrorum in praedictâ provinciâ usque ad numerum quindenarium[1] a pleno capitulo generali Ordinis huiusmodi nuper celebrato decretam, ut praefertur, pro arbitrio et conscientiâ dilecti pariter filii Augustini Pipia magistri generalis Ordinis praedicti, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas, etc.[2].

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etc.[3].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII iulii MDCCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 iulii 1722, pontif. anno II.

XXIX.

Confirmantur quaedam statuta Congregationis S. Hippolyti Charitatis in

1 Edit. Main. legit *quindenniorum* (R. T.).
2 Reliqua ut pag. 901 *b* (R. T.).
3 Reliqua ut pag. 701 *a* (R. T.)

Indiis Occidentalibus, cum nonnullis declarationibus [1].

Venerabili fratri archiepiscopo Mexicano, Innocentius Papa XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ab Innocentio XII erecta fuit dicta Congregatio in religionem, et eius constitutiones approbatae.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus frater maior Congregationis Charitatis sub titulo sancti Hippolyti in civitate Mexicanâ aliisque partibus Indiarum Occidentalium in religionem erectae, tam suo quam definitorii ipsius Congregationis nomine, quod aliàs, postquam felicis recordationis Innocentius Papa XII praedecessor noster dictam Congregationem in religionem erexerat, illius constitutiones, toto illarum tenore inserto, per quasdam suas litteras desuper in simili formâ Brevis die XXI iunii MDCC expeditas, ad supplicationem dilecti pariter filii Ioannis de Cabrera, tunc temporis eiusdem Congregationis procuratoris generalis, sub certis modo et formâ tunc expressis, confirmavit et approvavit, et aliàs, prout in praedictis Innocentii praedecessoris litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Verum, quia experientiâ compertum fuit, praedictas constitutiones, seu earum aliquas, paci et bono regimini Congregationis huiusmodi minimé profuisse, sed illas reformatione, clariori explicatione, ac etiam novâ additione indigere, idem frater maior, unâ cum eodem definitorio, pro prospero statu ac felici gubernio memoratae Congregationis decreta seu statuta edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Nova statuta referuntur.

Generalis et consiliarii sint sexennales et reliqui officiales triennales.

I. Quod in posterum officium fratris maioris generalis et officia quatuor eiusdem consiliariorum durare debeant ad sexennium; ita tamen quod in fine primi triennii tam generalis quam consiliarii teneantur eligere fratres maiores locales et reliquos officiales religionis, vel confirmando illos antiquos pro evidenti utilitate, vel de novo alios eligendo pro maiori augumento instituti: attento quod, cum idem generalis teneatur visitare omnes domus fundatas, et alias quae dietim in regione tam vastâ fundantur, expertus fuit quod in spatio solius triennii, quo durabat generalatus officium, tales visitationes expleri non valeant in magnum praeiudicium Congregationis.

Augetur numerus suffragiorum pro electione generalis.

II. Quod reformetur modus practicandus circa electionem fratris maioris generalis, dum in praefatis constitutionibus mandatur quod quolibet triennio convocentur viginti antiquiores in professione, qui tamen scribere et legere sciant, et quod cum istorum suffragiis tantum deveniatur ad talem electionem; haec enim restrictiva ad viginti antiquiores in professione peperit usque nunc graves abusus, dum facti isti proprietarii et domini absoluti vocis activae et passivae occuparunt absque ullo merito omnes gradus Congregationis, et inter se diviserunt praeeminentias, coarctando electiones; unde pro opportuno remedio erit imposterum statuendum, quod, in locum praefatorum viginti antiquiorum in professione, subrogentur alii viginti habiliores et capaciores in religione, seligendi ex illis qui exercuerunt officia generalis et consiliariorum, necnon ex fratribus maioribus localibus, ex antiquiore sacerdote ac novitiorum magistris, ac procuratore generali, et, quatenus ex his non posset expleri numerus viginti, compleatur ex magistris in chirurgiâ antiquioribus in professione, qui sic selecti de sexennio in sexennium eligant generalem in capitulo generali convocato.

Quomodo et qui eligendi ad reliqua officia.

III. Quod inviolabiliter observetur constitutio in qua mandatur quod frater maior generalis noviter electus insimul cum eius consiliariis debeant providere alia officia religionis in personis zelantibus institutum, et quod tam in hoc quam in reliquis aliis

1 Ab Innocentio XII const. edit. MDCC, die 21 iunii, pontif. IX, confirmatae fuere eiusdem Congregationis constitutiones.

actibus praefati consiliarii habeant votum consultivum ac decisivum aequale cum generali, et quod in omnibus stetur maiori parti suffragiorum. Ulterius vero declaretur praedictos consiliarios non posse in se ipsis applicare nominationem ad dicta officia, prout usque ad praesens applicarunt, eos in posterum inhabilitando ad ea posse consequi, sanciendo quod debeant esse contenti solo officio consiliariorum, quousque illo funguntur.

Sacerdotes privantur voce passivâ.

IV. Cum principalis scopus religionis sit attendere operibus misericordiae corporalibus versus pauperes infirmos convalescentes, mente captos, aliosque egenos, quod exercitium solum competit laicis, ideo in constitutionibus privantur voce passivâ sacerdotes, et hoc iterum confirmari debet cum ulteriori explicatione quod censeantur etiam privati voce passivâ illi sacerdotes qui promoti fuere antequam Congregatio erigeretur in religionem.

Generalis sibi eligat domum.

V. Quod reformetur dispositio quae mandat fratrem maiorem generalem cum suis consiliariis debere habitare in conventu sancti Hyppoliti sito extra moenia civitatis Mexicanae, stante quod, cum dictus conventus plurimum distet a dictâ civitate, in eâque et illius tribunalibus quasi continuo debeant generalis et consiliarii praedicti esse presentes ob tractanda negocia religionis, cum summo eorum incommodo et plerumque cum praeiudicio religionis, quia non valent horis debitis interesse; ideo permittitur in posterum generali eligere habitationem in illâ domo vel civitate, quam magis congruam reputaverit pro reparandis necessitatibus, quae de tempore in tempore imminebunt religioni, durante officio sui generalatus.

Generalis confirmet electionem provincialium, et provincias visitet.

VI. Quod spectet ac pertineat ad fratrem maiorem generalem approbare et confirmare electiones provincialium qui eligentur in quacumque provinciâ ad quam religio propagaretur; et quod praefatus generalis teneatur de triennio in triennium unâ vice visitare qualemcumque provinciam, in qua fundatio fieret, existentem in regno Novae Hispaniae, Guatemalae, Nicaraguae aliasque circumvicinas; et, casu quo fundationes sequerentur in regno Peruano vel in aliis partibus remotioribus, quod idem generalis possit nominare visitatorem delegatum pro faciendâ tali visitatione ad ea loca tam distantia, ad quae non de facili potest personaliter se conferre, ut munus visitationis adimpleat.

Qui et a quibus eligendus praesidens capituli.

VII. Pariformiter pro progressu religionis abolenda est illa coarctata[1] circa electionem praesidentis capituli, ubi iniungitur quod talis praesidens esse[2] debeat frater maior S. Hyppoliti, dum ex hoc graves abusus orti sunt tam circa vocales quam circa redditionem rationis suae administrationis ab illo faciendam, habito respectu ad dominium praesidentiae quod in ipsius personam debet omnino cadere; ideoque pro opportuno remedio tradatur facultas fratri maiori generali eiusdemque consiliariis pro electione praesidentis per eos faciendâ triduo ante celebrationem capituli generalis, et quod electio cadat in personam, quae non exerceat ullum officium, ex quo impedita remaneat rectitudo praesidentiae; ac ulterius declaretur quod dictus praesidens non possit eligi in generalem in eo capitulo cui praesidet, nisi in casu quo esset electus cum plenis omnium vocalium suffragiis, ac eorum nemine discrepante.

Quid, si generalis gubernare non possit, vel generalatus vacet.

VIII. In constitutionibus mandatur quod, in casu diuturnae infirmitatis aut necessariae absentiae fratris maioris generalis, possit iste subrogare praesidentem, qui durante dicto impedimento Congregationem regat et gubernet, et iste esse debebit primus consiliarius, et in casu obitus aut depositionis illiusmet fratris maioris generalis, idemmet primus consiliarius succedere debebit in gubernio illius pro toto eo tempore quod supererit ad celebrationem capituli generalis; at, quia in expressis casibus illa necessitas primi consiliarii non solum videtur exosa, sed etiam inductiva voti captandae mortis, ac dissensionum promotrix, ideo statuendum venit in posterum, quod, in casu necessariae

1 Forsan *coarctatio* (R. T.).
2 Ed. Main. legit *esset* pro *esse* (R. T.).

absentiae aut infirmitatis diuturnae, generalis nominet unum commissarium generalem, qui ipsius nomine religionem gubernet; in casu vero mortis, depositionis aut renunciationis dicti fratris maioris generalis, quod gubernium religionis stet penes definitorium, ita tamen, quod primus consiliarius debeat quamprimum convocare vocales pro electione vicarii generalis, nisi tempus celebrationis capituli generalis sit valde proximum, qui vicarius generalis sic electus gubernet religionem usque ad tempus capituli generalis.

Qui eligendus in secretarium.

IX. Declaretur etiam quod secretarius capituli generalis debeat eligi de numero vocalium.

Confirmatio relatorum statutorum cum nonnullis declarationibus.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus frater maior statuta seu decreta huiusmodi, pro firmiori illorum[1] subsistentiâ et exactiori observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius maioris votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium, qui relationem dilecti filii nostri Bernardi Mariae eiusdem S. R. E. presbyteri cardinalis de Comitibus nuncupati, nostri secundum carnem fratris germani, praedictae Congregationis Charitatis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super praemissis eisdem cardinalibus factam viderunt, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, audito tamen prius capitulo generali supradictae Congregationis, ad praeinsertorum statutorum confirmationem auctoritate nostrâ apostolicâ pro tuo arbitrio et prudentiâ procedas iuxta sequentem modum et additas declarationes, videlicet: quo ad[1] primum, ita tamen ut vim habere incipiat postquam modernus generalis et quatuor consiliarii ab officio cessaverint; ad secundum, sine praeiudicio religiosorum qui iam in eâdem Congregatione admissi fuerunt, itaut statutum procedat quoad religiosos in futurum admittendos; ad quartum, sed non censeantur privati voce passivâ illi sacerdotes qui promoti fuere antequam ipsa Congregatio in religionem eligeretur; ad septimum, ita tamen ut praesidens in capitulo nisi cum duabus ex tribus partibus suffragiorum eligi nequeat: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus, necnon praedictae Congregationis Charitatis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII augusti MDCCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 augusti 1722, pontif. anno II.

XXX.

Erigitur universitas studii generalis in civitate S. Iacobi de Leon de Caracas Indiarum Occidentalium[3].

1 Edit. Main. legit *illius* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *quod* pro *quo ad* (R. T.).

2 Reliqua ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

3 Erecta fuit universitas in civitate Guatimala ab Innocentio XI const. edit. MDCLXXXVII,

Innocentius Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium a studio promovendi disciplinas praesertim sacras.

Inscrutabili divinae sapientiae atque bonitatis arcano, ad Ecclesiae Catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimini, meritis licet imparibus, evecti, sacrarum eisque ancillantium bonarum litterarum studia, per quae, depulsâ ignorantiae caligine, mentes veritatis luce illustrantur, et non minus catholicae fidei divinique cultus propagationi et incremento, quam iustitiae administrationi aliisque reipublicae commodis et ornamentis, privatorumque utilitatibus consulitur, ubique locorum, et praesertim in remotissimis ab hac Sanctâ Sede partibus, quantum nobis ex alto conceditur, promovere ac incitare et confovere studemus, sicut, omnibus maturâ consideratione perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiaeque decus et praesidium, ac spiritualem temporalemque christifidelium utilitatem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Laudes collegii dictae civitatis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt venerabilis frater modernus episcopus et gubernator civitatis S. Iacobi de Leon de Caracas, quod Caracae populi sunt Americae meridionalis in parte australi regni Peruani versus mare Pacificum et regnum Chilense intra montes, et dominio carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis Catholici subsunt; in eâ autem regione dicta civitas et in illâ magnificum collegium extructa reperiuntur, nec deest ampla bibliotheca; quodque notabilius est, novem cathedrae in eo, et signanter philosophiae, sacrae theologiae, tam scholasticae quam moralis, iuris canonici et civilis, ultra cathedram latinitatis et rhetoricae, aliasque pro recto studiorum instituto necessarias, curâ potissimum et expensis eiusdem episcopi erectae existunt, magnusque propterea adest studentium concursus, itaut annis practeritis sexagintasex in matriculâ descripti fuerint ut a scholâ rhetoricae ad illam philosophiae transirent, secutâque vacatione cathedrae latinitatis et rhetoricae huiusmodi, pro illâ obtinendâ undecim oppositores comparuerint.

Causae erigendae universitatis et preces episcopi ac gubernatoris.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, completo studiorum curriculo, illi qui studuerunt, vel lauream doctoratus recipere nequeant, vel, cum evidenti vitae discrimine et cum maximâ impensâ ad eam recipiendam vel in universitatem studii generalis S. Dominici aut S. Fidei accedere teneantur; proindeque ab ipsis exponentibus eidem Philippo regi supplicatio exhibita fuerit pro impetrandâ a nobis facultate memoratum collegium in universitatem studii generalis erigendi, ac lauream doctoralem concedendi, ad instar universitatis S. Dominici insulae Hispaniae, itaut sic erigendae universitati praelati, canonici cathedralis[1] ecclesiae, rector collegii, et scientiarum in eo professores cum retentione graduum, quos ipsi in aliis universitatibus iam receperunt, adiungi valeant: nobis propterea ipsi exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Erectio dictae universitatis ad instar illius S. Dominici cum omnibus privilegiis.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet

die 18 iulii, pontif. XI; et a Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVII, die 1 iulii, pontif. IV, erigitur universitas in civitate Camerinensi.

1 Edit. Main. legit *cathedrales* (R. T.).

innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum (qui ad dubium eis propositum, an esset consilium nobis praestandum pro praefatâ erectione collegii in universitatem, et facultate conferendi gradus ad instar universitatis S. Dominici insulae Hispanicae, necnon pro gratiâ ut praelati et cathedralis canonici ac rector et magistri actu docentes in collegio aggregari possint ad novam universitatem unâ cum gradibus quos in aliis universitatibus receperunt, in casu, etc., affirmative responderunt) consilio, et attento quod eiusmodi instantia eiusdem Philippi regis nomine commendata fuit: collegium S. Iacobi de Leon de Caracas in publicam studii generalis universitatem adinstar praedictae universitatis S. Dominici insulae Hispaniae, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, sine cuiusquam alterius universitatis studii generalis praeiudicio, erigimus et instituimus, et ad eam sic erectam, ut praelati, canonici cathedralis, rector collegii et scientiarum huiusmodi in eo professores cum retentione eorumdem graduum, quos ipsi in aliis studiorum generalium universitatibus iam receperunt, ut praefertur, aggregari queant, auctoritate et tenore praefatis concedimus. Ac eidem universitati studii generalis, sic per praesentes erectae et institutae, illiusque rectori, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, procuratoribus, bidellis, nunciis, ceterisque officialibus, ministris et personis quibuscumque pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis praerogativis, honoribus et praeeminentiis, quibus praedicta universitas studii generalis S. Dominici, illius rector, magistri, doctores, lectores, praeceptores, scholares, procuratores, bidelli, nuncii, ceterique officiales, ministri, et personae quaecumque respective tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, non solum ad eorum instar, sed etiam aeque principaliter ac pariformiter in omnibus et per omnia uti, frui, potiri et gaudere; rectori autem ipsius universitatis per praesentes erectae et institutae pro tempore existenti, ut illos, quos in eâdem universitate per debitum tempus studuisse ac scientiâ et moribus idoneos esse repererit, in praedictis facultatibus sive scientiis, quae in ipsâ universitate docebuntur seu legentur, ad baccalaureatus, etiam formati, licentiaturae ac doctoratus et magisterii gradus, servatâ tamen in omnibus et per omnia formâ decretorum Viennensis et Tridentini conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, et aliàs iuxta laudabilem supradictae universitatis S. Dominici insulae Hispaniae consuetudinem, promovere, solitaque graduum huiusmodi insignia eis conferre et exhibere; ipsis vero ad eosdem gradus per illum sic promotis, ut postea publice privatimque, etiam in omnibus aliis universitatibus studiorum generalium, facultates sive scientias praedictas respective alios docere et interpretari, de iis disputare, aliosque actus quoscumque eorum gradibus convenientes exercere libere et licite possint et valeant, respective, earumdem tenore praesentium, indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes, etc.[1]

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti collegii, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX augusti MDCCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 augusti 1722, pontif. anno II.

XXXI.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de alternativâ vicariatus generalis servandâ inter tres provincias fratrum B. M. de Mercede Excalceotorum [3].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Iustâ de causâ instituta et confirmata fuit huiusmodi alternativa inter provincias Beticae, Castellae et Siciliae a sequentibus capitulis generalibus.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum moderni vicarii generalis, definitorum et fratrum provinciarum Ordinis B.M. de Mercede Redemptionis Captivorum Excalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium propositae exposito, quod, excrescentibus in dies scissuris et inordinationibus in capitulis generalibus dicti Ordinis ob potentiam praevalentem unius ex partialitatibus, inter quas, nempe Beticae, utriusque Castellae, ac utriusque Siciliae tres provincias distinctas, corpus integrum religionis constituitur, adeout per continuata sexennia semper vicarius generalis de unâ factione in detrimentum distributive[1] aliarum electus fuerat; ex tali autem gravamine adeo excreverant turbolentiae, ut ad ultimum excidium per divisiones religionem traherent; eâque de causâ, ad occurrendum his malis, provide unanimi consilio, in capitulo generali anno MDCXCVI celebrato, ab omnibus provinciis stabilitum fuerat, ut alternatim per turnum ex tribus partialitatibus Beticae, Castellae et Siciliae provinciarum huiusmodi vicarius generalis Ordinis praedicti eligeretur, ut ex particulâ actorum capitularium habetur tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreta et statuta capituli generalis celebrati die XX *decembris anni* MDCXCVI, *n.* X.

I. Statutum capituli anno MDCXCVI.

Primo statuitur et a toto pleno capitulo declaratur, quod clausula constitutionis nostrae, qua praecipitur ut vicarius generalis ex toto corpore religionis eligatur, sic ad praxim deinceps debet reduci, ut inter tres provincias, quae modo extant et praedicti corporis aequalia sunt membra, alternativa successio in vicariatu generali servetur; ita quod nullus ex provinciâ, cuius filius in hoc capitulo assumptus fuit ad dignitatem religionis supremam, in duobus sequentibus assumi possit ad illam; sed ius subiecti eligibilis maneat in duabus aliis provinciis, servatâ inter eas prioritate antiquitatis; taliter quod Betica, quae prior est tempore, sit etiam prior in immediatâ dignitatis successione. Declaratur tamen, quod, si decursu temporis aliqua provinciarum dividatur in duas vel plures, non ideo debent augeri alternationes, sed semper sint restringendae ad tres provincias modo stantes; ita quod unum integrum sexennium tantum ad Beticas, aliud ad Castellanas, et aliud tantum extendatur ad Siculas et alias erigibiles extra Hispaniam. Ut autem hanc alternationem cum aequali honore et fructu unaquaeque provincia possideat, statutum etiam est, quod, vacante quovis modo possibili vicariatu generali extra capitulum, tunc provincialis provinciae, ex qua assumptus fuerat vicarius generalis qui ab officio decessit, convocet

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).

2 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).

3 Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVII, die 19 aprilis, pontif. XI, extat decretum de pecuniis mutuo accipiendis; et Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVIII, die 28 ianuarii, pontif. IV, praecipitur cantus Gregorianus in choro.

1 Videtur leg. *iustitiae distributivae* (R. T.).

quatuor definitores et procuratorem generalem, necnon exgenerales et exprovinciales et exvicarios provinciales, qui fuerint per biennium eiusdem tantum provinciae, qui omnes intra unius mensis spatium, et non ultra, vel quamprimum fuerit possibile, eligant canonice successorem vicarii generalis ex eâdem provinciâ, qui universam recollectionem gubernet integrumque impleat sexennium a die electionis sui praedecessoris computandum, et, statim ac fuerit electus, teneatur illico confirmatus, in qua congregatione praesideat provincialis convocans, qui in simili eventu praeses generalis religionis constituitur a lege usque ad electionem futuram.

Quae quidem dispositio fuit pariter a capitulo generali coadunato de anno MDCCIII confirmata cum decreto tenoris sequentis, videlicet:

II Statutum capituli anno MDCCIII.

Secundo statuitur, et a toto pleno capitulo declaratur, quod clausula constitutionis nostrae, qua praecipitur quod pater vicarius generalis ex toto corpore religionis eligatur, sic ad praxim deinceps debet reduci, ut inter tres provincias, quae modo extant et praedicti corporis aequalia sunt membra, alternativa successio in vicariatu generali servetur; ita quod nullus ex provinciâ, cuius filius in hoc et antecedenti capitulo assumptus fuit, ad dignitatem religionis supremam, in sequenti assumi possit ad illam, sed ius subiecti eligibilis solum ratione praedictae alternativae in provinciâ Siculâ maneat, cui de iure in capitulo generali sequenti competit alternatio. Declaratur tamen, quod, si decursu temporis aliqua provinciarum dividatur in duas vel plures, non ideo debent augeri alternationes, sed semper sint restringendae ad tres provincias modo extantes, ita quod unus generalis tantum ad Beticas, alius ad Castellanas[1], et alius ad Siculas et alias erigibiles extra Hispaniam extendatur.

Accedente postmodum aliâ confirmatione habitâ in capitulo generali de anno MDCCIX ex actis capitularibus tenoris sequentis, videlicet:

1 Edit. Main. legit *Castellas* (R. T.).

III Statutum capituli anno MDCCIX.

Tertio statuitur, et a toto pleno capitulo declaratur, quod clausula constitutionis nostrae, qua praecipitur quod pater vicarius generalis ex toto corpore religionis eligatur, sic[1] ad praxim deinceps debet reduci, ut inter tres provincias, quae modo stant et praedicti corporis aequalia sunt membra, alternativa successio in vicarium generalem servetur, ita quod nullus ex provinciâ, cuius filius in hoc et antecedenti capitulo assumptus fuit ad dignitatem religionis supremam, in sequenti assumi possit ad illam, sed ius subiecti eligibilis solum ratione praedictae alternativae in provinciâ Castellae maneat, cui de iure in capitulo generali sequenti competit alternatio. Declaratur tamen, quod, si decursu temporis aliqua provinciarum dividatur in duas vel plures, non ideo debent augeri alternationes, sed semper restringendae sint ad tres provincias modo stantes, ita quod unus generalis tantum ad Beticas, alius ad Castellanas[2], et alius ad Siculas et alias erigibiles extra Hispaniam extendatur; imo in eo in exequutionem alternativae electus remansit vicarius generalis de partialitate Siciliae.

Et postremo in capitulo generali habito de anno MDCCXVII, in executionem alternativae, in generalem nominatus fuit modernus unus ex tribus de provinciâ Castellae, et confirmata pariformiter extitit vicariatûs generalis alternativa ex decreto capitulari tenoris sequentis, videlicet:

IV. Statutum capituli anno MDCCXVII.

A toto pleno capitulo declaratur, quod clausula costitutionis nostrae, qua praecipitur quod pater vicarius generalis ex toto corpore religionis eligatur, sic ad praxim deinceps debet reduci, ut inter tres provincias, quae modo stant et praedicti corporis aequalia sunt membra, alternativa successio in vicariatu generali servetur, ita quod nullus ex provinciâ, cuius filius in hoc et antecedenti capitulo assumptus fuit ad dignitatem religionis supremam, in sequenti assumi possit ad illam. Declaratur tamen, quod,

1 Pessime edit. Main. legit *sit* pro *sic* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *Castellas* (R. T.).

si decursu temporis aliqua provinciarum dividatur in duas partes vel plures, non ideo debent augeri alternationes, sed semper sint restringendae ad tres provincias modo stantes; ita quod unus generalis tantum ad Castellanas[1], alius ad Beticas, alius ad Siculas et alias erigibiles extra Hispaniam extendatur.

Causae sequentis decreti.

Et in eâdem expositione subiuncto, quod experientiâ plurium annorum et vicariorum generalium electionum compertum extiterat, quod omnia per praedictam alternativam apud religionem in pace composita fuerant[2], unicuique, quod suum erat, per distributionem assignatum, omnesque provinciae et onere et honore perfruebantur; cumque penes idem capitulum generale, non solum de iure, sed etiam ex supremâ huius Sanctae Sedis specificâ confirmatione constitutionum, potestas condendi statuta et leges resideat, quae per tria capitula generalia continuata confirmata tamquam constitutiones sint observandae: ideoque eidem Congregationi cardinalium supplicato, ut, ne in posterum sic extinctae factiones reviviscant, et aperiatur via scissuris per alternativam praedictam sublatis, sed futuris cum perpetuo remedio consulatur, alternativam huiusmodi iuxta modum a memoratis capitulis generalibus dispositam confirmaret:

Emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis pro confirmatione alternativae.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, visâ relatione patris procuratoris generalis, referente eminentissimo Belluga, censuit et decrevit suprascriptam alternativam esse approbandam et confirmandam, prout praesentis decreti vigore approbat atque confirmat. Romae, x iulii MDCCXXII. — F. cardinalis PAULUTIUS. — F. archiepiscopus Damascenus, secretarius.

Confirmatio relati decreti Congregationis.

§ 2. Cum autem, sicut dicti exponentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri plurimum desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, etc.[1].

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, qualenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV augusti MDCCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 augusti 1722, pontif. anno II.

XXXII.

Confirmantur decreta Congregationis episcoporum et regularium super quartâ

1 Edit. Main. legit *Castellas* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *fuerat* (R. T.).

1 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).
2 Reliqua ut ibid. (R. T.).

funerali et ingressu parochorum cum stolâ et cruce in ecclesias regularium [1].

Innocentius Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Decreta praedicta quae edita fuere annis MDCCXX et MDCCXXI pro parochis contra patres Minores Strictioris Observantiae civitatis Parmensis.

§ 1. Emanarunt nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

Parmens funerum. Ab immemorabili in dictâ civitate viget consuetudo stabilita, etiam ex constitutionibus plurium Summorum Pontificum, signanter sanctae memoriae Iulii II ac Clementis VIII, et comprobata per constitutiones synodales, et canonizata in contradictorio iudicio ac per varia decreta huius sacrae Congregationis de annis MDCLXXI et MDCLXXV, non solum quod occasione funerum regularibus pateret ingressus cum stolâ et cruce in ecclesias saecularium, absque tamen aliquo exercitio, et idem practicaretur a parochis intra ecclesias regularium, sed etiam quod omnes praefati regulares persolverent, prout semper persolverunt, quartam eisdem parochis. Quia vero patres S. Francisci strictioris observantiae nuper acciti ad dictam civitatem, postquam iam itidem ipsi acceptaverunt dictas laudabiles consuetudines, renuerunt admittere parochos ad ingressum in eorum ecclesias cum stolâ et cruce occasione associandi cadavera, et similiter eisdem quartam persolvere; habito deinde desuper a collegio parochorum ipsius civitatis recursu ad hanc sacram Congregationem negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam, eadem sacra Congregatio, visâ relatione episcopi Parmensis, partibus auditis et informantibus, ad relationem sanctissimi domini nostri Innocentii XIII tunc causae ponentis, censuit et decrevit, servandam esse consuetudinem favore parochorum in omnibus, sub die XXI martii MDCCXX: non acquiescentibus partibus adversariis huiusmodi resolutioni, repropositâ causâ ab eminentissimo Priolo in locum Sanctitatis Suae in ponentem suffecto, ipsamet sacra Congregatio stetit in decisis sub dictâ die XXI martii MDCCXX. — Romae, XIV novembris MDCCXXI. — F. card. PAULUTIUS. — I. archiepiscopus Damascenus, secretarius.

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii parochi dictae civitatis nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decreta huiusmodi, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem etc. [1].

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV augusti MDCCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 augusti 1722, pontif. anno II.

1 De delatione cadaverum ad ecclesias regularium vide hic laudatas, et Innocentii XI const. edit. MDCLXXVI, die 2 decembris, pontif. I; de quartâ vero funerali vide Benedicti XIII const. edit. MDCCXXV, die 28 aprilis, pontif. I.

1 Reliqua ut pag. 926 *b* (R. T.).

XXXIII.

Confirmatur decretum camerale, eiusque ampliatio pro inquilinis tempore anni sancti [1].

Annibal tituli S. Clementis presbyter cardinalis Albanus, S. R. E. camerarius.

Decretum cameralem praedictum refertur ipsiusque ampliatio.

§ 1. In favorem inquilinorum et subinquilinorum huius almae Urbis respectu anni sancti seu iubilaei, quandocumque huiusmodi annus venisset, de mandato felicis recordationis Pauli Papae III decretum camerale, et subinde, de pari mandato etiam felicis recordationis Gregorii Papae XIII, dicti decreti confirmatio et ampliatio emanarunt huiusmodi sub tenore, videlicet :

Aloysius tituli S. Marci, presbyter cardinalis Cornelius, S. R. E. camerarius. Invenimus aliàs decretum in Camerâ Apostolicâ in favorem inquilinorum factum tenoris sequentis, videlicet :

Decretum praedictum anni MDXLIX.

Guido Ascanius Sforzia, S. Eustachii diaconus cardinalis de S. Flora, S.R.E. camerarius. Nuper nobis in Camerâ Apostolicâ, non sine animi nostri displicentiâ, pro parte inquilinorum et subinquilinorum Urbis querelantium expositum fuit, quod ipsi a dominis domorum per eos ad pensionem annuam conductarum, respectu anni sancti sive iubilaei, tam sub augumento pensionis, fictos oblatores maiorem pensionem offerentes inducentibus, quam etiam super earum evacuatione, etiam locatione durante, asserentibus domos praedictas pro eorum usu habere velle, quotidie molestantur, et ex domibus per eos conductis contra formam iuris expelluntur : nihilominus, expulsis inquilinis sive subinquilinis, domos praedictas pro maiori pretio in grave damnum inquilinorum seu subinquilinorum contra formam decreti cameralis, eorum promissionis, obligationis et iuramenti alteri locant. Nos, ut tenemur ex debito nostri camerariatus officii, tranquillitati curialium, inquilinorum et subinquilinorum, ac malitiis, calumniis, litibus et controversiis, quae inter dominos domorum, ex unâ, ac inquilinos et subinquilinos, partibus ex alterâ, quotidie exinde oriuntur, quantum possumus, providere cupientes, ne decretum, aliàs per antecessores nostros et Cameram Apostolicam in favorem inquilinorum factum, in damnum et praeiudicium ipsorum retorqueatur : idcirco, de mandato sanctissimi domini nostri Papae vivae vocis oraculo nobis desuper, ac ex decreto in Camerâ Apostolicâ maturâ consideratione facto, statuimus et ordinamus, quod in futurum, respectu anni sancti vel iubilaei, quandocumque huiusmodi annus venerit, per annum antea et pro dicto anno sancto vel iubilaei, inquilinis pensio domus per eos conductae a dominis ipsius augeri, nec modus solvendi pensionem alterari possit : insuper, pro maiori curialium, inquilinorum et subinquilinorum quiete, ad lites et controversias evitandas, ut praefertur, oraculo et decreto similibus declarando decretum in favorem inquilinorum per antecessores nostros et per Cameram Apostolicam aliàs factum, *in perpetuum statuimus et ordinamus, quod ex nunc in posterum, durante locatione inquilini,* tam ipse inquilinus quam subinquilinus eiusdem, ex domo ab eisdem conductâ sive subconductâ, a domino ipsius asserente domum suam pro suo habere velle, expelli non posse, nisi iuxta formam iuris communis ; *finitâ vero locatione, quocumque modo finiatur,* si dominus pro usu suo domum habere intendit, tunc utroque casu inquilinus expelli non possit, nisi prius dominus iuraverit, et sub poenâ amissionis pensionis duorum annorum domus de qua agitur, de non locando alteri domum praedictam vel partem ipsius, sed eam totam per se ipsum *per annum inhabitando, in ampliori formâ Camerae Apostolicae, cum censuris et mandatis executivis, se obligaverit, et, si dominus contravenerit, statim in poenam praedictam incidat, quae poena, si non intervenerit accusator, pro medietate fisco pro poenâ periurii, pro*

1 Auctoritate Pauli III huiusmodi decretum editum fuit anno MDXLIX, die 29 aprilis ; ampliatio vero auctoritate Gregorii XIII a. MDLXXIII, die 20 februarii ; Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXIV, die 4 iunii, pontf. I, suspenduntur omnes indulgentiae dicto anno sancto.

aliâ vero inquilino vel subinquilino respective in casu suo applicanda; sed si in dictis casibus intervenerit accusator, tertia pars poenae praedictae unicuique ipsorum applicetur. *Declarantes, quod subinquilinus, finitâ locatione sui auctoris, quocumque modo finiatur, etiam de consensu domini et inquilini, huiusmodi inquilinorum privilegio non gaudeat, sed, domino volente, teneatur eam liberam et expeditam relaxare, nisi ab ipso domino reconductam habeat;* et, si notarius obligationem et promissionem per dominos domorum faciendam contra formam praesentis nostri et Camerae Apostolicae decreti rogare praesumpserit, ad poenam supradictam teneatur, et statim, docto summarie per duos testes de contraventione domini domorum vel notarii, tam contra eosdem dominos quam contra notarium censurae sive mandatum executivum, tam ad instantiam fisci quam inquilini, subinquilini et accusatoris, parte citatâ, per reverendum praesidem viarum, *per Cameram Apostolicam deputatum et pro tempore deputandum, relaxetur;* inhibentes omnibus et singulis almae Urbis iudicibus, tam ecclesiasticis quam saecularibus, ne, viso praesenti nostro et Camerae Apostolicae decreto, sub maioris excommunicationis, suspensionis a divinis respective, ac sub aliis arbitrii nostri et successorum nostrorum poenis, contra illius formam iudicare vel sententiare audeat sive praesumant, nec quilibet ipsorum audeat vel praesumat, sed omnia in praesenti decreto contenta, toties quoties opus fuerit, futuris temporibus perpetuo inviolabiliter observare ac observari facere teneantur et debeant, et quilibet ipsorum teneatur et debeat; quocumque alio decreto in contrarium forsan desuper facto ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque; si secus super his fiet, irritum et inane declarantes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate. Et, ut praedicti domini iudices, fiscus, notarii, inquilini, subinquilini, accusatores et alii curiales de omnibus contentis in praesenti nostro et Camerae Apostolicae decreto plenam notitiam habeant, decretum huiusmodi in libris Camerae Apostolicae registrari, imprimi, in locis publicis solitis et consuetis affigi ac publice vendi; transumptoque eiusdem impresso, manu unius ex notariis Camerae Apostolicae subscripto, tam in iudicio quam extra, indubitatam fidem adhiberi, volumus et mandamus. Datum Romae in Camerâ Apostolicâ, anno a Nativitate MDXLIX, indictione VII, die vero XXIX aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri divinâ providentiâ Pauli Papae III. — GUIDO ASCANIUS cardinalis, camerarius. — *Visa:* HIERONYMUS BARENSIS, Camerae Apostolicae decanus. *Visa:* ITALIUS GONZAGA, Camerae Apostolicae clericus. *Visa:* ANTONIUS Bononiensis, Camerae Apostolicae clericus. *Visa:* HIERONYMUS TORCELLANUS, Camerae Apostolicae clericus. *Visa:* FRANCISCUS SODERINUS, Camerae Apostolicae clericus et viarum praeses. *Visa:* ANTONIUS FLORENUS, Camerae Apostolicae clericus. ALEXANDER PEREGRINUS.

Illius confirmatio et ampliatio anno MDLXXIII.

Cum vero ad sanctissimum dominum nostrum magnis inquilinorum querelis perlatum est [1], dominos domorum, suppositis fictis oblatoribus, hoc anno pensiones ita augere cepisse, ut non modica inde eorum perturbatio et praeiudicium sequatur: idcirco idem sanctissimus dominus vivae vocis oraculo nobis iniunxit, ut pro commisso nobis camerariatus officio super eâ re mature provideremus. Nos itaque volentes apostolicis, ut par est, obedire mandatis, simulque considerantes quod anni sancti appropinquantis laetitia atque devotio ab omnibus cum benedictione suscipi, non in occasionem lucri cum alienâ calamitate fieri debeat, eodem vivae vocis oraculo et auctoritate nostri camerariatus officii, supradictum decretum confirmantes et innovantes, illudque insuper ampliantes, statuimus et ordinamus, quod in futurum, respectu anni sancti seu iubilaei, quandocumque is annus venerit, per duos annos antea, et ipso anno sancto, inquilinis pensio domus sive apothecae, per eos conductae, a dominis ipsius nec augeri, nec modus solvendi pensionem alte-

1 Aptius lege *sit* (R. T.).

rari possit, sive veteres inquilini in conductâ domo vel apothecâ manere[1] velint, sive novi conducant, sub poenâ in supradicto decreto contentâ. Et, ut praemissa omnia ad quorumcumque notitiam deducantur, volumus et eâdem auctoritate decernimus praesens nostrum decretum et statutum in libris eiusdem Camerae registrari, et in locis solitis et consuetis eiusdem Urbis affigi et publicari, illiusque transumpto impresso, et manu unius ex dictae Camerae notariis subscripto, tantam fidem in iudicio et extra adhiberi, qualis et quanta eisdem praesentibus originalibus litteris adhiberetur, si in medium exiberentur. Datum Romae in Camerâ Apostolicâ, die XX mensis februarii MDLXXIII, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri Gregorii divinâ providentiâ Papae XIII, anno I. — ALOYSIUS CORNELIUS cardinalis camerarius. — ANTONIUS GUIDA auditor. — ANDREAS MARTINI.

Praedictum decretum eiusque ampliatio quater confirmata fuere.

§ 2. Quod quidem decretum, et illius ampliatio, postea per sanctae memoriae Clementem VIII, Gregorium XV, Innocentium X, Clementem etiam X denuo confirmari et servari mandatum fuit per publica edicta diversorum cardinalium S.R.E. camerariorum praedecessorum nostrorum, in actis Bronori et Camerae Apostolicae secretariorum respective diebus XXII maii MDXCVIII, IX maii MDCXXIII, XIV ianuarii MDCXLVIII, I ianuarii MDCLXXIII et I ianuarii MDCXCVIII respective edita.

Nova confirmatio relati decreti eiusque ampliationis.

§ 3. Et volens modo sanctissimus dominus noster dominus Innocentius divinâ providentiâ Papa XIII, suorum praedecessorum vestigia insequendo, pro tranquillitate curialium et dictorum inquilinorum et subinquilinorum, ut decretum et eius ampliatio huiusmodi omnino servetur; nobis, ut decretum et ampliationem ipsam confirmaremus et observari mandaremus, specialiter iniunxit. Nos itaque mandata apostolica, ut par est, exequi volentes, et ut proximus futurus annus sanctus sive iubilaei, in remissionem peccatorum et christifidelium animarum salutem institutus, eâ qua decet pietate et devotione atque laetitiâ, non autem in occasionem lucri, suscipiatur, et nemini ex causâ habitationum et usus domorum et apothecarum eiusdem nobis litigandi materiam, vel aliquod aliud afferat incommodum, opportune providere, ac praedecessorum nostrorum vestigia in his insequi volentes, de expresso ordine et mandato eiusdem sanctissimi domini nostri Papae Innocentii XIII vivae vocis oraculo nobis desuper facto, et auctoritate nostri camerariatus officii, praeinsertum decretum camerale, necnon illius confirmationis, innovationis et ampliationis litteras, omniaque et singula in eis contenta et expressa quaecumque, tenore praesentium confirmamus, approbamus et innovamus, illisque perpetuae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 4. Ac praedictis inquilinis et subinquilinis decretum et litteras huiusmodi, ac omnia et singula in eis contenta quaecumque, a domorum et apothecarum dominis, ac aliis ad quos spectat, perpetuo et plenarie, inviolabiliter et ad unguem, etiam sub poenis in illis contentis, observari et adimpleri; sicque per quoscumque iudices ordinarios et subdelegatos iudicari et definiri debere, de mandato et auctoritate similibus, earumdem tenore praesentium, decernimus et mandamus; irritum nihilominus decernentes et inane quidquid secus fiet; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus insuper pariterque decernimus, quod praesentium transumptis, etiam impressis, unius ex quatuor dictae Camerae Apostolicae secretariis et cancellariis manu subscriptis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae originalibus ipsis adhibe-

1 Ed. Main. legit *movere* pro *manere* (R. T.).

retur si in medium exhiberentur. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, in Camerâ Apostolicâ, anno a nativitate domini nostri Iesu Christi MDCCXXIII, indictione I, die vero I mensis ianuarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii divinâ providentiâ Papae XIII anno II.

A. cardinalis S. Clementis camerarius. — I. AMADORIUS olim de LANFREDINIS auditor. — ANTONIUS CAIETANUS FROSIUS, Camerae Apostolicae secretarius et cancellarius.

Die, mense et anno, quibus supra, supradictum edictum affixum et publicatum fuit ad valvas magnae Curiae Innocentianae, in acie Campiflorae, et in locis solitis et consuetis Urbis, ut moris est, per me Antonium Placentinum sanctissimi domini nostri Papae cursorem.

Dat. die 1 ianuarii 1723, pontif. anno II.

XXXIV.

Eduntur decreta pro restaurandâ ecclesiasticâ disciplinâ in regnis Hispaniarum[1].

Innocentius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a sollicitudine servandi ac restaurandi ecclesiasticam disciplinam.

Apostolici ministerii, quod nobis, licet immerentibus, imposuit superni dispositio consilii, ratio praecipue exigit, ut ecclesiasticae disciplinae, in iis qui in sortem Domini vocati sunt, aut servandae, aut, ubi opus fuerit, restaurandae, iuxta sacrorum canonum instituta et sanctissimas Ecclesiae leges et ordinationes, omni studio advigilemus; post enim primi parentis lapsum semper ad inferiora nos deprimit humanae mortalitatis infirmitas, et, carnis fragilitate, observantiae vigor paulatim relaxatur; unde et de mundano pulvere religiosa etiam corda sordescere et in ipso agro Domini spinas ac tribulos itidem germinare quotidianâ experientiâ edocemur; quod si noxia inde evellantur, et utilia plantentur, dubitandum non est, quin uberior, benedicente Domino, electi sanctorum operum frumenti messis exurgat, omnisque populus in viâ Domini, praelucente clero, feliciter progrediatur.

Decreta huiusmodi edita fuere precibus regis catholici, episcoporum et cardinalis Belluga, a quo Pontifici expositi fuerunt abusus in Hispaniam introducti.

§ 1. Cum itaque dilectus filius noster Ludovicus S. R. E. cardinalis Belluga et Munceda nuncupatus, ecclesiae Carthaginensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesul, in ipsis pontificatus nostri primordiis nobis exposuisset, nonnulla ecclesiasticae disciplinae rationibus ac saluberrimis sacri oecumenici Concilii Tridentini decretis haud quaquam consentanea sensim in diversis inclytae nationis Hispanicae locis obrepsisse, iisque ut opportunum remedium adhiberetur a nobis, quibus est commissa plenitudo sollicitudinis, nedum ipse Ludovicus cardinalis et praesul, sed alii venerabiles fratres archiepiscopi et episcopi regnorum Hispaniarum humiliter postulassent; eorumque enixis precibus sua etiam studia ac vota carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, pro eius singulari pietate et eximio christianae religionis zelo, datis hac de re ad nos pluribus litteris, coniunxisset: nos Congregationi particulari nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris eiusdem S. R. E. cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus a nobis deputatorum rem omnem sedulo examinandam demandavimus. Id autem

[1] Constitutiones spectantes ad huiusmodi decreta hîc suis locis laudantur: Innocentii XII const. ed. MDCXCVII, die 4 augusti, pontif. VIII, confirmata fuit Congregatio super disciplinâ regulari; et Benedicti XIII const. edit. MDCCXXIV, die 23 septembris, pontif. I, confirmatur praesens constitutio.

cum ab ipsâ Congregatione cardinalium eâ qua par erat maturitate praestitum, illiusque sententia ad nos per eiusdem Congregationis secretarium relata fuerit, de memoratorum cardinalium consilio congruum et opportunum duximus ea, quae infra sequuntur, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, veteris disciplinae instaurationem, et spiritualem regnorum Hispaniarum aedificationem, hac nostrâ perpetuâ valiturâ constitutione statuere, decernere et declarare.

Ad primam tonsuram admittantur ii dumtaxat, quibus statim sit conferendum beneficium, vel qui ratione studiorum videantur veluti in viâ ad omnes ordines, vel quos exigit necessitas ecclesiae.

§ 2. Primum igitur (cum a patribus memorati Concilii Tridentini, divino afflante spiritu, sapientissime animadversum fuerit, quantum christianae reipublicae intersit accuratum haberi delectum circa eos, quibus sacra ministeria committenda sunt, et in quorum vitam ceteri fideles iugiter oculos coniicientes, sumpturi inde sunt exemplum quod imitentur, propterea que provide ab iisdem patribus cautum fuerit ecclesiasticae militiae per primam tonsuram adscribendos nonnisi illos esse, qui probabilem praebeant coniecturam, se, non saecularis iudicii declinandi consilio, sed sincero animo praestandi fidelem cultum ac servitium Deo, hoc vitae genus elegisse) volumus, et pro tutiori ipsius conciliaris sanctionis executione[1] ab omnibus regnorum Hispaniarum huiusmodi archiepiscopis et episcopis non alii ad primam tonsuram in posterum admittantur, quam quibus ecclesiasticum aliquod beneficium statim conferendum sit, aut quos constiterit litterarum studio operam sic dare ut quasi in viâ ad ordines tum minores tum etiam deinde maiores suscipiendos versari videantur, vel demum quos viderint expedire alicuius ecclesiae servitio vel ministerio deputari.

1 Forsan deest *praecipimus, quod* (R. T.).

Nemo ad primam tonsuram vel ordines promoveatur, qui Ecclesiae utilis aut necessarius non sit, quique alicui ecclesiae non adscribatur.

§ 3. Et tam in his, qui ad primam tonsuram, quam in aliis, qui promoveri ad ordines etiam minores optaverint, omnino servetur pariter regula ab eodem Concilio Tridentino tradita, nimirum, ut nullus ordinetur, qui, iudicio sui episcopi, non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, quique illi ecclesiae aut pio[1] loco, pro cuius utilitate aut necessitate assumitur, non adscribatur, ubi re ipsâ functiones muneri suo consentaneas exerceat. Quod si qui modo reperiantur vel clericali tonsurâ iam initiati, vel ad ordines sive minores sive maiores iam promoti, qui nulli certae ecclesiae vel loco pio adscripti fuerint, episcopi ad inscriptionem huiusmodi, vel a se ipsis vel a praedecessoribus suis omissam, statim suppleant, non minus quoad omnes in maioribus ordinibus etiam presbyteratus constitutos, quam quoad eos qui, vel solâ primâ tonsurâ, vel minoribus ordinibus initiati, beneficium tamen ecclesiasticum possident. Ex reliquis autem, ut praefertur, vel solâ primâ tonsurâ insignitis, vel in minoribus ordinibus constitutis, sed beneficio carentibus, nonnisi eos adscribant, quos ecclesiis suis utiles vel necessarios esse iudicaverint. Ceterum antedictae adscriptionis executionem differri posse per aliquod temporis spatium, quod ipsis episcopis conveniens videbitur, permittimus quoad eos, qui a dioecesi, in qua tonsuram vel ordines susceperunt, causâ ediscendi litterarum scientiam in aliquâ publicâ universitate vel gymnasio, sive ex aliâ rationabili causâ a suo episcopo approbatâ vel approbandâ, absentes reperiantur.

Clerici in seminariis diebus festis tantum inserviant ecclesiae et solis process. general. intersint.

§ 4. Cum autem clerici, qui in episcopalibus seminariis educantur, ut commodius ad litterarum sacrarumque rerum studium operam conferre aliisque

1 Edit. Main. legit *pro* (R. T.).

a Concilio Tridentino praescriptis addiscendis magis assidue incumbere possint, teneantur, iuxta eiusdem Concilii decretum, diebus tantum festis cathedrali aliisque loci [1] ecclesiis inservire, hanc quidem servitii per eos obeundi rationem servari in omnibus Hispaniarum dioecesibus, necnon ipsos generalibus dumtaxat totius cleri supplicationibus sive processionibus interesse, volumus et mandamus, sublatâ quacumque maioris servitii consuetudine, etiam immemorabili, postpositâque etiam quacumque appellatione aut inhibitione. Si quod autem seminarium reperiatur in cuius fundatione aliter cautum esset ob adiectam gravioris servitii legem ab illo qui seminarium ipsum fundaverit seu dotaverit vel piam aliquam largitionem contulerit, episcopi ad nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem id referant, ut desuper opportune providere valeant.

Promovendi ad sacros ordines, qua scientia pollere debeant.

§ 5. Praeterea, cum maxime deceat eos, qui propius ad sacratissima mysteria accessuri sunt, ultra cetera requisita, congruenti etiam pollere scientiâ, qua praediti viam salutis indicare aliis christifidelibus possint, episcopi nonnisi eos ex clero tam saeculari quam regulari ad sacros ordines admittant, quos ob scientiam aliasque qualitates eo gradu vere dignos per diligentem inquisitionem compererint, adeout satis non sit illos qui promoveri ad ordines praedictos optant, linguam latinam intelligere, catechismo instructos esse, atque apte respondere quaesitis circa ordinem suscipiendum sibi in examine propositis; qui vero ad presbyteratus erunt assumendi, idonei prius per accuratum similiter examen comprobentur ad ministranda sacramenta et ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem; quod quidem ut recte praestari possit, eosdem episcopos in Domino hortamur, ut, quantum fieri potest, eos tantum ad sacerdotium assumant, qui saltem theologiae moralis competenter periti sint.

Ad episcopo beneficii nemo ordinari potest sine episcopi domicilii testimonialibus super eius scientia, etc.

§ 6. Quod si domicilium in unâ dioecesi habentes, beneficium vero in alterâ, ordinari ad eiusdem beneficii titulum optaverint ab episcopo, in cuius dioecesi beneficium huiusmodi situm est, episcopus domicilii debeat eos, si in suam dioecesim reversuri sunt, super scientiâ vel idoneitate examinare ante concessionem litterarum testimonialium super eorum natalibus, aetate, moribus et vitâ, iuxta constitutionem felicis recordationis Innocentii Papae XII praedecessoris nostri quae incipit *Speculatores*, obtinendarum; addito quoque compertae idoneitatis testimonio in iisdem litteris; neque concedi nullatenus debeant, si antedicto examine tamquam habiles approbati non fuerint; iisque iuxta praemissam formam non impetratis, minime possint ab alio episcopo, cui etiam ratione obtenti beneficii subiecti sint, ad ordines promoveri; siquc secus fiat, ordinans quidem a collatione ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum ordinum executione quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus poenis pro modo culpae nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subiaceat.

Et beneficium debet esse congruum iuxta taxam vel consuetudinem loci domicilii.

§ 7. Cumque etiam iuxta memoratam Innocentii praedecessoris constitutionem ratione ac titulo beneficii in alienâ dioecesi obtenti non aliter liceat ordines ab episcopo eiusdem dioecesis suscipere, quam si beneficium praedictum sit eius redditus ut ad congruam vitae sustentationem, detractis oneribus, per

1 Edit. Main. legit *locis* pro *loci* (R. T.).

se sufficiat; declaramus, sufficientiam huiusmodi praefiniendam esse, non iuxta taxam synodalem sive morem pro promovendis ad sacros ordines vigentem[1] in loco praedicti beneficii (nisi tamen illud continuam et praecisam residentiam requirat), sed iuxta taxam, vel, eâ deficiente, iuxta morem in alio loco domicilii vigentem.

Quibus poenis subiiciendi clerici in habitu et tonsurâ non incedentes, vel suo munerî non satisfacientes, vel vetita a sacris canonibus patrantes.

§ 8. Porro, ad sartam tectamque servandam ecclesiasticam disciplinam, non minus momenti habet quod clericali militiae nomen dare non permittatur iis qui haud satis idonei sint, quam quod eidem militiae iam adscripti laudabilem vivendi rationem sectentur, eamque morum exhibeant innocentiam quae sanctitati suscepti instituti respondeat, multoque magis quod abstineant iis quae a sacris canonibus iure meritoque vetita sunt uti prorsus indigna hominibus tabernaculum Domini inhabitantibus et venerando altaris ministerio dedicatis. Statuimus propterea atque decernimus, quod, si qui sunt clerici, aut primâ tonsurâ aut ordinibus minoribus initiati, nullumque ecclesiasticum beneficium possidentes, qui, neglectis Concilii Tridentini decretis, habitum clericalem ac tonsuram non deferant, vel, si etiam deferant, non tamen certae ecclesiae aut loco pio, cui ex mandato episcopi adscripti fuerint, inserviant, sive in seminario ecclesiastico vel in aliqua scholâ aut universitate de licentiâ sui Ordinarii non versentur; episcopi, nullâ etiam praemissâ monitione, eos privilegio fori privatos declarent, eorumque adscriptionem servitio certae ecclesiae antea factam deleri iubeant. Sique ii meliorem vitae rationem non inierint, aut etiam si alii sint, quos, ex proprià culpâ, efficiendos idoneos promotioni ad sacros ordines sperari nequeat; iidem episcopi, servatâ formâ a sacris canonibus traditâ, ad privationem aliorum clericalium privilegiorum contra ipsos procedant. Ubi vero reperiantur clerici capellanias vel beneficia cuiuscumque etiam redditus obtinentes, quorum improba vita, aliis offensionem praebens, destruat potius quam aedificet, vel concubinarii, aut foeneratores, vel ebrietati ludisve alearum dediti, vel satores rixarum, vel negotiatores, vel arma gestantes, vel incertis sedibus vagantes, vel clericalem habitum tonsuramque non deferentes, vel ecclesiasticâ immunitate in fraudem tributorum et vectigalium a laicis non exemptis solvendorum temere abutentes, vel qui demum, similia aut maiora crimina patrantes, numero magis quam merito ad Ecclesiam pertinere visi fuerint; episcopi, praemissis tamen necessariis monitionibus, servatisque aliis de iure servandis, contra ipsos ad poenas a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et a sacris conciliis impositas, et etiam ad privationem beneficiorum, capellaniarum et ecclesiasticorum officiorum in omnibus illis casibus in quibus praedicta privatio a sacris canonibus imposita est, humanis quibuscumque rationibus postpositis, procedant, memores seipsos neglectae subditorum emendationis condignas, Deo vindice, poenas persoluturos.

Clerici omnes in suis ecclesiis induant superpelliceum et ecclesiasticis collationibus intersint.

§ 9. Sed et cum personae ecclesiasticae nunquam satis in obsequiis[1] supremo Numini exhibendis, iisque praestandis quae eorum statui consentanea sunt, exerceri valeant, plurimum in Domino commendamus pium morem in plerisque Hispaniarum dioecesibus vigentem, ut clerici tam in minoribus quam in maioribus ordinibus constituti, atque etiam presbyteri, tametsi beneficia vel officia ecclesiastica non habentes, super-

1 Male edit. Main. legit *erigentem* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *obsequii* (R. T.).

pelliceo induti in ecclesiis, quibus adscripti fuerint, missae conventuali cum cantu celebratae, necnon primis et secundis vesperis officii diebus dominicis aliisque festis assistant. Quinimo enixe hortamur, ut episcopi aliarum dioecesum, in quibus mos ille institutus hactenus non fuerit, id in posterum servari curent in omnibus, ac insuper satagant ut omnes ecclesiastici praedicti etiam collationibus habendis coram parochis suis vel aliis ab episcopo deputatis super casibus conscientiae forum concernentibus et super ritibus ac caeremoniis sacris intersint.

Beneficia et capellaniae sine certo proventu supprimantur; quae vero habent minorem tertiam congruae partem conferantur sine primâ tonsura.

§ 10. Et quoniam in praedictis Hispaniarum regnis reperiri intelleximus beneficia et capellanias etiam de iure patronatus vel ecclesiasticorum vel laicorum, nullo tamen certo proventu instructas, vel adeo ut non ad dimidiam nec ad tertiam partem congruae pro clericis ad sacros ordines promovendis necessariae ascendant; malis haud quidem levibus inde erumpentibus occurrere cupientes, statuimus et mandamus quod episcopi ad beneficiorum et capellaniarum, quae nullum certum redditum habent, suppressionem statim deveniant. De aliis vero beneficiis et capellaniis, quarum certus annuus fructus ad memoratam saltem tertiam congruae partem non ascendit, decernimus nulli in posterum conferendam esse primam tonsuram ratione iuris assequendi aliquod ex dictis beneficiis et capellaniis. Utque patronatuum iura, quantum fieri possit, salva remaneant, liceat patronis tam ecclesiasticis quam laicis ad dicta beneficia et capellanias nominare, non tamen veluti ad beneficia ecclesiastica requirentia in[1] nominandis primam tonsuram, sed tamquam ad legata pia; et nominati, tametsi primam tonsuram non habentes, ea retinere possint uti pia legata cum onere adimplendi omnia onera a fundatoribus iniuncta.

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

Curam animarum gerentes saltem festis diebus populum erudire debent per se, per alios vero si idonei non sint, sed eorum expensis.

§ 11. Non sine gravi animi nostri dolore etiam accepimus, quod, quamquam Tridentina Synodus decreverit, omnes, qui parochiales vel alias curam animarum annexam habentes ecclesias quocumque modo obtinent, debere diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro suâ et earum capacitate pascere salutaribus verbis, docendo ea quae christifideles ad salutem scire oportet, ac explicando divinae legis praecepta fideique dogmata, puerosque eiusdem fidei rudimentis imbuendo, et brevi facilique sermone vitia denuntiando quae declinare, et virtutes quas sectari oporteat; nihilominus nonnulli parrochialium ecclesiarum rectores, haec, quae suarum partium adeo sunt, praetermittunt, culpam huiusmodi amoliri nitentes vel praetextu immemorabilis, sed quidem pravae, consuetudinis, vel quia haec ab ipsis praestare necesse non videatur, suppetente nimirum copiâ aliorum habentium sacras conciones in aliis ecclesiis itemque imbuentium pueros mysteriis fidei vel in scholis vel in computis. Ne itaque, sub inani istarum aliarumque similium excusationum praetextu, tanta christianae reipublicae pernicies struatur, districte praecipimus singulis Hispaniarum archiepiscopis et episcopis, ut omnino efficiant, quod omnes ii, qui animarum curam gerunt, munia praedicta per seipsos, vel, si legitime impediti fuerint, per alios idoneos diligenter exequantur. Si vero aliqui non satis habiles ad illa obeunda reperiantur, iidem archiepiscopi et episcopi per alios a se deputandos, sumptibus parochorum minus idoneorum, opportune suppleri curent; et in posterum

beneficia, quibus animarum cura imminet, nonnisi vere idoneis ad memorata officia per seipsos adimplenda conferantur.

Explicantur verba constitutionis Pii V *vicariorum perpetuorum portio.*

§ 12. Praeterea, ne constitutionis sanctì Pii V etiam praedecessoris nostri, in qua taxatur congrua fructuum portio vicariis perpetuis animarum curam exercentibus assignanda, interpretationem ab eius sententiâ alienam fieri contingat, declaramus constitutionem illam pertinere dumtaxat ad vicarios perpetuos illarum ecclesiarum parochialium, quae aliis ecclesiis, monasteriis, collegiis, beneficiis et locis piis unitae sint, necnon portionem annuam fructuum, quae ibidem statuitur assignanda ipsis vicariis in summâ non maiori quam centum nec minori quam quinquaginta scutorum, intelligi debere de scutis argenteis iuliorum decem monetae romanae pro quolibet scuto.

Qui et a quibus eligendi vicarii temporarii, necnon quae portiones assignanda.

§ 13. Quoties itaque in aliis parochialibus ecclesiis, quae, ut praefertur, unitae non sint, oportuerit ex aliquâ iustâ causâ provideri per coadiutores parochorum aut per vicarios temporarios, curae erit episcopis, pro datâ sibi a Tridentinâ Synodo potestate, partem fructuum praedictis coadiutoribus aut vicariis assignandam determinare in eâ quantitate, quae, pro suo prudenti arbitrio et conscientiâ, conveniens videbitur, ratione videlicet habitâ redditiuum et emolumentorum ecclesiae parochialis in qua deputati fuerint, necnon inspectis conditionibus loci, numero animarum, qualitate laboris, et quantitate impensarum quas commissi officii necessitas postulaverit. Quod si parochi ab episcopis moniti, congruo iisdem termino praefixo, coadiutores seu vicarios temporarios, quoties opus fuerit, assumere neglexerint; poterunt ipsi episcopi eos, quos huic muneri idoneos censuerint, auctoritate propriâ deputare, cum assignatione antedictae portionis fructuum. Et nihilominus, ubi etiam praedicti coadiutores aut vicarii temporarii a parochis nominati vel assumpti fuerint, de eorum idoneitate episcopis constare per examen debeat antequam ad exercitium admittantur; nec satis sit quod ad confessiones audiendas antea fuerint approbati, nisi aliis etiam qualitatibus ad curam animarum recte exercendam opportunis praediti noscantur. Quibus si careant, nec parochi deinde intra alium similem terminum ab episcopis praefigendum alios vere idoneos nominaverint, tunc pariter ad ipsos episcopos libere spectet deputatio cum dictâ congruae assignatione; nec ulla parochorum contradictio aut exemptio aut appellatio, aut cuiuscumque iudicis inhibitio, executionem deputationis et assignationis certae partis fructuum in casibus praemissis suspendere possit, itemque non obstante qualibet contrariâ consuetudine etiam immemorabili.

Constituantur ecclesiae vicariae vel novae parochiae, ubi opus sit.

§ 14. Verum, quia non satis animarum curae et necessitatibus quandoque consultum est per hoc quod ad obeunda parochialia munia alii sacerdotes parochis adiungantur, sed maiora remedia adhiberi oportet, quoties nempe ob locorum distantiam sive itineris[1] difficultatem parochiani sine magno incommodo pro sacramentis percipiendis divinisque officiis audiendis accedere ad ecclesiam parochialem nequeant; tunc quidem meminerint episcopi licere sibi pro suo arbitrio, invitis etiam rectoribus, vel intra easdem parochias destinare alias ecclesias in quibus sacerdotes parochorum coadiutores sacramenta ministrent et divinum cultum exhibeant, vel novas parochias novasque parochiales ecclesias a veteribus distinctas constituere, iisque

1 Edit. Main. legit *itineri* (R. T.).

novos parochos praeficere, assignatâ ex redditibus ad veterem parochialem ecclesiam quomodocumque pertinentibus convenienti portione ad victum eorum qui vel tamquam coadiutores in dictis aliis ecclesiis deputati, vel tamquam distincti et independentes parochi curam animarum exercuerint; nullâ ad praemissa impedienda suffragante appellatione aut inhibitione.

Ubique et semper concedendus episcopis primatus.

§ 15. Cum, ad praescriptum quoque Tridentinae Synodi, episcopis is honor tribuendus sit, qui eorum dignitati convenit, eisque in choro et in capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis primus locus esse debeat, et praecipue omnium rerum agendarum auctoritas; mandamus id religiose ac perpetuo observari in omnibus actibus adeo iustae huiusmodi praeeminentiae et auctoritati consentaneis, non obstantibus privilegiis etiam ex fundatione competentibus, consuetudinibus etiam immemorabilibus, sententiis, iuramentis et concordiis, quae suos tantum obligent auctores.

Religiosarum personarum numerus correspondeat domorum redditibus.

§ 16. Praeterea, ut claustralis quoque disciplinae vigor illibatus permaneat, pontificiae nostrae sollicitudinis partes etiam duximus interponendas. Cum itaque experientiâ compertum fuerit, quantum detrimenti illi afferatur, ex quo plures ad religiosum habitum admittantur, quam vires redditum patiantur; moderno ac pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in iisdem Hispaniarum regnis nuncio per praesentes committimus et mandamus, ut curet et vigilantiam adhibeat, ne contra praescriptum memorati Concilii Tridentini in monasteria, conventus et domos, tam virorum quam mulierum, sive bona immobilia possideant sive non possideant, maior numerus recipiatur, quam qui vel ex proventibus propriis ipsorum monasteriorum, conventuum aut domorum, vel ex consuetis eleemosynis aliisque quibuscumque obventionibus, in commune tamen conferendis, commode possit sustentari.

Ad quem episcopum dirigendae litterae dimissoriales religiosorum promovendorum ad ordines.

§ 17. Quoties vero regulares ad ordines erunt promovendi, servetur omnino decretum Congregationis cardinalium Concilii Tridentini interpretum a piae memoriae Clemente Papa VIII praedecessore etiam nostro confirmatum die XV martii MDXCVI, quo sancitur non ad alium quam ad episcopum dioecesanum litteras dimissorias pro eorumdem ordinum susceptione a suis superioribus esse dirigendas, praeterquam in casu quo dioecesanus a dioecesi abesset, vel ordinationes non esset habiturus, quo etiam casu in litteris dimissoriis ad alium episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio vel de praedictâ episcopi dioecesani absentiâ, vel de illâ aliâ causâ, videlicet quod ordinationes non sit habiturus, exceptis tamen, quoad praedicta, regularibus illis, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolicâ post Concilium Tridentinum fuerit concessum ut a quolibet catholico antistite ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per praesentes innovare intendimus. Noverint autem episcopi se debere per semetipsos, secluso aegrotationis casu, ordines conferre, et sacrorum ordinum collationem, statutis a iure temporibus, ac in cathedrali ecclesiâ, vocatis et adstantibus canonicis, publice habendam esse, vel, si in alio dioecesis loco, semper tamen in ecclesiâ quantum fieri poterit digniori ac praesente clero eiusdem loci. Ne vero incertitudo, an ipsi ordinationes sint habituri, nimis grave afferat incommodum promovendis varia dioecesis loca inhabitantibus, per mensem ante, singulis vicibus, publico edicto ab iisdem episcopis denuntietur, se ordinationes esse habituros, adeout

quoties denuntiatio huiusmodi facta non fuerit, inde satis intelligant regulares, episcopum dioecesanum ordinationes eâ vice minime esse habiturum, sibique idcirco licitum futurum ordines ab alio episcopo suscipere cum litteris dimissoriis a suorum superiorum ad eum directis, servatâ in iis formâ superius expressâ.

Episcopi invigilent in monialium clausuram.

§ 18. Episcopi in omnibus mulierum monasteriis sibi subiectis ordinariâ, in aliis vero exemptis auctoritate Sedis Apostolicae inconcusse observari curent quae circa sanctimonialium clausuram, vetitumque in dicta monasteria ingressum, tam in decretis Tridentinae Synodi quam in constitutione similis memoriae Gregorii Papae XIII etiam praedecessoris nostri editâ idibus ianuarii anni MDLXXV provide ordinata sunt.

Confessarii approbandi omnino sunt ab episcopis dioecesanis.

§ 19. Perpendentes etiam christianae reipublicae in primis expedire ut ministerium ac potestas clavium in remittendis retinendisque peccatis recte exerceatur, declaramus sacerdotes tam saeculares quam regulares, qui ab episcopis obtinuerint licentiam audiendi confessiones limitatam vel quoad locum vel quoad genus personarum vel quoad tempus, non posse poenitentiae sacramentum administrare extra tempus vel locum vel genus personarum ab ipsis episcopis praescriptum, quocumque privilegio etiam in vim Bullae quae appellatur Cruciatae sanctae competente nullatenus suffragaturo. Cumque idem Innocentius praedecessor per suas die XIX aprilis anni MDCC expeditas litteras decreverit sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus non licere confessiones eorum, a quibus ex indulto praedictae Bullae Cruciatae ad id electi fuerint, audire, absque praecedenti approbatione Ordinarii illius loci in quo ipsi poenitentes degunt et confessores eligunt, etiamsi ab Ordinariis aliorum locorum antea approbati fuissent, ac etiamsi poenitentes Ordinariis illis, qui confessores electos approbassent, subditi essent, necnon confessiones aliter factas, ac respective exceptas, nullas fore, irritas et invalidas, et confessores ipso iure suspensos esse: nos, eamdem constitutionem approbantes, confirmantes et innovantes, declaramus insuper praedictis sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad confessiones excipiendas vel ex vi praedictae Bullae Cruciatae vel ex quocumque alio privilegio electis suffragari minime etiam posse quod approbati aliàs fuerint ab episcopo illo, qui aliquando fuerit Ordinarius loci, in qua confessiones audiendae sint, sed talis tunc temporis amplius non existat, vel quia ab humanis excesserit, aut episcopatui renuntiaverit, vel quia ad aliam ecclesiam auctoritate apostolicâ translatus reperiatur; sed necessariam omnino esse illius, qui actualiter et pro tempore ordinariam iurisdictionem in eâ dioecesi exerceat, approbationem. Haec tamen suffragetur etiam tacita, eaque adesse censeatur, quousque praecedens licentia sive approbatio duret et revocata ab eo non fuerit; in quo casu nova et expressa impetranda erit, si illa, praecedenter obtenta, vel per temporis adscripti lapsum expiraverit, vel per posteriorum revocationem sublata fuisset.

Etiamsi sint regulares respectu monialium sibi subiectarum.

§ 20. Meminerint quoque regulares se excipere non posse confessiones monialium, tametsi eorum regimini et gubernio subiectae sint, nisi, ultra licentiam suorum praelatorum regularium, praecedat examen coram episcopo dioecesano faciendum, eiusque specialis quoad confessiones dictarum monialium approbatio; remotâ quacumque contrariâ consuetudine etiam immemorabili.

Qui et quoties deputandi in confessarios ex traordinarios monialium.

§ 21. Cumque ex eodem Concilio Tridentino confessor extraordinarius bis aut ter in anno offerri monialibus debeat qui omnium confessiones audiat, si in posterum superiores regulares quoad monasteria ipsis subiecta toties praedictum extraordinarium confessorem deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eodem Ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id munus elegerint sacerdotem aut saecularem aut regularem alterius diversi Ordinis professorem, in his casibus episcopi, pro suo arbitrio et conscientiâ, deputationem huiusmodi facere possint, nec illa quovis titulo aut praetextu a superioribus regularibus valeat impediri.

Episcopi observare faciant caeremoniale, rituale et rubricas.

§ 22. Episcopi insuper abusus omnes, qui in ecclesiis aut saecularibus aut regularibus contra praescriptum caeremonialis episcoporum et ritualis romani vel rubricas missalis et breviarii irrepserint, studeant omnino removere. Et, si adversus ea quae in dicto caeremoniali statuta sunt consuetudinem etiam immemorabilem allegari contingat, postquam recognoverint, aut eam non satis probari, aut etiam probatam suffragari, utpote irrationabilem, de iure non posse; executioni eorum, quae in dicto caeremoniali constituta sunt, diligenter incumbant, nec ulla suspensiva appellatio admittatur.

Item sess. XXII Concilii Tridentini de celebratione missarum.

§ 23. Sedulo pariter curent iidem episcopi ut eliminentur abusus, si qui forsan tam quoad ecclesiasticos saeculares quam quoad regulares inducti fuerint adversus Concilii Tridentini decretum de observandis et evitandis in celebratione missarum, sess. XXII, et contra regulares, si opus fuerit, procedant ex apostolicâ delegatione in eo decreto ipsis indultâ, postpositâ quacumque appellatione suspensivâ, sed solum reservatâ in devolutivo super quocumque dubio, quod excitari contigerit, declaratione Congregationis pro tempore existentium S. R. E. cardinalium memorati Concilii interpretum.

Necnon decretum Clementis XI de missa in privatis oratoriis ac altare portatili.

§ 24. Cumque circa missarum celebrationem in privatis oratoriis, necnon circa usum altaris gestatorii, a recolendae memoriae Clemente Papa XI, praedecessore etiam nostro, opportunum decretum promulgatum fuerit die XV decembris anni MDCCIII; episcopi dent operam ut omnia ibidem statuta etiam in regnis Hispaniarum serventur, idemque decretum in suis respective dioecesibus, ut facilius omnibus innotescat, publicari faciant, additâ etiam prohibitione, ne in privatis regularium cellis sive cubiculis erigatur altare pro re sacrâ ibidem faciendâ, et contra quoscumque contravenientes censuris etiam ecclesiasticis procedant, adhibitâ, quoad regulares, auctoritate Sedis Apostolicae in memorato decreto ipsis delegatâ, remotâque quacumque contrariâ consuetudine etiam immemorabili. Declaramus tamen, quod, cum in praedicto decreto statuatur, non licere episcopis extra domum propriae habitationis in domibus laicis erigere altare, ibique sacrosanctum missae sacrificium celebrare seu celebrari facere, huiusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus, etiam laicis, in quibus ipsi episcopi forte occasione visitationis vel itineris hospitio excipiantur, ut nec etiam quando episcopi in casibus a iure permissis vel de speciali Sedis Apostolicae licentiâ absentes a domo propriâ ordinariae habitationis moram ideireo faciant in alienâ domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita iis erit erectio altaris ad effectum praedictae celebrationis, non secus ac in domo propriae ordinariae habitationis.

Abolentur omnia privile-

§ 25. Praecipimus quoque accurate attendi ac adimpleri quaecumque alia

gia relatis contraria.

praescribuntur in eiusdem generalis synodi sess. XXV *De regularibus et monialibus:* cumque in capitulo XXV amplissime derogetur omnibus contrariis privilegiis sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac *mare magnum* appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon constitutionibus et regulis etiam iuratis, atque etiam consuetudinibus vel praescriptionibus etiam immemorabilibus; sciant omnes derogationem huiusmodi non ad ea tantum referri quae in praedicto capitulo continentur, sed etiam ad alia quae in singulis superioribus capitibus eiusdem sessionis constituta sunt.

Quae ratio servanda in iudiciis criminalibus.

§ 26. Ad haec, ut recta in iudiciis ratio servetur, praecipimus, quod, ubi in causis criminalibus Ordinarii locorum in regnis Hispaniarum processerint ex officio, hoc est non ad ullius querelam sive accusationem, si ab eorumdem Ordinariorum sententiis appellatio vel ad Sedis Apostolicae nuntium vel ad metropolitanos interposita fuerit, tunc (ne alioquin, si nullus actoris partes gerat, delinquentes poenam suis criminibus debitam effugiant) procuratores fiscales tribunalis Nuntiaturae Apostolicae et respective etiam Curiae metropolitanae, instantias aliosque actus desuper necessarios peragant et prosequantur, ut praedictae Ordinariorum sententiae iustam confirmationem et executionem obtineant. Quod si, dictis procuratoribus fiscalibus non citatis et inauditis, contrarias sententias in gradu appellationis proferri contigerit, istae prorsus nullae sint ac irritae cum omnibus actis, gestis, nullumque sortiri debeant effectum: quinimmo praecedentes Ordinariorum sententiae executioni mandentur perinde [1] ac si appellatio ab iis interposita nullatenus fuisset.

1 Ed. Main. legit *proinde* pro *perinde* (R.T.).

Item in appellationibus et inhibitionibus

§ 27. Ceterum, cum generaliter circa appellationes et inhibitiones satis provisum fuerit per constitutionem piae memoriae Innocentii Papae IV praedecessoris etiam nostri in capit. *Romana,* ac etiam per decreta Concilii Tridentini, itemque alia edita die XVI octobris MDC a Congregatione negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ et a praefato Clemente VIII praedecessore confirmata, ac denique etiam alia promulgata tempore pontificatus similis memoriae Urbani Papae VIII, praedecessoris itidem nostri, die videlicet V septembris MDCXXVI; volumus et mandamus, quod, quidquid in omnibus memoratis constitutionibus et decretis statuitur, diligentissime per omnes iis comprehensos observetur in causis ad curias ecclesiasticas pertinentibus in regnis Hispaniarum, quacumque consuetudine etiam immemorabili, vel quovis privilegio aut stylo, concedendi etiam quasdam inhibitiones nuncupatas temporarias, penitus excluso.

Necnon in causis civilibus.

§ 28. Quo vero ad iudices conservatores, et modum ac facultatem procedendi in causis civilibus quae ad eorum cognitionem pertinere possint, inviolate constituenda erit norma praescripta in constitutionibus felicis recordationis Innocentii IV, Alexandri IV, Bonifacii VIII, Gregorii XV aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum hac de re editis, necnon in decretis Concilii Tridentini, sub poenis ibidem contentis, quas praesenti nostrâ constitutione innovamus et confirmamus: hoc etiam addito, ut iidem iudices conserservatores et mandatorum suorum executores exhibere debeant episcopis aliisque locorum Ordinariis litteras suae deputationis, quorum vigore procedere intendant.

Decreta omnia

§ 29. Enixe denique, et ex intimo pa-

Concilii Tridentini inviolabiliter observentur.

terni cordis nostri sensu, omnes e religiosissimâ Hispanicâ natione monemus, ut memores sint teneri se exacte, firmiter et cum effectu observare etiam omnia et singula in ceteris omnibus eiusdem Tridentini Concilii decretis sancita. Et, ne eorum executio posthac ullo modo impediatur aut retardetur, decernimus et declaramus, nullum, pro impediendâ aut suspendendâ executione conciliarium sanctionum eiusmodi aut decretorum quae ab Ordinariis edita fuerint pro executione pariter eorum quae in ipso concilio statuta sunt, suffragari posse ac debere contrarium privilegium quod ante praedicti Concilii promulgationem a Sede Apostolicâ obtentum fuerit, nisi etiam post ipsum concilium fuerit in formâ specificâ ab eâdem Apostolicâ Sede confirmatum vel noviter concessum, itemque obstare non posse ullum statutum vel concordiam quae a praedictâ Apostolicâ Sede specialiter confirmata non sit, neque quemcumque longaevum non usum aut contrariam consuetudinem vel praescriptionem, etiam centenariam vel immemorabilem, nisi forsan praefatae consuetudinis aut praescriptionis materia capax sit, et insuper consuetudo aut praescriptio immemorabilis probata iam sit et admissa a competenti iudice per tres sententias conformes, vel per unam quae in iudicatum transierit, nec demum quamcumque appellationem, sive inhibitionem, etiam temporariam, reservato dumtaxat recursu in devolutivo ad memoratam Congregationem cardinalium eiusdem Concilii interpretum; quibus etiam, tamquam executoribus [1] praesentium nostrarum litterarum, non solum committimus et mandamus ut eas ipsarumque decreta et ordinationes omnes perpetuo et inviolabiliter observari faciant cum eâdem potestate quae iisdem cardinalibus a Sede Apostolicâ tributa est pro executione decretorum memorati Concilii, sed etiam privative facultatem impertimur, quandocumque opus fuerit, interpretandi, duplicandi ac declarandi eamdem nostram constitutionem, omnesque et singulas ordinationes in eâ contentas (exceptis his quae ad caeremoniale episcoporum et rituale romanum et rubricas missalis et breviarii pertinent), quatenus illis dubietas aliqua aut difficultas emerserit; non retardatâ tamen interim illarum executione, adeo ut, ante huiusmodi executionem, nec ullus recursus ad eamdem Congregationem cardinalium, nec ulla super quovis dubio consultatio promoveri possit. Decretis vero declarationibus a praedictâ Congregatione faciendis postquam nostra aut Romani Pontificis pro tempore existentis approbatio accesserit, statim quaecumque reclamatio aut consultatio omnino cessare perpetuumque silentium desuper impositum censeri debeat.

Clausulae.

§ 30. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras, etc.[1].

Contrariorum derogatio.

§ 31. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quorumcumque Ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, et quorumvis monasteriorum, conventuum, ecclesiarum, locorum piorum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus quantumcumque longissimis et immemorabibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus,

1 Praeposit. *in* hinc abiicimus (R. T.).

1 Ut supra pag. 828 *a* (R. T.).

etiam Iesu, ac monasteriis, conventibus, ecclesiis et locis praedictis, illorumque respective superioribus, aliisve quibuslibet personis, etiam specialissimâ mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis etiam motu, scientiâ et de apostolicae potestatis plenitudine, in genere vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etc.[1].

Fides transumptorum.

§ 32. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII maii MDCCXXIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 maii 1723, pontif. anno II.

XXXV.

Confirmatur decretum capituli generalis Ordinis Minorum de Observantiâ et Reformatorum in perenne grati eorumdem in Sanctitatem Suam animi testimonio.

Innocentius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncti nobis divinitus pastoralis officii debito, illa, quae a christifidelibus Altissimi obsequiis sub suavi regularis disciplinae iugo mancipatis, uberesque bonorum operum fructus, benedicente Domino, proferre iugiter satagentibus, pio unanimique constituta esse noscuntur consilio, ut perpetuâ firmitate perennent[3], libenter apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, roboramus.

A Summis Pontificibus de Comitibus plurimi semper factus est Ordo Minorum et ab hoc Pontifice praesentiâ decoratum fuit capitulum generale.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii minister generalis et definitores etiam generales Ordinis fratrum Minorum S. Francisci tam de Observantiâ quam Reformatorum nuncupatorum, quod ipsi aliique eiusdem Ordinis fratres in eorum capitulo generali novissime in conventu S. Mariae de Arâcaeli almae Urbis nostrae celebrato simul congregati, ac secum reputantes peculiarem illum paternae charitatis affectum, quo universum Ordinem praedictum, in humilitate quippe et paupertate fundatum ac praeclaris in catholicam religionem et hanc Sanctam Sedem meritis fulgentem, prisco gentis nostrae, pluriumque de sanguine et familiâ nostrâ Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui eumdem Ordinem illiusque fratres plurimi semper fecerunt, more et instituto complectimur, necnon recolentes recentia atque luculenta pontificiae nostrae benevolentiae argumenta, quae eis vel maxime perhibuimus occasione memorati eorum capituli generalis, quod non modo coram nobis convocavimus, sed praesentiâ etiam nostrâ decorari voluimus; ac propterea aliquod grati et devoti illorum in nos animi testimonium exhibere ac perpetuum monumentum extare cupientes, communibus suffragiis decretum ediderunt et promulgarunt tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum quo dies anniversarius dicti capituli festivus declaratur et instituuntur perpetua suffragia pro animâ Pontificis, ac preces pro eius familiae incolumitate.

Decretum. Cum sanctissimus dominus noster Innocentius divinâ providentiâ PP. XIII, egregiam in nostrum Ordinem voluntatem, a maioribus suis, etiam ad Apostolicam Sedem evectis, iure quodam sanguinis ac inditâ suae genti pietate in se derivatam, singulari beneficentiae atque amoris argumento comprobare volens, universae familiae nostrae, comitiis idibus maii in aedibus S. Mariae de Arâcaeli celebratis, dignatus

1 Reliqua ut pag. 642 *a* (R. T.).
2 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *perennet* (R. T.).

sit interesse ac praesidere tantâ optimi principis humanitate ac maiestate simul ut erumpentes prae gaudio lacrymas coram apostolico throno vix revocandi nobis potestas fieret; ne tam illustris beneficii memoria ullâ unquam temporum iniuriâ aut asperitate nostrorum mentibus excidat, generale capitulum gratum animum, ut per franciscanam paupertatem licet, exhibere cupiens, proponente reverendissimo patre ministro generali, approbantibusque definitorii patribus, statuit atque decernit, ut faustus ille dies, qui tantâ ac suâ insigni clementissimi principis dignatione honestatus est, inter festivos et toti Ordini sacros perpetuis futuris temporibus habeatur, singulisque annis, eodem ipso recurrente die, in omnibus utriusque familiae conventibus pro longaevâ prosperâve Sanctitatis Suae atque inclytae nobilissimaeque suae domus incolumitate ac sospitate sacrum solemne peragatur, atque ab omnibus universi Ordinis utriusque sexus fratribus et sororibus eâdem pro re crebrae ad Deum preces fundantur. Ne autem haec grati animi testificatio unâ cum vitâ Sanctitatis Suae, quam Deus optimus maximus ad christianae reipublicae felicitatem et nostri Ordinis compendium[1] diu multumque servare dignetur, finem aspiciat, idem capitulum generale, proponente eodem reverendissimo patre generali ministro, probantibusque eisdem definitorii patribus, statuit ac mandat, ut, cum Sanctitas Sua viam universae carnis ingressus mortales hasce exuvias reliquerit, pro eius animae requie omnes et singuli universi Ordinis sacerdotes tres missas celebrent, et in singulis conventibus solemnis missa cum integro defunctorum officio decantetur; clerici vero et laici monialesque omnes, ac respective singuli et singulae, tres, ut aiunt, coronas beatae Mariae Virginis et duas stationes recitent; atque insuper, ut monimento nunquam interituro tanti Pontificis memoria consignetur, in omnibus universi Ordinis conventibus perpetuo pro animâ eius fiat anniversarium. Id autem in omnes tabulas Ordinis inscribi ac inferri et per universum franciscanum orbem promulgari, idem capitulum generale cavit, sanxit, ac decretum voluit in comitiis generalibus Aracaelitanis hac die XVII mensis maii, anno Domini MDCCXXIII.— Pater Laurentius a S. Laurentio minister generalis, Fr. Ioseph Garzia exminister generalis, Fr. Ioannes de Soto commissarius generalis et Indiarum, Fr. Cherubinus a Nardo excommissarius generalis, Fr. Deodatus a Roma excommissarius Reformatorum, Fr. Franciscus ab Altamura excommissarius generalis Observantium, Fr. Antonius Blanc discretus perpetuus Ordinis, Fr. Ioannes Cosmus a Monte Miniati discretus perpetuus Ordinis, Fr. Ioannes a Petrafitta ex vice-commissarius generalis.

1 Forsan *gaudium* vel simile legendum (R.T.)

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipsi exponentes, decretum huiusmodi a nobis approbari, et, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, plurimum desiderent: nos, sinceram fratrum Ordinis praefati in nos et Sedem Apostolicam devotionem attendentes, plurimumque in Domino commendantes, enixis ac iteratis supplicationibus eorumdem exponentium nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, harum serie, approbamus et confirmamus, ratumque et acceptum habemus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, etc.[1]

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefati Ordinis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, etc.[2]

1 Reliqua ut pag. 823 *a* (R. T.).
2 Reliqua ut pag. 703 *a* (R. T.).

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die III iunii MDCCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 3 iunii 1722, pontif. anno III.

XXXVI.

Confirmatur constitutio Innocentii XI de coenobio Thorunensi aggregando provinciae Poloniae maioris fratrum Minorum de Observantiâ[2].

Innocentius Papa XIII ad futuram rei memoriam.

Recensentur fundatio, eversio, reaedificatio et aggregatio dicti coenobii memoratae provinciae.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Innocentio Papae XI praedecessori nostro pro parte tunc existentis ministri provincialis Poloniae maioris Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum exposito, quod dudum in vim quarumdam litterarum recolendae memoriae Pauli Papae II praedecessoris pariter nostri anno Incarnationis dominicae MCDLXVII, XVI kalendas februarii, pontificatus sui anno IV expeditarum, tres conventus dicti Ordinis, nempe Thorunensis dioecesis Culmensis, Gedanensis dioecesis Vladislaviensis et Civitatisnovae, et Elbingensis Germanicae dioecesis Vormiensis sub gubernio tunc etiam existentis ministri provincialis provinciae Saxoniae fundati fuerant: verum subinde iidem tres conventus unâ cum reliquis eiusdem provinciae Saxoniae conventibus ab haereticis destructi fuerant, dictaque provincia Saxoniae solo titulo Ordini praedicto remanserat: porro sub pontificatu piae memoriae Clementis PP. VIII praedecessoris pariter nostri, cum dictos conventus Civitatisnovae seu Elbingi Germanicae et Thorunensem recuperandi et reaedificandi spes aliqua effulsisset, idem Clemens praedecessor per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras die XII iulii MDCIII emanatas hos duos conventus provinciae Poloniae Ordinis praedicti aggregaverat et supposuerat, verum nihil quidem tunc temporis effectum fuerat; sed subinde spes praedicta revixerat sub pontificatu piae memoriae Urbani VIII etiam praedecessoris nostri, cui, cum expositum fuisset dictam provinciam Poloniae pro maiori gubernii commoditate in duas nempe Poloniae maioris et Poloniae minoris provincias divisam fuisse, ipse Urbanus praedecessor, per[1] quasdam suas itidem in formâ Brevis die II novembris MDCXLII expeditas litteras, eosdem duos conventus dictae provinciae Poloniae maioris aggregaverat, Deoque favente de manibus haereticorum recuperatus fuerat dictus conventus Civitatisnovae, seu Elbingi Germanicae, qui gubernio primodicti ministri provincialis exponentis tunc subiacebat, et iam sperabatur conventum quoque Thorunensem praedictum pariter recuperaturum fuisse curâ et studio bonae memoriae tunc etiam existentis episcopi Culmensis, qui pro recuperandis ex haereticorum manibus suae dioecesis locis intrepide laborabat: et in eâdem expositione subiuncto, quod[2], ut dicti conventus Thorunensis recuperatio ad favorem supradictae provinciae Poloniae maioris cum maiori quiete et securitate fieret, primodictus minister provincialis exponens, gratias, a memoratis Pontifici-

1 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

2 Variae constitutiones pertinentes ad huiusmodi coenobium hîc referuntur. De divisione provinciae S. Antonii in Hispania, vide Innocentii XII const. ed. MDCXCIV, die 19 maii, pontif. III; in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVIII, die VII martii, pontif. V, extat prohibitio erigendi coenobia in Hispaniis.

1 Praeposit. *per* nos addimus (R. T.).

2 Particul. *quod* nos addimus (R. T.).

bus praedecessoribus nostris ad favorem dicti Ordinis concessas, ut praefertur, ita scilicet ut idem conventus Thorunensis, ita a fratribus Minoribus de Observantiâ Ordinis praefati in vim supradictarum Pauli praedecessoris litterarum fundatus, penes eumdem Ordinem et dictae provinciae maioris Poloniae iuxta praefatas Urbani praedecessoris litteras aggregatus remaneret, ab eodem Innocentio praedecessore confirmari, plurimum desiderabat: dictus Innocentius praedecessor memorato praedicto ministro provinciali petitam confirmationem sub certis modo et formâ tunc expressis concessit, et aliàs, prout in dicti Innocentii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XII maii MDCLXXXV expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Petitur confirmatio. § 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus minister provincialis dictae provinciae Poloniae maioris nobis nuper exponi fecit, firmiora sint ea quibus Sedis Apostolicae auctoritas iterato accedit; nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio constitutionis Innocentii XI. § 3. Nos igitur, ipsum modernum ministrum provincialem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium, qui relationem dilecti pariter filii moderni procuratoris generalis dicti Ordinis super praemissis eisdem cardinalibus factam attenderunt, consilio, praedictas Innocentii praedecessoris litteras, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, etc. [1].

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus, et singulis illis, quae dictus Innocentius praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII iulii MDCCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 iulii 1723, pontif. anno III.

XXXVII.

Conceditur Carmelitis provinciae Portugalliae magistris facultas suscipiendi lauream doctoratus in Coimbricensi collegio [2].

Innocentius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Ab Urbano VIII concessa fuit provinciis Hispaniae et Lusitaniae facultas suscipiendi dictam

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii prior provincialis et definitorium aliique fratres provinciae Portugalliae Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo,

1 Ut supra pag. 834 *b* (R. T.).

2 Ab Urbani VIII const. edit. MDCXXIV, die 26 augusti concessa fuit facultas suscipiendi dictam lauream in collegio Salmanticensi; Clementis XI const. edit. MDCCXX, die 13 ianuarii, pontif. XX, abolita fuit alternativa; et huius pontificis constit. edit. MDCCXXIII, die 23 decembris, pontif. III, conceditur eadem facultas provinciae Bahiae.

lauream in collegio Salmanticensi.

quod aliàs felicis recordationis Urbanus PP. VIII, praedecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras die XXVI augusti MDCXXIV expeditas, indulsit atque concessit quondam Theodoro Statio, tunc temporis priori generali dicti Ordinis, ac provinciarum Hispaniae et Lusitaniae professoribus Ordinis huiusmodi, ut iidem qui, absolutis per cursum lecturis vel exercitiis litterarum iuxta regularia Ordinis praedicti instituta requisitis, ac servatis aliàs servandis, per eumdem priorem generalem in eâdem sacrâ theologiâ magistri[1] iuxta eius facultates instituti et creati fuissent, lauream doctoratus in collegio S. Theresiae Salmanticensi memorati Ordinis ad formam in praedictis litteris praescriptam suscipere possent, nec pro eâ suscipiendâ aliquam approbatam studii generalis universitatem adire tenerentur; et hoc ideo concessum fuit, ne praedictus Ordo seu religio, inter Mendicantes pauperrima, detrimentum pateretur intolerabilium expensarum, quae pro obtinendâ huiusmodi doctoratus laureâ in publicâ universitate erogandae forent: et aliàs, prout in praedictis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Rationes concedendi praedictam facultatem.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatum indultum, eo tempore quo rex Hispaniarum etiam Lusitaniam possidebat, religiosis utriusque nationis aeque profuerit, separatisque dominiis, respectu Lusitanorum, quibus dictum collegium Salmanticense adire non amplius permissum fuit, sine ullo effectu et utilitate remanserit, et adhuc de praesenti remaneat, propter diversum rerum et dominiorum quod viget systema, eâque de causâ dicta provincia commodum atque utile suos religiosos pro suscipiendâ ibi laureâ doctoratus huiusmodi transmittere minime existimet; ac proinde, ne ipsa eiusque professores commoditate eiusmodi lauream suscipiendi sine eâ magnâ ac intolerabili expensâ, quae in aliquâ approbatâ universitate requiritur, priventur, opportune a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desideret: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii moderni procuratoris generalis dicti Ordinis eisdem cardinalibus factam attenderunt, consilio, ut omnes et singuli professores provinciae et Ordinis praedictorum, quos modernus et pro tempore existens prior generalis eiusdem Ordinis in theologiâ magistros, servatis servandis, instituerit et creaverit, lauream doctoratus, praevio rigoroso examine coram priore provinciali dictae provinciae Portugalliae et quatuor in sacrâ theologiâ magistris, sive coram rectore collegii Coimbricensis Ordinis praedicti et illius regentibus ac magistris, illorumque approbatione, servatis ceteroqui conditionibus per statuta seu constitutiones Ordinis praedicti praescriptis, ab ipsomet priore provinciali sive praedicti collegii rectore suscipere li-

Concessio ut in rubricâ.

1 Edit. Main. legit *magistrum* (R. T.).

bere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 4. Decernentes, praesentes litteras firmas, validas, etc. [1].

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus praedictis Urbani praedecessoris litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, etc. [2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV iulii MDCCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 14 iulii 1723, pontif. anno III.

XXXVIII.

Conceditur eremitis S. Augustini provinciae Chilensis augmentum sex magistrorum pro verbi Dei praedicatoribus [3].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Preces provinciae et causae petitionis. § 1. Cum, sicut dilecti filii fratres provinciae Chilensis in Americâ meridionali Ordinis eremitarum S. Augustini nobis nuper exponi fecerunt, in dictâ provinciâ decem conventus et trecenti religiosi, ac duodecim in sacrâ theologiâ pro lectoribus magisteria numerantur [4], ipsi exponentes unum religiosum provinciae huiusmodi ad hanc almam Urbem nostram miserunt, qui, praevio capituli generalis eiusdem Ordinis mense iunio MDCCXXI in dictâ Urbe celebrati consensu, ab infrascriptâ Congregatione cardinalium augmentum magistrorum in eâdem sacrâ theologiâ etiam pro verbi Dei praedicatoribus, qui in praedictâ provinciâ decem continuo existunt laborumque suorum cursum peregerunt, obtineret; ideoque illis, ne praemio destituti remaneant, opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgere summopere desiderent, quemadmodum tribus aliis Peruanae, Mexicanae et Mechoacanae respective provinciis ab hac Sanctâ Sede concessum fuisse memoratur:

Concessio praedictorum magisteriorum praeter duodecim pro lectoribus. § 2. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectorum pariter filiorum modernorum prioris generalis et procuratoris generalis Ordinis huiusmodi relationes super praemissis eisdem cardinalibus factas viderunt, consilio, ut in praedictâ provinciâ Chilensi sex magisteria pro memoratis verbi Dei praedicatoribus ad formam constitutionum praedicti Ordinis auctoritate apostolicâ confirmatarum, ultra duodecim pro lectoribus statuta, constituantur et augeantur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus:

1 Reliqua ut supra pag. 703 *a* (R. T.).

2 Ut supra ibid. (R. T.).

3 Const. edit. MDCCXXII, die 24 aprilis, pont I, auctus fuit numerus graduum in provinciâ Mechoacanâ; et Benedicti XIII, const. edit. MDCCXXV, die 6 maii, pontif. II, conceditur facultas creandi quinquaginta magistros in provinciis Italiae.

4 Aptius lege *numerantur* (R. T.).

salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas, etc.[1]

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non praedictorum Ordinis, et provinciae Chilensis, etiam iuramento, etc.[2]

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[3]

Datum Romae, apud S. Mariam Maorem, sub annulo Piscatoris, die VII augusti MDCCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 7 augusti 1720, pontif. anno III.

XXXIX.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis Ordinis S. Birgittae in eius festo die [1].

Innocentius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Iniunctae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio postulat ut caelestium munerum thesauros dispensationi nostrae a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris sanctorum in caelis cum Christo regnantium venerationem, excitandamque et fovendam erga illos fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum.

Concessio praefatae indulgentiae. § 1. Supplicationibus itaque dilecti filii procuratoris generalis Ordinis S. Birgittae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque conventuum dicti Ordinis tam hactenus erectis quam in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, die festo eiusdem sanctae Birgittae praedicti Ordinis fundatricis, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, annis singulis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Transumptorum fides. § 2. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XIII augusti MDCCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 augusti 1723, pontif. anno III.

XL.

Moderatur pro eremitis S. Augustini Discalceatis constitutio Clementis XI de voto fratrum consanguineorum in in primo vel secundo gradu in capitulis [2].

1 Ut supra pag. 902 *b* (R. T.).
2 Ut ibid. (R. T.).
3 Ut ibid. (R. T.).
1 Clementis XI constit. edit. MDCCXIV, die 22 septembris, pontif. XIV, extat alia indulgentia.

1 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).
2 Laudata Clementis XI constitutio edita fuit MDCCII, die 24 novembris, pontif. II; Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVII, die 27 februarii, pontif. II, extenditur alternativa in Congregatione SS. Conceptionis B. M.

Innocentius Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Epitome constitutionis Clementis XI qua declaratum fuit Discalceatos comprehendi in decreto de voto consanguineorum edito a priore generali et confirmato a Clemente VIII.

§ 1. Aliàs, pro parte dilecti filii Clementis a S. Bernardino tunc temporis[1] conventus Iesu et Mariae de Urbe Congregationis fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum, felicis recordationis Clementi Papae XI praedecessori nostro exposito, quod dudum, nempe die XVI februarii MDXCVI quoddam decretum a quondam Andrea Fivizano, dum viveret, priore generali dicti Ordinis, inter alia emanaverat, et subinde die XXVIII eiusdem mensis a recolendae memoriae Clemente Papa VIII praedecessore pariter nostro per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras, quarum initium est *Universalis Ecclesiae,* etc., confirmatum fuerat, quo prohibebatur expresse, ne duo fratres Ordinis praedicti, in primo vel secundo gradu consanguinei vel affines, in eiusdem capitulis aut congregationibus capitularibus ullatenus simul convenirent et votare possent; et in eâdem expositione subiuncto, quod saepius dubitatum fuisset, an dictum decretum Congregationem praefatam, quae tunc initium sumpserat, et postmodum a similis memoriae Urbano VIII et Clemente X Romanis Pontificibus praedecessoribus itidem nostris membrum dicti Ordinis declarata fuerat, ac in Italiâ et Germaniâ propagata[2] reperiebatur, sub prohibitionis huiusmodi generalitate complecteretur, nec istius dubii resolutio ab hac Sanctâ Sede eâtenus petita fuisset, licet illa, sive pro liberandis ab anxietate religiosorum conscientiis, sive pro tollendis abusibus facile irrepentibus, necessaria foret; eaedem vero causae, propter quas prohibitio praefata in dicto Ordine edita fuerat, concurrere viderentur, ut illa ad dictam Congregationem extenderentur: idem Clemens praedecessor, supplicationibus supradicti Clementis a S. Bernardino sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, memoratam Congregationem sub prohibitione praefatâ in futurum comprehendi debere, auctoritate apostolicâ declaravit, et aliàs, prout in ipsius Clementis praedecessoris litteris desuper in pari formâ Brevis die XXIV novembris MDCCII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Preces prioris generalis pro moderatione declarationis Clementis XI tanquam subreptitie impetratae.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Guglielmus a S. Nicolao, procurator generalis eiusdem Congregationis, nobis nuper exponi fecit, antequam eiusmodi declaratio emanaret, mos in dictâ Congregatione ab ipsius origine invaluisset, ac supra centum annos inconcusse servatus fuisset, ut fratres consanguinei seu affines in primo vel secundo gradu praefato in illius capitulis seu congregationibus capitularibus absque ullâ dubitatione simul convenirent, et ad votum ferendum admitterentur, neque rationes, ob quas id vetitum fuerat in Ordine praedicto, in quo eius fratres firmas et stabiles filiationes sive conventualitates habent, locum sibi vindicent in Congregatione praefatâ, ubi eiusmodi adfiliationum sive conventualitatum usus minime viget, sed religiosi in conventibus sibi per superiores suos regulares pro tempore assignandis degere tenentur; ac proinde praetensum fuerit enarratam declarationem per dictum Clementem a S. Bernardino privato suo nomine absque ullâ praeviâ cum definitorio generali Congregationis praefatae communicatione, contra formam illius constitutionum auctoritate aposto-

1 Vel legendum *prioris* pro *temporis* vel addendum (R. T.).

2 Edit. Main. legit *propugnata* (R. T.).

licâ confirmatarum, nulliter et subreptitie impetratam[1] fuisse; ex illius vero observantiâ plura incommoda ac perturbationes in eâdem Congregatione enata fuerint, dum fratres ante dictam declarationem professi, in memorato gradu consanguinei seu affines, vel voto in capitulis seu congregationibus capitularibus, vel consanguineorum et affinium suorum in eisdem conventibus contubernio, contra consuetudinem quae tempore suae professionis servabatur, privari moleste ferebant, et multoties contingit adolescentes bonae indolis et spei, qui eamdem Congregationem propter consanguineos et affines huiusmodi in eâ existentes ingrediendi desiderio tenebantur, ne voto seu contubernio praedictis privati remanerent, illam minime ingressi fuerint, in grave eiusdem Congregationis, quae religiosorum penuriâ laborat, detrimentum, adeout plures, imo prope omnes dictae Congregationis provinciae adversus eamdem declarationem reclamaverint; quibus in novissimo capitulo generali eiusdem Congregationis anno proxime praeterito in praedicto conventu Iesu et Mariae de Urbe celebrato, cui dilectus filius noster Iosephus Renatus S. R. E. cardinalis Imperialis nuncupatus, Ordinis eorumdem fratrum eremitarum sancti Augustini apud nos et Sedem praedictam protector, nostro et eiusdem Sedis nomine praesedit, mature consideratis, vigore decreti ab eodem capitulo generali communibus suffragiis editi, procuratori generali eiusdem Congregationis inibi eligendo iniunctum fuit ut pro aliquâ moderatione dictarum Clementis praedecessoris litterarum apud nos instaret: quare dictus Guglielmus nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Edit. Main. legit *impetratum* (R. T.).

Moderatio praedictâ quae conceditur votum consanguineis fratribus in quibusdam capitulis.

§ 3. Nos igitur, eumdem Guglielmum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, et attentâ relatione per ipsum Iosephum Renatum cardinalem et protectorem nobis super iisdem praemissis factâ, praefatas Clementis praedecessoris litteras, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, ita moderamur, ut deinceps duo fratres dictae Congregationis, in primo vel secundo gradu sanguine seu affinitate coniuncti, in capitulis seu congregationibus capitularibus eiusdem Congregationis, in quibus vocales non sint numero pauciores quam duodecim, tres autem fratres sic coniuncti in illis capitulis et congregationibus, in quibus octodecim vocales reperiantur, ipsis consanguineis vel affinibus utroque casu comprehensis, simul convenire ac votum habere libere, licite et valide possint et valeant.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, etc.[1].

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis et Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, etc.[2]

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[3]

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-

1 Ut supra pag. 703 *a* (R. T.).
2 Ut supra ibid. (R. T.).
3 Ut supra pag. 704 *a* (R. T.).

iorem, sub annulo Piscatoris, die XX septembris MDCCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 20 septembris 1723, pontif. anno III.

XLI.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis monachorum S. Hieronymi Congregationis Lombardiae die festo S. Paulae[1].

Innocentius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Iniunctae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio postulat ut caelestium munerum thesauros dispensationi nostrae a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris sanctorum in caelis cum Christo regnantium venerationem, excitandamque et fovendam erga illos[2] fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum.

Concessio praedicta. § 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni procuratoris generalis monachorum Ordinis S. Hieronymi Congregationis Lombardiae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque monasteriorum dictae Congregationis tam hactenus erectis quam in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, die festo sanctae Paulae viduae Romanae a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi annis singulis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§ 2. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[1]. Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII octobris MDCCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 octobris 1723, pontif. anno III.

XLII.

Conceditur Carmelitis provinciae Bahiae in Brasiliâ magistris facultas suscipiendi lauream doctoratus a provinciali[2].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii prior provincialis ac definitorium aliique fratres provinciae Bahiae in Brasilia Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo, quod aliàs felicis recordationis Urbanus PP. VIII praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras die XXVI augusti MDCXXIV expeditas indulsit atque concessit quondam Theodoro Statio, tunc temporis priori generali dicti Ordinis, ac provinciarum Hispaniae et Lusitaniae professoribus Ordinis huiusmodi, ut iidem, qui, absolutis per cursum lecturis vel exer- Ab Urbano VIII concessa fuit provinciis Hispaniae et Portugalliae facultas suscipiendi lauream in collegio Salmanticensi.

1 A Clemente XI, constit. edit. MDCCI, die 1 februarii, pontif. I, concessum fuit officium huius Sanctae pro toto Ordine.

2 Edit. Main. legit *illa* (R. T.).

1 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).

2 Eadem facultas concessa fuit provinciae Portugalliae const. ed. MDCCXXIII, die 14 iulii, pontif. III; et constitutione sequenti conceditur provinciae fluminis Ianuarii.

citiis litterarum iuxta regularia Ordinis praedicti instituta requisitis, ac servatis aliàs servandis, per eumdem priorem generalem in sacrâ theologiâ magistri iuxta eius facultates instituti et creati fuissent, lauream doctoratus in collegio S. Theresiae Salmanticensi memorati Ordinis, ad formam in praedictis litteris praescriptam, suscipere possent, ne[1] pro eâ suscipiendâ aliquam approbatam studii generalis universitatem adire tenerentur; et hoc ideo concessum fuit ne praedictus Ordo seu religio, inter Mendicantes pauperrima, detrimentum pateretur intolerabilium expensarum, quae pro obtinendâ huiusmodi doctoratus laureâ in publicâ universitate erogandae forent: et aliàs, prout in praedictis Urbani praedecessoris litteris, quarum[2] tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Rationes concedendi praedictam facultatem.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictum indultum, eo tempore quo rex Hispaniarum catholicus etiam Lusitaniam possidebat, religiosis utriusque nationis aeque profuerit, separatisque dominiis, respectu Lusitanorum, quibus dictum collegium Salmanticense adire non amplius permissum fuit, sine ullo effectu et utilitate remanserit, et adhuc de praesenti remaneat, propter diversum rerum et dominiorum quod viget systema, eâque de causâ dicta provincia commodum atque utile suos religiosos pro suscipiendâ ibi laureâ doctoratus huiusmodi transmittere minime existimet; et proinde ne ipsa eiusque professores commoditate eiusmodi lauream suspiciendi sine eâ magnâ ac intolerabili expensâ, quae in aliquâ approbatâ universitate requiritur, priventur, opportune a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desideret, quemadmodum a nobis provinciae ac definitorio aliisque fratribus provinciae Portugalliae eiusdem Ordinis per quasdam nostras litteras pariter in simili formâ Brevis die XIV iulii proxime praeteriti expeditas concessum fuit:

Concessio ut in rubricâ.

§ 3. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii moderni procuratoris generalis super praemissis eisdem cardinalibus factam attenderunt, consilio, ut omnes et singuli professores provinciae et Ordinis praedictorum, quos modernus et pro tempore existens prior generalis eiusdem Ordinis in sacrâ theologiâ magistros, servatis servandis, instituerit et creaverit, lauream doctoratus praevio rigoroso examine coram priore provinciali dictae provinciae Bahiae et quatuor in eâdem sacrâ theologiâ magistris seu regentibus, illorumque approbatione, servatis ceteroqui conditionibus per statuta seu constitutiones Ordinis praedicti praescriptis, ab ipsomet priore provinciali suscipere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus pariter et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

1 Supra in loco parall. p. 946 *a* l. *nec* (R.T.).
2 Edit. Main. legit *quorum* (R. T.).

§ 4. Decernentes, etc. Non obstantibus etc.[1]

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCCXXIII, pontificatus nostri, anno III.

Dat. die 23 decembris 1723, pontif. anno III.

XLIII.

Conceditur Carmelitis provinciae fluminis Ianuarii in Brasiliâ magistris facultas suscipiendi lauream doctoratus a provinciali [2].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Provinciis Portugalliae et Hispaniae concessa fuit ab Urbano VIII facultas suscipiendi lauream in collegio Salmanticensi.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii provincialis ac definitorium aliique fratres provinciae fluminis Ianuarii in Brasilia Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, quod aliàs felicis recordationis Urbanus PP. VIII praedecessor noster, etc.[3]

Rationes concedendi praedictam facultatem.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictum indultum, eo tempore quo rex Hispaniarum catholicus etiam Lusitaniam possidebat, religiosis utriusque nationis, etc.[4].

Concessio ut in rubricâ.

§ 3. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, etc.[5], ut omnes et singuli professores primodictae provinciae fluminis Ianuarii, quos modernus et pro tempore existens prior generalis eiusdem Ordinis in eâdem sacrâ theologiâ magistros, servatis servandis, instituerit et creaverit, lauream doctoratus, praevio rigoroso examine coram priore provinciali praedictae provinciae fluminis Ianuarii, et quatuor in eâdem sacrâ theologiâ magistris sive regentibus, illorumque approbatione, servatis ceteroquin conditionibus per statuta seu constitutiones Ordinis praedicti praescriptis, ab ipsomet provinciali suscipere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus pariter et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, etc. Non obstantibus, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 decembris 1723, pontif. anno III.

XLIV.

Confirmatur et innovatur constitutio Clementis VIII prohibens Iudaeis novarum rerum mercaturam [2].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis munere, illa quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad gentis Iudaeorum christiano nomini iugiter infensae perfidiam et cupiditatem coërcendam provido consilio emanasse noscuntur, ut solidiori robore perennent, apostolici muniminis nostri praesidio

1 Ut supra pag. 947 *a* (R. T.).

2 Eadem facultas concessa fuit provinciae Bahiae constitutione praecedenti; et Benedicti XIII const. ed. MDCCXXV, die 30 augusti, pontif. II, conceditur provinciae Aragoniae.

3 Expositio eadem omnino ac illa pag. 946 *a* (R. T.).

4 Reliqua sicut pag. 946 *a* et *b* (R. T.).

5 Sicut supra pag. 946 *b* (R. T.).

1 Sicut pag. 947 *a* (R. T.).

2 Laudata constitutio edita fuit MDCXCII, die 28 februarii, pontif. I, quae hîc refertur cum constitutionibus super eâdem re Pauli IV ed. MDLVI, die 14 iulii, pontif. I, et Pii V ed. MDCLXVI, die 18 aprilis, pontif. I. In Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVIII, die XXVI martii, pontif. V, confirmatur praesens constitutio.

libenter constabilimus, ac aliàs desuper opportune providemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Epitome constitutionis Clementis VIII in qua confirmantur constitutiones Pauli IV et Pii V super eâdem re.

§ 1. Dudum siquidem per felicis recordationis Clementem PP. VIII praedecessorem nostrum accepto, quod iudaei quarumdam super confirmatione constitutionis piae memoriae Pauli PP. IV similiter praedecessoris nostri, per quam inter cetera sanciebatur ut iidem iudaei, in Urbe et reliquis S. R. E. civitatibus, terris et locis degentes, solâ arte strazzariae seu cenciariae, ut vulgo dicitur, contenti, aliquam mercaturam frumenti vel hordei aut aliarum rerum usui humano necessariam[1] facere nequirent, a sanctae memoriae Pio PP. V praedecessore nostro editarum litterarum observantiam aliqualiter relaxare, praesertim in locis ab eâdem Urbe remotis, et nominatim in civitate Avenionensi et comitatu nostris tunc suis Venayssini in desuetudinem trahere dignoscebantur: idem Clemens praedecessor litteras et constitutionem praedictas, ut par erat, inviolate observari volens, illas auctoritate apostolicâ confirmavit, ac omnibus et singulis, quos litterae et constitutio huiusmodi concernebant, sub poenis in eis contentis iniunxit, ut illas et in eis disposita observarent et observari curarent; ac nihilominus suis et Apostolicae Sedis legatis, vicelegatis, gubernatoribus, officialibus et ministris, signanter in civitate Avenionensi et comitatu Venayssini praedictis pro tempore existentibus, districte praecipiendo mandavit, ut litteras et constitutionem praefatas in civitatibus, terris et locis quibuscumque, praesertim dicti comitatus et legationis Avenionensis, omnino observari facerent, et inter alia iudaeis[2] ibidem degentibus, ne merces rerum novarum, sed tantummodo ipsas res veteres vendere aut mercari praesumerent, expresse prohiberent, in contravenientes poenas in litteris et constitutione huiusmodi comminatas irremissibiliter exequendo; et aliàs, prout uberius continetur in ipsius Clementis praedecessoris litteris in simili formâ Brevis cum eorumdem Pii et Pauli praedecessorum litterarum et constitutionis praedictarum insertione desuper expeditis tenoris qui sequitur, videlicet:

Constitutio Clementis VIII cum insertis Pii V et Pauli IV litteris integre refertur.

Clemens VIII ad perpetuam rei memoriam. Cum saepe accidere possit, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII februarii MDXCII, pontificatus nostri anno I.

Confirmatio et innovatio ut in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut ex dilectorum filiorum mercatorum civitatis Avenionensis et comitatus Venayssini praedictorum ad apostolatum nostrum delatis querelis accepimus, adeo creverit iudaeorum in illis partibus degentium temeritas, ut non minus in manifestum praeinsertarum litterarum eisque adiectarum prohibitionum et poenarum spretum, quam in grave eorumdem mercatorum detrimentum, bombycinos folliculos, vulgo *cocconi* o *bocci*, a christianis emere et mercari, ac sericum texere pannosque sericos conficere non ita pridem praesumpserint et etiam num praesumant: nos, ipsorum mercatorum indemnitati prospicere, simulque effraenatam dictorum iudaeorum licentiam cohibere volentes, praeinsertas Clementis praedecessoris litteras, quibus inter alia iudaeis praefatis quodvis rerum novarum mercimonium prohibetur, iisque solum permittitur artis strazzariae seu cenciariae exercitium, sicut praemittitur, ac in eisdem litteris contenta quaecumque, auctoritate apostolicâ, tenore praesen-

1 Videtur legendum *necessariarum* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *iudaei* (R. T.).

1 Reliqua omittimus, quia leguntur in tomo IX, pag. 523 *b* et seq. (R. T.).

tium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac, quatenus opus sit, illa omnia et singula innovamus, et exacte et inconcusse in civitatibus praesertim, terris et locis legationis Avenionensis et comitatus Venayssini praefatorum perpetuo servari mandamus et praecipimus. Praeterea sub enarratâ novarum rerum mercimonii prohibitione tam texturam et confectionem serici cuiuscumque generis vel speciei, quam emptionem et venditionem etiam indirectam novi serici, sive contexti sive non contexti, ac folliculorum bombycinorum, quos gallico idiomate *cocon*, italice vero *coccone* seu *boccio* appellant, comprehendi et comprehensas esse, auctoritate et tenore praedictis decernimus et declaramus.

Clausulae. § 3. Volentes et eâdem autoritate pariter decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque in praemissis per eiusdem civitatis et comitatus vicelegatos, et alios quoscumque iudices ordinarios et delegatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae in iisdem Clementis praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII ianuarii MDCCXXIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 18 ianuarii 1724, pontif. anno III.

XLV.

Confirmatur decretum Congregationis Rituum super recitatione officiorum Sanctorum propriorum iuxta ritum breviarii romani pro canonicis Praemonstratensibus Congregationis Hispaniae[1].

Innocentius Papa XIII.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium sacris ritibus praepositâ decretum tenoris qui sequitur, videlicet: Decretum praedictum MDCCXXIII editum.

Ordinis canonicorum Praemonstratensium Congregationis Hispaniae. Ad supplices canonicorum Ordinis Praemonstratensium Congregationis Hispaniae instantias sacra Rituum Congregatio declaravit atque decrevit, ut a canonicis praefatae Congregationis, ad formam indulti sub die XXVIII novembris MDCCXXII ipsis concessi, officia Sanctorum propriorum eorumdem Ordinis, iuxta ritum breviarii ac missalis romani, recitari valeant. Die XI decembris MDCCXXIII — F. card. PAULUTIUS praefectus. — N. M. TELESCHI archiepiscopus Apamenus, sacrae Rituum Congregationis secretarius.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii canonici regulares Congregationis et Ordinis praedictorum nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione Confirmatur.

1 Clementis XI const. edit. MDCCV, die 30 maii, pontif. V, est de habitu et breviario; et Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXV, die 18 iunii, pontif. II, confirmatur huic simile decretum.

vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, etc. [1].

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX februarii MDCCXXIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 9 februarii 1724, pontif. anno III.

XLVI.

Statuitur ut Ruthenis ad fidei unitatem revertentibus bona sua integre reserventur [2].

Innocentius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium a clementiâ Sedis Apostolicae. Æterni Pastoris, qui misericors et miserator existit, nec vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat, vices, licet immeriti, in terris gerentes, iis etiam, qui a fide Christi aliquando aberrant, pietatis et misericordiae ianuam reseramus, ac poenas, quas iuris severitas in eos statuit, Apostolicae Sedis clementiâ moderamur, ut eiusdem Sedis benignitate alleeti, suis abiuratis erroribus, ad Christi ovile et pascua salutis reducantur.

Metu privationis bonorum detinebantur Ruthenii, quominus ad unitatem redirent.

§ 1. Cum itaque, sicut venerabiles fratres archiepiscopi et episcopi Rutheni cum S. R. E. uniti nobis nuper exponi fecerunt, ipsi nil adeo Ruthenos schismaticos, quominus ad verae et orthodoxae fidei unitatem revertantur, detinere ac morari compererint, quam metum privationis et amissionis bonorum suorum temporalium, quae ad gremium S. R. E. revertentibus, ex causâ schismatis in quod delapsi fuerant, multoties etiam per vim auferri consueverunt, et, si istiusmodi poena, quae in illis partibus invaluit, e medio tolleretur, ac bona temporalia ad fidei catholicae unitatem redeuntibus reservarentur, futurum sperent ut Rutheni schismatici facilius lubentiusque schisma eiusque errores abiiciant: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos, animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, ipsorumque archiepiscoporum et episcoporum votis hac in re favorabiliter annuere volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod deinceps omnibus et singulis Ruthenis utriusque sexus, tam laicis quam clericis, saecularibus et quorumvis Ordinum et militiarum regularibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existant,

Ideo statuit ut in rubricâ.

1 Ut supra pag. 834 *b* (R. T.).

2 Clementis XI constit. edit. MDCCIV, die 3 martii, pontif. IV, confirmata et ampliata fuere privilegia neophytorum quoad temporalia; et Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVII, die 14 februarii, pontif. II, confirmatur decretum de hebraeis declarantibus animum suscipiendi baptisma.

etiamsi pontificali aut aliâ quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgeant, qui, schismate eiusque erroribus abiuratis, ad eiusdem sanctae Romanae et universalis Ecclesiae unitatem sincero corde revertentur (dummodo tamen relapsi non fuerint), bona, res, iura et actiones tam active quam passive[1], quae ad eos etiam ante tempus ac tempore eorum lapsus in schismate et errores huiusmodi quomodolibet legitime spectabant seu spectare eisve competere poterant, integre reserventur, ac reservata et reservatae esse intelligantur, ita quod post suam reversionem ad eiusdem Ecclesiae communionem illa retinere illisque frui et potiri libere et licite possint, nullusque eos desuper ex causâ schismatis molestare vel perturbare iisque damnum vel minimum praeiudicium adferre audeat seu praesumat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et declaramus.

Clausulae. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, etc.[2]

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis ac in synodalibus provincialibusque et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, legibus quoque imperialibus et municipalibus, ac consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x februarii MDCCXXIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 februarii 1724, pontif. anno III.

1 Forsan *activae ... passivae* (R. T.).
2 Ut supra pag. 703 *a* (n. T.).

XLVII.

Confirmatur decretum Congregationis Rituum de cultu immemorabili B. Andrae de Comitibus[1].

Innocentius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium a promovendo cultu servorum Dei.

Apostolicae servitutis officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati atque infirmitati nostrae credere dignata est, ad specialem fidelium aedificationem salubriter exequi, adspirante superni favoris auxilio, iugiter satagentes, servorum Dei, qui, despectâ saeculi vanitate, iugum Domini in sanctâ humilitate assumpserunt, et virtutum omnium praesidio muniti, decurso feliciter mortalis vitae stadio, immarcescibilem gloriae coronam in caelis accipere meruerunt, cultum et venerationem in terris libenter promovemus, sicut Dei gloriae populorumque pietati convenire conspicimus.

Decreto praedicto Congregationis confirmata fuit sententia episcopi Anagnini de dicto cultu immemorabili.

§ 1. Cum itaque aliàs, ad relationem venerabilis fratris nostri Fabritii episcopi Albanensis S. R. E. cardinalis Paulutii nuncupati, commissio introductionis causae beatificationis et canonizationis venerabilis servi Dei Andreae de Comitibus, Beati nuncupati, sacerdotis professi Ordinis Minorum sancti Francisci, in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum habitâ die XXV septembris proxime praeteriti admissa, et a nobis postmodum signata fuisset; subinde vero, instante dilecto filio Ioanne Baptista Lamberto de Aste, fratre expresse professo Ordinis Minorum

1 Clementis XI constit. edit. MDCCXIII, die 12 septembris, pontif. XIII, confirmatum fuit huic simile decretum pro B. Gregorio; et Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXIV, die 4 innii, pontif. I, promulgatur canonizatio beati Ioannis a Capistrano.

eiusdem sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, in sacrâ theologiâ magistro, huiusmodi causae postulatore, processus in curiâ episcopali Anagniae super cultu ab immemorabili tempore ipsi Beato praestito, sive super casu excepto a decretis felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri in Congregatione sanctae Inquisitionis editis, auctoritate ordinariâ constructus, in quo venerabilis frater Ioannes Baptista episcopus Anagninus sententiam super praedicto cultu protulerat, in eâdem Congregatione cardinalium die XI decembris novissime elapsi examinatus, simulque a dicto Fabritio episcopo et cardinali propositum fuerit dubium, an sententia praedicti Ioannis Baptistae episcopi Anagnini lata super casu excepto a decretis ipsius Urbani praedecessoris sive super cultu publico ab immemorabili tempore dicto Beato praestito, esset confirmanda in casu et ad effectum de quo agebatur; auditoque desuper tam in voce quam in scriptis dilecto filio magistro Prospero Lambertini in utrâque signaturâ nostrâ referendario, ac fidei promotore, necnon omnibus in enarrato casu excepto diligenter examinatis ac mature discussis, memorata Congregatio cardinalium rescribendum censuerit affirmative: hinc est quod nos, piis atque enixis eiusdem Ioannis Baptistae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum a memoratâ cardinalium Congregatione editum, ut praefertur, quod scilicet de casu excepto a decretis praedicti Urbani praedecessoris sive de cultu publico ab immemorabili tempore dicto beato Andreae praestito constet, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Confirmatur decretum.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, etc.[1]. Clausulae.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Contrariorum derogatio.

§ 4. Volumus autem ut ipsarum litterarum transumptis, etc.[2]. Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV februarii MDCCXXIV[3], pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 februarii 1724, pontif. anno III.

1 Reliqua ut supra pag. 703 *a* (R. T.).
2 Reliqua ut pag. 704 *a* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *1726* (R. T.).

FINIS PONTIFICATUS INNOCENTII XIII.

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM.

NUMERUS PAGINAM INDICAT; *a* PRIMAM COLUMNAM; *b* SECUNDAM DESIGNAT.

A

Abbas et abbatia, *vide* Monachi.

Abbatia S. Benigni, *vide* Sabaudia.

Absolutio. — Absolvendi a casibus reservatis facultatem in quibusdam partibus infidelium fratribus Discalceatis SS. Trinitatis redemptionis captivorum Congregationis Hispaniae concedit Pontifex, 96 *b*; absolutionem a quibusdam censuris et casibus, confessariis de Urbe prohibuit, 430 *a* et *b*, *vide* Confessarius.

Abulensis ecclesiae turbas refert, 349 *a*, *vide* Electio.

Academia pictorum, sculptorum et architectorum Bononiae instituta et *Clementinae* nomine insignita, 440 *b*; eius statuta quaedam recensetur, 440 *b* et *seq.*; et confirmantur, 449 *b*.

Academia scientiarum Bononiensis. — Academia sub titulo *Instituti scientiarum* in urbe Bononiensi erectionem eiusque descriptionem, ac de eâ benemeritos recenset, 682 *a* et *seq.*; eiusdem constitutiones anno MDCCXI editas et postea reformatas et approbatas enumerat, 683 *b* et *seq.*; et confirmat, 692 *a*; eiusdem praesidem in clericali statu constitutum in Sanctae Sedis notarium eligit, 692 *b*, praesidem laicum in equitem auratae militiae, 693 *a* et *b*; pro praedictâ nonnullae ordinationes statuuntur, 693 *b*.

Academiae theologicae in Archigymnasio Sapientiae Romano institutio, locus et laudes, 785 *b*; eiusdem constitutiones quaedam recensentur, 786 *a* et *b*; eiusdem institutionem, concessionem loci, et relatas constitutiones cum novâ institutione et concessione confirmat Pontifex, 786 *b* et *seq.*; eiusdem censores qui academicorum disputationibus praesint, necnon quinque cardinales protectores deputat cum privilegiorum nonnullorum concessione, 787 *a* et *seq.*

Adalbertus Ignatius Bardzinki non minus iniuste quam violenter eligitur administrator Vladislaviensis ecclesiae, 310 *b*; electio huiusmodi nulla declaratur, 311 *a* et *seq.*; illique prohibetur ne in regimine ecclesiae se ingerat, 312 *a*.

Administrator. — Administratorum ecclesiarum Gnesnensis et Vladislaviensis electiones nullae declarantur, 311 *a* et *b*; administratoribus eisdem assertis, ne se ingerant in regimine dictarum ecclesiarum, sub diversis poenis prohibetur, 310 *a*.

Ægidiana constitutio quoad solemnitates in contractibus minorum, *vide* Avenionensis Status.

Agrigentum. — Agrigentinus episcopus, e sua civitate ac dioecesi totoque regno Siciliae expulsus, suae expulsionis executores et complices in censuras incidisse declarat, et civitatem ac dioecesim praedictas interdicto ecclesiastico supponit, 588 *b*, 589 *a*; in Agrigentinâ et Cataniensi dioecesibus omnimodam interdicti observantiam cum reprobatione quarumdam falsarum doctrinarum et poenis in contravenientes decernit Pontifex, 630 *b* et *seq.*, *vide* Censura ecclesiastica, *vide* Monarchia Siciliae.

Altare portatile. — Huiusmodi altari utendi facultas in quibusdam partibus infidelium fratribus Discalceatis SS. Trinitatis redemptionis captivorum Congregationis Hispaniae conceditur, 96 *b*.

Andreas (S.) Avellinus. — Eius vitam constitutioni insertam refert, unâ cum nonnullis miraculis, 519 *a* et *seq.*; eiusdem canonizatio cum concessione indulgentiae in eius festo et octavâ promulgatur, 529 *b*.

Andreas (B.) de Comitibus. — De beati Andreae de Comitibus cultu immemorabili decretum Congregationis Rituum, 957 *b* et *seq.*

Annus sanctus. — Anni sancti tempore decretum camerale eiusque ampliationem pro inquilinis refert et confirmat 928 *a* et *seq.*

Antonii (S.) de Padua festum sit de praecepto in Hispaniis et America, 899 *a*.

Aquila, *vide* Audientia regia Aquilanensis.

Archiepiscopatus Ulyssiponensis, *vide* Ulyssiponensis archiepiscopatus. — Archiepiscopi Ulyssiponensis orientalis iurisdictio et facultas praescribitur, 728 *a* et *seq.*; item occidentalis qui esse debet sacellanus maior regiae cappellae, 729 *a* et *seq.*; archiepiscopatus utriusque redditus, et capituli pariter, necnon taxa pro expeditione litterarum apostolicarum designantur, 730 *b* et *seq.*; pro pace inter archiepiscopum utrumque conservandâ statuta nonnulla, 731 *a* et *seq.*; archiepiscopatus occidentalis praedictus in patriarchatum, ad instar illius Venetiarum, cum plurimis praerogativis erigitur, 734 *a* et *seq.*; archiepiscopatus eiusdem capitulo privilegia quaedam conceduntur, 735 *b* et *seq.*; archiepiscopum occidentalem nominandi et praesentandi ius regi Portugalliae reservatur, 736 *b* et *seq.*; archiepiscopatus et patriarchatus in dicta regia cappella firmitatem decrevit Pontifex, 732 *a*; ut praedicta omnia exequutioni mandentur delegatum apostolicum designat, *ibid.*; acta omnia a delegato apostolico pro exequutione litterarum apostolicarum, decerectione scilicet patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, confirmantur, 754 *a* et *seq.*; archiepiscopalis ecclesiae eiusdem capitulo indulta ampliantur, 757 *b* et *seq.*; decretum delegati apostolici de distributione orationis Quadraginta Horarum inter ecclesias patriarchalem et metropolitanam aliasque Ulyssiponenses confirmatur, 766 *a* et *seq.*

Archiepiscopi Goanensis edictum contra commissarium et visitatorem apostolicum in Indiis orientalibus nullum declaratur, 265 *a* et *seq.*

Archigymnasium Sapientiae. — *Vide* Academia theologica.

Artis agrariae Congregatio, *vide* Congregatio.

Associatio cadaverum. — Super associatione cadaverum varia decreta Congregationis episcoporum et regularium, quibus interdicitur parochis et clero saeculari ingredi ecclesias quorumdam regularium in dictâ associatione, super cadavera functiones facere, et pro iis maiorem eleemosynam accipere, referuntur, 706 *a* et *seq.*; aliud a dictâ Congregatione editum fuit decretum, quo extenduntur relata decreta etiam ad provinciam S. Ioannis Baptistae Ordinis Praedicatorum, et confirmatur, 707 *a*. — *Vide* Parochus.

Astensis episcopus. — Ad illum pertinere docetur eiusque mensam episcopalem loca Montatiae, Cisternae et Cortansae, 782 *a* et *seq.*

Audientiae regiae Aquilanensis ministrorum gesta omnia circa condemnationem clerici, sequestrum mensae, et ejectionem episcopi ob censuras in eos latas, refert, nulla declarat, et censuras confirmat, 287 *a* et *seq.*

Auditores Rotae. — Ut inter auditores Rotae Perusinae sit semper locus pro uno eive civitatis Urbini, statuit Clemens XI, 250 *a* et *seq.*; et etiam inter auditores Rotae Maceratensis, uti refert et confirmat Innocentius XIII, 894 *b* et *seq.*

Augustiniani. — *Vide* Eremitae S. Augustini.

Augustinus ab Annunciatione archiepiscopus Goanensis, 265 *a*; eius edictum contra commissarium apostolicum, nullum declaratur, *ibid.*

Augustinus (B.) Dalmata. — De eius officio et missâ pro quibusdam dioecesibus et Ordine Praedicatorum decretum Congregationis Rituum confirmatur, 54 *b*.

Avenionensis Status. — Pro Statu Avenionensi et comitatu Venaissino non servandam esse constitutionem Ægidianam quoad solemnitates in contractibus minorum decrevit Congregatio Avenionensis, eiusque decretum confirmatur, 484 *b*.

B

Beatificatio servorum Dei. — Beatorum catalogo servum Dei Franciscum Regis Societatis Iesu cum officio et missa adscripsit, 704 *a* et *b*.

Bellum diuturnum nimium et sane acerbissimum quo se invicem depascuntur Principes Christiani, ac proprio sanguine, quasi musto, inebriantur, 263 *b*.

Beneventana civitas semper excipitur in concessione regni Siciliae in feudum, 905 *b*.

Bernensis magistratus, *vide* Pacificatio.

Bethlehemitae. — Bethlehemitarum Congregationi in Indiis Occidentalibus exemptio a processionibus publicis conceditur, 55 *b*; Congregationi eidem privilegia omnia Ordinum mendicantium et clericorum ministrantium infirmis communicantur, 299 *a* et *seq.*; ipsa Congregatio erigitur in veram religionem sub regulâ S. Augustini, 385 *a* et *seq.*; iterum privilegia Ordinum Mendicantium et Ministrantium Infirmis illi confirmantur, 431 *b* et *seq.*; decreta quaedam Congregationis particularis ac episcopalis et regularis de revocatione decretorum capituli generalis MDCCIII, eius erectione in religionem, aliisque nonnullis ad regimen pertinentibus, confirmantur, 643 *b* et *seq.*

Bibliotheca Casanatensis. — In eâ libros quoscumque vetitos retinendi facta facultas generali Praedicatorum, 13 *a* et *b*.

Bibliotheca Urbinatensis. — Bibliothecam publicam Urbinatensem Clemens XI pontificiâ charitate erga patriam suam instituit, ut idem narrat, 843 *a* et *b*; ex bibliothecâ praedictâ ne libri extrahantur sub certis poenis prohibuit, 844 *a*; bibliothecae praefatae facultatem retinendi libros damnatos indulsit, 844 *a* et *b*.

Birgitta (S.). — In eius die festo indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis Ordinis eiusdem Sanctae, 948 *a*, *vide* Corona S. Birgittae.

C

Caeremoniae vel ritus Sinenses, *vide* Ritus.

Canonici regulares Ordinis Praemonstratensis Congregationis Hispaniae. — Pro ipsis constitutio Innocentii XII edita die VI decembris MDCXCVIII de uniformitate eorumdem tam in habitu quam in ceteris cum universo Ordine confirmatur, 68 *b*; ut canonici praedicti reassumerent habitum, breviarium et missale Ordinis Praemonstratensis statuitur, 78 *b*; item pro ipsis decretum Congregationis episcoporum et regularium de non immutando habitu et breviario eiusdem Congregationis confirmatur, 231 *b*; pro eisdem Praemonstratensibus Congregationis Hispaniae decretum Congregationis Rituum super recitatione officiorum Sanctorum propriorum iuxta ritum Breviarii Romani confirmatur, 955 *b* et *seq.*

Canonici regulares Congregationis Wildesinensis Ordinis sancti Augustini. — Ipsis decretum quoddam Congregationis Indulgentiarum, de communicatione indulgentiarum Congregationis Lateranensis praedictae Congregagationi Wildesinensi in utrâque Germaniâ, confirmatur, 805 *a* et *b*; canonicos regulares S. Augustini superioris Germaniae gaudere indulgentiis plenariis, canonicis Lateranensibus concessis, declaratur, 904 *b* et *seq.*

Canonici regulares Congregationis Reformatae Ordinis sancti Antonii Viennae. — Statuta quaedam pro ipsis recenset, 84 *b*, et confirmat, 88 *b*.

Canonici regulares S. Augustini Congregationis S. Rufi. — Pro ipsorum ecclesiis in festis S. Augustini, Rufi et Monicae indulgentia plenaria et perpetua, 246 *a*.

Canonici regulares S. Salvatoris Ordinis S. Augustini. — Pro ipsis constitutio Pauli V contra ambientes officia et dignitates in congregatione eorumdem confirmatur et innovatur, 320 *b* et *seq.*; canonicis eisdem indultum de assequutione praelaturarum, ab Urbano VIII concessum lectoribus et magistris iuvenum, ad religiosos curam animarum habentes extenditur, 342 *a* et *seq.*

Canonizatio Sanctorum. — Canonizatio S. Pii V, Ordinis Praedicatorum, unâ cum indulgentiâ in eius festo, promulgatur, 506 *b* et *seq.*; item S. Andreae Avellini, 518 *a* et *seq.*

Capellanis communibus Sanctitatis Suae privilegia de more concessit Clemens XI, 550 *a*; item Innocentius XII, 881 *a*.

Captivorum necessitates ut saltem bis in anno populo commendari curarent, Ordinariis Italiae et generalibus religiosorum mandavit Clemens XI, 347 *a* et *seq.*; idem Ordinariis quamplurium nationum et generalibus religiosorum, 577 *a* et *b*.

Cardinalis dominus Ioseph Renatus Imperialis in praefectum Congregationis boni regiminis electus fuit, 29 *b*.

Cardinalis Mariscotti praeficitur Congregationi *del Solliero* de Urbe, 10 *b*.

Carmelitae. — Ipsis decretum Congregationis episcoporum et regularium de iuribus ad gradus scholasticos pro studentibus collegii S. Mariae Transpontinae de Urbe eorumdem confirmatur, 57 *a* et *seq*; item decretum cardinalis protectoris de facultate erigendi confraternitates S. M. de Carmelo, et distribuendi scapularia pro solis fratribus Ordinis Carmelitarum, 71 *b*; lectoribus Carmelitis collegii ecclesiastici in civitate Leoninâ de Urbe conceduntur privilegia iam concessa lectoribus itidem Carmelitis in archigymnasio Sapientiae, 189 *b*; decretum Congregationis episcoporum et regularium de servandâ constitutione Innocentii XII pro divisione provinciae Poloniae eorumdem Ordinis confirmatur, 261 *b*; pro eisdem provinciae Portugalliae decretum Congregationis episcoporum et regularium, quo revocantur facultates concessae praedictis fratribus musicis manendi extra coenobia, 302 *a* et *seq.*; in Carmelitarum Ordine studia et gradus ad formam quorumdam decretorum capituli generalis reducuntur, 454 *b* et *seq.*; Carmelitis provinciae Portugalliae alternativa quaedam officiorum auctoritate apostolicâ instituta fuit a nuncio et a capitulo provinciali approbata, uti narrat, 829 *a* et *b*; eadem aboletur, 830 *a*; praedictis eiusdem provinciae magistris facultas suscipiendi lauream doctoratu in Coimbricensi collegio conceditur, 945 *b* et *seq.*; item et eis provinciae Bahiae in Brasilia ac provinciae fluminis Ianuarii conceditur facultas suscipiendi lauream doctoratus a provinciali, 951 *b* et *seq.*

Carmelitae antiquae observantiae nuncupati. — Ne superiores provinciae Portugalliae permittant fratres musicos canere in alienis ecclesiis, prohibetur, 755 *b* et *seq.*; eorumdem binae vicariae Bahiae et fluvii Ianuarii in Brasilia in provincias eriguntur, 833 *b* et *seq.*

Carmelitae Excalceati Congregationis Italiae. — Ipsis facta facultas fundandi hospitium in civitate Ulyssiponensi, 392 *a* et *seq.*; Carmelitis eisdem provinciae Romanae decretum capituli eiusdem provinciae de pecuniis investiendis, 397 *a*.

Carmelitae Reformati. — Carmelitis reformatis provinciae Pedemontanae constitutio Innocentii XI approbans statuta cardinalis protectoris pro reformatione dictae provinciae confirmatur, 700 *b* et *seq.*

Carolus Maigrot, vicarius apostolicus Fokiensis in regno Sinarum, 204 *b*; eius edictum seu decretum refertur supra ritibus vel caeremoniis Sinensibus observandum donec aliter ab Apostolicâ Sede decretum fuerit, *ibid.*

Carolus Thomas card. Maillard de Tournon patriarcha Antiochenus, missus visitator apostolicus in Sinarum regnum cum potestate legati Sedis Apostolicae, 264 *b*; edictum archiepiscopi Goanensis contra ipsum nullum declaratur, 265 *a* et *b*; illius decretum ut nullus sive saecularis sive regularis etiam Societatis Iesu officium cuiuscumque superioratus exerceat in missionibus Sinensibus non obtento illius consensu, 420 *a* et *seq.*; confirmatur a Pontifice, 421 *b*; gesta episcopi Macaonensis contra ipsum irrita, 424 *b* et *seq.*; ob iustas causas interdicto supponit presbyteros Societatis Iesu eorumque ecclesiam in civitate Macaonensi, 424 *a* et *b*.

Carolus VI imperator. — Ipsi preces primariae ad quaedam beneficia ecclesiastica conceduntur, 603 *a*; Carolo VI imperatori eiusque descendentibus, etiam feminis, regnum Siciliae et Hierusalem, cum terrâ citra Pharum, in feudum concessit Innocentius XIII, 910 *b* et *seq.*; ab eo infra annum tradendam esse bullam auream recognitionis supremi dominii Sanctae Sedis, voluit, 911 *b*; Carolus idem liberatur a solutione censuum decursorum, *ibid*; *vide* Rex Romanorum.

Carthaginensis episcopi acta approbat Pontifex, et nulla declarat illa partis adversae, 248 *a* et *b*; eidem monasterium monialium S. Clarae, omniaque alia monasteria, uno excepto, subiicit, 249 *a*; episcopus ipse Michaël Antonius merito ornatur elogio, 249 *b*.

Casus reservati, *vide* Absolutio.

Censurae ecclesiasticae. — Censurae ab episcopo Agrigentino in sui expulsores declaratae confirmantur, 595 *a* et *seq.*; item et illae a vicario Liparensi in sui expulsores declaratae, 622 *a* et *seq.*; item illae, in quas auctores et participes cuiusdam appellationis et protestationis procuratoris fiscalis in regno Siciliae adversus binas constitutiones apostolicas incurrerunt, Romano Pontifici reservantur, 677 *b* et *seq.*; censurae a vicario ecclesiae Niciensis latae in ministros senatus, immunitatis ecclesiasticae violatores, validae declarantur, nullaque acta officialis archiepiscopi Ebredunensis super illarum invaliditate, 825 *a* et *seq.*; *vide* Interdictum.

Christianorum principum luctuosae discordiae, 263 *a*.

Cistercienses, *vide* Monachi Ordinis Cisterciensis.

Clemens XI, Ioannes Franciscus Albanus antea vocatus, Summus Pontifex eligitur, 1 *a*; mandat continuari visitationem apostolicam ecclesiarum Urbis, 6 *b*; indicit iubilaeum universale initio sui pontificatus, 17 *a* et *b*; item pro pace inter principes christianos, 263 *a* et *seq.*; item contra Turcas, 626 *a* et *b*; erigit collegium studiorum in coenobio Urbinatensi fratrum Conventualium, 30 *b*; auget devotionem erga S. Domum Lauretanam, 40 *b*; et consulit celebrationi missarum in eadem S. Domo, 41 *a* et *seq.*; plures libros proscribit, 80 *b*; 99 *b*; 304 *a* et *seq.*; 307 *b*; 319 *b*; 328 *a* et *b*; 365 *a*; 366 *b*; 380 *b*; 381 *b*; 390 *b*; acta causam rituum Sinensium spectantia et responsa S. Congregationis confirmat, 204 *b* et *seq.*; eorumque mandat omnimodam observantiam cum formulâ iuramenti praestandi a missionariis, 670 *a*; confirmat et innovat constitutiones Innocentii X et Alexandri VII adversus haeresim Iansenianam, 233 *a* et *seq.*; immunitati ecclesiasticae et iurisdictioni providet, 247 *a* et *seq.*; item 271 *a* et *seq.*; 287 *a* et *seq.*; 406 *b* et *seq.*; 434 *a* et *seq.*; 456 *b* et *seq.*; 463 *b* et *seq.*; iurisdictionem visitatoris apostolici in Indiis Orientalibus missi tuetur, 264 *b* et *seq.*; nullam declarat concordiam super hibernis stationibus militum Germanorum in ducatu Parmae et Placentiae, 292 *a* et *seq.*; nullas declarat electiones duorum administratorum ecclesiarum Gnesnensis et Vladislaviensis, 308 *b*; concedit vineam Congregationi de Propaganda Fide cum erectione alumnatus pro uno iuvene nationis Epiri, 322 *b* et *seq.*; declarat collegium de Propagandâ Fide exemptum esse a parocho S. Andrae de Fractis in Urbe, 335 *a* et *seq.*; declarat nullam electionem gubernatoris ecclesiae Abulensis, 349 *a* et *seq.*; item edictum potestatis saecularis in ducatu Medio-

lanensi et in regno Neapolis ne pecuniae transferantur ad Statum Ecclesiasticum, 353 *b* et *seq.*; 358 *b* et *seq.*; confirmat decretum cardinalis de Tournon super exercitio missionum in Sinarum regnis, 419 *b*; et nulla declarat gesta ab episcopo Machaonensi, 423 *b* et *seq.*; declarat nullas preces primarias imperio Romano vacante a vicariis imperialibus expeditas, 438 *a* et *seq.*; confirmat generale interdictum dioecesis Lyciensis, 463 *b* et *seq.*; confirmat concessionem collegii et ecclesiae B. M. in Montibus de Urbe presbyteris Congregationis Piorum Operariorum, 466 *a* et *seq.*; declarat nullas pactiones initas a capitulo ecclesiae Hildesiensis cum principe acatholico, 480 *b* et *seq.*; promulgat canonizationem S. Pii V, 506 *b* et *seq.*; item S. Andreae Avellini, 518 *a* et *seq.*; irritat gesta a delegato praetensi tribunalis Siciliae adversus vicarium generalem episcopi Liparensis, 531 *a* et *seq.*; item edictum comitatus Niciensis et concordiam ab ecclesiasticis initam super solutione onerum laicalium, 539 *a* et *seq.*; item edictum Reipublicae lanuensis contra quamdam sententiam excommunicationis, 546 *b* et *seq.*; item edictum ducis Sabaudiae super quibusdam censuris latis ab episcopo Casalensi, 560 *b* et *seq.*; item edictum tribunalis monarchiae Siciliae contra censuras latas ab episcopo Agrigentino, 588 *b* et *seq.*; et Liparensi, 618 *a* et *seq.*; praescribit plures propositiones extractas e libro *Le Nouveau Testament*, 568 *a* et *seq.*; confirmat electionem et coronationem Caroli VI in regem Romanorum, 600 *b* et *seq.*; illique concedit preces primarias, 603 *b* et *seq.*; ausus coërcet potestatis saecularis circa iurisdictionem ecclesiae Tarraconensis, 606 *b*; nullum declarat praeceptum delegati monarchiae Siciliae de impediendâ executione rescriptorum apostolicorum sine praevio *exequatur* regio, 639 *a* et *seq.*; item edictum *Iunctae* in Siciliâ de eâdem re, 647 *a* et *seq.*; item senatûs Taurinensis, 818 *a* et *seq.*; abolet monarchiam Siculam nuncupatam, 651 *b* et *seq.*; et praescribit modum servandum in foro ecclesiastico pro regno Siciliae, 658 *b* et *seq.*; nullas declarat appellationem et protestationem procuratoris fiscalis in regno Siciliae contra praedictas constitutiones, 677 *b* et *seq.*; confirmat constitutiones Instituti et Academiae Scientiarum Bononiae, 681 *b*; item Academiae theologicae in archigymnasio Romano, 785 *a* et *seq.*; confirmat decreta super sportulis quae tribunalibus persolvi debent, 696 *b* et *seq.*; unit tres parochiales ecclesias regiae capellae in civitate Ulyssiponensi, 709 *a* et *seq.*; et insignem collegiatam in palatio regis Portugalliae erigit in archiepiscopalem et patriarchalem ecclesiam, 724 *b* et *seq.*; capituli ecclesiae patriarchalis praedictae indulta ampliat, 757 *a* et *seq.*; suspendit privilegia facultati theologicae Parisiensi concessa, 740 *a* et *seq.*; monita pastoralia edit adversus recusantes obedientiam constitutioni *Unigenitus*, 807 *b* et *seq.*; declarat nullam postulationem de principe Ernesto acatholico in episcopum Osnabrugensem, 745 *b* et *seq.*; item edictum saecularis potestatis Sabaudiae et Pedemontii in praeiudicium supremi dominii S. Sedis in quibusdam locis mensae episcopalis Astensis, 769 *b* et *seq*; item tractatum pacificationis inter abbatem S. Galli et magistratus Bernensem et Tigurinensem ecclesiae iuribus noxiae, 813 *a* et *seq.*; item actum officialis archiepiscopi Ebredunensis supra censuris latis a vicario ecclesiae Niciensis, 825 *a* et *seq.*; erigit Ordinem militarem Constantinianum et ecclesiam *della*

Steccata in sedem et caput Ordinis, 791 *b* et *seq.*; quanta fecerit pro patriâ suâ Urbinatensi enarrat, 851 *b* et *seq.*; ac privilegia et indulta universitati studii generalis et collegio doctorum Urbini refert et confirmat, 852 *a* et *seq.*

Clerici regulares Minores. — Ad ipsorum Congregationem pertinere cathedram in archigymnasio romano et officium consultoris in Congregatione Indicis declarat Clemens XI, 552 *b*.

Coenae Domini die processus litteras publicavit Clemens XI, 20 *a* et *b*; item Innocentius XIII, 902 *a*.

Collegium adolescentum neophytorum erectum a Gregorio XIII, 468 *a*; dein ab Urbano VIII translatum ad domum S. Mariae in Montibus, 470 *b* et *seq.*; ibique sub Clemente XI introducti Pii Operarii, 472 *a* et *seq.*

Collegium de Propaganda Fide. — Illud auget Clemens XI, 324 *a* et *b*; novumque alumnatum pro iuvene nationis Epiri in eo instituit, 325 *b*; idem collegium exemptum esse a parocho S. Andreae de Fractis declarat, 335 *a* et *seq.*

Collegium doctorum Urbinatensium. — Dicto collegio privilegia omnia a Pontificibus concessa, eorumdem constitutionibus insertis, refert Clemens XI, 853 *b* et *seq.*; praedicto privilegia omnia et indulta a Romanis Pontificibus relatis constitutionibus eidem concessa confirmat, 863 *b* et *seq.*; constitutionem praedictam confirmat cum novâ eorumdem concessione Innocentius XIII, 867 *a* et *seq.* — *Vide* Universitas studii generalis Urbinatensis.

Collegium ecclesiasticum in civitate Leoninâ de Urbe. — Illius lectoribus Carmelitis privilegia lectorum archigymnasii Sapientiae conceduntur, 189 *b*.

Collegium studiorum sub invocatione nominis Iesu in coenobio Urbinatensi Ordinis Minorum Conventualium erigit Clemens, 31 *a*; eique privilegia concedit collegii S. Bonaventurae de Urbe, 31 *b*.

Commissarius et visitator apostolicus in Sinarum et aliis Indiarum Orientalium regnis. — Contra ipsius iurisdictionem archiepiscopi Goanensis edictum irritat Clemens XI, 264 *a* et *b*; item gesta ab episcopo Machaonensi, eiusque vicario, nulla declarat, 423 *b* et *seq.* *Vide* Missionarii.

Communitates baronales Status Ecclesiastici comprehendi sub constitutione Clementis VIII aliisque apostolicis ordinationibus rectum regimen respicientibus declaratur, 201 *a* et *b*.

Comnena familia, 791 *b*, *vide* Militia Aureata Constantiniana.

Computistariae locorum montium, *vide* Loca montium.

Conceptio B. M. V., *vide* Festa Sanctorum.

Conceptionis B. M. V. confraternitas, *vide* Confraternitas.

Conclavistis gratias quasdam et privilegia motu proprio de more concedit Clemens XI, 1 *a*; item Innocentius XII, 869 *b*.

Concordiam initam coacte super hybernis stationibus militum Germanorum in ducatu Parmae et Placentiae decem capitulis comprehensam refert, 282 *b* et *seq.*; eamque tamquam laesivam supremo Sedis Apostolicae dominio in dicto ducatu nullam declarat cum decreto firmitatis censurarum, 295 et *seq.*; item nullam concordiam ab ecclesiasticis irritum cum syndicis terrae Villarii super solutione onerum laicalium, 539 *a* et *seq.* — *Vide* Pacificatio *et* Pactiones.

Confessariis omnibus de Urbe absolutio a quibusdam censuris et casibus interdici-

tur, 430 *a* et *b*; ad confessarios hospitalium omnium de Urbe constitutio Pauli III super facultate confessariorum hospitalis S. Mariae de Consolatione extenditur, 598 *b* et *seq.*

Confraternitas Conceptionis B. M. Virginis. — Ipsius confratribus in ecclesiis fratrum de Mercede civitatis Mexicanae indulgentias quasdam defunctis per modum suffragii applicandi facultas conceditur, 89 *b*.

Confraternitas B. M. V. de Monte Carmelo. — Confratribus proprias ecclesias in unâ dominicâ cuiusque mensis visitantibus indulgentia a Paulo V concessa iis qui eâdem die solitae processioni interfuerint conceditur, 553 *b*; *vide* Carmelitae.

Confraternitas SS. Rosarii. — Confraternitatem alteram pro mulieribus in Sinis in eodem loco erigendi facultas facta magistro generali Praedicatorum, 551 *b*.

Confucius antiquus philosophus Sinarum, 207 *a*; de cultu ipsi reddito a Sinensibus pluries agitur, *ibid.* et *seq.*

Congregatio Alexianorum. — Ipsorum ecclesiis indulgentia plenaria perpetuam in festo S. Alexii conceditur, 406 *a*.

Congregatio Artis agrariae. — Huius erectionem, cum facultatibus ei concessis per cedulam Pauli V, confirmat Clemens XI, 611 *a* et *seq.*; eique novas facultates elargitus est, 612 *b* et *seq.*

Congregatio Bethlehemitarum, *vide* Bethlehemitae.

Congregatio Charitatis S. Hyppoliti in Indiis Occidentalibus. — Illi privilegia Ordinum Mendicantium et clericorum ministrantium infirmis concessit, Clemens XI, 34 *b*; et eiusdem fratribus facultatem suscipiendi ordines omnes extra tempora, et non servatis interstitiis, 37 *a* et *b*; ipsius statuta quaedam recenset Innocentius XIII, 919 *a* et *seq.*; et confirmat cum nonnullis declarationibus, 921 *a* et *b*.

Congregatio de Propagandâ Fide, *vide* Collegium.

Congregatio Doctrinae Christianae in Galliâ. — Decretum Congregationis episcoporum et regularium de electione definitorum adiunctorum loco procuratorum absentium eiusdem Congregationis confirmatur, 316 *b* et *seq.*; Congregationis eiusdem praedictis definitoribus adiunctis vox deliberativa conceditur, 317 *a* et *b*; Congregationis praedictae clericis, ne sine generalis et definitorii facultate beneficia accipiant, nec unquam in domus mulieres introducant, prohibitum, 586 *a* et *seq.*; eiusdem Congregationis definitori adiuncto suffragium deliberativum conceditur, 614 *b* et *seq.*; dispensatio a voto perseverantiae Summo Pontifici reservatur, 720 *a* et *seq.*

Congregatio *Iunctae* in regno Siciliae. — Huius congregationis edictum quoddam contra exequutionem rescriptorum exterorum sine *regio exequatur* nullum declaratur et damnatur, 647 *a* et *seq.*

Congregatio Missionis. — Illi indulgentias nonnullas perpetuas concedit Clemens XI, 46 *b*; Congregationis eiusdem primo assistenti competere ius praesidendi in generali conventu, etiam quando superior generalis munus suum dimittit, declaratur, 90 *b*; Congregationis eiusdem decreta quaedam edita in conventu generali anno MDCCIII declarantia constitutiones recenset, 198 *b* et *seq.*; eademque, cum excommunicatione latae sententiae contra ambientes praefecturas, confirmat, 199 *b* et *seq.*; declaratur non esse locum petitae divisioni dictae Congregationis, et servandas esse constitutiones, 269 *a* et *b*; in Congregationis Mis-

sionis aedibus in monte Citatorio Urbis collationes fieri solent singulis tertiis feriis, 585 *a*; illis qui interfuerint indulgentia perpetua conceditur, 585 *a* et *b*.

Congregatio musicorum. — Congregationis musicorum romanae Urbis statuta nova referuntur, 715 *a* et *seq.*; et confirmatur a Clemente XI, 719 *b*.

Congregatio Piorum Operariorum. — Illis facta facultas celebrandi missam unâ ante auroram et post meridiem horâ, 270 *a* et *b*; item Congregationis eorumdem presbyteris, a propriarum dioecesum Ordinariis approbatis, facultas ubique audiendi sociorum eiusdem Congregationis in itinere confessiones conceditur, 364 *a* et *b*; Congregationis eiusdem presbyteri ad collegium et ecclesiam B. M. in Montibus de Urbe a cardinali Astallio protectore introducti fuere, bonorumque usus ipsis concessus sub conditionibus nonnullis, 466 *a* et *seq.*; concessionem praefatam collegii et ecclesiae B. M. in Montibus confirmat Pontifex cum exemptione ab Ordinariis et largitione privilegiorum, 476 *a* et *seq.*; binae resoluiones capituli generalis de celebratione eiusdem capituli confirmantur, 762 *a* et *seq.*

Congregatio S. R. et universalis Inquisitionis. — Illius responsa quaedam super causâ rituum et caeremoniarum Sinensium referuntur, 217 *a* et *seq.*, et confirmantur, 220 *a*.

Congregationes S. R. E. cardinalium. — *Vide* Decreta.

Congregationi boni regiminis praeficitur cardinalis Imperialis, 29 *b*.

Congregazione del sollievo per la città di Roma, 13 *b*; *vide* Decreta Congregationum S. R. E. cardinalium.

Constantinus Szianawski Vladislaviensis ecclesiae episcopus apostolicâ auctoritate provisus, 309 *a*; inde exorta dissidia et turbae referuntur, *ibid.* et *seq.*

Constitutio Ægidiana quoad solemnitates in contractibus non minorum, *vide* Avenionensis Status.

Constitutio *Unigenitus* causâ damnationis libri *Le Nouveau Testament* edita, 807 *b*; praedictae adversantes, non obstantibus eorum malitiâ et impudentiâ, excitati fuere apostolicis litteris et S. R. E. cardinalium ad praestandam obedientiam, sed irrito conatu, 808 *a* et *seq.*; adversus dictae constitutioni obedientiam praestare recusantes monita quaedam pastoralia eduntur, 809 *b* et *seq.*

Constitutiones monachorum Congregationis Vallisumbrosae S. Benedicti confirmatae; *vide* Monachi Congregationis Vallisumbrosae; item statuta Academiae Clementinae Bononiensis confirmata, *vide* Academia Clementina; item statuta universitatis barbitonsorum confirmata, *vide* Universitas barbitonsorum; item statuta quaedam canonicorum regularium Ordinis S. Antonii Viennae confirmavit, *vide* Canonici regulares.

Controversiae missionariorum super ritibus Sinensibus pluries agitatae, 207 *a* et *b*; quaesita et responsa Congregationis S. Officii referuntur, 208 *a* et *seq.*; decretum Clementis XI super ipsis, 220 *a* et *b*; omnimoda decretorum observantia iterum praecipitur omnibus, 670 *a* et *seq.*

Controversiae Sedis Apostolicae cum potestate laicali in Sabaudia et alibi, *vide* Sabaudia, etc.

Corcyrae insula et civitas, Italicae securitatis propugnaculum, oppugnari a Turcis veretur, 725 *a*.

Cornelius Iansenius episcopus Iprensis, 233 *b*; ex eius libro cui titulus *Augustinus* quinque famosae propositiones excerptae et a S. Sede proscriptae, *ibid.*

Corona S. Birgittae. — Dictam coronam recitantibus indulgentia plenaria, etiam per modum suffragii pro defunctis, conceditur, 626 *a* et *b*; praedictam benedicendi facultas superioribus dumtaxat Ordinis dictae Sanctae reservatur, *ibid.*

Crucigeri cum rubeâ stellâ. — Eorum ecclesiis indulgentia plenaria perpetua in festo Exaltationis S. Crucis conceditur, 261 *a*.

Cultus immemorabilis approbatur beatorum Theresiâ et Sanciae regis Portugalliae filiarum, 244 *a*; beatae Luciae de Narnia, 383 *a*; servi Dei Liberati de Lauro, 565 *b*; item B. Gregorii X, 575 *a* et *seq.*; item B. Andreae de Comitibus, 957 *b*.

D

Dapiferi. — Dapiferis postremi conclavis privilegia quaedam et indulta concessit Innocentius XIII, 873 *a* et *b*.

Decreta cardinalium protectorum Ordinum regularium, *vide* Ordines sub propriis eorum titulis.

Decreta Congregationis Avenionensis. — Decretum de non servandâ constitutione Ægidianâ quoad solemnitates in contractibus minorum pro Statu Avenionensi et comitatu Venaisino refertur et confirmatur, 484 *b* et *seq.*

Decreta Congregationis episcoporum et regularium. — Decretum de abbatibus Congregationis S. Bernardi Italiae Ordinis Cisterciensis non confirmandis in eodem monasterio vel officio post quinquennium, 19 *a*; decretum de celebratione capitulorum et congregationis provinciarum Lusitaniae et Algarbiorum Minorum de Observantiâ et Tertii Ordinis S. Francisci, 43 *b*; de iuribus ad gradus scholasticos pro studentibus collegii Carmelitarum S. Mariae Transpontinae de Urbe, 58 *a*; de lecturis et lectoribus Praedicatorum Congregationis Observantiae S. Marci de Cavotis, 77 *a* et *b*; decretum pro eremitis S. Augustini Discalceatis Congregationis Hispaniae et Indiarum quo declaratur provinciales assumptos gaudere omnibus privilegiis provincialium absolutorum, 101 *b*; decretum de servandâ constitutione Innocentii XI etiam quoad restrictionem numeri quatuor praedicatorum vocalium pro Congregatione Cisterciensi S. Bernardi in Hispaniis, 102 *b*; de instituendo procuratore generali in Urbe pro Minoribus Discalceatis et Recollectis cum quibusdam ordinationibus, 226 *b*; decretum approbans divisionem provinciae S. Antonii in regno Portugalliae Minorum Reformatorum in duas, sub certis conditionibus, 229 *b*; decretum de non immutando habitu et breviario Congregationis Praemonstratensis Hispaniarum, 232 *a* et *b*; decretum approbans caeremoniale provinciae de Mexico Ordinis Minorum de Observantiâ, 237 *a* et *b*; decretum de servandâ constitutione Innocentii XI pro divisione provinciae Poloniae Ordinis B. M. Montis Carmeli, 262 *a* et *b*; de formâ eligendi generalem intra triennium in Congregatione monachorum Montis Oliveti, 268 *a*; decretum quo revocantur facultates concessae Carmelitis musicis provinciae Portugalliae manendi extra coenobia, 302 *a* et *seq.*; decre-

tum de electione definitorum adiunctorum loco procuratorum generalium absentium Congregationis Doctrinae Christianae in Galliâ, 316 *b* et *seq*; de iuramento in abbatum benedictionibus pro Congregatione Benedictino-Bavaricâ, 318 *a*; de ratione habendâ solius meriti in electionibus Minorum de Observantiâ reformatorum provinciae S. Didaci Papiensis, 341 *a* et *b*; de suffragio concedendo in capitulis provincialibus singulis prioribus provinciarum S. Antonini et S. Crucis Praedicatorum in Indiis Occidentalibus, 536 *a* et *seq*; de suffragio concedendo superioribus cuiuscumque conventus Minorum de Observantiâ in provinciis Indiarum Occidentalium, non obstante constitutione Pauli V, 556 *b* et *seq.*; idem decretum pro Eremitis S. Augustini in quibusdam provinciis Indiarum Occidentalium, 558 *b* et *seq.*; decretum Congregationis praedictae de primatu inter clericos et laicos, horumque titulo, pro provinciâ Baeticâ Minorum de Observantiâ, 629 *a* et *seq.*; decreta eiusdem Congregationis in causâ primatus inter priorem generalem eremitarum sancti Augustini et vicarium generalem congregationis Lombardiae eiusdem Ordinis, 636 *b* et *seq.*; alia pro Bethlehemitis, 643 *b* et *seq.*; decretum quo denegatur separatio quinque coenobiorum a provinciâ Aragoniae fratrum Ordinis B. M. de Mercede, 702 *a* et *seq.*; aliud Congregationis eiusdem super associatione cadaverum ad ecclesias regularium pro provinciâ S. Ioannis Baptistae Ordinis fratrum Praedicatorum in regno Peruviano contra parochos et clerum, 706 *a* et *seq.*; aliud de alternativâ inter duas filiationes eremitarum sancti Augustini Discalceatorum Congregationis SS. Conceptionis M. V. in regnis Lusitaniae et Algarbiorum servandâ, 722 *a* et *seq.*; aliud super immoderatis expensis fieri solitis a monialibus in earum officiis, 743 *b* et *seq.*; de divisione provinciae S. Ioannis Evangelistae insularum Azzorum et Terseirae Minorum de Observantiâ, 743 *b* et *seq.*; aliud de suffragio exprovincialium, exzelosorum et excollegarum Ordinis sancti Francisci de Paulâ, 771 *b* et *seq.*; decretum quo statuitur ut provinciae Congregationis Gallicanae Tertii Ordinis sancti Francisci nominibus Sanctorum titularium, minime vero provinciae et districtus earum vocentur, pro solo tamen conventu S. Mariae Miraculorum de Urbe confirmatur, 790 *a* et *seq.*; aliud de ratione faciendae electionis officialium in provincia S. Nicolai Minorum de Observantia Reformatorum, 832 *a* et *b*; item de alternativâ officiorum pro provinciâ S. Antonii in Lusitaniâ Minorum Discalceatorum, 878 *b* et *seq.*; de alternativâ vicariatus generalis servandâ inter tres provincias fratrum B. M. de Mercede Excalceatorum, 924 *a* et *seq*; decreta alia eiusdem Congregationis super quartâ funerali et ingressu parochorum cum stolâ et cruce in ecclesias regularium allata confirmantur, 927 *a* et *b*.

Decreta Congregationis Immunitatis. — Decretum archiepiscopo Taurinensi ut procedat de iure contra ministros ducis Sabaudiae pro edicto ab ipsis lato contra immunitatem ecclesiasticam, 273 *b*.

Decreta Congregationis Indulgentiarum. — Decretum quoddam dictae Congregationis de communicatione indulgentiarum Congregationis Lateranensis Congregationi canonicorum Wildesinensium in utrâque Germaniâ, 805 *a* et *b*.

Decreta Congregationum particularium. — Decretum quo declaratur non esse locum petitae divisioni Congregationis presbyterorum Missionis, et servandas esse con-

stitutiones, 269 *a* et *b*; quo interdicitur omnibus confessariis de Urbe absolutio a quibusdam censuris et casibus, 430 *a* et *b*; decreta, declarationes et provisiones cuiusdam Congregationis particularis super sportulis quae tribunalibus persolvi debent, 696 *b* et *seq.*; item decretum quoddam Congregationis particularis de abolendis privilegiis a capitulis generalibus Minorum de Observantiâ reformatorum lectoribus concessis, 847 *b* et *seq.*

Decreta Congregationis Rituum. — Decretum, quo fit facultas eremitis Discalceatis S. Augustini provinciae Franciae canendi horas canonicas cantu Gregoriano, 9 *b*; de officio S. Paulae sub ritu secundae classis pro toto Ordine monachorum S. Hieronymi, 12 *b*; de officio et missâ de B. Augustino Dalmata pro quibusdam dioecesibus necnon Ordine Praedicatorum, 54 *b*; de celebratione missae B. M. V. singulis anni sabbatis pro Minoribus de Observantia Discalceatorum provinciae Baeticae, 102 *b*; item pro fratribus Minoribus Discalceatis provinciae Mexicanaeatum, 230 *a*; de cultu immemorabili et casu excepto pro beatis Theresiâ et Sanciâ regis Portugalliae filiabus, 244 *a* et *b*; item de cultu immemorabili beatae Luciae de Narniâ moniali S. Dominici exhibito, 383 *a*; decreta tredecim Congregationis praedictae, quibus monachis Cisterciensibus Congregationis reformatae conceditur facultas recitandi officia complurium Sanctorum quibusdam ritibus et modis, 392 *b* et *seq.*; decreta duo eiusdem Congregationis super cultu immemorabili servi Dei Liberati de Lauro Minorum de Observantiâ, 565 *b* et *seq.*; decretum aliud eiusdem de cultu immemorabili, et casu excepto pro B. Gregorio X, 575 *a* et *seq.*; decretum super recitatione officiorum Sanctorum propriorum iuxta ritum Breviarii Romani pro canonicis Praemonstratensibus Congregationis Hispaniae, 955 *b* et *seq.*; aliud eiusdem de cultu immemorabili B. Andreae de Comitibus confirmatur, 957 *b*.

Decreta Ordinum regularium, *vide* Ordines sub propriis eorum titulis.

Decreta S. R. E. cardinalium. — Decretum cardinalis de Tournon commissarii et visitatoris generalis in Sinarum aliisque Indiarum Orientalium regnis super exercitio missionum et acceptatione praefecturarum, legere est confirmatum, 420 *a* et *seq.*; idem ad sequentia tempora extenditur, 421 *b* et *seq.*; decretum camerale cardinalis S. R. E. camerarii pro inquilinis tempore anni sancti cum eius ampliatione relatum confirmat Innocentius XIII, 928 *a* et *seq.*

Dioecesis. — Dioecesim Ulyssiponensem in partem orientalem pro antiquo archiepiscopo orientali nuncupando et in partem occidentalem pro altero novo occidentali divisit Clemens XI, 724 *b* et *seq.*

Disciplina ecclesiastica. — Pro disciplinâ ecclesiasticâ in regnis Hispaniarum restaurandâ decreta quaedam edidit Innocentius XIII, 931 *a* et *seq.*

Doctrinae Christianae Congregatio, *vide* Congregatio Doctrinae Christianae.

Domus (S.) Lauretana. — Domum (S.) Lauretanam visitantibus indulgentia plenaria perpetua per modum suffragii pro defunctis conceditur, 40 *b*; celebrationi missarum non adhuc celebratarum et aliarum in posterum celebrandarum in eius capellâ et ecclesiâ consulitur, 41 *a* et *seq.*

E

Ebredunensis episcopus. — Ab Ebredunensis archiepiscopi officiali acta quaedam super invaliditate censurarum a vicario ecclesiae Niciensis latarum in ministros senatus, immunitatis ecclesiasticae violatores, nulla declarat Pontifex, 825 *a* et *seq.*; *vide* Niciensis senatus.

Ecclesia S. Mariae in Montibus praecipua ecclesia B. M. V. in Urbe, 466 *b*; *vide* Mariae B. Virginis.

Ecclesia collegiata insignis in palatio regis Portugalliae in archiepiscopalem et patriarchalem ecclesiam Ulyssiponensem occidentalem cum plurimis privilegiis erigitur, 725 *b* et *seq.*

Ecclesia parochialis. — Tres ecclesiae parochiales, de iurepatronatus regis Portugalliae, regiae capellae in civitate Ulyssiponensi uniuntur, 709 *a* et *seq.*; earum loco tres vicariae de iurepatronatus regio, cum assignatione congruae, eriguntur, 712 *a* et *b*.

Electiones duorum administratorum ecclesiarum Gnesnensis et Vladislaviensis nullae declarantur, necnon quaecumque inde secuta et secutura, cum nonnullis ordinationibus, 308 *b* et *seq.*; item electio gubernatoris ecclesiae Abulensis, et quaecumque gesta a capitulo, cum eorumdem damnatione et quibusdam ordinationibus, 349 *a* et *seq.*

Electio regis Romanorum, *vide* Rex Romanorum.

Eremitae S. Augustini. — Eorum scholaribus conventus S. Augustini civitatis Lagunae in insulâ Tenarifae facta facultas suscipiendi gradus scholasticos in eodem coenobio, 32 *b* et *seq.*; eremitis praedictis provinciae Portugalliae litterae patentes nuncii Portugalliae de alternativâ officiorum in praedictâ provinciâ referuntur et confirmantur, 190 *b* et *seq.*; ipsis praecipitur admittere visitationem ordinariorum in eorum ecclesiis seu doctrinis in insulis Philippinis, 225 *a* et *seq.*; eremitis praefatis provinciae Portugalliae, qui in Congregatione Indiarum Orientalium vicarii provincialis munere perfuncti fuerint, omnia privilegia exprovincialium provinciae concessa, 252 *a* et *seq.*; eremitis eisdem provinciae B. M. V. de Gratiâ in Indiis Occidentalibus decretum magistri generalis, quo revocatur alternativa in dictâ provinciâ, confirmatur, 332 *b* et *seq.*; eremitis praedictis provinciae Chilensis senarius numerus magistrorum ad duodenarium extenditur, 389 *a* et *seq.*; provinciae Limanae in Indiis Occidentalibus extenditur eisdem ad octodenarium, 479 *a* et *seq.*; eremitis eisdem provinciarum Indiarum Occidentalium decretum Congregationis episcoporum et regularium de concedendo suffragio superioribus cuiuscumque coenobii in dictis provinciis, 558 *b* et *seq.*; eremitarum praedictorum Congregationis Observantiae Lombardiae favore, excludendos esse exvicarios generales, et servandam quamdam formam in constituendo vicesgerentes provinciarum dictae Congregationis, decernitur, 582 *b* et *seq.*; eisdem Congregationis Lombardiae decreta quaedam Congregationis episcoporum et regularium confirmantur de facultate assistentium, et de primatu in tempore sacrae visitationis inter priorem generalem Ordinis et vicarium generalem praedictae Congregationis, 636 *b* et *seq.*; eisdem

provinciae Peruviavae numerus octodecim magistrorum ad vigintiquatuor extenditur, 848 *b* et *seq.*; praedictis provinciae Castellae decretum definitorii generalis de reductione magistrorum dictae provinciae confirmat Innocentius XIII, 892 *a* et *seq.*; eisdem provinciae Peruanae sex gradus magisterii pro concionatoribus concedit, 902 *a* et *b*; praefatis provinciae Mexicanae octo gradus magisterii, quatuor pro lectoribus et quatuor pro concionatoribus, 903 *a* et *b*; praedictis provinciae Mechoacanensis sex gradus magisterii, tres pro lectoribus et tres pro concionatoribus, 903 *b* et *seq* ; eisdem provinciae Chilensis sex gradus addit pro verbi Dei praedicatoribus, 947 *a* et *b*.

Eremitae S. Augustini Discalceati. — Eisdem provinciae Franciae decretum Congregationis Rituum, quo fit eisdem facultas canendi horas canonicas cantu Gregoriano, confirmatur, 9 *b* et *seq.*; item eisdem Congregationis Hispaniae decretum cardinalis protectoris de procuratoribus et definitoribus generalibus duarum provinciarum eorumdem, in insulis Philippinis, 24 *b*; item decretum aliud eiusdem protectoris de privilegiis commissariorum earumdem provinciarum, 26 *b*; singulis provinciis Congregationis Italiae facta facultas celebrandi capitula provincialia, 27 *b* et *seq.*; declaratur eremitas Discalceatos praedictos comprehendi sub prohibitione prius statutâ a priore generali totius Ordinis, et confirmatâ a Clemente VIII, ne duo consanguinei in primo vel secundo gradu in capitulis suffragentur, 73 *b* et *req.*; pro eremitis eisdem Congregationis Hispaniae et Indiarum decretum Congregationis episcoporum et regularium, quo declaratur provinciales assumptos gaudere omnibus privilegiis provincialium absolutorum, 101 *a* et *b*; eremitis praedictis eiusdem Congregationis ne alteri religioni adscripti habitent in eâ provinciâ, in qua priorem habitum gestaverint, prohibetur, 243 *a*; eremitis praefatis decretum capituli generalis, de casu quo decederet vicarius generalis dictae Congregationis, confirmatur, 315 *a* et *b*; eisdem Congregationis SS. Conceptionis M. V. decretum Congregationis episcoporum et regularium de alternativâ inter duas filiationes eorumdem fratrum in regnis Lusitaniae et Algarbiorum servandâ confirmatur, 722 *a* et *seq.*; pro eisdem constitutionem Clementis XI de voto fratrum consanguineorum in primo vel secundo gradu in capitulis moderavit, ac votum fratribus consanguineis in quibusdam capitulis concedi declaravit Innocentius XIII, 949 *a* et *seq.*

Equitatus solemnis occasione pueros honorarios quinquaginta in comites palatinos et auratae militiae equites creavit Innocentius XIII, 897 *b* et *seq.*

Europae pene totius gravissimum et vere lacrymabile incendium bellorum, 263 *a*.

Exemptio et exempti. — Exemptio collegii de Propagandâ fide, *vide* Collegium.

Exemptio a processionibus, *vide* Processiones.

Exequatur regium. — Sine praevio regio *exequatur* a delegato monarchiae Siciliae exequutio rescriptorum Curiae Romanae interdicta fuit, cuius hac super re praeceptum nullum declaratur a Pontifex, 639 *a* et *seq.*; absque *exequatur* regio interdicitur sub certis poenis exequutio rescriptorum exterorum per edictum Congregationis *Iunctae* in regno Siciliae, quod pariter reprobatur, 647 *a* et *seq.*; sine *exequatur* senatus Taurinensis exequutionem litterarum exterarum prohibuit idem senatus per edictum, quod refertur, 818 *a*, et rescinditur, 819 *a* et *b*.

F

Facultas theologica Parisiensis, *vide* Universitas studii generalis Parisiensis.

Familiares Pontificis. — Familiaribus suis privilegia nonnulla de more concessit Clemens XI, 23 *a*; item Innocentius XII, 875 *a* et *seq.*

Farnesiana familia, *vide* M. Magister *et* Militia Aureata Constantiniana.

Festa Sanctorum. — In festo die S. Rosae Viterbiensis indulgentia plenaria perpetua in ecclesiis Ordinis Minorum de Observantia, 8 *b*; de festi S. Francisci Xaverii translatione constitutionem Innocentii X servandam esse declaratur, 70 *b*; in festis S. Augustini, Rufi et Monicae indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis canonicorum regularium S. Augustini Congregationis S. Rufi, 246 *a*; item in festo S. Basilii pro ecclesiis monachorum eiusdem Sancti, 260 *a*; item in festo Exaltationis S. Crucis pro ecclesiis Ordinis militaris Crucigerorum cum rubeâ stellâ, 261 *a*; item in festis S. Ludovici et Elisabethae pro ecclesiis fratrum et monialium tertii Ordinis sancti Francisci, 291 *b*; item in festo S. Pauli primi eremitae pro ecclesiis Ordinis eiusdem Sancti, 303 *b*: ut festum Conceptionis B. M. Virginis immaculatae de praecepto undique servetur, mandatur, 338 *a*; in festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis monachorum Congregationis Poloniae, 348 *a* et *b*; item in festo S. Alexii pro ecclesiis Congregationis Alexianorum, 406 *a*; item in festo S. Pii V die v maii, 516 *a*; et pro ecclesiis Praedicatorum concessit, 550 *b*; item in festo et octavâ S. Andreae Avellini, 529 *a*; item in festis Ss. Paschalis Baylon et Ioannis a Capistrano pro ecclesiis Capuccinorum, 580 *a*; item in festo S. Catharinae Bononiensis pro ecclesiis Minorum de Observantiâ, 587 *b*; item in festo S. Petri de Alcantarâ pro ecclesiis Minorum Conventualium, 708 *b*; indulgentia plenaria perpetua in festo sanctae Scholasticae olim concessa, pro Congregatione monachorum Bursfeldensium in Germaniâ, transfertur 769 *b* et *seq.*; in festo S. Raymundi de Pennafort et Petri Nolasci, pro ecclesiis Ordinis B. M. de Mercede, indulgentia plenaria perpetua conceditur, 721 *a*; ut festum S. Antonii de Paduâ sit de praecepto in Hispaniarum et Americae regnis, statuit Innocentius XIII, 899 *a*; in festo die S. Birgittae indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis Ordinis dictae Sanctae, 948 *a*; item die festo S. Paulae pro ecclesiis monachorum Ordinis sancti Hieronymi Congregationis Lombardiae, 951 *a*.

Foliorum damnatio, *vide* Libri damnati.

Fratres B. Ioannis Dei. — Pro fratribus S. Ioannis Dei, conventualitates nonnullae perpetuae a prioribus generalibus concessae revocantur, 83 *a* et *b*; pro dictis fratribus Congregationis Hispaniae constitutiones Urbani VIII et Alexandri VII, super exemptione hospitalium eorumdem ab Ordinariorum iurisdictione relatas confirmat Innocentius XIII, 883 *a* et *seq.*

Fratres Bethlehemitae, *vide* Bethlehemitae.

Fratres Carmelitae seu de Monte Carmelo, *vide* Carmelitae.

Fratres Ordinis B. M. de Mercede redemptionis captivorum. — Fratribus redemptionis captivorum Ordinis B. M. de Mercede decretum cardinalis protectoris, quo

permittitur publicatio decretorum innovantium, moderantium et declarantium constitutiones eiusdem Ordinis confirmatur, 48 *b* et *seq.*; item decretum Congregationis episcoporum et regularium, quo denegatur separatio quinque coenobiorum a provinciâ Aragoniae eorumdem fratrum, 702 *a* et *seq.*; pro eorumdem ecclesiis indulgentia plenaria perpetua in die festo S. Raymundi de Pennafort et Petri Nolasci conceditur, 771 *a*; praedictis Ordinis B. M. de Mercede Excalceatis decretum episcoporum et regularium confirmans statuta quaedam capitulorum generalium eorumdem de alternativâ vicariatus generalis servandâ inter tres provincias confirmavit Innocentius XIII, 924 *a* et *seq.*

Fratres Ordinis Minorum S. Francisci, *vide* Minores.

Fratres Ordinis Praedicatorum seu S. Dominici, *vide* Praedicatores.

Fratres Ordinis S. Augustini, *vide* Eremitae S. Augustini.

Fratres Ordinis S. Pauli primi eremitae. — Pro fratrum Ordinis S. Pauli primi eremitae ecclesiis indulgentia plenaria perpetua in eiusdem Sancti die festo conceditur, 303 *b*.

Fratres Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum. — Capitula quaedam pro bono regimine Ordinis, 91 *b* et *seq.*; confirmantur, 93 *a* et *b*; Discalceatis Congregationis Hispaniae facta facultas, utendi altari portatili, et absolvendi a casibus reservatis in quibusdam partibus infidelium, 95 *b*; fratrum eorumdem Discalceatorum provincia Italiae Congregationi Hispaniae unitur, 239 *b* et *seq.*; fratribus praedictis Discalceatis Congregationis Hispaniae decretum quoddam capituli generalis eorumdem de mutatione vestis fratrum oblatorum confirmatur, 824 *a* et *seq.*; eorumdem commissariis generalibus, ut persistant in eorum officiis, etiamsi ante capitulum vacet officium ministri generalis, conceditur, 830 *b* et *seq.*

G

Galli (S.) abbas, *vide* Pacificato.

Gnesnensis ecclesia. — Gnesnensis ecclesiae dissidia et turbas refert, 308 *b* et *seq.*, *vide* Administrator *et* Electio.

Goanensis archiepiscopus. — Goanensis archiepiscopi edictum contra iurisdictionem commissarii et visitatoris apostolici in Sinarum et aliis Indiarum Orientalium regnis nullum declaratur, 264 *b* et *seq.*

Gregorius X (B.). — Pro B. Gregorio X decretum Congregationis Rituum de cultu immemorabili et casu excepto, confirmatur, 575 *a* et *seq.*

H

Haeresis Ianseniana. — Adversus haeresim Ianseniana constitutiones Innocentii X et Alexandri VII cum nonnullis opportunis declarationibus confirmavit et innovavit Clemens XI, 233 *a* et *seq.*

Hildesiensis ecclesia. — *Vide* Pactiones.

Hispaniae. — In Hispaniis gesta adversus dignitatem ac iurisdictionem S. Sedis

exponit, 450 *b* et *seq.*; decreta quaedam aliaque gesta a saeculari potestate, immunitati et iurisdictioni ecclesiasticae praeiudicialia, nulla declarantur, damnantur, censuraeque inflictae confirmantur, 451 *b* et *seq.*; facta nuncio apostolico facultas absolvendi petentes ab iisdem censuris, 751 *a* et *b*; pro disciplinâ ecclesiasticâ in Hispaniarum regnis restaurandâ decreta quaedam edidit Innocentius XIII, 931 *a* et *seq.*, *vide* Disciplina ecclesiastica.

Hospitale B. M. Theutonicorum. — Dicto hospitali constitutiones Gregorii XV, Urbani VIII, Clementis IX et X ac Innocentii XI, quibus concessa et confirmata fuere dicto hospitali privilegia hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, confirmavit Innocentius XIII, 884 *b* et *seq.*; item constitutio Pii V, qua iidem milites eximuntur ab oneribus, quibus non sunt subiecti milites Hierosolymitani, confirmatur, 890 *b* et *seq.*; *vide* Milites S. Ioannis Hierosolymitani.

Hospitale S. Mariae de Consolatione, *vide* Confessarius.

Hospitale seu domus S. Ioannis in Mercatello de Urbe pro neophytis erectum a Paulo III, 467 *a*.

Hospitalia Urbis, *vide* Confessarius.

I

Iacobus comes Nemours excommunicatus ab episcopo Casalensi eo quod processionem SS. Corpus Christi turbavit, 560 *b*; edictum potestatis laicalis nomine Victorii Amedei ducis Sabaudiae contra valorem excommunicationis, 561 *b*; et decretum pontificium de censurarum validitate, 562 *a* et *seq.*

Ianuensis Respublica. — Ianuensis Reipublicae edictum de inefficaciâ schedularum excommunicationis latae in P. Granellum Minorum de Observantia nullum declaravit, cum decreto firmitatis earumdem, 547 *b* et *seq.*

Imperator, *vide* Rex Romanorum.

Imperatori Romanorum Carolo VI regnum Siciliae et Hierusalem cum terrâ citra Pharum in feudum concessit Innocentius XIII, 910 *b* et *seq.*

Indulgentiae. — *Vide* Festa Sanctorum.

Indulgentia plenaria perpetua visitantibus sanctam Domum Lauretanam, etiam per modum suffragii pro defunctis, 40 *b*; indulgentiae nonnullae perpetuae Congregationi Missionis concessae, 46 *b*; indulgentia plenaria perpetua peregrinantibus ad ecclesiam monasterii sacri Specus Sublacensis monachorum Cassinensium, 48 *a* et *b* indulgentias quasdam defunctis per modum suffragii applicandi facultas confraternitati Conceptionis B. M. Virginis in ecclesiis fratrum de Mercede civitatis Mexicanae conceditur, 89 *b*; indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiâ Ordinis Servorum B. M. V. dominicâ tertiâ septembris, 197 *b*; indulgentiae nonnullae perpetuae gestantibus scapularia parva distribui solita a clericis regularibus Theatinorum, 388 *a* et *b*; indulgentia a Paulo V concessa confratribus et consororibus B. M. V. de monte Carmelo, qui in unâ dominicâ cuiusque mensis solitae processioni interfuerint, visitantibus proprias ecclesias eâdem die conceditur, 553 *b*; indulgentiae quaedam perpetuae clericis, seu presbyteris, qui interfuerint collationibus fieri solitis in aedibus Congregationis Missionis in Monte Citatorio Urbis, 585 *a* et *b*; indulgentia plenaria per mo-

dum suffragii pro defunctis conceditur recitantibus coronam S. Birgittae, 626 *a* et *b*; item perpetuam etiam pro defunctis in ecclesiâ Montis B. M. V. monachorum Congregationis Montis Virginis, 703 *b*; indulgentiae toti Ordini Cisterciensi et monasteriis superioris Germaniae concessae, monachis provinciae Silesiae praedicti Ordinis conceduntur, 721 *a* et *b*; indulgentiae in quibusdam festis pro ecclesiâ B. M. *della Steccata* Militiae aureatae Constantinianae, 948 *a* et *b*.

Indultum. — Indulta omnia religiosis personis a nuncio apostolico concessa in regnis Lusitaniae et Algarbiorum propter nonnulla mala ex eorum concessione orta revocantur, 820 *b* et *seq.*

Innocentius XI, Michaëlangelus de Comitibus antea vocatus, Summus Pontifex creatur, 877 *a*; confirmat constitutionem Clementis XI super privilegiis universitatis studii generalis et collegii doctorum Urbini, 867 *b* et *seq.*; indicit iubilaeum universale initio pontificatus sui, 875 *b* et *seq.*; mandat continuari visitationem apostolicam ecclesiarum Urbis, 877 *a* et *seq.*; creat quinquaginta pueros honorarios occasione solemnis equitatûs in comites palatinos et auratae militiae equites, 897 *b* et *seq.*; declarat nullum edictum senatus de Lucerna super moderatione expensarum monialium, 899 *b* et *seq.*; promulgat Bullam in die *Coenae Domini*, 902 *a*; concedit Carolo VI Romanorum imperatori regnum Siciliae et Hierusalem cum terrâ citra Pharum in feudum, 905 *b* et *seq.*; erigit universitatem studii generalis in civitate S. Iacobi de Leon de Cacas Indiarum Occidentalium, 922 *a* et *seq.*; confirmat decreta Congregationis episcoporum et regularium super quartâ funerali et ingressu parochorum cum stolâ et cruce in ecclesias regularium, 927 *a* et *b*; confirmat decretum camerale pro inquilinis tempore anni sancti, 928 *a* et *seq.*; edit decreta pro disciplinâ ecclesiasticâ restauraudâ in Hispaniis, 931 *a* et *seq.*; acceptat et confirmat testimonium in perenne grati animi erga ipsum Ordinis Minorum de Observantiâ et Reformatorum, 942 *a* et *seq.*; confirmat constitutionem Clementis VIII prohibentem Iudaeis novarum rerum mercaturam, 853 *b* et *seq.*; statuit Ruthenis ad unitatem fidei revertentibus bona sua integre reservari, 956 *a* et *b*.

Inquisitio et inquisitores. — Inquisitoris generalis in Indiis, necnon curiae laicalis Carthaginensis, archiepiscopi S. Fidei et episcopi S. Marthae acta adversus episcopum Carthaginensem immunitatis ecclesiae iura tuentem, cum nonnullis aliis declarationibus et statutis, nulla declarantur, 248 *a* et *seq.*; inquisitionis tribunal a civitate Carthaginensi amovetur, 249 *a*; *vide* Congregatio Inquisitionis.

Interdictum ecclesiasticum. — Interdictum generale in dioecesi Lyciensi confirmat Pontifex eiusque observantiam sub certis poenis mandat, 463 *a* et *seq.*; interdictum, cui subiecta fuit dioecesis Agrigentina ob episcopi expulsionem cum decreto pro illius observantiâ, sub censuris eo ipso incurrendis, confirmatur, 595 *a* et *seq.*; item in dioecesibus Cataniensi et Agrigentinâ omnimode observandum, 630 *b* et *seq.*; adversus interdictum praedictum quaedam falsae doctrinae reprobantur, 631 *a* et *seq.*; in eiusdem contemptores censuras et poenas infligit Pontifex, 634 *a* et *b*; *vide* Censurae.

Ioannes Dluzeuski episcopus Gratianopolitanus administrator ecclesiae Gnesnensis a

capitulo Gnesnensi militaribus copiis eligitur, 310 *a*; electio nulla declaratur, 311 *a* et *seq.*

Ioannes Portugalliae et Algarbiorum rex illustris summo zelo summâque liberalitate et alacritate in auxilium christianae classis contra turcas quamplurium bellicarum navium subsidium validissimum quam citissime transmisit, 725 *a*; eius desiderio erigendi novum archiepiscopatum in capellâ regiâ favet Pontifex, *ibid.* et *seq.*

Iosephi I electio in imperatorem preces primariae iam peractae validantur, 605 *b* et *seq.*

Iubilaeum universale pro salutari Ecclesiae regimine initio pontificatus de more indixit Clemens XI, 17 *a*; item Innocentius XIII, 875 *b* et *seq.*; iubilaeum universale pro pace inter principes christianos indixit iterum Clemens XI, 263 *a* et *seq.*, et simile contra Turcas, 676 *a* et *seq.*

Iudaei. — In Iudaeos ne novarum rerum mercaturam exercerent, constitutionem Clementis VIII confirmavit et innovavit Innocentius XIII, 953 *b* et *seq.*

Iuncta in regno Siciliae, *vide* Congregatio Iunctae.

Ius praesentandi et nominandi ad tres vicarias loco ecclesiarum parochialium erectas regi Portugalliae conceditur, 713 *a* et *seq.*; item ius praesentandi et nominandi ad archiepiscopatum Ulyssiponensem occidentalem recens erectum, 736 *b*.

Ius visitandi. — Ius visitandi parochiales ecclesias regularium in insulis Philippinis competere locorum Ordinariis declaravit, 225 *a* et *b*.

L

Lauretana (S.) Domus, *vide* Domus S. Lauretana.

Legatio apostolica praetensa comiti Rogerio ab Urbano II commissa firmis argumentis a viris doctis eversa fuit, 652 *a* et *b*; *vide* Monarchia Siciliae.

Liberatus (P.) de Lauro. — Super servi Dei Liberati de Lauro cultu immemorabili decreta duo Congregationis Rituum confirmavit, 565 *b* et *seq.*

Libri damnati. — Folia quaedam impressa sub titulo *Lettre de monsieur**** *chanoine, etc.* damnantur, 80 *b*; item liber sub titulo *Véritable tradition de l'Église sur la prédestination et la grâce, etc. Par Mr. de Launoy, etc.* cum mandato tradendi illum Inquisitoribus vel Ordinariis, 98 *b*; item folia sub titulo *Acte d'appel, etc.*, 99 *b*; item liber omnes adversus decretum apostolicum super remotione archiepiscopi Sebasteni a vicariatu apostolico Missionum Hollandicarum editi, 304 *a* et *seq*; item liber sub titulis *Doctoris Laurentii Pires Carvalho quaestiones selectae de Bulla Cruciatae, etc.; Epitome des Indulgentias e privilegios da Bulla da S. Cruzada, etc.*, 307 *b* et *seq.*; item liber sub titulo *Traité de la puissance ecclésiastique et temporelle, etc.*, cum mandato illum tradendi Ordinariis vel Inquisitoribus, 319 *b*; item liber, cui titulus *Le Noveau testament en françois, etc.*, vel *Abrégé de la morale de l'Evangile, etc.*, 328 *a* et *seq.*; item libelli quatuor episcopi S. Pontii, 365 *a* et *b*; item liber sub titulo *Traité de la régale, etc.*, 366 *a* et *seq.*; item liber, cuius titulus: *Ragioni a pro della fedelissima città e regno di Napoli, ecc.*, 379 *a* et *b*;

item libri sub titulis *Ragioni del Regno di Napoli, ecc.*, *De re beneficiaria, etc.*, *Considerazioni teologico-politiche, ecc., parte prima*, 380 *b* et *seq.*; iterum liber sub titulo *Considerazioni teologico politiche, ecc. Parte seconda*, 381 *b* et *seq.*; item liber sub titulo *Entretiens sur le decret de Rome contre le Nouveau Testament, etc.*, 390 *b* et *seq.*, *vide* Propositiones damnatae.

Libri vetiti. — Libros vetitos quoscumque in bibliothecâ Romanâ Casanatensi retinendi facta facultas generali Praedicatorum, 13 *a* et *b*; item in bibliotecâ publicâ Urbinatensi, 844 *a* et *b*.

Liparensis civitas et dioecesis. — Liparensis civitatis turbas recenset, 531 *a* et *seq.*; Liparensis civitatis officiales restitutos ecclesiasticae communioni nulliter fuisse declarat, nullaque etiam alia gesta a delegato praetensi tribunalis Siciliae adversus vicarium generalem episcopi Liparensis, eius curiae ministros, aliosque, cum eorumdem damnatione, et publicatione censurarum, 533 *a* et *seq.*; Liparensis dioecesis a vicario generali ob sui expulsionem interdicto subiecta est, 618 *a*; quoddam edictum super illo a delegato monarchiae Siciliae editum refertur, 619 *a*; et nullum declaratur, 621 *a* et *seq.*; eiusdem dioecesis immediata subiectio S. Sedi confirmatur, 620 *b*; *vide* Censurae ecclesiasticae.

Litterae apostolicae. — Litteras apostolicas processus die Coenae Domini publicavit Clemens XI, 20 *a* et *b*; item Innocentius XIII, 902 *a*.

Loca montium. — Locorum montium computistariae in officia vacabilia, venalia et resignabilia in Datariâ expedienda solutâ certâ pecuniarum quantitate, eriguntur, 256 *a* et *seq.*

Loca pia. — Loca pia Terraesanctae, *vide* Terrasancta.

Lucernae senatus. — Lucernae senatus ac magistratus edictum super moderatione subsidiorum dotalium, livellorum, aliarumque expensarum monialium, cum nonnullis ordinationibus, refert et nullum declarat Innocentius XIII, 899 *b* et *seq.*

Lucia (B.) de Narniâ. — De B. Luciae Narniae cultu immemorabili decretum Congregationis Rituum confirmatur, 383 *a* et *seq.*

Ludovicus XIV rex christianissimus, ad Pontificem recurrit pro eradicandis pravis doctrinarum seminibus occasione libri gallice editi sub titulo *Le Nouveau Testament* etc., 807 *b*.

Lyciensis dioecesis, *vide* Interdictum.

M

Macaonensis episcopus. — Macaonensis episcopi eiusque vicarii gesta adversus commissarium apostolicum in Indiis Orientalibus recenset, 423 *a* et *seq.*; Macaonensis eiusdem episcopi praedicta omnia gesta nulla declarat, eademque damnat, inflictas ei censuras confirmat, ac severiores poenas comminatur, *ibid.*

Magister (M.) — M. Magistri militiae aureatae officium, a principe Flavio Commeno concessum duci Francisco Farnesio eiusque descendentibus, ab Innocentio XII confirmatum fuisse refertur, 791 *b* et *seq.*; praedictum officium eiusque privilegia, ab Innocentio XII familiae Farnesiae concessa, perpetuo iterum conceduntur cum confirmatione erectionis dicti ordinis militaris, 795 *a* et *b*; praefato

nonnulla privilegia, nempe facultas erigendi commendas, earumque fundatoribus iuspatronatum reservandi, easdemque conferendi, conceduntur, 799 *a* et *seq.* *vide* Militia aureata.

Magistri. — *Vide* Eremitae S. Augustini, Minores *et* Praedicatores.

Maigrot Carolus *vide* Carolus Maigrot.

Mariae (B.) Virginis laudes, 466 *b*; ipsius sacratissima imago olim ex humili loco divinitus detecta, in ecclesiâ S. Mariae in Montibus de Urbe asservatur, 466 *b* et 467 *a*, et 469 *b*.

Mediolanum. — In Mediolanensi ducatu gesta omnia a saeculari potestate adversus Sedem Apostolicam recenset, 353 *b* et *seq.*; edictum et mandatum a saeculari potestate promulgatum, ne transferantur pecuniae ad Statum Ecclesiasticum, et ut sequestrarentur fructus ecclesiastici personarum absentium, nulla declarantur, confirmatis censuris et poenis, 356 *a* et *b*; concessâ tamen facultate absolvendi resipiscentes archiepiscopo Mediolanensi, 356 *b* et *seq.*

Milites S. Ioannis Hierosolymitani. — Ipsis facta facultas faciendi celebrare missam in magnis navibus navigatione contra infideles, 254 *a* et *seq.*; congregationi quinque eorumdem ac magno magistro ius super regimine trium navium bellicarum restituitur, 417 *b* et *seq.*, *vide* Hospitale.

Milites Theutonici. — *Vide* Hospitale B. M. Theutonicorum.

Militia Aureata Constantiniana. — Dictae militiae sub titulo S. Georgii instauratione a duce Francisco Farnesio, eiusdem militiae magno magistro, factam, renovando statuta, milites nobiles conscribendo, et cohortes contra Turcas expediendo, indicat, 793 *a* et *seq.*; in eiusdem militiae gratiam, ecclesia B. Mariae *della Steccata* nuncupata, in certam ecclesiam, certamque sedem collegialem et caput totius Ordinis erigitur, cum magno prioratu et privilegiis similium ecclesiarum capitum aliarum militiarum, 796 *b* et *seq.*; militiae praefatae domum piam *de Misericordiâ* nuncupatam, cum illius subiectione ecclesiae Steccatae ac nonnullis ordinationibus, concedit Pontifex, 797 *a* et *b*; et eiusdem magno priori facultatem instituendi rectores ad beneficia ecclesiastica, 797 *b* et *seq.*; militia praedicta ab Ordinariis locorum eximitur, eamque magno magistro in temporalibus et spiritualibus subiicitur, causa vero militum ecclesiasticorum alicui ecclesiastico committenda esse decernitur, 799 *b* et *seq.*; pro eiusdem maiori decore, quaedam praecipui honoris insignia et facultates eius magno magistro ac magno priori habitusque singulares pro capellanis conceduntur, 801 *a* et *seq.*; pro praedictâ ecclesiâ B. Mariae *della Steccata* nuncupatâ in quibusdam diebus festis indulgentia plenaria perpetua, 842 *b*; *vide* M. Magister.

Minimi S. Francisci de Paulâ. — Minimis S. Francisci de Paulâ provinciae Messanensis alternativa tripartita in electione correctoris, collegarum et definitorum in dictâ provinciâ conceditur, 377 *b* et *seq.*; decretum Congregationis episcoporum et regularium de suffragio exprovincialium, exzelosorum et excollegarum dicti Ordinis confirmatur, 771 *b* et *seq.*

Minores Capuccini. — Minorum Capuccinorum discreti conventuales in provinciâ Flandro-Belgicâ abrogantur, 65 *a* et *b*; iterum restituuntur, 616 *a* et *seq.*; Minoribus Capuccinis facta facultas dividendi provinciam Vallonam in duas, hasque firmandi quibusdam articulis, 587 *b*; eisdem decretum cardinalis protectoris

de servandâ aequalitate coenobiorum et officiorum inter duas custodias provinciae Turonensis confirmatur, 542 *a* et *seq.*; Minorum praedictorum ecclesiis indulgentia plenaria perpetua in festis Ss. Paschalis Baylon et Ioannis a Capistrano, 580 *a*; praedictorum provinciae Insulensis concordia quaedam inita super divisione dictae provinciae in custodias, confirmatur, 849 *b* et *seq.*

Minores Conventuales. — Minoribus Conventualibus collegium studiorum sub invocatione nominis Iesu in coenobio Urbinatensi ipsorum Ordinis, concessis privilegiis collegii S. Bonaventurae de Urbe, erigit Clemens XI, 30 *b* et *seq.*; item collegium Assisiense pro missionibus, 368 *a* et *seq.*; pro dictorum ecclesiis indulgentia plenaria perpetua in festo S. Petri de Alcantara, 708 *b*; decreta quaedam definitorii generalis refert, 837 *a* et *seq.*; et confirmat, 838 *b*.

Minores de Observantiâ. — In eorum ecclesiis indulgentia plenaria perpetua die festo S. Rosae Viterbiensis, 8 *a*; Minoribus de Observantiâ provinciarum Lusitaniae et Algarbiorum decretum Congregationis episcoporum et regularium de celebratione capitulorum et congregationum provinciarum earumdem confirmatur, 43 *b*; eis praecipitur admittere visitationem Ordinariorum in eorum ecclesiis in insulis Philippinis, 225 *a* et *b*; decretum Congregationis episcoporum et regularium approbans caeremoniale provinciae de Mexico Minorum praedictorum confirmatur, 236 *b* et *seq*; Minoribus praefatis provinciae Aquitaniae facultas mittendi discretum et iuvenes dictae provinciae ad coenobium Parisiense conceditur, 238 *a* et *b*; iterum de hac re statuitur relatâ constitutione Clementis X, 338 *b* et *seq.*; Minoribus praedictis provinciarum Indiarum Occidentalium decretum Congregationis episcoporum et regularium de suffragio concedendo superioribus cuiuscumque conventus in dictis provinciis confirmatur, 556 *b* et *seq.*; Minorum eorumdem ecclesiis indulgentia plenaria perpetua in festo S. Catharinae Bononiensis conceditur, 587 *b*; Minoribus eisdem provinciae Baeticae decretum quoddam Congregationis episcoporum et regularium de primatu inter clericos et laicos, horumque titulo, confirmatur, 629 *a* et *seq.*; eisdem provinciae Chilensis litterae quaedam patentes commissarii generalis Indiarum occidentalium de visitatore dictae provinciae confirmantur, 752 *b* et *seq.*; praedictis provinciae S. Ioannis Evangelistae insularum Azzorum et Terseirae decretum Congregationis episcoporum et regularium approbans divisionem dictae provinciae confirmatur, 764 *a* et *seq.*; custodi et guardiano S. Sepulchri facta facultas conferendi sacramentum Confirmationis, 889 *b*; decretum capituli generalis eorumdem in perenne grati ipsorum in Pontificem animi testimonium editum confirmatur, 942 *a* et *seq.*; praefatis provinciae Poloniae Maioris constitutio Innocentii XI de coenobio Thorunensi aggregando provinciae praedictae confirmatur, 944 *a* et *seq.*

Minores de Observantiâ Discalceati. — Ipsorum coenobium S. Luciae de Monte et hospitium in oppido Portici dismembrantur a provinciâ S. Petri de Alcantarâ regni Neapolis, et provinciae eiusdem S. Petri regni Castellae uniuntur, 66 *a* et *b*; quae tamen constitutio postea revocatur a Clemente XI, 544 *a* et *seq.*; iterum de hac re pertractat Innocentius XIII, 914 *b* et *seq.*; et postremae constitutionis Clementis XI executionem nuncio Neapolis committit, 916 *b*; eisdem provinciae S. Didaci Novae Hispaniae in Indiis constitutio Innocentii XII

de primatu contra eremitas S. Augustini provinciae Nominis Iesu confirmatur, 75 *b;* praedictis provinciae Baeticae decretum Congregationis Rituum de celebratione missae B. M. V. singulis sabbatis anni, 102 *b;* item pro minoribus Discalceatis provinciae Mexicanae, 230 *a;* et eiusdem provinciae provinciali, ne iuri precedendi eremitis S. Augustini, absque consensu definitorii et discretorii, nuncium remitteret, mandatur, 241 *b*; minoribus praefatis familiae ultramontanae decretum Congregationis episcoporum et regularium de instituendo procuratore generali in Urbe pro eisdem, cum quibusdam ordinationibus, confirmatur, 226 *b;* Minoribus Discalceatis strictioris observantiae privilegia et decreta Congregationis episcoporum et regularium ne quis illis eleemosynam quaerere vetaret confirmantur, 763 *a* et *seq.*; eisdem in Brasiliâ constitutio Clementis X qua revocata fuere et in posterum prohibita privilegia personalia confirmatur, 806 et *seq.*; praedictis provinciae S. Antonii in Lusitaniâ decretum Congregationis episcoporum et regularium de alternativâ officiorum confirmatur, 878 *b* et *seq.*

Minores de Observantiâ Recollecti. — Minoribus de Observantiâ Recollectis provinciae Argentinensis decretum definitorii generalis eorumdem, quo statuitur ut provincia Coloniensis restituat provinciae Argentinensi quatuor coenobia, confirmatur, 5 *a* et *b*.

Minores de Observantiâ Reformati. — Minorum de Observantiâ Reformatorum missionariis in Æthiopiâ privilegia exprovincialium conceduntur, 97 *a* et *b*; Minoribus Reformatis provinciae S. Antonii in regno Portugalliae decretum Congregationis episcoporum et regularium approbans divisionem dictae provinciae in duas sub certis conditionibus confirmatur, 229 *b;* Minoribus eisdem provinciae S. Didaci Papiensis decretum Congregationis episcoporum et regularium de ratione habendâ solius meriti in electionibus eorumdem confirmatur, 341 *a* et *b*; pro Minoribus Reformatis provinciae Conceptionis B. M. fluminis Ianuarii, sicut et pro iis provinciae S. Antonii Bahiensis in Brasiliâ, facultas eligendi commissarios visitatores ex ipsorum provinciâ conceditur, 772 *b* et *seq.*; praefatis provinciae sancti Nicolai decretum Congregationis episcoporum et regularium de ratione faciendae electionis officialium confirmatur, 832 *a* et *b*; pro iisdem Minoribus de Observantiâ Reformatis statuta quaedam capitulorum generalium eorumdem de privilegiis lectorum, praedicatorum et magistrorum novitiorum abolentur, 845 *b* et *seq.*; eisdem decretum Congregationis particularis de abolendis privilegiis a capitulis generalibus lectoribus concessis confirmatur, 842 *b* et *seq.*; ut Minores laici reformati in regno Siciliae praestarent iuramentum cedendi praecedentiam clericis statuit Innocentius XIII, 881 *b* et *seq.*; eisdem poenitentiariis S. Ioannis in Laterano de Urbe privilegia exprovincialium conceduntur, 888 *a* et *seq.*

Minores Tertii Ordinis . — Ipsis in Lusitaniâ decretum Congregationis episcoporum et regularium de celebratione capitulorum et congregationum provinciarum Lusitaniae et Algarbiorum confirmatur, 43 *b;* eorumdem ecclesiis indulgentia plenaria perpetua in festis Ss. Ludovici et Elisabethae conceditur, 291 *b*; pro eisdem provinciae Lugdunensis, ut, decedente ministro provinciali sex mensibus ante capitulum, vicarius generalis non eligeretur, conceditur, 331 *a* e

seq.; eisdem Congregationis Gallicanae decretum quoddam statuens ut provinciae eiusdem Congregationis nominibus Sanctorum titularium, minime vero nominibus districtuum vocarentur, pro solo tamen conventu S. Mariae Miraculorum de Urbe, confirmatur, 790 *a* et *seq.*; ut Minores laici Tertii Ordinis in regno Siciliae praestarent iuramentum cedendi praecedentiam clericis statuit Innocentius XIII, 881 *b* et *seq.*

Missa. — Missarum celebrationi non adhuc celebratarum et in posterum celebrandarum in capellâ et ecclesiâ S. Domus Lauretanae consulitur, 41 *a* et *seq.*; de missâ B. M. V. singulis anni sabbatis celebrandâ decretum Congregationis Rituum pro Minoribus de Observantia Discalceatis provinciae Baeticae confirmatur, 102 *b*; item pro Minoribus Discalceatis provinciae Mexicanae, 230 *a*; missam celebrari faciendi in magnis navibus in navigatione contra infideles facultas militibus sancti Ioannis Hierosolimytani conceditur, 254 *a* et *b*; missam celebrandi unâ ante auroram et post meridiem horâ facta facultas Congregationi Piorum Operariorum, 270 *a* et *b*.

Missae Sanctorum, *vide* Sanctos sub proprio quemque nomine.

Missionarii et missiones. — Missionariis in Ætiopiâ Ordinis Minorum de Observantiâ Reformatorum privilegia exprovincialium concesssa, 97 *a* et *b*; missionariorum collegio Assisiensi Ordinis Minorum Conventualium regulas nonnullas recenset, 368 *a* et *seq.*; et confirmat, 371 *a* et *b*; altero collegio in conventu sancti Bartholomaei in Insulâ Minorum de Observantiâ regulas quasdam editas refert, 372 *a* et *seq.*; et confirmat, 376 *b*; decretum cardinalis de Tournon commissarii et visitatoris generalis pro exercitio missionum in Sinarum aliisque Indiarum Orientalium regnis refert et confirmat, 420 *a* et *seq.*; ut Missionarii super observantiâ quorumdam responsorum editorum a S. Congregatione in causâ rituum Sinensium iuramentum praestarent, cuius formula affertur, nec ante ipsum missiones inirent, mandat Pontifex, 670 *a* et *seq.*; *vide* Ritus Sinenses.

Missionarii. — *Vide* Congregatio Missionis.

Monachi Ordinis sancti Basilii ritus latini. — Ipsis indultum recitandi divina officia ritu latino, necnon Sanctorum eiusdem Ordinis, extenditur, 255 *a* et *b*; pro monachorum eorumdem ecclesiis in festo S. Basilii indulgentia plenaria perpetua conceditur, 260 *a* et *b*.

Monachi Ordinis sancti Benedicii Congregationis Bavaricae. — Eisdem decretum Congregationis episcoporum et regularium de iuramento in abbatum benedictionibus confirmatur, 308 *a* et *b*.

Monachi Ordinis sancti Benedicti Congregationis Bohemiae. — Iis privilegia omnia Congregationum Ordinis sancti Benedicti concessa, 627 *a* et *seq.*

Monachi Ordinis sancti Benedicti Congregationis Bursfeldensis. — Pro dictorum monachorum Congregatione translatio indulgentiae plenariae perpetuae in festo S. Scholasticae in diem translati festi conceditur, 769 *b*.

Monachi Ordinis sancti Benedicti Congregationis Montis Virginis. — In ipsorum ecclesiâ indulgentia plenaria perpetua etiam pro defunctis conceditur, 703 *b*.

Monachi Ordinis sancti Benedicti Congregationis Cassinensis. — Indulgentia plenaria perpetua peregrinantibus ad ecclesiam monasterii S. Specus Sublacensis conceditur, 48 *a*.

Monachi Ordinis sancti Benedicti Congregationis S. Crucis. — Congregatio in regno Poloniae et magno ducatu Lithuaniae erigitur, 344 *a*; privilegia omnia Congregationis Bavaricae, exemptio ab Ordinariis, facultas aggregandi alia monasteria et condendi constitutiones illi concessa, 344 *b* et *seq.*; ipsorum ecclesiis indulgentia plenaria perpetua in festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis conceditur, 348 *a* et *b*.

Monachi Ordinis sancti Benedicti Congregationis Montis Oliveti. — Monachis Congregationis Montis Oliveti Ordinis sancti Benedicti decretum Congregationis episcoporum et regularium de formâ eligendi generalem infra triennium in praedictâ Congregatione confirmatur, 267 *a* et *seq.*; monachis eisdem constitutionum Clementis X quoad alternativam regiminis abbatiarum inter abbates et monachos praefatae Congregationis derogatio conceditur, 554 *b* et *seq.*

